ANALYSIS
CONCILIORUM
GENERALIUM ET PARTICULARIUM
TOMUS PRIMUS.

(1

ANALYSIS CONCILIORUM GENERALIUM ET PARTICULARIUM,

CONTINENS EORUM CANONES SUPER DOGMATE,

MORALI DOCTRINA AC DISCIPLINA

tam veteri quam recentiore,

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATOS,

ET CUM NOVO, NOMINATIM VERO CUM PECULIARI

Galliarum Jure collatos; quos antevertit, proœmii loco de Conciliis in universum Tractatus; Opus Clero sæculari & regulari, itemque Jurisconsultis utile;

A REV. PATRE

CAROLO-LUDOVICO RICHARD

THEOLOGIÆ PROFESSORE

EX ORDINE ET NOVITIATU GENERALI FRATRUM PRÆDICATORUM
Dictionarii universalis Scientiarum Ecclesiasticarum
Auctore Gallice editum,

ET A REVER. ET EXCELL.

JOANNE ANTONIO DALMASO

VICETINO,

Sacræ Theologiæ Doctore Collegiato Latine redditum.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS,

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCLXXVI.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

PRÆFATIO
JOANNIS ANTONII DALMASI

In suam hujus CONCILIORUM ANALYSIS *Latinam Interpretationem.*

CUM semper ita fuerint homines a natura facti; ut quæ demum extitisset superiorum temporum ratio, quæ majorum mens, quæ instituta, nemo non scire cuperet, & curiosius investigaret; hæc profecto laudanda cupiditas quæ christianum hominem præcipue ac, prope dixerim, unice decet, non aliunde melius expleri poterat; quam ex certa cumulataque Conciliorum quæ catholica passim Ecclesia ab apostolicis usque temporibus celebravit, eorum nempe solemnium cœtuum notitia ad quos pro re nata convenere qui dignitate, qui sanctitate, qui doctrina primas tenebant, ut identidem gliscentes hæreses profligarent, schismata cohiberent, abusus eliminarent, morum depravationi congruum remedium afferrent, sua singuli, communia omnes jura tuerentur, uno verbo quicquid ad orthodoxæ fidei incolumitatem expedire visum esset, conjunctis opinionibus animisque statuerent & propugnarent. Haud proinde mirari subit strenuos viros non defuisse, qui in hac adeo jucunda, fructuosa, necessaria re publico bono studentes, undique collecta Concilia in unum veluti corpus conferrent; at eorum ingentes Collectiones quas inter, omnium judicio, eminet Labbeana, cui alioquin ipsi deinde Tomi plures, supplementi loco, accessere, non sine improbo labore, nec sine magna cæteroqui laude congestas immensa propemodum volumina complectebantur, ut omnibus quidem admirationi essent, at paucis usui; nimirum ad ea perlegenda utilitas alliciebat, atque adeo non raro necessitas impellebat; at moles deterrebat, quæ præsertim pretii majus onus secum trahebat, quam universim privati humeri ferre possent; jampridem itaque in communibus votis erat, ut hac in parte singulorum commodo consuleretur. Quod porro non pauci quos nominare nihil attinet, præstare conati sunt, id tandem perfecit emunctæ naris vir Carolus Ludovicus Richardus, & ita perfecit, ut nihil sit amplius, quod in hoc negotio desideretur, concinnata videlicet nuperrime Conciliorum omnium, tum generalium, tum particularium Analysi quæ ab auctore quem nomen ipsum satis commendat, gallice edita, tibi traditur, a me, quam citissime fieri potuit, in latinum sermonem conversa. Vix enim allato nuntio Opus hoc in Tomos tributum quatuor Parisiis sub prælo esse, rogatus Gallus edi-

tor, ut jam impressos haud cunctatus mitteret, expedit, quod unum poterat, quos tunc impresserat, priores duos; & hos quidem avide arreptos, mihique statim traditos latine reddidi, latineque redditos impressit Balleoniana Typographia, citiusque reliquos & ego latinos fecissem, & illa in lucem emisisset, si citius eos Gallus typographus edidisset; ergo ex ejus typis egressum tertium & huc missum, nulla interjecta mora, donavi latina lingua, idemque præstiti, simul ac quartus, isque postremus advenit. Quorsum hæc? Ut intelligas, Lector benevole, nobis quidem, quod nostrum erat, nec solertiam in exquirendo & comparando, nec diligentiam in edendo Opere defuisse, quod eorum qui sapiunt, sententia, longe maximi momenti est, omniumque præstantissimum, quæ hactenus hoc in genere prodiere, quodque proinde tibi perutile futurum erat, seu in gravissimi quod pertractat, argumenti expositione perspicuitatem, & cum perspicuitate conjunctam, ad legentium commodum, brevitatem, seu in detegenda veritate perspicaciam, seu methodum, seu rerum delectum spectes; hoc est, dedisse nos operam, ut te nobis hoc etiam titulo, celeritate scilicet, tuisque rationibus inserviendi sollicitudine devinciremus. De Opere videlicet agebatur, quod Ephemeridum perspicacissimi Auctores, &, ut verbo expediam, quicunque tam cernunt acute, quod ille ait, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, numeris omnibus absolutum prædicant, ac propterea dignum quod latinæ linguæ adminiculo, cujus dignitas apprime rerum, de quibus in eo agitur, gravitati respondet, e Galliæ finibus eductum, quam late patet Christianus orbis, seu, quod eodem recidit, ubique gentium libere excurrat. Par enim erat, ut ad omnium qui gravia & sanæ mentis hominibus accommodata consectantur, genuinum emolumentum spectans Opus, utpote quod Ecclesiæ, ab ipsis incunabulis ad hæc usque tempora, doctrinam, mores, ritus, disciplinam accuratissime ob oculos ponit, omnibus commune fieret; quo demum exitu, tuum, humane Lector, judicium fuerit. Equidem, ad me quod attinet, eo studium curamque contuli, quoad mea tulit imbecillitas, ut, quam elaboravi, versio cum spectatissimi Auctoris mente congrueret, & simplicitate, puritate fide Balleonianis Typis non indigna censeretur, iis nempe typis qui semper hactenus, quod nemo nescit, de litteraria republica bene meriti, & in posterum bene mereri apti nati paratique, suo veluti jure, latinam quoque hujus insignis Operis editionem sibi potissimum vindicarunt. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.

OPERIS quod ob oculos in præsentia Lectori est, rationem, vim & utilitatem unus eodem tempore titulus exhibet. Ejus ratio in eo primum est posita, ut omnes super Dogmate, Moribus ac Disciplina Canones qui in ingentibus quibus continentur, Collectionibus disseminati & dispersi sunt, Fidelibus & potissimum Religionis Ministris in manus tradantur; adeoque ab immensis iis Voluminum congestis quasi sarcinis abstineri possit, quorum acquisitio & lectio difficultates adjunctas habent, quas superare paucissimis datum est; ejusmodi sunt magnæ Conciliorum Collectiones tres; prima Luparensis quæ triginta septem Voluminibus, ut ajunt, *in folio*, constat; altera PP. *Labbei* & *Cossartii*, quæ complectitur Volumina septemdecim, rursus edita, cum incremento, Venetiis, studio & opera *Nicolai Coleti*, presbyteri; quibus addenda Volumina quinque, pariter *in folio*, Supplementi loco, a P. *Joanne Dominico Mansi*, e Congregatione Matris Dei, deinde Lucensi Archiepiscopo publici juris facta; denique P. *Harduini* tertia, Voluminibus duodecim itidem *in folio* exhibita.

Est id, secundo loco, propositum, ut Conciliorum Canones cum Jure & Jurisprudentia quæ reapse viget in Gallia, cumque ejusdem Legibus, Effatis, Usibus, Libertatibus conferantur; impediaturque proinde Lector, ne hujus temporis Disciplinam cum ea confundat quæ statuitur in Conciliorum Canonibus quos hoc Regnum non sequitur; idem compraretur ad ea quæ olim erant, aut adhuc sunt penes exteras regiones in usu posita, ab iis distinguenda quæ apud nos obtinent in præsentia; atque ita quidem tuto in judiciis, in agendi ratione, in decisionibus veluti manu ducatur. Ejusmodi est hujus Operis universa ratio, scopusque duplex.

Hunc autem duplicem scopum ut attingamus, Opus ipsum bifariam partimur. Historicam, in prima quidem Parte, omnium tam generalium quam particularium Conciliorum notitiam cum Canonibus exhibebimus qui in iisdem editi fuere, quin ex iis quicquam demamus quod ad Fidem, ad Mores, ad Disciplinam, ad ea demum omnia quibus modus in Conciliis statui solet, referatur; nec solum Canonibus nihil ad eorumdem vim & rationem pertinens adimemus, minusve fideliter quam se habent in suis ipsis fontibus, haud eos oculis subjiciemus; sed iisdem præterea Adnotationes addemus quarum ope explicentur ponanturque in bono lumine qui obscuri sunt, atque a multiplici seu barbarorum, seu redundantium vocabulorum sub quibus sæpenumero delitescentes quasique obruti in amplissimis vulgo Collectionibus comperiuntur, involucro extricentur. Neque vero nobis parcemus, quin subdamus Adnotationes cæteras quibus opus fuerit ad non unius generis difficultates solvendas quas Concilia quorum historiam contexímus, pati possunt, perficiendumque, ut peculiarium quorumque Disciplinæ capitum origo, institutio, progressus, mutationes, existentia vel abrogatio perspiciantur.

Pars altera complectetur alphabetico ordine argumenta omnia de quibus agitur in Conciliis, quæque in variis eorumdem editis Collectionibus indiscriminatim vagantur; superque his argumentis singulis præcipuos Canones qui ad ea pertinent, quosque ita hoc loco dabimus, ut primum editi sunt, quia scilicet iis nativo quam adscititio sermone exhibitis major inest ad probationem vis. Hos Canones excipiet Gallicum Jus, & hoc ipsum e Pragmaticis Sanctionibus

& Con-

& Concordatis, Constitutionibus, Edictis & Declarationibus Gallorum Regum, Parlamentorum & Magni Consilii Decretis, vel, ut vocantur, Arestis, generalium Cleri Cœtuum Deliberationibus, Gallicanæ Ecclesiæ Legibus, Usibus & Libertatibus, denique Jurisconsultorum optimis delibatum. Ita quidem Canonibus ante Juris dispositiones, quod eos omnino vel abrogat, vel adoptat, aut moderatur & ex parte tantum recipit, collocatis, haud ægre, unoque veluti intuitu, qui prorsus abrogati sunt, ab iis secernentur; qui, quam late patent, aut solum adhibito modo servantur & locum habent; qua profecto distinctione opus unicuique est, ut, pro re nata, theorice consilium ineat, ac reapse eidem semel inito insistat.

Sumamus exempli loco vocabula, *Abbates*, *Annata*, *Appellatio*, *Approbatio*. Super horum unoquoque quid demum agimus? Initio statim accuratam ejus notionem seu definitionem tradimus; illud deinde in sua peculiaria genera dividimus; ejusdem originem, progressum, vicissitudines, multiplicem statum investigamus; ipsumque, cum res ita fert, partimur in tot paragraphos, quot ipsa materies postulat; ac super hujus materiei partibus singulis de quibus agendum suscipimus, pro ut nobis ipsi proposuimus, primo quidem, chronologicum ordinem secuti, Conciliorum Canones eodem spectantes, statimque deinceps, eodem servato ordine, Juris dispositiones afferimus quas Pragmaticæ Sanctiones & Concordata, Edicta, Statuta & Declarationes nostrorum Regum, Parlamentorum & Magni Consilii Decreta, Cleri Deliberationes, Gallicanæ Ecclesiæ Leges, Usus & Libertates, interque Jurisconsultos gravissimi nobis suppeditant. Cum porro caput quod est præ manibus, ut interdum contingit, apud ejusdem nationis doctos viros agitatum & controversum occurrit, in eam partem descenditur, ut rationum momenta quæ utrinque stant, fideliter exponantur.

In hac nostræ mentis adumbratione, dubio procul, Operis quod in publicam lucem a nobis emittitur, gravitas & emolumenta cernuntur. Dum enim Conciliorum Canones, qua par est fide, excerptos & luculenter explicitos omnium oculis subdimus, magnarum Collectionum quæ eos continent, usum iis omnibus facilem reddimus qui eas possident; cæteros vero qui iisdem carent, ut indemnes carere possint, comparamus; dum autem hos Canones ad nationis peculiare Jus, ac Jurisprudentiam quæ nunc temporis viget, exigimus, nemini non in agendi ratione judiciisque facem præferimus. Haud ergo modum prætergressus fuerit qui dixerit hanc Analysin tanti momenti ac ponderis esse, quanti sunt ipsa Concilia, atque adeo majoris, utpote quæ eorum vim omnem exhibet; ad eorumdem acquisitionem, usum, intellectionem viam sternit; ea denique novo cum Jure confert, ut mordicus teneantur, si huic consentanea, sin contraria, deserantur. Jam vero quem latet, quantum intersit Fideles & singillatim Religionis Ministros probe callere Conciliorum Canones in quibus Fidei fundamenta, Morum principia, regulæ ad Ecclesiæ Disciplinam externamque Politiam pertinentes, pluresque Leges ad abusus qui & Sanctuarium peculiariter, & Christianam Rempublicam generatim dedecorant, antevertendos aut corrigendos institutæ, conjunctim consertimque, tamquam in sacro deposito existunt?

Hæ notitiæ in quibus utilitas cum pretio ac dignitate contendit, magnifice testantur ac prædicant Operis gravitatem, quod eas comparat, & modico quidem sumptu, quodque, si totum spectetur, primum est quod in hoc sane genere lucem aspexerit.

Non est nobis, ingenue fatemur, ignotum Opus quod voluminibus duobus *in* 8. ut Typographi dicunt, Bruxellis impressum fuit apud Franciscum Foppens,

an. 1706.

an. 1706. hoc titulo : *Analysis, seu Notio generalis Conciliorum œcumenicorum & particularium e quibus nobis supersunt Canones, seu quæ veteri ac recentiori Disciplinæ deserviunt* ; verum, præterquamquod Opus illud nihil est aliud quam primæ Partis Operis nostri imperfecta diminutio ac mutilatio veluti quædam ; publicum de eo judicium, referente Salmonio, in suo excellenti Tractatu, *De Studio Conciliorum*, pag. 779. ejusmodi fuit : „ Omnium Canonum quæ a generalibus & particularibus Conciliis edita fuerunt, epitomen sensumque præbere „ contendit Auctor ; ego vero mihi temperare non possum, quin vitia profe„ ram quæ in hoc Opere notata sunt. Nulla ibi satis accurata diligentia in „ plerisque Canonum Excerptis seu Redactionibus quæ nobis ab Auctore exhi„ bentur. Tribuit is Canonum pluribus significationem ei ex diametro opposi„ tam quam iidem obtinent in Conciliis ; nec animum, ut oportet, in id „ intendit, ut particularium Conciliorum Canonibus quos Ecclesia non appro„ bavit, aut quos etiam reprobavit, temperamenta quasique antidota quædam „ adhibeat. "

Conciliorum Historia, voluminibus quatuor, quod ajunt, *in* 12. an. 1699. Rothomagi, ab Hermantio typis edita, existimatione licet ipsa per se digna sit, nihil amplius quam primæ nostri Operis Partis compendium complectitur, nec prorsus a vitiis quæ Bruxellensi Analysi exprobrantur, immunis est. Non semper fidelis Canonum interpretatio, ipsæque Adnotationes non semper, aut satis appositæ cohærentesque, aut satis nostris placitis consonæ, Satis etiam habet interdum Auctor, universim, Canonum argumentum innuere, quin eos distincte afferat, & bene multas declarationes super eorum quos affert, pluribus desiderandas relinquit.

Conciliorum manuale Ditionarium quod, an. 1764. iterum prælo datum, est illud quidem Opus utile, at ab hoc, quoad rem ipsam & quoad formam, omnino aliud. Ejus Auctor id sibi proposuit, ut uno volumine, *in* 8. *omnium quæ certa & nota sunt, Conciliorum compendiariam Expositionem* traderet, posita magis opera in historica & dogmatica Conciliorum parte, quam in Canonum super morali Doctrina ac Disciplina versantium descriptione ; ad quos sane quod attinet, sæpissime a peculiari Concilio quo de agit, tot numero Canones ad Morum Disciplinæque reformationem editos ait, nihilque præterea.

Nihil jam aliud nobis superest, quam ut Animadversiones tres iis addamus quas hactenus exhibuimus. Prima est, Opus hoc ab iis omnibus quibus aliqua cum eo similitudinis & affinitatis species inesse potest, ex eo etiam capite secerni, quod adest in ejus fronte suis omnibus numeris absolutus, in proœmii modum, de Conciliis, in universum, Tractatus ; qui quidem Tractatus adeo fusus enucleatusque est, ut inter omnes, quicunque ad hæc usque tempora, hoc in genere, gallice quidem, prodire potuerunt, facile præstet. Altera est, si quando Adnotationes nostræ super quibusdam Canonibus desunt, qui potissimum eas requirere viderentur, id proinde fieri, quia scilicet has ipsas ad secundam Operis Partem remittimus, ubi quæ iisdem Canonibus continentur, argumenta discutimus. Dabimus, exempli loco, Eliberitani Concilii octavum & nonum canones, quibus nullam Adnotationem apponimus, propterea quod, verbo *Divortium*, in nostro volumine tertio, materies de qua in iis agitur, a nobis funditus pertractatur ; materies, inquam, quam DD. *Linguet*, *Hubert* & *Desnoyers* consulenda Monumenta gravissimam & celeberrimam his ipsis temporibus reddiderunt. Animadversio tertia per quam dicendi finem facimus, eo spectat, ut reputetur nos, seu quoad Canonum interpretationem & explicationem, seu quoad historicam, dogmaticam, moralem, aut puræ putæque Disciplinæ partem, universam denique hujus Operis seriem, Auctoribus primi nomi-

nis

nis usos esse. Auctores hi, præcipuo quodam in pretio habiti, sunt, inter alios, *Theodorus Balsamon*, *Zonaras*, *Beveregius*, *Balutius*, *Holstenius*, *de Mar.a*, *Du-Cange*, *Gabriel Albaspinæus*, Episcopus Aurelianensis, Cardinalis *de Aguirre*, Pater *Mansi*, Archiepiscopus Lucensis; *Rebuffus*, *Chopinius*, *Fevretus*, *Van-Espen*; Patres *Christianus Lupus*, *Sirmondus*, *Thomassinius*, *Morinus*, *Alexander*, D. *Cellerius*; DD. *Tillemontius*, *Du-Pinius*, *Fleurius*, *Duguetius*, *Bossuetius*, *Salmonius*, *Gi.ertus*, *Hericurtius*, *La Combe*, *Jousse*, *Potherius*, *Piales*; Scriptores cæteri qui egere de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Auctores Historiæ ejusdem Ecclesiæ, Redactores Monumentorum Cleri, &c.

A RE-

A REVERENDISSIMO P. GENERALI concessa Facultas.

Nos, Frater JOANNES-THOMAS DE BOXADORS, *sacræ Theologiæ Professor, nec non totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & servus.*

TEnore *præsentium nostrique auctoritate Officii*; *tibi* R. P. CAROLO-LUDOVICO RICHARD, *Provinciæ nostræ sancti Ludovici Regis alumno, sacræ Theologiæ Professori licentiam, quantum penes nos est, concedimus typis mandandi Opus a te concinnatum cui titulus:* Analysis Conciliorum generalium & particularium, cum eorum Canonibus, &c. *dummodo examinatum atque approbatum illud fuerit a reverendis Patribus sacræ Theologiæ Professoribus* P. F. RIOLS *&* P. F. BISTOS, *Provinciæ nostræ Tolosanæ alumnis, cæteraque aliunde serventur quæ de jure.*

Datum *Romæ in conventu nostro sanctæ Mariæ super Minervam, die octava Augusti* 1769.

Subscriptus Fr. JOANNES-THOMAS DE BAXADORS, *Magister Ordinis.*

Regist. Pag. 82. J. JOS. THEAS, *Sacræ Theologiæ Doctor & Socius.*

APPROBATIONES

THEOLOGORUM ORDINIS.

EGo subscriptus Theologiæ Professor e Fratrum Prædicatorum Ordine; legi & examinavi, de Reverendissimi Patris Generalis nostri mandato, manu scriptum Codicem cui titulus: *Analysis Conciliorum*, &c. Ecclesiasticæ Scientiæ præcipua pars Conciliorum cognitio est; ac laboriosius Auctor, jam publice notus, qui hoc argumentum selegit quod suis vigiliis proponeret, illud utiliorem & graviorem in modum exhibet. Videor equidem mihi diligentiæ jus reddere, quam ejus doctrina & critice luculentissime produnt, testatus me nihil in ipsius Opere nactum esse, quod cum Fide ac Moribus non apprime congrueret. In quorum fidem subscripsi.

Parisiis, die 7. Septembris an. 1771.

Subscriptus F. JOANNES DE RIOLS, Theologiæ Professor.

LEgi, Reverendissimi Patris Generalis jussu, manu scriptum Codicem qui inscribitur: *Analysis Conciliorum*, &c. Unus hujus Operis titulus, quod R. P. RICHARD publici juris facit, ejusdem elogium conficit, ob oculos ponens argumenti gravitatem, quod cognitione Canonum continetur, quos Concilia super Dogmate, Morali scientia ac Disciplina tam veteri quam recentiore ediderunt. Ejus est perspicuus concisusque stilus, sana & orthodoxa doctrina, prudens & consulta critice, curiosæ, utiles & accuratæ perquisitiones, solidæ & convincentes ratiocinationes.

Parisiis, die 10. Decembris an. 1771.

Subscriptus F. BISTOS, Theologiæ Professor, Embrodunensis Diœcesis Vicarius-Generalis.

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio: Tommaso Mascheroni Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Analysis Conciliorum generalium, & particularium, &c. Auct. R. P. Carolo Ludovico Richard ex Ord. FF. Prædicatorum, Tomus Primus, Secundus, Tertius, & Quartus, MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza agl' Eredi Baglioni Stampatori di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Gennaro 1775. M.V.

(Alvise Vallaresso Rif.
(Andrea Tron Cav. Proc. Rif.
(Girolamo Ascanio Giustinian Cav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 306. al Num. 536.

Davidde Marchesini Segretario.

Addi 22. Gennaro 1775.
Regiſtr. nel Mag. Eccellentiss. contro la Bestemmia.

Girolamo Dolfin Segr.

ANA-

TRACTATUS
DE
CONCILIIS.

CAPUT PRIMUM.

De Conciliorum Nomine ac Definitione.

VOX, *Concilium*, atque adeo *concilias*, ut ſuæ Novæ Collectionis pag. 1089. & 1429. Balutius animadvertit, plurium in eodem loco ad quicpiam deliberandum perſonarum cœtum generatim ſignificat; idem innuunt vocabula, *conventus* & *ſynodus*, & in ea differunt a *comitiis*, quod ad hæc ſcilicet populus univerſus, ad concilia vero ſolummodo populi pars ejuſque potiora membra conveniunt. Itaque in Galliarum Annalibus paſſim legitur Reges habuiſſe ſuas ſynodos, &, ut monet D. de Marca, *lib. 6. de Concord. cap. 24. n. 5.* inter eos cœtus, *ſynodorum* nomine deſignates extitiſſe nonnullos qui *regii* nuncupabantur, utpote qui non Epiſcopis tantum, ſed Comitibus aliiſque Regni primoribus præterea conſtabant, e quorum ſententia leges ad politiam ſpectantes, tam Eccleſiaſticæ quam civiles a Regibus edebantur; & hinc ea vetus in Regiis edictis formula quam profert Bignonius in ſuis Adnotationibus ſuper Marculſo, *lib. 1. cap. 25. Nos una cum apoſtolicis viris & patribus, cæteriſque Palatii noſtri miniſtris, &c.*

Verba, *concilium* & *ſynodus* ſumuntur etiam nonnunquam, penes auctores, ſeu profanos, ſeu ſacros, ad loca ipſa in quibus aliquis cœtus cogitur, ſignificanda. Utitur hac notione Concilii nomine Plinius, *lib. 1. cap. 9. ſect.* 35. Eccleſiaſtici auctores ſæpenumero, cum Eccleſias vocant *concilia martyrum*, *concilia ſanctorum*. In Actis ſummi Pontificis Stephani III. apud Baronium, ad an. 259. *n.* 4. dicitur: *Nemeſius gratia Chriſti roboratus, circuibat cryptas & concilia martyrum.* Anaſtaſius de ſummo Pontifice S. Damaſo loquens: *Hic*, inquit, *multa corpora ſanctorum martyrum requiſivit, quorum etiam concilia verſibus decoravit.* S. Gaudentius, in Tractatu de Dedicatione Baſilicæ Quadraginta Martyrum, ſuam ita mentem aperit: *Habemus ergo & hos quadraginta & prædictos decem ſanctos ex diverſis partibus terrarum congregatos; unde hanc ipſam baſilicam eorum meritis dedicatam, concilium ſanctorum nuncupari approbare decernimus.*

Subſecutis temporibus, uſu demum receptum eſt, ut non tam late pateret *concilii* & *ſynodi* nomen, ſed ad deſignandos, ſuper Eccleſiaſticis negotiis, Eccleſiæ miniſtrorum cœtus ſolum adhiberetur. Nos quidem hac una & unica ſignificatione, in hoc Tractatu, *concilii* nomen accipimus, illudque ita ſumptum definiendum ſuſcipimus.

Synodi vel concilii nomine, inquit D. du Pleſſis Argentræus, poſt Melchiorem Canum, *majores noſtri ſemper intellexerunt Sacerdotes, præſertim Epiſcopos, in locum unum congregatos, ut cauſas eas ſcilicet definirent, quæ ad Eccleſiæ fidem ſeu mores pertinerent.* (*Element. Theolog. p.* 250. *col.* 1. Melchior Canus, *de Locis Theolog. p.* 146. *Edit. Patav.* an. 1734.)

Pater Annatus, Generalis Doctrinæ Chriſtianæ, concilium definit, ut ſit *Prælatorum Eccleſiæ congregatio, ad fidei controverſias, vel Fidelium mores reformandos, a legitimo Capite convocata.* (*in Apparatu ad Theol.* T. II. p. 4.)

Definitiones hæ generales ſunt, nec ſatis eſſe videntur, ut nobis omnium Eccleſiæ Conciliorum quæ in multiplici genere ſunt, nitidam accuratamque notionem ſuppeditent. Melchior quidem Canus & Argentræus de concilii convocatione non meminerunt; & P. Annatus de præſulibus tantum loquitur, e quibus illud coaleſcere debet. Accuratior & abſolutior nobis videtur definitio quæ ſequitur:

Concilia ſunt Epiſcoporum legitimi cœtus, ab eo qui id juris obtinet, ut iiſdem præſit, aut ejus conſenſu convocati, ad Eccleſiaſtica negotia quæ fidem, mores, aut diſciplinam afficiunt, in ordinem redigenda.

Congruit hæc definitio Conciliis omnibus, ſeu generalibus, ſeu particularibus, & quidem iis tantum congruit; cœtus enim, vel Eccleſiaſticus, cui deeſſet conditionum aliqua quæ in ea ſunt expoſitæ, concilium non eſſet. Hæreticorum, ſuper religione, cœtus omnes *conciliabula*, *conventicula* nuncupantur; neque aliud nomen tribuitur etiam Catholicorum Epiſcoporum, ſuper fide, moribus, aut diſciplina cœtibus, cum ob aliquod vitium, quodcunque tandem fuerit, illegitimi ſunt.

CAPUT II.

De Conciliorum Diviſione.

DIviduntur Concilia, 1. in generalia & particularia.

Generale Concilium eſt ad quod vocantur omnes & ſinguli chriſtiani Orbis Epiſcopi. Dicitur etiam *univerſale*, *Oecumenicum*, a græco vecabulo *οἰκουμένη*, quod *habitabilem terram* ſignificat; verum animadverſione dignum eſt, quamvis ad grammaticæ leges exacta verborum vi, *generale*, *univerſale*, *Oecumenicum*, una ſint eademque res, nihilominus *Oecumenici* nomen quod aliquid amplius innuit quam generale, uſu ipſo conſecratum fuiſſe, ut *generale*, *legitimumque & a tota Eccleſia approbatum receptumque* ſignificaret. Poteſt igitur eſſe generale concilium, quin legitimum ſit; ut generale ſit, ſatis eſt omnes chriſtiani Orbis Epiſcopos ad illud appellatos eſſe, ab eoque excluſum fuiſſe eorumdem omnino nullum, niſi forte hæreticus aut excommunicatus eſſet; ut autem legitimum ſit & vere œcumenicum, neceſſe præterea eſt, ut in eo nihil non e regulis actum ſit, illudque Eccleſia receperit; adeoque poſſunt eſſe concilia quæ convocatione generalia ſint, celebratione autem eventuque non ſint ejuſmodi. Hujus generis ſunt Concilia, Mediolanenſe in cauſa S. Athanaſii an. 354. habitum; Ariminenſe, an. 359. Epheſinum, cognomento *Latrocinium Epheſinum*, an. 439. Conſtantinopolitana duo, contra ſanctas imagines, unum quidem an. 730. Leone Iſaurico, alterum vero an. 755. Conſtantino Copronymo rerum potientibus.

Particulare Concilium eſt ad quod non omnes chriſtiani Orbis Epiſcopi convocantur, ſed ii tantum qui ad peculiarem nationem, ſeu provinciam ſpectant, aut etiam Diœceſeos unius Epiſcopus una cum Claro qui eidem ſubeſt; itaque

Concilia tribuuntur, a. in nationalia, provincialia & Diœceſana.

Nationale Concilium eſt Epiſcoporum & Archiepiſcoporum ad eamdem nationem, idemve regnum ſpectantium cœtus, cui præeſt Patriarcha vel Primas. Hujuſmodi ſunt Conciliorum pleraque quæ Toleti, Carthagine, Aureliani celebrata ſunt, & Pariſienſe, an. 829.

Provinciale Concilium eſt Epiſcoporum in eadem Eccleſiaſtica provincia degentium cœtus, cui præeſt Archiepiſcopus, aut Metropolita.

Diœceſanum Concilium, ſeu Synodus diœceſana eſt alicujus Diœceſeos Parochorum aliorumque Clericorum cœtus cui diœceſeos Epiſcopus præeſt.

3. Conciliorum diviſio eſt in patriarchalia & primatialia.

Illud eſt patriarchale Concilium quod a Patriarcha, ejus metropolitanis & horum ſuffraganeis conſtat; Epiſcopi ad primatus juriſdictionem pertinentes, a Primate convocati, primatiale Concilium conſtituunt. Plures Patriarchatus quandoque per deputatos coeunt; ejuſmodi fuit Conſtantinopolitanum Concilium, ſub Menna & Agapeto, itemque illud quod appellatur *in Trullo*, a nomine ædium Imperatoris, in quibus habitum eſt.

4. Non deſunt concilia quæ ſint aliquid amplius quam nationalia, quin tamen generalia dici poſſint; ea ſunt ejuſmodi quæ ſummi Pontifices, ex Occidente univerſo, in gravibus litigiis totam Eccleſiam afficientibus olim cogebant antequam ſuam ſuper rebus de quibus conſulti fuerant, ſententiam ad Orientales mitterent, Ita Felix III. concilium coegit contra Acacium, Cœleſtinus contra Neſtorium, S. Leo contra Eutychen. Martinus & Agatho contra Monothelitas, Stephanus IV. contra Iconoclaſtas, &c.

Habebant etiam aliquando concilia ſummi Pontifices in urbe Roma, quæ nec provincialia nec diœceſana, ſed ex utriſque mixtio veluti quædam erant; ſpectant ad genus hoc concilia conflata ex Epiſcopis qui Romæ verſabantur, ex eccleſiaſticis urbis Romæ, aliarumve Diœceſeon reapſe in ea urbe exiſtentibus, atque adeo e laicis qui muneribus, aut pietate & eruditione inter cæteros eminebant; ejuſmodi concilium eſt quod Symmachus ante coegit, quam ad nonnullos Orientis Epiſcopos reſponderet a quibus per litteras de incommodis monitus fuerat, quæ eorum diœceſibus Eutychiani afferebant; ejuſmodi fuit quod Papa Cornelius, ad an. 251, celebravit in cauſa Maximi, Urbani & Sidonii qui, poſtquam ſchiſma abjuraverant, in Eccleſiam recipi poſtulabant; ejuſmodi fuit quod ob Anglicanæ Eccleſiæ negotia coegit Agatho ſummus Pontifex in Conſtantini Baſilica, quodque ex Epiſcopis ſexdecim, univerſoque Romano clero conſtabat, quemadmodum *tom. 1. p. 47. Concil. Angl.* videri poteſt. Quotannis etiam ſummi Pontifices in urbe Roma omnes Italiæ & Siciliæ Epiſcopos congregabant; deinceps, eo ſe conferre ex utroque regno tres tantum Epiſcopi juſſi ſunt.

Quædam denique Concilia ſunt quæ appellantur *univerſalia, plenaria*, non quidem abſolute, quod P. Alexander animadvertit, ſed adhibita reſtrictione, cujuſmodi ſunt totius omnino nationis aut regni Concilia. Hac nimirum ſignificatione Africæ concilium alterum, an. 418. Zoſimo Romanam Eccleſiam adminiſtrante, celebratum S. Auguſtinus in Epiſtola 47. *plenarium* appellat, & Concilium quod annis ſingulis habebatur, & cui omnes Africæ Epiſcopi intereſſe debebant, a Carthaginenſi Concilio tertio *univerſale anniverſarium* nuncupatur. Sunt etiam Concilia quæ *generalia* dicuntur, propterea quod ea probarunt ſummi Pontifices & Occidentis Epiſcopi, quamvis ex Orientis tantum Epiſcopis conflata fuerint.

CAPUT III.

De Conciliorum Origine & Inſtitutione.

Lutherus in Libro qui *De Conciliis* inſcribitur, Concilia divinæ inſtitutionis non eſſe, & quod inde conſequitur, ad confirmandam veritatem nullius utilitatis eſſe poſſe contendit. Is error eſt divinis veteris Teſtamenti Scripturis evidenter oppoſitus. In lege veteri, ſuum erat Hebræis Synedrium, id eſt, magnum conſiſtorium, ſeu concilium, ſeptuaginta ſenatoribus conſtans, quibus legem interpretandi, ejus ſenſum ſtatuendi, omneſque difficultates quæ deinceps ſuper religione ſuboriri poterant, ſolvendi ſuprema facultas erat; atque hoc quidem ſynedrium ſeu concilium Deus ipſe inſtituerat, ut ex *Numer. Cap.* XI. *v.* 16. itemque ex Deuter. Cap. XVII. *v.* 8. compertum fuit, ubi nempe leguntur hæc: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris .... venies ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem*. Potiora ergo ratione ſupremus Legiſlator Chriſtus Dominus cujus Moyſes non niſi figura erat, ſenatum inſtituit qui in religionis negotio judicandi jure polleret, quemadmodum in novo Teſtamento perſpicitur.

Divinus hic Servator, Apoſtolos in ſuæ ipſius divinitatis fide firmare volens, coegit omnes, ex iiſque quæſivit, quid homines de ipſo dicerent: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Petrus qui Eccleſiæ caput futurus erat, ſtatim reſpondit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*; reſponſum divinitus inſpiratum, Chriſto ipſo Domino teſte qui S. Petro ſubdidit e veſtigio: *beatus es, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*. Matth. XVI. 17.

Item Evangeliſta nos docet Chriſtum Dominum promiſiſſe ſe futurum in medio duorum triumve qui in ejus nomine conveniſſent: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; (Matth. XVIII. 20.) his autem Chriſti Domini verbis conciliorum originem & inſtitutionem contineri œcumenicum Chalcedonenſe concilium, an. 451. habitum, nos certos facit. Ita quidem celebre concilium hoc in ſua ad ſummum Pontificem S. Leonem I. Epiſtola eloquitur in hanc rem: *Supercœleſtem ſponſum inter nos converſantem nos cernere putabamus. Si enim, ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi ſe in medio eorum fore pollicitus; quantam circa quingentos viginti ſacerdotes peculiaritatem (familiaritatem) prævit demonſtrare?* Conſtantinopolitanum concilium tertium quod œcumenicum ſextum eſt, a ſe coactum & ipſum ait *ſecundum a Domino editam vocem: Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, In his ipſis verbis omnes ad unum Græci & Latini Patres conciliorum originem & inſtitutionem perſpexerunt.

Conciliorum igitur originem ex Dei ipſius ordine & inſtitutione repetendam eſſe non minus Chriſti Domini verba probant quam exempla; atque hinc Apoſtolorum eorumque ſucceſſorum in concilium conveniendi ſollicitudo, hinc etiam Apoſtolorum qui ad Hieroſolymitanum concilium coiverant, verba hæc quibus haud verentur ſuam ipſorum deciſionem Spiritus ſancto ipſi tribuere: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Act. XV. 28.

Ne quis ergo dixerit Apoſtolos humano tantum motu quodam, atque ut Hebræos, Græcos, aut Romanos imitarentur, in concilium conveniſſe. Convenerunt ii quidem certe Spiritus ſancti afflatu permoti, ut ſcilicet ad Chriſti Domini exemplum & lectiones ſe conformarent.

CAPUT IV.

De Conciliorum Neceſſitate & Utilitate.

§. I.

Conciliorum neceſſitas.

Concilia tum generalia tum particularia non abſolute quidem neceſſaria ſunt, neceſſitate nimirum phyſica ſeu metaphyſica, quia Deus per abſolutam qua pollet, poteſtatem, abſque hujus generis adjumentis Eccleſiam ſuam ſartam teſtamque ſervare poteſt; bene vero neceſſaria ſunt morali quadam neceſſitate; ut videlicet, ſi ordo ſpectetur, quem Deus ad ſtatus Eccleſiæ ſuæ regimen ſtatuit, agnoſcenda ſit, pro multiplici temporum rerumque ratione, generalium aut particularium conciliorum neceſſitas. Eas porro temporum rerumque rationes, ſeu circumſtantias in quibus ſeu generalia, ſeu particularia concilia cogi neceſſe eſt, ſeu cauſas quæ magnos hos cœtus poſtulant, Bellarminus redigit ad ſex numero. (*Bellarm. de Concil. Eccleſ. Lib.* I. *cap.* 9. 10. & 11.)

Earum prima eſt, inquit hic haud ſuſpectæ hac in re fidei auctor, ortus hæreſeos novæ quæ nondum ſcilicet dijudicata fuit; ob hanc nempe cauſam coacta fuere priora ſeptem generalia Concilia; nullo enim non tempore cenſuit Eccleſia novarum hæreſeon periculum tanti momenti eſſe, ut cohiberi non poſſet, quin eidem omnium, aut maxima ſaltem ex parte, Eccleſiæ Principum, qui quidem conveniſſent & con-

tra

tra fidei hostes in arenam descenderent, conjuncti collectique conatus opponerentur.

Altera quæ concilii convocationem requirit, causa est calamitas schismatis aperte grassantis inter Romanæ Urbis Episcopos duos qui inter se de tiara contendunt. Experientia compertum est nullum aptius potiusque remedium tam gravi malo adhiberi posse, quam generale concilium, præsertim quod inter contendentes judicet; hinc tot coacta concilia ad finienda schismata quæ in Ecclesia suborta sunt, initio ab eo ducto quod inter Papam S. Cornelium, an. 252. vita functum, &, qui primus omnium antipapa fuit, Novatianum efferbuit.

Tertia ratio quæ sæpe ad cogenda concilia summos Pontifices impulit, necessitas fuit in qua versabantur, ut nempe communis hostis Ecclesiæ conatibus, per Christianorum Principum eorumque subditorum fœdera seu sacrum bellum, vulgo *cruciatas*, obluctarentur.

Hæreseos in Romano Pontifice suspicio, pergit Bellarminus, ejusve morum depravatio rationem quartam suppeditaret, cur haberetur generale concilium, ad eumdem vel deponendum, si hæreticus, vel admonendum, si corruptus & inemendabilis in moribus comperiretur.

Esset etiam necessarium, quinto loco, generale concilium, si forte Cardinales ad Papæ electionem progredi non possent, aut nollent. In hac facti specie, generalis concilii esset huic malo consulere.

Abusuum denique vitiorumque quæ, ita ferente humanæ naturæ imbecillitate, in Ecclesiæ ordines omnes irrepunt, communis reformatio, sexta causa est, quamobrem generalia concilia convocentur; itaque ex iis omnibus quæ hactenus habita sunt, nullum, aut prope nullum est quod super morum reformatione canones non ediderit.

Infert ex his rationibus Bellarminus, quamvis absolutæ necessitatis generalia concilia non sint, in dubium tamen revocari non posse, quin in consueto rerum ordine, spectatoque præsenti religionis in terris statu, cujusmodi institutus a Deo est, generalium quidem conciliorum quodammodo, particularium autem absolute necessaria sit ad melius Ecclesiæ regimen convocatio; si enim, prosequitur strenuus controversiarum actor, scandala & hæreses esse necesse est; haud minus oportet in Ecclesia judicium certumve tribunal existere quod hæc scandala de medio tollere & has hæreses damnare possit; secus Ecclesia brevi periret.

Quod si mirum videtur, quasique portento simile Bellarminum pro hujus in Ecclesia tribunalis necessitate pugnare, eum scilicet qui controversiarum judicem fallere & falli nescium, cui omnes Christifideles obsequi debent, Papam esse testatur; respondebit ipse oportere, ut Papa non suo ipsius judicio fidat, nec divinam revelationem expectet, cum id agitur, ut in fidei negotio judicetur, sed omnem diligentiam afferat quam rei gravitas postulat, et consueta adjumenta ad eam dijudicandam adhibeat; jam vero consuetum, & quod inde fit consequens, necessarium, ut id judicii feratur, adjumentum concilium esse, seu magnum seu parvum; 1. propter ea Christi Domini verba: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*; 2. quia Apostoli in concilium coiverunt, ut controversiam dirimerent quæ Antiochiæ super legalibus cæremoniis exorta erat, licet eam singuli privatim finire potuissent; 3. ob omnium temporum omniumque locorum consuetudinem ea semper Ecclesia ad res dubias explicandas concilia coegit, & ita quidem, ut Romani Pontifices novam hæresin sine novo concilio nunquam damnaverint; 4. auctoritatis Patrum Conciliorumque in id conspirantium ratione habita: *Necesse habuimus, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare concilium*, inquit S. Cyprianus in prima ad S. Stephanum Papam Epistola. Videri possunt, inter alia concilia, Nicænum, Chalcedonense, quartum & undecimum Toletanum quæ conciliorum necessitatem probant in eo positam, ut fidei & morum detrimentum impediatur.

Si plures hæreses sine generali, quædam etiam sine ullo prorsus vel particulari concilio damnatæ dicantur, hac de re facile convenit; etenim, quin de veteribus hæresibus loquamur, cujusmodi fuere quas Menander, Ebion, Cerinthus, Nicolaitæ; Valentiniani, Marcionitæ, Tatianitæ disseminarunt, Vigilantii discipulos, Origenistas, Pelagianos, &c. absque concilio, saltem generali damnatos fuisse perspectum est; quid ita? Quia errores hi patebant ipsi per se, omniumque Ecclesiarum fidei evidenter adversabantur; ut proinde S. Augustinus Pelagianis generale concilium petentibus ita responderit: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut APERTA PERNICIES damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando sine synodi congregatione damnata sit*. (*Contr. duas Epist. Pelag. Lib.* IV. *cap. ult.*) Dum S. Doctor hac loquendi ratione utitur, satis significat haud opus esse concilio, ut hæreses proscribantur quæ notoriæ sunt, communique fidelium consensioni, qui per universum terrarum orbem diffusi sunt, aperte repugnant, cujusmodi est Pelagianorum hæresis, qui originale peccatum, & gratiæ, ad salutem, necessitatem negabant. Tum quidem satis est, ibi ubi originem habuit, errorem damnari, quandoquidem certum est fore, ut, cum primum cæteris Ecclesiis damnatio hæc innotuerit, eam nemo non sollicite recipiat & probet. Non ita res habet, cum error occultior est, subtilior, captu perspectuque difficilior, aut cum latius jam serpsit, cujusmodi S. Cypriani super hæreticorum baptismate, ut aliquod exemplum afferam, error fuit. Sane tunc necessaria evadunt generalia concilia; atque in hac circumstantia S. Augustinus S. Cyprianum excusat, eum inquiens solummodo generalis concilii definitioni super hoc capite non deferre non potuisse. (*Aug. Lib.* II. *de Baptis. cap.* 4.) Hac ipsa de causa confugiendum fuit ad generalia concilia, ut Nestorii & Eutychis errores diris devoverentur, quia scilicet errores hi, notorii licet & aperte dogmatibus per universam Ecclesiam certis & communi prædicatione propositis repugnantes, in magnarum tamen nonnullarum sedium Episcopis præsidium & fulcrum nanciscebantur. Alia ratio quæ generalia concilia necessaria reddit, ea est, quod, ut error eradicetur, edendi sunt aliquando canones qui Ecclesiæ doctrinam explicent extricentque; id autem melius feliciusque in generali quam in particularibus Conciliis fit. „ Quamvis enim Ecclesia, inquit Bossuetius, omnem veritatem funditus norit, ex hære„ sibus tamen didicit, ut ajebat magni nominis Vin„ centius Lirinensis, aptius, distinctius clariusque „ eamdem exponere. “ (Bossuet, *Instruct. super Promissis*, *n.* 35.)

Necessaria sunt ergo generalia concilia, tum ut litigia finiantur quæ super obscuris intellectuque difficilibus doctrinæ capitibus suboriuntur, tum ut explicentur & enucleentur ejusdem doctrinæ articuli, qui publica quidem dogmata in Ecclesia constituunt, ab hostibus tamen vi numeroque pollentibus impugnantur, tum denique ut universim in capitibus & in membris reformatio comparetur.

At, inquiet fortasse quispiam, Papa unus & unicus, aut saltem eidem addito Pastorum cœtu, & concilia particularia omnes super doctrinæ capitibus disputationes dirimere, nulli non abusui remedium afferre, & quicquid in Ecclesia reformatione indiget, reformare & in ordinem redigere possunt. Necessaria ergo non sunt generalia concilia; eorumque necessitatem propugnare, nihil est aliud quam velle disputationibus super doctrina nullum unquam finem, nullumque malis remedium fore.

Quicunque Papæ, quam vocant, infallibilitatem asserunt, cum Bellarmino respondebunt, hujus eum prærogativæ vi non eximi, seu quin consuetis adjumentis utatur, cujusmodi sunt generalia concilia a Deo instituta, ut veritates ad salutem necessariæ dignoscantur, seu quin Apostolorum exemplum imitetur qui in concilium coiverunt, ut controversias finirent, quæ eorum temporibus super quibusdam doctrinæ capitibus prodierunt, seu quin ad consuetudinem se conformet quæ in Ecclesia semper obtinuit, seu quin conciliorum decisionibus & Patrum auctoritati acquiescat. S. Leo qui initio statim haud esse necesse judicaverat, Eutychianismi damnandi causa, generale concilium cogi, quia manifestus, ajebat, is error erat; primus fuit qui Theodosium Imperatorem extimularet, ut, ad eum damnandum, generale concilium convocandum curaret, ubi intellexit Dioscorum, Alexandrinum Episcopum, suas omnes vires eidem addicere. Quid? quod ii Papæ ipsi qui maxime suam sibi infallibilitatem persuaserant, generalia concilia plura coegerunt, ac vel ipse Gregorius VII. „ quan„ tumvis de sua ipsius auctoritate sollicitus esset, in„ quit Fleurius, nihil agere sine concilio volebat; „ *Serm.* 3. “ Ita quidem papalis infallibilitatis propugnatores ipsi ad propositam difficultatem respondent; & quoniam hi tam feliciter evadunt, iis hac in re nullum prope negotium est qui non recipiunt infallibiles Papas esse, utcunque tandem spectentur. Quoad hos igitur posteriores id unum superest, ut ad id respondeant, quod additur, generalium conciliorum necessitatem propugnare, perinde esse ac disputationes super doctrina perpetuas, & irreparabilia mala reddere; atque horum sane ejusmodi responsio est.

Generalium conciliorum necessitas non est in causa, cur

ſa, cur in Eccleſia diſputationibus nullus finis, nullumque malis remedium ſit; neque enim ea neceſſaria ſunt ad omnium generum diſputationes finiendas, & ad omnium quoque generum ſananda mala; id nempe eorum celebrationem omnino impediret, cum fieri non poſſit, ut tam ſæpe habeantur. Cum ergo generalibus conciliis opus tantum ſit ad extrema & communia mala reparanda, & ad definienda admodum difficilia & perobſcura doctrinæ capita, ſuper quibus inter Catholicos eſt ſententiarum varietas; qui ſpirituali ac temporali auctoritate inſigniti ſunt, ea, rebus ita ſe habentibus, cogere debent; quæ ſi minus coegerint, ſeu quod iis bona voluntas deſit, ſeu quod externa obſtacula ſubſint quæ ſuperare haud in eorum poteſtate eſt; num propterea quiſpiam dixerit aut generalia concilia nunquam eſſe neceſſaria, aut, ſi quidem ſunt, de fine diſputationum & malorum Eccleſiæ deſperandum eſſe, ſaltem ſi non amplius ea cogerentur? Minime vero. Generalia concilia ſemper, in propoſita facti ſpecie, neceſſaria jure ipſo ſunt, quia conſuetum hoc adjumentum eſt quod ad dijudicanda litigia & avertenda mala de quibus agitur, ſua in Eccleſia Deus inſtituit; quod ſi reapſe coacta non fuerint, dubitari non poteſt, quin Eccleſiam quæ deficere nunquam poteſt, dubio procul ſuſtentet Deus, ſeu per concilia particularia, ſeu per conſenſionem concentumque Paſtorum, ſeu per contendentium conciliationem, ac ſenſim ſopitis diſputationibus, ſeu per alia demum ſubſidia quæ nos quidem latent, ſed quæ tamen ipſa ſupremum & inviſibile Eccleſiæ Caput in ſuæ ſapientiæ theſauris abdita ſervat; cum enim generalia concilia in quibuſdam difficilibus & ſalebroſis circumſtantiis omnino neceſſaria eſſe dicuntur, id ſane de morali neceſſitate, ac pro meliore Eccleſiæ regimine intelligi debet; tametſi nimirum in iis ipſis circumſtantiis abſque generali concilio ſubſiſteret & conſtaret Eccleſia; nihilominus id pluribus incommodis non careret, eaque graves jacturas quoad ingentem filiorum ſuorum numerum pateretur, qui citra id adjumenti, ſeu fidei, ſeu morum vitio ac detrimento perirent; atque huc omnis prorſus redigitur controverſia, cum quæritur, neceſſaria, necne ſint generalia concilia.

§. II.

Conciliorum Utilitas.

In dubium vocari non poteſt, quin concilia comparent Eccleſiæ emolumenta prorſus innumera. Ei ſunt hæc adminiculo, ſua ut dogmata, mores, diſciplinam, cultum, cæremonias denique moderetur; contra externorum aut domeſticorum hoſtium conatus ſuam ei unitatem & integritatem ſervant; ejus omnia mala antevertunt aut ſanant. Convertantur re ipſa oculi ad concilia quæ numero plurima in Eccleſia ad hoc uſque tempus habita ſunt; perſpicieturque eorum alia eo ſpectaſſe, ut orthodoxæ fidei, ſine cujus profeſſione ſalutem conſequi nemo poteſt, dogmata deciderent & exponerent, eidemque oppoſitos errores damnarent; alia hæreticos in communis Chriſtifidelium Matris ſinum, aut Schiſmaticos in unitatis centrum a quo ſe ipſi ſejunxerant, reſtituendos ſibi propoſuiſſe; in id alia incubuiſſe, ut Chriſtianorum hominum mores ad Evangelii effata formarent, certaſque purioris moralis doctrinæ regulas tradidiſſe; alia canones edidiſſe per quos Eccleſiæ diſciplinam, omneſque qui ad ejus politiam pertinent, quaſi ramulos inſtituerent aut perficerent, ſervarent aut in integrum reſtituerent; omnia & ſingula eodem ſpiritu, ſcilicet eo veritatis, ordinis, de animarum ſalute, de Dei gloria, de ejus ædium ornamento ſollicitudinis ſpiritu animata conſpiraſſe, ubique locorum nulloque non tempore, ut abuſus corrigerent, ſcandala & vitia evellerent, virtutes ſererent, ſuperque imperii dæmonis ejuſque errorum exitio, Chriſti Domini ejuſque veritatis imperium propagarent firmarentque. Tunc igitur ac merito tanquam nervi corporis Eccleſiæ, ejus fidei fundamentum, baſis & fulcrum, ejuſdem ſalus, ipſiuſque hoſtium terror nunquam non concilia ſpectata ſunt. Suam ita mentem aperiebant ann. 1549. Colonienſis concilii Patres; ut proinde ſibi temperare non potuerit Gerſonius, quin pronuntiaret: *Nulla fuit hactenus, nec erit in poſterum perniciofior peſtis in Eccleſia, quam omiſſio generalium conciliorum & provincialium. De Poteſt. Eccl. Conſid.* 8.

Et ſane, ſi minus in multiplici rerum ratione concilia apprime utilia, vel etiam neceſſaria ſunt, cur ea Deus inſtituit? Cur ejuſmodi cœtus, Divini Numinis afflatu inſtinctuque, Apoſtoli coegerunt? Cur Eccleſia, per omnia tempora, perque omnes Chriſtiani Orbis partes, tam gravibus curis impenſiſque, id genus conventus habitos voluit? Cur Sancti Patres, tanto verborum apparatu, tantaque vi, conciliorum tum neceſſitatem propugnarunt, tum uſum commendarunt? Cur Eccleſia, dum Epiſcopos conſecrat, eos jubet, obſtricta juriſjurandi fide, recipere, ſe, dummodo nullum ſubſit canonicum impedimentum, ad concilia protecturos ad quæ legitime vocati fuerint? *Vocatus ad Synodum, veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione. Pontific. Rom.* Cur concilia anathemati ſubdunt Epiſcopos qui ab iiſdem recedunt, quin canonicum quod eos eximat, impedimentum afferre poſſint? Cur omnia denique mala quæ Eccleſiam divexant, conciliorum omiſſioni, tanquam uni e præcipuis eorumdem cauſis ac fontibus, tribuunt Paſtorum ſapientiſſimi, Doctorumque perſpicaciſſimi?

At, inquiet aliquis, brevior faciliorque patet via, qua omnes diſputationes, & in omni facti ſpecie, quæcunque tandem eſſe poſſit, expediantur; ut ſcilicet ad Papam confugiatur, qui de re propoſita judicabit, & quod protulerit, judicium ad omnes catholicæ reipublicæ Epiſcopos mittet, qui illud ſuſcipiant probentque, aut rejicient & improbent; brevis hæc & facilis via omnes difficultates adimit, & inutilia concilia reddit.

Hæc via, non imus inficias, ut plurimum recta eſt; eadem tamen nec ſemper iniri poteſt, nec ſemper ſatis idonea eſt, nec ſemper Apoſtolorum exemplo, agendi rationi qua Summi Pontifices uſi ſunt, Sanctorumque Patrum & Eccleſiæ canonum menti eſt conſentanea.

Non ſemper via quæ proponitur, iniri poteſt. Interclusum eſt ad Papam perfugium, ſchiſmatis tempore quo plures contendentes de Papatu inter ſe digladiantur, aut apoſtolica ſede vacante, quo vacationis tempore Cardinales nollent aut non poſſent ad Papæ electionem progredi, vel ſi forte de Papa hæretico, improbo, corrupto deponendo ageretur: quæ triplex eſt facti ſpecies in qua generale concilium, Bellarmini ſententia, neceſſarium evadit.

Eadem via, ut ſemper iniri poſſet, non ſemper ſatis idonea eſt; requiritur aliquid amplius perturbationum turbarumque, obſcuritatum nebularumque temporibus? Id intellexit Innocentius I. de S. Joannis Chryſoſtomi negotio verba faciens; en hujus magni Pontificis verba in Epiſtola quam ad Conſtantinopolitanum Clerum hac de re miſit: *ſed quid adverſus iſta in præſenti faciemus? Neceſſaria eſt congregatio ſynodi, quam & nos jampridem congregandam eſſe diximus. Hæc enim ſola eſt quæ hujuſmodi tempeſtatum motus ſedare poſſit. Innocent. I. Epiſt. ad Clerum C. P. apud Sozomenum, Lib. VIII. Hiſtor. Eccl.*

Gregorius X. in Epiſtola de convocatione generalis concilii XIV. quod ann. 1274. Lugduni habitum eſt, ſuam haud minus acriter vehementerque ſententiam dicit ſuper œcumenici concilii cogendi neceſſitate ad remedium ſchiſmati & corruptioni, quæ in ejus temporis clericorum & laicorum mores irrepſerat, afferendum: *Quis dabit capiti noſtro aquam*, exclamat flebiliter hic ſollicitudinis plenus Pontifex, *& oculis noſtris fontem lacrymarum, ut populos noſtra humilitati commiſſos ſpiritualiter & temporaliter interfectos diebus & noctibus lugeamus? . . . Ad tanta diſcrimina relevanda ſuſpirat affectus, zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. Ad quod cum nos ſufficere non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem, montem quidem Dei . . ., & quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium; nos cum fratribus noſtris, aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu prehabito, prout tanta neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio generale concilium, ſicut imitationi digna Sanctorum Patrum conſuetudo laudabilis, longæque obſervationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eo tam circa præmiſſa, quam circa cætera quæ ſalutem reſpiciunt animarum, illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione concilii roboretur.* Conſuli poſſunt S. Leo in Epiſtolis 25. 54. & 12. Clemens VII. in Epiſtola ad Franciſcum I. Galliarum Regem, & Paulus III. in Bulla de Tridentini concilii convocatione.

Perfugium ad Papam unum, pluribus ut malis quæ quandoque Eccleſiam affligunt, remedium quæratur, non ſemper eſt conſentaneum tum Apoſtolorum exemplo, qui licet in gratia confirmati, poſt S. Spiritus in eos deſcenſum, ut proinde errare non poſſent, haud a concilio tamen celebrando abſtinuerunt, ut quæſtiones tunc temporis ſuborientes dirimerent; tum agendi rationi quam Papæ ipſi inierunt, qui nempe ſuum eſſe arbitrati ſunt, omnibus retro ſæculis, longe maximum conciliorum, tam generalium quam particularium numerum cogere.

Mens

Mens denique Patrum & Ecclesiæ canonum est, ut crebro habeantur concilia quæ semper tamquam disciplinæ robur & columen, efficacissimumque adjumentum spectata sunt, quod adhiberi possit, ut ei sua servetur vis, aut eadem, si quando remissa fuerit, redintegretur. Numquam finem dicendi facerem, si vellem omnes conciliorum canones recensere, qui, gravissimis propositis pœnis, crebram horum sanctorum cœtuum celebrationem mandant. Facile poterit hac de re quemque convincere hujus Operis lectio; ego vero satis habeo hoc loco dicere Chalcedonense Concilium quod alia innumera secuta sunt, canone 19. instaurare decretum generalis primi Nicæni concilii quod provincialia concilia bis quoque anno celebrari jubet.

Frustra cum Luthero & Calvino diceretur, inutilia atque adeo perniciosa concilia esse, quandoquidem probe novimus, quid omnino ad salutem credendum agendumque sit; eorum constitutiones nequaquam servari; ambitionis, cupiditatis, vanæ gloriæ, discordiæ & factionis pruriginem in iis grassari ac penitus dominari, iisdemque nullum prorsus esse felicem exitum, latente ipso S. Gregorio Nazianzeno in sua SS. ad Procopium, Theodosii Imperatoris qui eum ad concilium invitaverat quod Constantinopoli cogere volebat, ministrum Epistola. Vah inanes & futiles declamationes!

Quamquam scimus quid credi usuique haberi oporteat, & quæcunque tandem cogi possent, concilio novos fidei articulos edere, novasque morum regulas statuere non posse; non minus tamen verum est in conciliis plurimum utilitatis esse, non ut novi quidem fidei articuli edantur, sed ut confirmentur aut explicentur veteres, super quibus dubitationes constari & nubes offundi possunt; neque ut novæ morum regulæ instituantur, sed ut eæ quæ sunt institutæ, restituantur, emendentur abusus qui eas deformant, puniatur earumdem violatio contemptusque, ac detur opera, ut custodiantur & accurate serventur. Nihil a vero alienum magis quam ambitionis, vanæ gloriæ, discordiæ aut cupiditatis cacoethen semper in conciliis dominari, siquidem eorum plurima sunt in quibus nihil non, ad cumulatissimam concordiam integerrimamque pacem compositis omnium animis, actum est, & ea ipsa in quibus initio quidem turbas acrioresque altercationes privati quidam homines excitarunt, tandem ad decreta desierunt sapientiæ plena, quæque humilitatem, mansuetudinem, modestiam, consensionem, charitatem, omnisque generis virtutes redolent. Non ergo de omnibus omnino conciliis S. Gregorius Nazianzenus loquitur, cum ait iis nullum prosperum successum fuisse; sed de aliquibus tantum, & peculiariter de Constantinopolitano, ann. 381. habito loquitur, in quo ejus ipse magnæ urbis sede se abdicandi consilium iniit ob turbas quas ibidem Ægypti & Macedoniæ Episcopi in eum concitaverant. Ac ne concilia quidem in quibus extitit animorum dissensio, omni prorsus successu caruisse testatur, sed solum non eum eminentem exitum sortita esse, qui ad pacis redintegrationem ex iisdem expectabatur. Cæterum, singularibus laudibus effert Nicænum concilium primum, cujus canones a Constantinopolitano firmati fuerant. *Orat. 21. in Laud. S. Athan.* Haud aliter igitur sentit de conciliis, quam Græca Ecclesia universa e cujus ipse clarissimis Patribus unus fuit, quæque eo venerationis erga sanctos ejusmodi cœtus progressa est, ut prioribus septem æcumenicis conciliis addictum, quotannis, solemnem festum diem ageret; quam sane observantiam satis firmo fundamento niti vel ex eo licet intelligi, quod, secundum divinas Litteras, nihil omnino quam generalia concilia, nobis suppetit obsequio dignius. Quidni? Ecclesiæ sanctitas, amplitudo, majestas, sapientia, vis & auctoritas plusquam humana nusquam emicant eo apparatu eoque splendore, quo in his magnis augustisque cœtibus, in quibus conspiciuntur eodem spiritu animati Pastorum primi, sua invicem lumina communicantes, conjunctisque viribus adlaborantes, ad sui quisque gregis bonum, per sapientissimas constitutiones super fide, moribus, disciplina, cæremoniis, Sacramentis, Christianæ vitæ officiis, uno verbo, super iis omnibus quæ ad communem omnium salutem conferre possunt.

Fateamur ergo, necesse est, concilia generalia & particularia, morali sane ratione, ad melius Ecclesiæ regimen, in pluribus circumstantiis, non solum utilia esse, verum etiam absolute necessaria. Hæc tamen conciliorum moralis necessitas haud fidei articulum efficit; ne erretur in hoc genere, satis fuerit conciliorum utilitatem in iis ipsis circumstantiis agnosci, in quibus nos absolutam eorum moralem necessitatem probavimus.

CAPUT V.

De Conciliorum Materie.

Veniunt, per conciliorum materiem, res ipsæ quas pertractandi, discutiendi, peremptoria sententia judicandi jus penes concilia est, & hæ quidem res protenduntur ad Ecclesiastica quæque negotia, ad ea scilicet quæ spectant fidem, mores, disciplinam, Sacramenta, sacræ Scripturæ sensum & interpretationem, librorum censuram, & generatim quicquid ex Ecclesiæ jurisdictione est, ad ejusque regimen seu administrationem pertinet; ipsam enim Ecclesiam concilia repræsentant, aguntque ejus nomine & auctoritate. Ita semper a conciliis factitatum videmus, omnibus retro temporibus, ex ejus exemplo, quod Apostoli Hierosolymis habuerunt, quodque absolute pronuntiavit super fide, moribus ac disciplina; super fide, statuens Mosaïcam legem ad salutem non amplius necessariam esse; super moribus, definiens illicitam & criminosam esse fornicationem; super disciplina, judicans abstinendum esse a sanguine & suffocatis, seu dapibus quæ Idolis immolatæ essent; quod nihil amplius quam disciplinæ externique regiminis caput erat. Porro super propositis his rebus omnibus statuendi facultas conciliis negari non posset, quin eadem Ecclesiæ ipsi & Episcopis universis, ubicunque tandem degerent, negaretur, sua nempe dignitate, suoque Judicum titulo iisdem adempto, quoniam concilia Ecclesiam exhibent, & Episcopi, si vere Judices sunt, institutione divina, in religionis negotiis, non minus conjunctim quam separatim ejusmodi sunt.

Sentiret etiam perperam de potestatis Episcoporum amplitudine, eorumque officeret libertati, qui diceret eos non posse, in conciliis, nisi de rebus agere, quarum gratia peculiariter convenerunt. Plurimorum vel generalium conciliorum Acta contrarium evidenter evincunt; nos e millibus uno in id exemplo contenti erimus. Generale primum Nicænum concilium non alia de causa convocatum fuerat, quam ut Arii damnaret hæresin, certumque super Paschate dissidium componeret; viginti tamen de disciplina canones edidit quos Ecclesia tamquam leges religiose servandas suspexit.

Possunt etiam concilia adhibere & consecrare certa quædam vocabula, certas formulas seu loquendi rationes quasdam, quæ veluti propria vox & fidei regula sint; & quia contrariorum eadem, quod ajunt, ratio est, eo quoque jure gaudent, ut peculiares quasdam formulas seu locutiones proscribant, utpote quæ propria erroris nomina & formulæ sunt. Verba quæ super dogmatibus fidem exprimunt, ex Ecclesiæ penu sunt, quia ad ea statuenda aut servanda, Christique Domini vocem & doctrinam ab ea quæ pseudoapostolorum est, discernendam plurimum faciunt. Ita quidem Nicænum concilium primum consecravit vocabulum *omousion*, videlicet consubstantiale, ut Filii cum Patre perfectam æqualitatem exprimeret, quam Ariani negabant; & nomine *Theotokon*, usa est Ephesina synodus, ut sanctam Virginem vere Dei matrem esse significaret contra Nestorianos, qui augustam hanc prærogativam eidem adimere conabantur; & quoniam Apostolus nobis mandat, ut *profanas vocum novitates vitemus*, nova verba scilicet, novum sermonem, novas formulas quæ disseminando inculcandoque errori mirum in modum inserviunt; liquido constat conciliis non minus ejusmodi venenatas locutiones damnandi, quam errores ipsos quos eædem continent insinuantque, proscribendi jus esse.

Ad ea quod attinet quæ mere civilia ac temporalia sunt, de his quidem ut ipsa per se judicent, concilia nil juris obtinent, cum ea quam a Christo Domino institutore acceperunt, atque atque Ecclesiæ quam repræsentant, potestas non nisi spiritalis potestas sit quæ non alio quam ad animarum sanctificationem in hac mortali vita, earumdemque æternam salutem in altera, per cohortationes, documenta, Sacramentorum administrationem refertur. Agere tamen concilia de temporalibus rebus possunt, quæ ad eorum tribunal, ut ibidem judicentur, libere deferuntur; possunt id etiam facere, cum mixti quidam cœtus sunt, & partim Episcopis, partim principibus, dominis & magistratibus sæcularibus constant, cujusmodi fuere conciliorum plura quæ nono, decimo & undecimo sæculis habita sunt. Eodem quoque jure concilia pollent, cum ii qui ea constituunt, iisve præsunt, duplici spiritalium ac temporalium Principum titulo insigniti sunt.

CA-

CAPUT VI.

De iis quorum est negotia quibus Conciliorum materies continetur, proponere & concludere.

Conciliorum Præsidibus negari non potest negotia proponendi jus quæ eorum materiem propositumque finem constituunt. Rectus id sensus dictat, & constans conciliorum mos ad amussim cum ratione cohæret. Hoc tamen eorum jus qui conciliis præsunt, non est ex eorum numero quæ exclusiva dicuntur, quandoquidem certum est Episcopos cæteros una cum iis participes ejusdem esse, semperque id libertatis obtinuisse, ut in conciliis quibus intererant, ea proponerent, super quibus eorumdem cœtuum judicio ac deliberatione sibi opus esse censebant. Cernitur id in Sardis Carthaginlisque conciliis, quin alia commemorentur. Fecit persuasio hæc, ut in Tridentini concilii sessione prima, Pio IV. Ecclesiam regente, ægre ferrent Episcopi Legatos usos esse nova formula ad illud usque tempus ignota, *proponentibus legatis*, peterentque eorum non pauci, ut eadem supprimeretur tamquam Episcoporum juri & possessioni contraria, qua ipsi gaudebant, ut res proponerent quas Ecclesiæ bono utiles aut necessarias judicassent. Super hujusmodi significationibus, Legati, per Actum concilii fragmentis insertum, declararunt eam formulam nihil incommodi seu rebus hactenus gestis, seu legitimæ Episcoporum potestati allaturam.

Ad negotiorum, in quibus ut in propria materie concilia versantur, decisionem & conclusionem quod spectat, hæ quidem semper ad eos sanctos cœtus pertinuerunt, qui nunquam non definite pronuntiarunt, & quorum nomine definitiones inscriptæ fuerunt: *Sancta synodus diffinivit; universum concilium dixit; ab universis Episcopis dictum est; placet universis Episcopis.* Consuetudinem hanc, primum, in concilio Lugdunensi, an. 1245. mutavit Papa Innocentius IV. qui induxit novam formulam secundum quam definitiones inscribuntur Papæ nomine, cum concilii approbatione: *Innocentius, sacro approbante concilio*, &c. Cardinalis Alliacus, Cameracensis Archiepiscopus, in suo de Ecclesiæ Auctoritate Tractatu, memoriæ prodit hanc novam formulam magnopere Constantiensis concilii, cui ipse intererat, patribus displicuisse, & negotio in deliberatione posito, se quidem una cum aliis pluribus in ea fuisse sententia, ut ex usu veteri pronuntiaretur; quod tamen locum non habuit. Nova igitur formula probari potest, sed ea tamen adhibita circumspectione, ut ne propterea quispiam imaginetur Papam unum & unicum quæstiones decidere, nec Episcoporum suffragium requirere, nisi tamquam consilium, aut saltem tamquam approbationem seu consensionem quamdam, a qua stricto jure abstinere posset, quæque in Episcopis necessariorum Judicum titulum perinde ac jus pronuntiandi judicandique definite cum Papa, minime consequeretur.

CAPUT VII.

De iis qui voce gaudent in Conciliis.

Triplex distinguitur vox seu suffragium; vox definitiva seu decisiva & deliberativa; vox consultativa seu consilii; & vox honoraria seu decentiæ & honoris.

Definitiva seu decisiva & deliberativa vox nihil est aliud quam definite cum auctoritate judicandi potestas. Vocis seu suffragii genus hoc ad Judices tantum pertinet.

Consultativa seu consilii vox est facultas dicendi sententiam super aliqua re, sine auctoritate tamen & sine jure decidendi finiendique quæstionem. Hujus generis vox seu suffragium convenit jurisconsultis, & generatim omnibus doctis viris super iis rebus ad quas eorum notitiæ referuntur.

Ea demum est honoraria vox quæ cuipiam ob eminentem qua exornatus est, dignitatem conceditur. Hæc Regibus, Reginis, &c. concedi potest.

Nos in præsentia de voce solum deliberativa loquimur, quoad negotia mere Ecclesiastica, cujusmodi sunt quæ fidem, mores, Sacramenta, &c. spectant. In eo igitur est positus quæstionis status, 1. an laici in conciliis super negotiis mere Ecclesiasticis seu spiritalibus deliberativa voce gaudeant; 2. an secundi ordinis clerus una cum primi ordinis clero, seu Episcopali corpore, hujus juris particeps sit.

§. I.

Gaudentne Laici deliberativa voce in Conciliis, quoad negotia mere Ecclesiastica?

Id asserunt Protestantes; contrarium, ut fidei articulum, propugnant Catholici, probantque e sacra Scriptura, e Patribus, ex uniformi & constanti Conciliorum praxi, ex Christianorum Principum testimonio, & ex theologicis rationibus pluribus.

SACRA SCRIPTURA.

I. Non ad laicos, sed solum ad clericos Christus Dominus hæc verba retulit: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo;* (*Matth. XVIII.*) itemque hæc: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* (*Matth. XXVIII.*) hæc demum alia: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* (*Luc. X.*) Hac de causa nos docet S. Paulus Deum sua in Ecclesia posuisse *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas; alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi . . . . . in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei . . . . ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ . . . . . in astutia ad circumventionem erroris.* (*Ephes. IV.*) Certum est, & id sane demonstrant allata verba, ad fidei unitatem integritatemque servandam, ad schismatum & hæresum impetum reprimendum, ad erudiendos, regendos & sanctificandos homines, Christum Dominum sua in Ecclesia, tamquam in bene instituto corpore, statuisse discrimen status, ordinemque secundum quem alii jubere, alii parere debent; alii pastores & doctores, oves alii & discipuli sunt; si enim omnes pastores sunt, ubinam oves erunt, ac si omnes magistri sunt & doctores, ubinam erunt discipuli? Nec minus certum est, Christum Dominum non omnes promiscue laicos, sed suos tantum apostolos suosque discipulos allocutum esse per ea verba quibus ligandi & solvendi, cum auctoritate docendi, sacramenta administrandi, & fideles regendi, Magistrorum, Doctorum, Pastorum, Dispensatorum ejus Mysteriorum titulo, potestatem iisdem tribuit. Certum præterea est, non nisi ad pastores quos Christus Dominus ad Ecclesiæ suæ regimen statuit, pertinere eam reapse regere, instituere, edocere non sine auctoritate, superque iis rebus omnibus quæ, quoad fidem, mores ac disciplinam, ad eamdem spectant, definite pronuntiare. Certum ergo, quod inde fit consequens, etiam est, laicos in conciliis deliberativa voce nequaquam gaudere; cum enim hæc deliberativa vox nihil demum aliud sit quam de fide, de moribus, de disciplina, deque aliis rebus omnibus ad Ecclesiam spectantibus definite & cum auctoritate judicandi potestas seu jus, hæc eadem potestas, hoc idem jus suapte natura secum trahit Magistri, Doctoris, Pastoris, Administratoris Ecclesiæ officium & qualitatem, ab iisque sejungi nequit.

ECCLESIÆ PATRES.

II. S. Irenæus, libro quarto adversus Hæreses, suam in hæc verba mentem aperit: *Eis qui in Ecclesia sunt presbyteri, obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus.... hi enim fidem nostram custodiunt .... & Scripturas sine periculo nobis exponunt.* (Cap. 26. & 33.)

Magni nominis Osius, Cordubensis Episcopus, ad Constantium Imperatorem ita scribebat: *Ne te rebus misceas Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius hæc edisces. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit; ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite* (*scriptum est*) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu, o Rex, adolendi habes potestatem.* (*Epist. ad Constantium Imper. apud S. Athanas. Tom. I. p. 371.*)

Non aliter S. Ambrosius ad Imperatorem Valentinianum juniorem scribebat; en hujus sancti Archiepiscopi & Ecclesiæ Doctoris verba: *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo judicasse? . . . . Certe, si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat,*

in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? (*Epist.* 21.)

Consuli poterit S. Ignatius in suis Epistolis, Tertullianus in suo de Præscriptionibus Tractatu, Sanctus Athanasius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Augustinus, omnes ad unum Patres; certoque constabit eos unanimi consensione docere, Ecclesiastica judicia ad Ecclesiæ pastores tantum, nullaque prorsus ratione ad laicos pertinere.

CONCILIA.

III. Conciliorum uniformis & constans praxis, a primo ad postremum usque, in clericorum favorem contra laicos deponit, quoniam eorum nullum in medium afferri potest, in quo his quidem deliberativa vox in negotiis mere ecclesiasticis fuerit; quod aliunde derivari non potest quam ex eo quod concilia persuasum semper habuerunt in sua ipsorum potestate non esse jus laicis tribuere quo ipsi a Christo Domino donati fuerant, atque id sane, dum occasio se obtulit, Christianos Principes ingenue fateri non puduit. Cum Donatistæ qui ab Episcopis damnati fuerant, ad Constantinum Imperatorem appellassent, ut eos ipse judicaret, hic Princeps hoc ita præclarum responsum dedit. *Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem*; hac responsione significare volens, ut Optatus Milevitanus & S. Augustinus animadvertunt, causarum mere ecclesiasticarum judicem se non esse. Imperator Theodosius junior, Candidianum Comitem ad Ephesinum concilium mittens, ita concilii Patres alloquitur, in sua ad eosdem Epistola: *Candidianum .... Comitem .... ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis quæ circa dogmata fidei incidunt, nihil quicquam commune habeat; nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus se se immiscere.* (*Epist.* 43.)

RATIONES THEOLOGICÆ.

IV. Theologia nobis suppeditat longe plurima rationum momenta quæ evincunt laicos ad deliberandum in rebus mere ecclesiasticis ineptos esse; nos ex earum præcipuis nonnullos proferre contenti erimus.

1. Sacrarum profanarumque, spiritalium ac temporalium rerum distinctio nititur ipsa natura, quæ duo hæc rerum genera, quarum alia prorsus via & ratio est, segregat, confundique ac permisceri vetat. Eodem ergo fundamento nititur distinctio quæ inter rerum sacrarum & spiritalium, ex una parte, & profanarum ac temporalium, ex alia, ministros interest; atque hæc duo ministeria confundere velle, nihil est aliud, quam id quod sacrum est, cum eo quod profanum, per mixtionem naturæ contumeliosam & rerum essentiæ contrariam confundere.

2. In omnibus bene institutis societatibus, secundum naturæ instinctum, semper homines a ceteris distincti, & peculiariter divinitatis cultui, religionis exercitationi negotiisque ad eam pertinentibus addicti consecratique extitere; quod sane in omnium, per universum terrarum orbem, populorum & religionum historia perspicitur. Necessaria ergo rerum consecutione fit, ut aut in Christiana societate, quemadmodum in ceteris omnibus, adsint homines peculiariter Dei cultui consecrati, & religionis negotiis addicti mancipatique, aut ejus institutor Christus Dominus minus sapiens minusque illustratus fuerit quam reliqui omnia legislatores, vel imperiorum, rerum publicarum, societatum quarumlibet fundatores.

3. Sunt potestates in terris duæ, spiritalis una, temporalis altera. Utrique suum in Dei ordine commune fundamentum est, & evidenter utramque designant sacræ Litteræ. Ita sane, sacri Codices ipsi qui nos docent nostrum Legislatorem, nostrum supremum Sacerdotem, nostrum Servatorem Deum esse, nos quoque monent eumdem efficere, ut Reges regnent, iisque quicquid habent potestatis & auctoritatis, communicare: *Per me Reges regnant.* (*Proverb. VIII.* 15.) Deus porro qui duas quas diximus, potestates statuit, earum quoque ministerium earumque ministros, quoad earumdem vim earumdemque finem, distinxit. Spiritalis potestatis intima vis & finis est, id quod internum homini est, moderari, justitiæ amorem ei inspirare, eum sanctificare, ad æternamque felicitatem veluti manu ducere, eumdem docendo, cohortando, ligando aut solvendo in animi & conscientiæ recessu seu interiore parte. Temporalis potestatis finis est, publicam inter homines tranquillitatem sartam tectam servare, quin ab eorum arcanis dispositionibus & consiliis hac in re pendeat, & ad id obtinendum, vim & pœnas, prout res tulerit, adhibere. Hæc inter potestatum duarum, temporalis scilicet ac spiritalis, rationem ipsam finemque discrimina in causa fuerunt, ut earum ministeria & ministros Deus separaret, quia spiritalem potestatem quæ, quod intus est, moderetur, quæque se in animum per suavitatem solum charitatemque insinuare potest, a ministris exerceri necesse fuit, qui distincti ab iis essent penes quos temporalis potestas est quæ se pœnarum suppliciorumque terrore instruit munitque, ut externum ordinem tueatur. Hæc ergo ministeriorum ministrorumque distinctio essentialis est duarum potestatum fiei, rationi, statui, earumque communis Auctoris jussum sapienterque copulatas dispositiones necessario consequitur.

4. Judicare non potest, leges ferre, constitutiones edere in Ecclesia, super fidei, morum, disciplinæque negotiis, qui auctoritate ac jurisdictione caret; id evidens est, quoniam prima in legislatore & judice ad ferendas leges & pronuntianda judicia, requisita conditio est legitima auctoritas, sine qua quæcunque luberet leges sancire, & quæcunque judicia pronuntiari possent, nulla essent ipso jure, nullamque haberent obligandi vim; jam vero laici nullam jurisdictionem, nullam auctoritatem obtinent in Ecclesia, aut saltem non ea pollent, nec pollere possunt auctoritate quæ ad decidendum in fide, moribus, disciplina, universim, in negotiis mere ecclesiasticis necessaria est, quia ejusmodi auctoritas suam sumit originem in sacerdotio, in officio & qualitate pastoris, in docendi, ligandi & solvendi potestate; hoc autem sacerdotio, hac qualitate, hoc officio pastoris, hac docendi, ligandi & solvendi potestate non jam laicos, sed suos apostolos suosque discipulos tantum, & in horum personis, eorumdem successores, ministros, eorum instar, Ecclesiæ, Deique mysteriorum dispensatores Christus Dominus insignivit. Laici ergo, in negotiis mere ecclesiasticis, judicare, leges ferre, constitutiones edere, & quod inde consequitur, deliberativa voce in conciliis gaudere non possunt; qua sane si gauderent, quæ non inde incommoda sequerentur? Quid non perturbationis confusionisque pareret in concilio multitudo laicorum quos ad illud acciri oporteret? Quam aleæ ac salebrarum plena res, super mysteriis intellectu difficilioribus, superque purioris morum scientiæ principiis, decisiones exponi & accommodari eorum captui, qui tamen officii vi, quod in conciliis obirent, ita comparati esse deberent, ut de his adeo sublimibus argumentis ipsi deciderent? Quæ ambiguitates, quæque animorum hæsitationes, ut constaret, utra pars superaret in ea facti specie in qua laici, numero superiores, ab Ecclesiasticis dissentirent?

PROTESTANTIUM OPPOSITIONES.

I. Oppositio. Concilii Hierosolymis ab Apostolis celebrati synodica Epistola hanc inscriptionem præfert in græco textu: „ Apostoli, & Seniores seu Presby„ teri, & Fratres. “ Omnes ergo fideles, seu laici seu clerici, qui concilii tempore Hierosolymis versabantur, ei interfuerunt, in eoque prorsus, ut Apostoli, operati sunt.

Responsio. Versio vulgata legit: *Apostoli & seniores Fratres*, absque particula *&* ante *Fratres*; & hæc quidem lectio græco textui præferenda est, quippe quæ in melioribus & vetustioribus manuscriptis codicibus reperitur, cujusmodi est manuscriptus codex Alexandrinus qui antiquissimus omnium est quæ supersunt. Vox ergo *Fratres* et *seniores* addita absque intermedia particula *&*, solum proinde Presbyteros, *seniores Fratres*, non autem laicos significat. Firmatur ex eo vulgatæ Versionis lectio, quod in Actorum capite XV. quo Hierosolymitani concilii historia continetur, memoriæ proditur, 1. Paulum & Barnabam ad apostolos & ad presbyteros missos fuisse; 2. apostolos & presbyteros coivisse; 3. Paulum & Silam servanda mandasse dogmata quæ apostoli & presbyteri definierent, nulla in his locis tribus mentione laicorum facta. At, facta hypothesi, græci qui nunc extat, textus lectionem cum veritate congruere, nec librarii aut correctoris mendum esse, id unum consequens fiet Hierosolymitano concilio laicos, tamquam auditores, non vero tamquam judices interfuisse, quandoquidem subsecuta concilia nobis ne unum quidem laicorum exemplum exhibent, qui ad eorum aliquod, Judicum titulo, recepti fuerint.

II. Oppositio. S. Paulus, in prima ad Corinthios Epistolæ Capite V. omnibus Corinthi fidelibus, indiscriminatim, mandat, ut conveniant & hominem in-

casu

cestu pollutum qui iis dedecus afferebat, Satanæ tradant, hoc est, communione privent. Id probat laicos excommunicandi, adeoque in conciliis judicandi jure pollere.

Responsio. Quamvis ad omnes generatim Corinthios suam S. Paulus Epistolam mittat, eidem tamen Apostolo non ea mens est, ut in eum incestus reum omnes excommunicationis sententiam pronuntient; id unum vult Ecclesiæ ministros eam pronuntiare, omnes autem ejus æquitatem profiteri eique se subdere.

III. Oppositio. Fidei & morum causa laicos atque ac clericos afficit; eamque proinde ab utrisque pertractari ac judicari necesse est; quod eo fit verius, quod, hoc in genere, nihil aliud requiritur quam scientiæ necessarius gradus, ut quispiam traditionis sententiæque communis super fide superque moribus testis sit; hæc autem scientia se multo magis passim in laicis quam in Episcoporum ingenti numero prodit.

Responsio. Falsum est, in universum, eos omnes quorum interest, posse causam agere & judicare; si enim res ita se haberet, omnes & singulæ quarum interest partes in sua ipsarum causa judices essent. Ergo judicandi munus, tam in spiritalibus quam in temporalibus negotiis, ad eos tantum pertinet qui judicis officio funguntur; ejusmodi est a Deo statutus ordo. Nihil refert laicos adesse qui scientia & sapientia nonnullos Episcopos antecedant; hæc emolumenta quibus præstant, characteri ac dignitati cujus expertes sunt, inhærens jus iis tribuere non possunt. Quam multi causidici jurisque consulti longe sapientiores doctioresque quam judices & consiliarii! Num propterea quispiam dixerit eos posse suis e sedibus hos dejicere, aut saltem cum iisdem sedere conjunctis suffragiis judicaturos? Præterea religionis causa laicos non eadem ratione atque Episcopos afficit; eos quidem tamquam discipulos ac tamquam oves, hos autem tamquam magistros, pastores, judices & legislatores afficit; ita sane, Episcopi in conciliis non modo ut traditionis communisque sententiæ testes, verum etiam ut magistri, pastores, judices & legislatores adsunt. Tamquam testes per excellentiam, cum auctoritate testantur doctrinam qua de agitur, ei consonam esse quam eorum Ecclesiæ ab Apostolis acceperunt. Tamquam magistri, docent missionis vi quam obtinent a Christo Domino. Tamquam pastores, e Spiritus Sancti mandato suum quisque gregem pascunt & regunt. Tamquam judices, ex officio, ac per jus eorum dignitati addictum pronuntiant. Tamquam legislatores, leges condunt quæ obligandi vim habent. Quis non videt has prærogativas non puris putisque fidelibus, sed solis Ecclesiæ ministris a Christo Domino collatas fuisse?

IV. Oppositio. Concilia repræsentant Ecclesiam quæ non solum e clericis, sed etiam e laicis coalescit & constat. Deliberativam vocem laicis adime; tum vero concilia non amplius Ecclesiam, sed solum Ecclesiæ partem & eam quidem minorem repræsentabunt.

Responsio. Universam Ecclesiam satis pastores exhibent, quos Christus Dominus ad eam regendam instituit, ea prorsus ratione qua per eos exhibetur ditio qui ejus administrationi præfecti sunt, spectata regiminis forma quæ ejus propria & peculiaris est. Hi quidem leges sanciunt quæ publicæ leges sunt, quæque totam aliquam nationem obligant, tametsi populum, quæ major est nationis pars, minime consuluerint. Quidni Ecclesiæ ejusque legum sit eadem ratio? Nonne, Exodi *cap*. 19. legimus universum populum Moysi respondisse, quamvis populi seniores ac principes tantum acciti essent & respondissent? Nonne etiam, Regum *lib*. 3. *cap*. 8. convenisse dicitur universus Israel, *omnis Ecclesia Israel*, licet cœtus non nisi ex senioribus, ex tribuum primoribus, & ex familiarum capitibus conflatus esset?

V. Oppositio. Sanct. Cyprianus in duodecima ad suum populum Epistola, super nonnullis presbyteris qui Ecclesiæ negotia male administrabant, se rediturum promittit, additque: *Tunc examinabuntur singula, præsentibus & judicantibus vobis*. Idem in Epistola 28. de subdiaconis duobus & acolytho verba faciens, qui persecutionis tempore lapsi erant, hæc habet: *Cui rei non possum me solum judicem dare.... & hæc singulorum tractanda sit & limanda plenius ratio, non tantum cum collegis meis, sed cum plebe universa*. S. Ambrosius, in sua ad Imperatorem Valentinianum Epistola, loquitur in hæc verba: *Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat.... ipse populus judicat, cujus in corde lux divina est, non humana; lex non atramento scripta, sed Spiritu Dei vivi.... Sed Auxentius non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen*. Hi textus probant laicos fidei rerumque spiritalium judices esse.

Responsio. S. Cyprianus eam regulam sibi statuerat, ut nullum alicujus momenti negotium sine sui cleri suique populi consensione sententiaque dirimeret, adeoque mirum videri non debet ab eo judicium quoddam iisdem tribui quoad negotia quorum gratia eos convocabat; at sedulo animadvertendum est, ejusmodi judicium nec necessitatis, nec auctoritatis, & jurisdictionis, saltem quoad populum, sed opinionis, sententiæ, consensionis & consilii purum putumque judicium esse. Ita S. Cyprianus se se gerebat studio permotus quo populum sibi concreditum prosequebatur, & ut eum honorifice haberet, quemadmodum ipse testatur, *honoris plebi suæ exhibendi gratia*; non autem quod crederet ita sibi facto opus esse, aut quod cogitaret populo cui præerat, peremptorii suffragii jus in Ecclesiasticis cœtibus esse; atque hinc ejus effatum illud: *Ecclesia est in Episcopo*; hinc ipse concilia semper *Conventus Episcoporum*, nunquam vero laicorum appellat; hinc denique nunquam laici in conciliorum ullo quibus hic sanctus Doctor interfuit, deliberativam vocem obtinuerunt. Eadem adhibenda responsio est S. Ambrosii aliorumque Patrum textibus qui asserunt fidei causas agi consuevisse, coram populo, tamquam judice, *assistente & judicante populo*. Utique populus judex erat in publicis disputationibus quas Catholici cum hæreticis agitabant, præsente ipso, non ita quidem ut cum auctoritate decisivum judicium super discussis capitibus pronuntiaret, sed ita solum ut catholicis veritatibus acquiesceret, earumque triumpho plauderet; judex erat, & reapse judicabat, non per auctoritatem ac jurisdictionem, pastorum instar qui Ecclesiæ regimini præpositi erant, sed per convictionem, approbationem assensionemque.

Id ergo pro fidei articulo habendum est laicos in conciliis deliberativa voce carere, quia scilicet id est fidei dogma quod evidenter in sacris Litteris, traditione, Patribus, Theologis, Ecclesiæ definitionibus, &, quoties laici id sibi juris arrogare voluerunt, reclamationibus continetur. Est hæc Parisiensis theologicæ Facultatis sententia, quæ tamquam hæreticam, sequentem Antonii de Dominis propositionem damnavit: *Consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo non minus intelligitur in laicis, quam etiam in presbyteris & prælatis; sunt enim etiam laici in Ecclesia, immo ex Ecclesia, ipsiusque solidam & majorem partem constituunt*. *Hæc propositio*, inquit Facultas, *est hæretica & status Ecclesiæ perturbativa, quatenus ad fidei propositiones statuendas consensum laicorum requirit*. Quod si veterum Canonistarum Theologorumque non pauci hanc propositionem, tamquam scholæ opinionem tantum quæ asseri aut negari possit, spectare videntur; e quorum numero sunt Petrus Alliacus, Matthias Ugolinus, aliique, id propterea fit, quod iidem plura fidei dogmata, tamquam scholæ opiniones pertractant, non quasi persuasum habeant eadem dogmata ad fidem non pertinere, sed quia, exercitationis solum ac disputationis in modum, sibi de iis agendum proponunt. Iidem auctores explicatione indigent etiam cum dicunt, laicis deliberativam vocem concedi posse in iis ipsis conciliis quæ ad pertractanda fidei negotia & alia mere spiritualia, coacta sunt. Verum id quidem est de voce seu suffragio honoris & decentiæ, non autem de voce deliberativa seu de suffragio decisivo, quia laici, quemadmodum probatum est, hujus sane vocis seu suffragii impotes omnino sunt.

§. II.

Gaudetne deliberativa voce in Conciliis secundi ordinis Clerus?

Per secundi ordinis clerum, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi & inferiores clerici intelliguntur; quæriturque, an hi in conciliis provincialibus, nationalibus & generalibus, divino jure, deliberativam vocem obtineant; neque enim de conciliis diœcesanis, *synodorum* nomine quod iisdem remansit, notis hoc loco agitur.

DE PRESBYTERIS.

Super quæstione quæ præ manibus est, præcipuæ opiniones quinque, ad presbyteros quod attinet, numerari possunt.

Prima quæ Gersonis, Almanii aliorumque plurium Theologorum est, in eo versatur, ut simplicibus presbyteris, ac potissimum parochis deliberativam vocem in conciliis tribuat, seu jure divino, quæ nonnullorum sententia est, seu ex laudabili legitimeque præscripta consuetudine, sed cum subordinatione tamen; ita scilicet, ut Episcoporum decreta valida sint, indepen-

dependenter a presbyterorum suffragiis, liberumque conciliis sit aduttere presbyteros ad suffragia conferenda, eosdemve rejicere.

Docet opinio altera, jure divino & ex ordine, solos Episcopos in conciliis deliberativa voce gaudere; presbyteris autem vocem tantum consultativam ibidem esse, eosdem tamen deliberativa voce pollere posse, siquidem concilio visum fuerit banc ipsis concedere. Ex bac opinione, presbyteri, Cardinales, Episcopi electi & non consecrati, Abbates jurisdictione quasi episcopali pollentes, Episcoporum absentium deputati voce deliberativa gaudeot, suntque judices propria dicti, sed ex privilegio.

Si tertiæ opinionis fautoribus fides, presbyteri, divino jure, fidei judices sunt, ut Episcopi, vocatique, horum instar, per eamdem auctoritatem, ut definiant & Ecclesiam regant; ec Presbyterianorum quidem hic error est.

Ex opinione quarta, distingui debet radicalis, ut vocant, seu fundamentalis, in fidei negotio, judicendi potestas, & hujus potestatis exercitatio. Simplices presbyteri, in ordinatione, radicalem seu fundamentalem, in fidei negotio, judicandi potestatem omnes & singuli susceperunt; & ob banc sane causam radicalis potestas hæc dicitur etiam *potestas ordinis*. At hujus potestatis exercitationem usumve, aut ejus exercendi jus baud receperunt; & ad Episcopos tantum pertinet id juris iisdem concedere, siquidem, ad Ecclesiæ bonum, expedire crediderint; perinde fore ac presbyteri seu secardotes radicalem potestatem administrandi Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonii in ordinatione percipiunt, quamvis eam valide exercere non possint, sine Episcoporum venie & approbatione, qui iis jurisdictionem ad id necessariam conferunt. Est hæc complurium Theologorum & Canonistarum, eorumque universim omnium sententie, qui presbyteros asserunt sexaginta duobus Discipulis successisse, quemadmodum Episcopi Apostolis duodecim successerant.

Sunt denique Auctores qui putent solos Episcopos in conciliis, seu quoad radicalem potestatem, seu quoad ejus exercendæ jus, vel quoad ejusdem potestatis exercitationem usumve, deliberative voce pollere. Quamobrem, ex bis Auctoribus, Episcoporum deputati, Episcopi electi & non consecrati, Cardinales, Abbates consultetivam solummodo vocem obtinent; cumque apud Historicos legitur eos in conciliis deliberativam vocem obtinuisse, id debet intelligi de voce deliberativa minus proprie dicte quæ a voce consultative non differt nisi nomine, quæque nihil est aliud quam bonoris & indulgentiæ suffragium quod etiam laicis concedi potest. Nos quidem sentimus Episcopos, & hos tantum deliberativa voce in conciliis gaudere, simplicibus eutem Presbyteris consultativam tantum vocem ibidem esse.

Quod dicimus, his probationibus confirmamus.

PRIMA PROBATIO.

Conciliorum Auctoritas & Praxis.

1. Asserunt Concilia, disertis verbis, fidei & ecclesiasticorum negotiorum judicem, prætet Episcopos, esse neminem. Concilium Alexandrinum, an. 340. ex Episcopis circiter centum conflatum, in causa S. Athanasii, Eusebianos arguit, qui in concilio quod in eum S. Doctorem coegerant, laicorum ministerio usi essent, cum ejusmodi causæ non nisi ad Episcopos pertinerent: *Si enim sibi solis, utpote Episcopis, judicium adscribebant, quid opus erat Comite & militibus?* (*Tom. I. Hard. Collect. p.* 579.)

In concilio Chalcedonensi, Ægypti Episcopi, semel & iterum, exclamarunt: *Petimus, superfluos foras mitti; synodus episcoporum est, non clericorum. Petimus, superfluos foras mitti; Imperator Episcopos vocavit; Synodus episcoporum est.*

In provinciali concilio Burdegalensi, an. 1624. legitur censure bæc: *Sacro approbante concilio, decretis ultimi concilii inbærentes, opinionem quorumdam qui ausi sunt asserere, præter episcopos, quosdam etiam alios habere vocem decisivam in concilio provinciali, ut erroneam judicamus.* (*Ibid. Tom. XI. p.* 132.)

2. Concilia episcopis mandant, gravioribus indictis pœnis, ut ad hos sanctos cœtus se conferant, aut, si minus adesse potuerint ipsi per se, Presbyterum, in sui locum, ad eos mittent; simplicibus eutem presbyteris non idem præcipiunt; quod argumento est, bos, tamquam ecclesiasticorum negotiorum judices, ab iis non spectari.

3. Conciliorum decreta tribuuntur Episcopis tantum, non item presbyteris qui iisdem interfuerunt; quod evincit presbyteros spectatos non fuisse tamquam judices in conciliis, & quasi ad eorum decreta definite contulerint. Videri possunt concilia, Nicænum primum, Chalcedonense, & subsecuta quæ de presbyteris ne mentionem quidem faciunt, licet horum aliqui semper, ac sæpe quamplurimi, in conciliis, ut in primo Nicæno ipso, adfuerint.

4. Ingens occurrit conciliorum numerus, in quibus nemo unus est, præter episcopos, qui loquatur, qui decidat & qui subscribat; aut si qui forte presbyteri in iisdem subscribunt; id bi quidem aliter atque Episcopi faciunt. Ut exemplum afferam, in concilio Constantinopolitano, an. 448. episcopi ita subscribunt: *Flavianus episcopus Constantinopolis, definiens seu judicans, subscripsi*; presbyteri vero subscribunt in buuc modum: *Andreas, presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis*, sine ulla prorsus additione quæ Judicis qualitatem innuat.

5. Cum concilia hæresin aliquam impugnare, aut aliquod fidei caput statuere volunt, episcoporum tantum auctoritatem proferunt, presbyterorum vero nunquam, quia nimirum hos tamquam judices minime spectant. Videri, inter alia, possunt concilia duo, Alexandrinum, an. 430. in Epistola ad Nestorium data, & Ephesinum, an. 431. in ejus ad Theodosium & Velentinianum Imperatores Epistola.

6. Cum ad concilia pergebant episcopi, non semper presbyteros qui ipsis a comitatu essent, deligebant; nonnunquam diaconos, aut inferiores clericos sibi sumebant; quod sane probat presbyteris, divino jure, deliberativam vocem nequaquam suppetere, quoniam divinum jus dispensationem non patitur.

SECUNDA PROBATIO.

Patrum auctoritas.

Ecclesiæ patres non appellant nisi Episcopos, cum id agitur, ut statuatur aliquod fidei dogma, vel reprimantur hæretici qui fidem impugnant. Non nisi episcopos loquentes, deliberantes, judicentes, definientes in conciliis nobis ostendunt. Eorumdem sanctorum cœtuum decreta non nisi episcopis tribuunt; superque hoc multiplici rerum propositarum genere, nullam presbyterorum mentionem faciunt. Eos ergo non spectent tamquam fidei judices, ac tamquam deliberative voce præditos in conciliis quæ semper Episcoporum, nunquam autem Presbyterorum cœtus conventusque ab iisdem patribus nuncupantur.

TERTIA PROBATIO.

Summorum Pontificum auctoritas.

Summi Pontifices semper senserunt & declararunt neminem, præter episcopos, fidei judicem esse, ac voce deliberativa in conciliis gaudere. Videri possunt Papæ, Cælestinus I. in Epistola ad episcopos Galliæ, super nonnullis presbyteris qui Semi-Pelagianorum errores ab Episcopis damnatos docebant, Gelasius, in Epistola ad Orientales; Vigilius qui ecclesiastica negotia reservenda esse testatur episcoporum judiciis, & id quidem, *juxta ecclesiasticam morem, juxta paternas traditiones, juxta omnem auctoritatem evangelicæ apostolicæque doctrinæ*; (*Tom. I. Concil. Hadr. Tom. III. Concil. Hadr. p.* 9. *ibid. Tom. X. & Labb. XV.*) Clemens VII. Paulus IV. & Gregorius XIII. in eadem sententia sunt; horumque postremus, a Rothomagensi concilio consultus, an. 1581. super iis penes quos esset in conciliis suffragii jus, respondit Abbates commendatarios, & Capitulorum deputatos consultativa voce gaudere, & episcoporum procuratores voce deliberativa pollere posse, siquidem provinciali concilio placuerit.

QUARTA PROBATIO.

In cleri cœtibus, an. 1615. 1655. & 170. receptum declaratumque fuit episcopos solos, de jure, potestatem habere de doctrine judicandi; deputatos secundi ordinis nulla in doctrinæ morumque negotiis decidendi potestate instructos esse ipsos per se; eamque sibi arrogare non posse nisi procurationum provinciarum suarum vi; quod ipsa secundi ordinis cleri membra fateri non renuerunt. Petrus de Marca, *Lib. II. de Concordia Sacerdotii & Imperii*, Bossuetius, *Variationum lib. X.* Episcopi viginti octo in Scripto quod an. 1717. Aurelianensi Duci, regni regenti obtulerunt; hi Præsules, aliique innumeri, conjunctis opinionibus animisque, profitentur episcopos, in fidei negotio, solos judices esse.

QUINTA PROBATIO,

Parisiensis Theologicæ Facultatis, illustriorumque Theologorum auctoritas.

Universitas Parisiensis, scribens ad Regem Carolum VI. an. 1396. ita loquitur: *Concilium generale, secundum formam Juris, ex Prælatis tantummodo celebrandum.* Theologorum celeberrimi, Canonistarum præstantissimi, doctique viri omnium maxime in ecclesiastica Historia versati, super hoc capite, non aliter sentiunt; ejusmodi sunt, inter alios, Cardinalis a Turrecremata, *Summa theologica cap.* 14. Matthias Ugonius, *Libro de Concilio universali*, Hallerius, in *Defensione Hierarchiæ Eccles. pag.* 219. Sanderus, *Histor. Schism. Regin. Elizabeth*; P. Alexander, in *Secul. V. art.* 13. §. 4. P. Thomassinus, in *Ecclesiæ Disciplina, Part. I. lib. 2. cap.* 37. *num.* 11. & *Part. II. lib.* 2. *cap.* 64. *ad notat.* 15. *n.* 3. P. Juveninus, *Tom. I. Institut. Theolog. Dissert.* 4. *art.* 2. *quæst.* 3. Bajus, in *Epist. ad Sabionium, Oper. Baji, Part. II. pag.* 8. Petrus Aurelius, *adversus Spongiam, p.* 91. D. Arnoldus in *Epistola dedicatoria Perpetuitat. Fidei ad Papam Clementem IX.* Tillemontius & Fleurius qui *cap.* 13. *tom. primi sui Institutionis ad Jus Ecclesiasticum*: „ Episcopus, ait, est solus judex ordinarius & naturalis rerum omnium ad „ Religionem spectantium; ejus est super fide aut mo„ ribus quæstiones decidere. "

His addi potest auctoritas Romani Pontificalis in quo continetur ordinationis forma ubique recepta. In Episcopi ordinationis formula dicitur: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare*, &c. cum in formula consecrationis presbyteri ne verbum quidem occurrat quod judicandi potestatem innuat. Id autem discriminis undenam nisi ex eo quod fidei causas judicandi jus ad Episcopos tantum pertinet?

SEXTA PROBATIO.

Rationes theologicæ.

1. Episcopi simplicibus presbyteris, divino jure, superiores sunt; id autem non esset, si simplices presbyteri deliberativa voce in conciliis gauderent; tunc enim eadem atque episcopi, judicandi auctoritate pollerent, & hæc æqualitas, in judicandi auctoritate, episcoporum supra presbyteros superioritatem, ut Scholæ dicunt, & presbyterorum quoad episcopos subordinationem de medio funditus tolleret.

2. Si presbyteris esset, divino jure, in conciliis deliberativa vox, eorum saltem unum e quaque diœcesi ad ea vocari necesse esset; id porro in frequentibus conciliis, cujusmodi generalia concilia sunt, quæ ex omnibus Christiani orbis partibus coeunt, perturbationis multum afferret. Præterea presbyteri, utpote, in hac facti specie, citra omnem comparationem, multo plures numero quam episcopi, horum judicium abrogare possent. Concilia quoque, quin hac in re ab Episcopis omnino penderent, vacante potissimum episcopali sede, ipsi cogere, in iisque, super fide, moribus ac disciplina, canones edere possent, qui legis vim obtinerent. Possent etiam Ecclesias regere, religionisque negotia finire, Episcopis inconsultis. Falso denique dicerentur Cardinales, Abbates & Generales Ordinis ex privilegio tantum & Ecclesiæ consuetudine vocem deliberativam habere; haberent enim divino jure.

Qui porro puris putisque presbyteris deliberativam in conciliis vocem, divino jure, tributam volunt, suam & ipsi opinionem niti contendunt sacra Scriptura, &c.

I.

Sacra Scriptura.

1. Cum Christifidelium nonnulli qui ex Judæa Antiochiam venerant, turbas conflassent, ajentes salvum posse neminem fieri, quin circumcisionem cæterasque legales cæremonias servaret, hujus urbis fideles Paulum & Barnabam ad Apostolos presbyterosque Hierosolymis versantes miserunt, qui eos super hoc negotio, consulerent. Apostoli & presbyteri convenerunt deliberaturi: *Convenerunt apostoli & seniores* (seu presbyteri) *videre de verbo hoc.* (*Act.* XV. & XVI.) Decreta fuit ab apostolis & presbyteris definitio; *Placuit apostolis & senioribus .... placuit Spiritui sancto & nobis.* Apostolorum & presbyterorum nomine scripta fuit synodica Epistola: *Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ.* Cum S. Lucas, Libri Apostolicorum Actorum auctor, de constitutionibus in eo concilio editis loquitur, eas nuncupat Apostolorum & Presbyterorum Mandata seu Præcepta, ab Apostolis & a Presbyteris definita Dogmata: *Perambulabat* (Paulus) *Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias; præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum* (seu presbyterorum). *Cum autem* (Paulus & Timotheus) *pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab apostolis & senioribus* (seu presbyteris) *qui erant Hierosolymis.*

Iidem presbyteri qui Hierosolymitano concilio interfuerant, a S. Jacobo apostolo & Hierosolymorum episcopo, post annos septem, congregati, S. Paulo, rotundis verbis, significarunt se in Hierosolymitano concilio judicasse: *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato & sanguine, & suffocato & fornicatione.* (*Act.* XXI. 25.)

Ex allatis textibus compertum fit simplices presbyteros, in Hierosolymitano concilio, id egisse, quod egerunt Apostoli ipsi. Ad eos, prorsus ut ad Apostolos, ventum est, ut judicarent; iidem, ut apostoli, judicarunt; eorum, omnino ut apostolorum nomine, synodica epistola scripta fuit; decreta iis ut apostolis tribuuntur; ajunt demum ipsi, apostolorum instar, se judicasse. Deliberativam igitur vocem, in eo concilio, aut presbyteris fuisse, aut ipsis apostolis defuisse necesse est.

II.

Concilia.

Simplices presbyteri deliberativam vocem obtinuerunt in Antiocheno concilio, an. 264. habito, in quo presbyter Malchus Paulum Samosatenum, Antiochenum episcopum qui Sabellianismum docebat, confutavit, & synodicæ epistolæ, post Episcopos, Eusebio teste, subscripsit. (*Lib.* VII. *Histor. Ecclesiast. cap.* 29. & 30.) Eamdem vocem obtinuerunt in conciliis, Illiberitano, an. 304. Arelatensi, an. 314. Illyrico, an. 372. vel 375. Mediolanensi, an. 389. Romano, an. 390 in quo summus Pontifex Siricius, una cum presbyteris, Joviniani errores damnavit, Constantinopolitano, an. 448. Bracarensi, an. 563. Toletano, Romano, Lateranensi, an. 1215. Lugdunensi, an. 1274. Constantiensi, Basiliensi, quæ ad sæculum decimum quintum spectant, denique in aliis conciliis quamplurimis, ad Tridentinum usque, an. 1563. absolutum, & Rothomagense, an. 1581. quod Gregorium XIII. consuluit, utrum Abbates & Capitula deliberativam vocem habere deberent. Ex eo solum tempore, cleri secundus ordo deliberativa, tam in conciliis quam in cœtibus, voce gaudere desiit.

III.

Sancti Patres.

S. Ignatius, in Epistola ad Trallianos, presbyteris ait perinde atque apostolis Christi Domini neminem non subdi debere; *Necessarium est.... subjici & presbyteris ut apostolis Jesu Christi.*

S. Cyprianus, in 71. ad Quintum, & 78. suum ad clerum Epistolis, nos certos facit suam se ecclesiam conjunctim cum presbyteris rexisse, nihilque aulum esse absque iisdem presbyteris facere: *Quæ res cum omnium nostrum concilium & sententiam spectat, præjudicare ego, & soli mihi rem communem vindicare non audeo.*

S. Joannes Chrysostomus, Homilia undecima in Epistolam primam ad Timotheum, omnia inter episcopos & presbyteros, præter ordinationem, communia esse testatur: *Quæ de Episcopis dixit* (Apostolus), *ea etiam presbyteris congruunt; sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hac tantum plusquam habere videntur.*

Idem asserit S. Hieronymus, in sua ad Evagrium Epistola, verbis hisce; *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod non faciat presbyter?*

Tertullianus, in Apologetico, & reliqui, in suis quisque operibus, Ecclesiæ Patres, summi Pontifices & veteres ecclesiastici auctores tam honorifice, cum se offert occasio, de presbyteris prædicant, ut eos nuncupent Præpositos, Præsides, Senatores, Judices Ecclesiæ, Vicarios Christi Domini, Assessores, Cooperatores, Confratres, Collegas Episcoporum, appellatos, eorum instar, ad pascendum fidelem gregem, ad regendam Ecclesiam, &c. Jam vero fieri omnino non potest, ut hi tituli, obligationes hæ, hæc officia, hæc privilegia, quæ a sanctis patribus, a summis Pontificibus, ab ecclesiasticis Scriptoribus in Presbyte-

byteris agnoscuntur, unquam subsistant, quin iisdem decisivum quoque suffragium & deliberativa vox tribuatur.

§ V.

Rationes theologicæ.

1. Concilia docentem Ecclesiam repræsentant, quæ non episcopis solum, sed etiam parochis, theologiæ doctoribus & professoribus constat, quibus interpretandi & docendi ubique gentium, adeoque in doctrinæ, legum morumque negotio judicandi jus denegari non potest.

2. Definire in conciliis id quod unumquemque credere & agere oportet, officium est pastorum proprium, inquit Bellarminus, quia pascere est docere, & ita quidem, ut cæteri credere debeant: *Definire in concilio ea quæ sunt credenda vel agenda, proprium est munus pastorum; id enim proprie est pascere; est enim docere, & docere ita ut teneantur alii credere.* Cum ergo parochi sint pastores, eos in conciliis id definire posse necesse est quod credendum est agendumque.

3. Publica Ecclesiæ negotia, subdit Bellarminus, a publicis Ecclesiæ personis pertractari debent; harum autem personarum nomine non solum Episcopi, verum etiam parochi veniunt qui jurisdictione pollent, quique in episcopalis sollicitudinis partem, & cum episcopis ad Ecclesiæ regimen vocati sunt.

4. Ecclesiæ regimen esse debet ad prudentiæ sapientiæque leges exactum regimen, & ejusmodi, ut maxime, si quod aliud, pacem inter fideles statuere, disciplinam fovere, errores, schismata, dissidia præfocare ac funditus tollere, mores reformare, abusus corrigere possit; jam vero liquido constat in Ecclesiæ legibus ad hæc singula perficienda multo plus roboris fore, siquidem ad eas presbyteri sua & ipsi suffragia contulerint; tunc enim ii se magis sollicitos exhibebunt, ut ad eas servandas neminem non adducant, & iisdem libentius ipsi se populi subdent, quas suis a parochis, collata cum episcopis opera, editas noverint. Ad rectum igitur Ecclesiæ regimen spectat, ut presbyteris deliberativa vox, una cum episcopis, tum intra, tum extra concilium suppetat; itaque Cardinales-presbyteros in Papæ consistorio, & secundi ordinis presbyteros in Gallicani cleri cœtibus ejusmodi voce gaudere cernimus; idemque perspicitur in theologicæ Facultatis doctoribus, in generalibus vicariis, episcopali sede vacante, in officialibus & inquisitoribus qui Sententias pronuntiant, doctrinalia judicia proferunt, superque fide, moribus & disciplina constitutiones edunt, adeoque de ipsis nonnunquam episcopis judicant. Quod si hæc omnia cum jure ac suffragio copulentur, quod Ecclesia, nullo non tempore, presbyterorum pluribus, in œcumenicis conciliis, concessit, convictus nemo non erit eos in fidei negotio judicandi potestatem a Christo Domino, cum initiati sunt, accepisse, quandoquidem, si minus eam accepissent, Ecclesia non posset ejus exercitationem iisdem permittere, quippe qui non essent ex eorum numero, quibus Spiritus Sanctus, hoc est infallibilitatis donum promissum fuisset, quod sane longe maximum donum concedere in Ecclesiæ potestatn non est. At quin auctoritatum exemplorumque quæ nobis opponuntur, discussionem suscipiamus, ita quidem opinionem banc cum sententia quam statuimus, quamque allatæ difficultates nulla ex parte videntur infringere, conciliare nos posse credimus.

I. Presbyteri radicalem, ut vocant, potestatem judicandi, decidendi & leges edendi in negotiis ad fidem, mores, disciplinam, universim, ad Ecclesiæ regimen pertinentibus, a Christo Domino, in sua quisque ordinatione, acceperunt.

II. Presbyteris hujus potestatis exercitatione frui per Ecclesiam licuit, in conciliis pluribus ad Tridentinum usque; eosque Ecclesia ipsa in eamdem restituere poterit, quoties ei videbitur e re fore.

III. Judicandi radicalis potestas quam presbyteri perceperunt a Christo Domino, eamque exercendi jus quod obtinent ab Ecclesia, non impediunt, quin episcopi, divino jure, presbyteris superiores sint, & valida quoque sint, independenter a presbyterorum suffragiis, eorumdem judicia, quia primis tantum pastoribus facta est infallibilitatis absoluta promissio, & quia pastores secundi ordinis non sunt judices necessarii & stricto jure, sed judices utiles & æquitate quadam.

IV. Suffragii jus quod ex Ecclesiæ concessione presbyteri tenent, de suffragio proprie dicto & vere decisivo intelligi debet, quoniam, ex communi consuetudine, absentium episcoporum deputati, & episcopalium Ecclesiarum, vacantis sedis tempore, procuratores hujusmodi suffragium obtinuerunt, haud secus ac simplices presbyteri qui nonnunquam conciliis præfuerunt, Romanæ Ecclesiæ Cardinales-presbyteri, & presbyteri Ecclesiarum patriarchalium Orientis.

V. Episcopi *in partibus infidelium* deliberativa voce, quoad exercitationem, in conciliis generalibus gaudent ipsi per se, cum in regionibus fidei lumine destitutis ad animarum salutem incumbunt, quia tum quidem jurisdictione pollent, obeuntque apostolorum munia, quorum successores sunt, in suis propriis ecclesiis, & erga suos proprios subditos. Quod spectat ad episcopos *in partibus*, qui in infidelibus regionibus non laborant, hi quidem deliberativæ vocis exercitatione non gaudent nisi ex privilegio, cum nec jurisdictionem, nec Ecclesias, nec subditos habeant. Hujus generis episcopos antiquitas non agnoscebat; ac si qui erant Episcopi qui diœcesi carerent, deliberativam vocem in conciliis non obtinebant, nisi forte ex gratia, nec alium quam presbyterorum secundi ordinis locum in iisdem tenebant, ut nos docet Tillemontius.

VI. Abbates regulares qui jurisdictione quasi-episcopali pollent, voce deliberativa in conciliis gaudent, a duodecimo saltem sæculo, quin nova concessione opus habeant. Abbates vero commendatarii, quorum jurisdictio ad eorum monachos ad eorumque domesticos tantum refertur, hac voce tum solum, cum eadem ipsis conceditur, frui possunt.

VII. Doctores Universitatis, Officiales, magnique Vicarii, Inquisitores id juris obtinent, ipsi per se, suam ut sententiam dicant, seu judicia proferant doctrinalia nuncupata, non autem legislativa quæ judiciaria auctoritate nituntur. Hoc autem jure non gaudent, nisi cum illud Ecclesia ipsis concedit, per Papæ vel Episcoporum ministerium, ut ex actis erectionis ejusmodi dignitatum constat.

VIII. Diaconis, cum ex hierarchia sint quam Christus instituit, potest Ecclesia deliberativam vocem concedere. Hanc hi reapse in pluribus conciliis ad quæ sui ab episcopis deputati fuerant, obtinuerunt; eamque Cardinales-diaconi etiamnum obtinent æque atque orientalium patriarchatuum diaconi. Contra sentiendum de subdiaconis, de clericis inferioribus, &, potiore ratione, de laicis, quippe qui ad divinam hierarchiam minime pertinent; ita Ecclesia consultativam vocem concedere potest, nihilque præterea. Hæretici porro nunquam conciliis interesse, tamquam judices, possunt, quia jurisdictionem, eam ab Ecclesia sejuncti sint, amiserunt. Ad ea tamen recipi possunt, tamquam traditionis testes, super capitibus de quibus inter eos & Catholicos convenit; ad eadem possunt tum quoque recipi, cum de eorum personis damnandis agitur, ut eorumdem defensiones audiantur, quia naturalis juris est neminem inauditum damnari.

CAPUT VIII.

De Conciliorum convocatione.

Concilia convocandi jus ad quem pertinet? Quinam ad concilia vocandi sunt? Quænam sunt convocationis conciliorum formæ? Nunquid hæ convocationis formæ, ipsaque convocatio ad conciliorum essentiam spectant? Singula hæc nobis hoc loco expendenda veniunt.

§ I.

De iis penes quos est concilia convocandi jus.

Ad hanc quæstionem solvendam, triplicis generis concilia distingui debent, generalia, nationalia & provincialia.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.

Papæ, tamquam universæ Ecclesiæ capita, generalia concilia convocandi ordinario jure gaudent; eoque semper usi sunt, post octavum generale concilium, quod Constantinopoli ab Imperatore Basilio, an. 869. convocatum fuit. Hoc tamen summorum Pontificum jus non est ex eorum numero quæ exclusiva dicuntur, quoniam certum est non unam esse facti speciem, in qua concilia ab aliis quam a summis Pontificibus convocari possunt, ut cum plures adsunt ad Papatum contendentes, aut cum Papa est hæreticus, seu mentis impos, seu captivus apud infideles, &c.

Nec minus certum est priora octo generalia concilia

a Christianis Imperatoribus convocata fuisse, videlicet, Nicænum primum a Constantino Magno, Constantinopolitanum primum a Theodosio Seniore, Ephesinum primum a Theodosio juniore, Chalcedonense a Valentiniano & Marciano, Constantinopolitanum secundum a Justiniano, & tertium a Constantino Pogonato, Nicænum secundum a Constantino VI. & Irene ejusdem matre, denique Constantinopolitanum quartum a Basilio.

Verum quidem est hæc octo generalia concilia convocata non fuisse sine Romanorum Pontificum approbatione; at non est minus verum Imperatores ea convocasse, sua ipsorum auctoritate, non autem summos Pontifices qui nihil aliud egerunt, nisi suum iis assensum præbuerunt, eademque firmarunt. Princeps cujus imperio catholicæ omnes regiones subessent, generale proinde concilium cogere posset, suapte solum auctoritate, siquidem ad ipsius Ditionum bonum eo opus esset; quod autem is posset in hoc genere, id omnes Catholici Principes, conspirantibus & consentientibus eorumdem animis, possunt. Id sane possunt, ac jus hoc ad eos pertinet, seu tamquam suprema potestate pollentes, seu tamquam Christiani Principes iidem spectentur, seu convocationis conciliorum natura, aut vis & ratio ipsa animo reputetur. Tamquam suprema potestate pollentes, ad populorum felicitatem a Deo instituti, eos omnes cœtus convocandi jus obtinent, quos ad eorum subditorum pacem ac tranquillitatem necessarios judicaverint. Tamquam Christiani Principes, sunt quoad ea quæ externa sunt, episcopi, & quod inde consequitur, eo jure gaudent, ut cœtus haberi jubeant, quoscunque judicant ad bonum Ecclesiæ regimen necessarios, dummodo de rebus mere spiritalibus statuendi integram episcopis libertatem relinquant. Sunt etiam religionis, bonorum morum, disciplinæ custodes & patroni, hujusque tituli vi iisdem servandis aut restituendis invigilare debent; quod sane non alia ratione melius obtinetur, quam per concilia. Præterea hujusmodi cœtuum convocatio non est mere ecclesiastica res; est res quæ ad externam politiam pertinet perinde atque aliorum omnium cœtuum convocatio, quæque in conciliorum judicia omnino non influit, quoniam concilia judicandi, decidendi & constitutiones edendi super negotiis quæ iisdem competunt, plena absolutaque libertate gaudent, quocunque tandem modo eorum convocatio facta sit.

CONCILIA NATIONALIA.

Supremi quique Principes eo jure pollent, ut suarum ditionum nationalia concilia cogant; semperque id juris penes eos fuit, fatentibus ipsis Papis Episcopisque. Post Imperii divisionem, Imperatores Arnulus, Otho & Henricus concilia suis in ditionibus coegerunt; idem præstiterunt Angliæ & Hispaniæ Reges; nec in dubium vocari potest, quin Galli primæ & secundæ stirpis Reges nationalia omnia concilia coegerint.

Aurelianense concilium primum a Clodoveo convocatum fuit instructumque ab hoc Principe super negotiis de quibus deliberare debebat, quemadmodum ex Synodicæ Epistolæ quam hujus concilii Patres ad eum miserunt, verbis apparet: *Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ Fidei cura nos excitat, ut sacerdotalis mentis affectu, sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundum voluntatis vestræ consultationem & titulos quos dedistis, ea quæ nobis visum est, definitione respondimus.*

Alterum Aurelianense Concilium, ann. 553. convocatum fuit *ex præceptione gloriosissimorum Regum*; Parisiense, ann. 615. a Clotario II. Suessionense, ann. 744. a Pipino, Palatii mario, seu magistro, Childerico III. regnante.

Carolus Magnus celebre Francofurtense concilium, ann. 794. convocavit, cui Franciæ, Italiæ & Aquitaniæ episcopi interfuerunt, Adriani Papæ Legati præfuerunt, & hic ipse Imperator adfuit. Convocavit etiam, ann. 813. Arelatense concilium sextum, Moguntina, Remense II, Turonense II, Cabillonense II. atque ex horum omnium conciliorum decretis, veteribusque canonibus sua Capitularia congessit, quæ tamquam disciplinæ sexti, septimi & octavi Ecclesiæ sæculorum priores regulæ spectantur

Gallorum, ex tertia stirpe, Regum plures suo ad nationalium conciliorum convocationem jure & ipsi functi. Hugo Capetus Remense concilium convocavit; Philippus Pulcher & Philippus Augustus Lutetiæ Parisiorum alia coegerunt; Ludovicus XII. universam Gallicanam Ecclesiam Turonibus congregavit, &c.

Ipsi quoque summi Pontifices & Episcopi hoc supremorum Principum jus agnoverunt, qui sæpius eosdem rogarunt, ut concilia convocarent. Ita se gessit cum Imperatore Constantio Papa Liberius, quemadmodum ex Theodoreto, Historiæ Ecclesiasticæ *lib. II. cap. 2.* atque adeo ex ejusdem Papæ ad Constantium Epistola licet intelligi. S. quoque Leo, ne plures alios commemoremus, concilii convocationem a Theodosio Imperatore petiit, ut ex hujus sancti Pontificis epistolis tribus, una ad Imperatorem ipsum, ad clerum Constantinopolitanum altera, ad Pulcheriam Imperatricem tertia compertum fit. En ejus, in Epistola ad clerum Constantinopolitanum, animi sensa: *Humiliter ac sapienter exposuite, ut petitioni nostræ, qua plane via indici synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.*

Clerus Gallicanus, ann. 1681. congregatus, nationalis concilii convocationem efflagitavit, in quo Regaliæ negotium finiretur,

DE CONCILIIS PROVINCIALIBUS.

Haud minus spectat ad supremorum Principum jus provincialium quam generalium & nationalium conciliorum convocatio, ut evidens ex eo fit, quod iidem non minus partis quam universitatis subditorum suorum domini sunt. At, cum supremi Principes, quin ipsi concilia convocent, suæ Ditionis episcopis ea cogendi veniam tribuunt, eorum convocatio, jure ipso, ad episcopos pertinet, qui dignitate seu jurisdictione cæteris præstant. Ita, communi jure & usu Ecclesiæ, nationalia quidem concilia a patriarchis vel a primatibus, a metropolitanis autem provincialia convocantur. S. Augustinus, in sua ad Victorinum Epistola, nos docet in Numidia & in Africa Episcopum ordinatione seniorem eum fuisse qui concilia convocaret.

Opponeret frustra quispiam conciliorum convocationem esse ecclesiasticæ jurisdictionis actum qui ad eos tantum pertinet qui primos in hierarchia gradus occupant, eo prorsus modo quo civilium cœtuum convocatio non nisi ad sæculares Principes spectat; eam ipsam esse actum mere spiritalem; nec ovium esse pastores suos, sed pastorum suas oves convocare.

Nihil soliditatis habent rationum momenta hæc; etenim, 1. conciliorum convocatio ecclesiasticæ jurisdictionis actus, aut, quod inde consequitur, actus mere spiritalis omnino non est; sed potius est actus externæ politiæ ac civilis administrationis, ex parte Principis, sub qua episcopi, ut omnes alii subditi, positi sunt. Et sane, ecclesiastica jurisdictio auctoritas est qua Ecclesiæ pastores pollent, ut super fide, moribus, disciplina, omnibusque mere spiritalibus negotiis quæ eorum regimini subsunt, judicia pronuntient, leges ferant, constitutiones edant; jam vero conciliorum convocatio nihil horum consequitur, quippe quæ in episcoporum judicia legesque omnino non influit, nec alia quam eos congregandi vi pollet, ut ipsi nempe quascunque utiles aut necessarias ad fidelium salutem judicaverint, leges liberrime sanciant. Contendere igitur conciliorum convocationem esse spiritalem actum, est eam confundere cum eorum celebratione judiciisque quæ in iisdem eduntur; quod episcopis tantum convenit, quibus Christus Dominus Ecclesiæ suæ regimen & fidei sacrum depositum concredidit. 2. Ovium cum pastoribus comparatio absona prorsus hoc loco est. Principes uno eodemque tempore & oves & pastores sunt, quoad episcopos; in rebus mere spiritalibus oves sunt; & hac ratione, obedientiam episcopis debent; sunt autem pastores, magistri, domini in rebus mere civilibus, aut etiam mixtis, prout ad civile rerum pertinent; & hac ratione, tenentur episcopi principibus suis parere. Jam quis non videt conciliorum convocationem auctoritatis mere civilis, inhærentis personæ Principis, actum esse, ac, si Principes oves essent, hac ratione, præ episcopis, hos episcopos & statu ipso & fidelitatis jurejurando quod iisdem præstant, id juris habituros, ut concilia convocarent ipsi per se? Quam id absurde!

§. II.

Quinam ad Concilia vocandi sunt?

Primum omnium ad concilia vocari debent quicunque voce deliberativa, per divinam institutionem in iisdem gaudent, cujusmodi sunt episcopi; deinde vero qui ea non gaudent nisi ex Ecclesiæ venia, cujusmodi sunt Cardinales non episcopi, quidam Abbates, &c. Ad eadem vocentur, oportet, etiam presbyteri aliique clerici ecclesiastica scientia, sapientia, virtute, experientia commendabiles, non tamquam judices

dices necessarii, sed tamquam fideles testes, illustrati doctores, consultores prudentes expertique, & faci in iis sanctis cœtibus præferendæ pares; ecclesiasticum enim regimen non despoticum & arbitrarium imperium est in quo nihil non supremæ auctoritati cedit; sed suavitatis, charitatis, concordiæ & unionis regimen est, in quo jubendi jus ad rationem, religionem, legem, justitiam, veritatem solummodo spectat, atque ubi quid in sacris Litteris, traditione, Patrum scriptis, conciliorum canonibus, Ecclesiæ precibus usibusque, communi fidelium omnibus retro sæculis unanimique sententia contineatur, diligenter expendi debet, ut judicia ferantur quæ errori obnoxia non sint.

Ad concilia eos quoque invitat Ecclesia, qui aliquid utilitatis eidem afferre possunt, aut quorum interest; atque adeo hæreticos ipsos, ut eorum rationes, ac defensiones audiat, detque operam, ut suum in sinum eosdem redigat.

§. III.

Quænam sunt convocationis conciliorum formæ?

Cum suarum ditionum episcopis supremi Principes in mandatis deferant, ut coirent, aut coeundi facultatem episcopi ipsi obtinuerant; inter eos senior, aliquibus in locis, &, in cæteris, Patriarcha, Primas, aut Metropolitanus edebat convocationis Epistolam, in qua omnium episcoporum nomina, qui concilio adesse deoebant, ejus celebrationis locus & dies, resque præcipuæ in eo discutiendæ continebantur, eamque ad omnes accitos episcopos per presbyterum, seu diaconum, seu clericum inferiorem mittebat. Qui ex iis ad concilium se conferre non poterant, suas excusationis rationes in convocationis Epistola ipsa scribebant; interdum etiam sententiam suam scripto mandabant, & ad concilium mittebant, aut confratribus procurationem tradebant, ut, eorum nomine, decretis in concilio statuendis assentirentur.

Deputati ad concilia generalia eligebantur in conciliis particularibus in quibus ab Episcopis qui ad concilia generalia proficisci non poterant, facultates, e scripto, recipiebant; quod ad intelligendam rationem facit quam Primatum aliqui Patriarchis, aut etiam summis Pontificibus a quibus acciti fuerant, nonnunquam reddebant, se non potuisse ad concilia generalia seu nationalia deputare, quia infidelium incursionibus vel invasionibus impediti fuerant, quominus convenirent.

Eadem ferme ratione atque olim, etiamnum fit conciliorum convocatio.

§. IV.

Convocationis formæ, & Convocatio ipsa pertinentne ad Conciliorum essentiam?

Formæ convocationis conciliorum particularium, & convocatio ipsa ad horum conciliorum essentiam non spectat, quoniam eorum plura, haud præmissis formis & citra convocationem habita sunt. Fiebat olim sæpissime, ut episcopi qui forte in imperiali urbe versabantur, vel ad alicujus Ecclesiæ dedicationem se se contulerant, convenirent acturi de religionis negotiis, superque disciplina constitutiones aliquas edituri. Quamvis autem ecclesiastici cœtus hi consuetis formis & regulari convocatione destituti essent, id tamen non obstuit, quominus in conciliorum quæ Ecclesia probabat, numerum referrentur; quod evincit nec convocationem ipsam, nec consuetas hujus convocationis formas ad particularium conciliorum essentiam pertinere.

Aliter de conciliis generalibus sentiendum est; conditionum enim quæ ad hujus generis concilia necessariæ sunt, una est, ut ad ea vocentur omnes Christiani Orbis Episcopi, quippe qui universi & singuli, divina institutione, fidei judices sint, eorumque nullus, nisi hæreticus aut excommunicatus fuerit, ab iis arceatur; ex quo apparet generalium conciliorum convocationem formam esse quæ præcipua atque adeo essentialis iisdem est.

CAPUT IX.

De Conciliorum Cæremoniis.

Ex Romano Cæremoniali, in concilii generalis aula, altare in quo Missa celebretur, & sub altaris mensa alicujus Sancti reliquiæ esse debent.

Apertionis die, Papa ad altare sermonem pronuntiat, convocationis concilii causas indicat, recitat precem: *Adsumus, Domine sancte Spiritus*. Canuntur deinde Litaniæ, Evangelium, *si peccaverit frater tuus*, & hymnus, *Veni, Creator*. Suam quisque sedem sumunt Patres; pronuntiatur convocationis decretum, caniturque, *Te Deum*.

Eorum ordo, quibus est deliberativa vox, ejusmodi est.

Papa super throno, in ima parte aulæ concilii, duoque assistentes diaconi, super duabus sedibus ad ejus utrunque latus;

Cardinalium Collegium;
Patriarchæ;
Primates;
Archiepiscopi;
Episcopi;
Abbates;
Generales Ordinum.

Ad loca quod attinet, in quibus haberi concilia debent, distinguitur locus generalis, ut regnum, provincia, urbs, & locus peculiaris, ut Ecclesia aut palatium.

Generalem locum quod spectat, Protestantes eum esse contendunt, in quo controversiæ coortæ sunt. Ita sane, cum agitur de primo judicio in personali causa; non item, cum de fidei, disciplinæ cæterisque negotiis in quibus generalia concilia versantur, quæstio est, quia ejusmodi negotia sunt omnium regionum communia.

Controversia, super legalibus cæremoniis, Antiochiæ inceperat, & Hierosolymæ finita fuit; Ariana hæresis in Ægypto ortum duxit, & in Bythinia damnata est.

Ephesinum concilium judicavit Nestorium qui doctrinæ suæ virus evomuerat Constantinopoli, &c.

Ad peculiarem locum celebrationis conciliorum quod attinet, nihil difficultatis subesse potest. Convenit inter omnes, Ecclesiam esse, aliumve Deo sacrum locum, aut saltem domum apprime congruam, cujusmodi regium, seu episcopale palatium est.

CAPUT X.

De Præsidentia in Conciliis.

Præsidentia honoris, & patrocinii penes eum est qui primum in concilio locum occupat, ordinem in eo sartum tectumque servat, eique patrocinatur. Nemo unus est quin fateatur ejusmodi præsidentiam ad Principes eosque supremos Principes pertinere, quippe qui dignitate supra cæteros eminent.

Præsidentia auctoritatis & jurisdictionis ea est quæ jus confert proponendi negotia quæ conciliorum materiem constituunt, peculiare ac proprium judicium edendi, proprium suffragium ferendi, aliorum suffragia colligendi, eaque omnia præstandi, quæ societatum præsides facere consueverunt.

Contendunt Protestantes hanc quoque præsidentiam ad supremos Principes, exclusis Episcopis, pertinere. Quam infirma sit hæc assertio quæ errorem fidei oppositum continet, facile ostendi potest.

1. Principes a Christo Domino instituti non fuerunt, ut Dei Mysteriorum dispensatores essent. His Christus nec Ecclesiæ suæ regimen nec ligandi & solvendi, aut in fidei negotio, deque rebus mere spiritalibus judicandi potestatem, nec quoad ejusmodi rerum genera vocem deliberativam seu suffragium decisivum contulit; quod jam probavimus atque adeo demonstravimus; ex quibus probationibus efficitur cogiturque præsidentiæ in conciliis Principes impares esse; cum præses sit ejusmodi cœtuum præcipuum membrum, eum super iis rebus omnibus ad quas iidem cœtus referuntur, deliberativa voce gaudere necesse est.

2. Non minus evidenter probatum fuit, inter potestates duas, spiritalem ac temporalem, essentiale discrimen intercedere; nec minus evidens est discrimen hoc secum trahere discrimen inter cœtuum ad has potestates duas quæ tantopere inter se differunt, spectantium præsides; horum quippe cœtu in aliis qui de rebus mere spiritalibus agunt, personæ tantum ex religio-

ligionis divinæque hierarchiæ ordine sumptæ præesse debent; alii vero in civili ordine suos sibi præsides sumunt, quia in humanis tantum ac temporalibus rebus versantur; itaque primi generis cœtibus semper ecclesiasticos, nunquam sæculares homines præfuisse ex omnium conciliorum historia perspicimus. Papæ præfuere conciliis quibus interfuerunt; Metropolitani suarum provinciarum conciliis; Patriarchæ, Primates, seniores inter Metropolitanos, aut seniores inter Episcopos, aut demum ii quibus id honoris deferendum concilia censuerunt, præsidentiam in conciliis nationalibus obtinuerunt. Archiepiscopus Lugdunensis, utpote Galliarum Primas, nationis conciliis præsidendi jus, tamquam suæ sedis privilegium sibi vindicat. Prima hujus contentionis origo nititur canone 20. secundi concilii Matisconensis, ann. 585. celebrati, cui præfuit Priscus, Episcopus Lugdunensis, & cui, post eum, præter Episcopos, metropolitani Viennensis, Senonensis, Rothomagensis, Burdegalensis & Bituricensis interfuerunt. Concilium hoc quod veluti nationale erat, mandavit, ut simile, tertio quoque anno, haberetur, & a Lugdunensi metropolitano episcopo, cum de cœtus loco cum Rege convenisset, indiceretur. Id, ut videtur, sensim statuit firmavitque Lugdunensium episcoporum jus, qui, ex eo tempore, sæpenumero, non tamen semper, nationalibus conciliis præfuerunt.

Ne quis ergo dixerit supremos Principes esse primos secundum Deum, *secundos a Deo*, iisdemque episcopos, ut cæteros, subesse debere; eos id esse in nova lege, quod erant Reges in veteri, scilicet religionis æque ac reipublicæ capita, non sine potestate divinum cultum moderandi, supremumque in spiritalibus ac temporalibus negotiis judicium ferendi; eos divinæ legis custodes ac defensores esse; ad eam spectantium rerum curam esse præcipuam eorum regiminis partem; episcopos non nisi vicarios veluti quosdam esse quos ii sibi socios adjunt ad sacra & ecclesiastica, ut magistratus ad profana & civilia; S. Paulum, super quæstionibus ad religionem legemque spectantibus, ad Cæsarem appellasse; sæculares Principes, fatentibus ipsis summis Pontificibus, Ecclesiæ Patribus, ecclesiasticisque scriptoribus, ingenti conciliorum numero præfuisse, causa exempli, Constantinum Magnum Nicæno, Marcianum Chalcedonensi, ne in aliis plurimis immoremur; denique Principes non minus præsidendi conciliis quam ea convocandi jure pollere.

Principes, ita sane, primi secundum Deum, ejusque potiores magisque ad vivum expressæ imagines sunt. Episcopi, æque ac cæteri, tenentur iis obedire, in civilibus quidem ac temporalibus rebus, quarum ii per divinam institutionem domini sunt, minime vero in rebus mere spiritualibus, quas Sacerdotibus, non autem Principibus, Deus concredidit. Quod si qui occurrunt in veteri Testamento, ut Moyses, Josue, David, Salomon, Josias, qui sacerdotalia munia quædam obierint, id propterea factum, quod vere sacerdotes & prophetæ iidem essent, vel peculiari extra ordinem privilegio quod iis Deus in certis quibusdam rerum temporumque rationibus concedebat, quodque non poterat in aliorum exemplum trahi. Moyses erat sacerdos & propheta: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus* (Psalm. 98.) Non ergo mirari subit eum sacerdotis officio functum esse. Josue, David, Salomon, aliique nonnulli ex Hebræorum Principibus prophetæ erant; atque hoc sane titulo, nonnunquam sacerdotalia quædam munia, Deo mandante aut permittente, obierunt. Cæterum, aliis Hebrææ nationis Principibus qui nec sacerdotes nec prophetæ essent, ea nunquam venia data est, ut se sacerdotalibus functionibus immiscerent, Osia rege teste qui lepra correptus fuit, quod ad altare Domini thus adolere voluisset. Itaque Hebræi non ad Principes, sed ad Sacerdotes confugere jussi sunt, ut legis intelligentiam, ac dubitationum quæ forte inter eos super religionis negotiis suborirentur, illustrationem assequerentur. Si religionis custodes ac defensores Principes sunt, id eo spectat, ut ei obsequium concilient, eamdemque servandam curent, non autem ut ejus seu difficultates expediant, seu dogmata definiant, seu mysteria dispensent; quod facere jure possent ipsi per se, si verum esset episcopos non nisi puros putosque eorumdem vicarios esse. S. Pauli ad Cæsarem appellatio abs re est, quia hic Apostolus solum tamquam ad judicem seditionis quam Judæi in eum excitaverant, criminumque quorum eumdem insimulabant, non tamquam ad judicem controversiarum religionis, ad Cæsarem appellavit. Principum qui conciliis præfuere, non minus præposterum exemplum est, quandoquidem certo constet iis nunquam aliam quam honoris & patrocinii præsidentiam, ad turbas in conciliis impediendas, rectumque ordinem in iisdem servandum, concessam fuisse, ac si quid præterea ipsi eorumve ministri moliti sunt, Ecclesiam semper in eorumdem molimina reclamasse. Ita quidem Alexandrinum concilium, ann. 340. Eusebianos increpuit qui arrogati Tyriensis concilii, ann. 335. cui sæcularis judex præfuerat, auctoritatem, in Sanctum Athanasium, afferrent: *Quomodo synodum vocare audent, in qua Comes præsidebat?* Nihil igitur refert Principes extitisse qui in conciliis perorarent, qui negotia quædam discutienda in iisdem proponerent, qui constitutiones ibidem ederent, aut subscriberent firmarentque quas conciliorum patres ediderant; nihil horum, in negotiis mere spiritalibus, jurisdictionis præsidentiam, aut judicis qualitatem probat. Ostendendum esset, ad id evincendum, Principes, in fidei, aliisque mere spiritalibus negotiis, tamquam episcopos judicasse ac definiisse; quod sane nunquam ostendi poterit. Si Principes subscripsere confirmaruntque conciliorum decreta ad rem mere spiritalem spectantia, id in consensionis & patrocinii modum, tamquam fideles dociles sollicitique patroni, non autem judicum titulo, præstiterunt; quod si quando ipsi constitutiones in conciliis ediderunt, id alia negotia quam mixta, & quidem quoad civilem ordinem, & externum Ecclesiæ regimen, nec spectavit, nec vero spectare potuit. Hac mente, Arelatensis & Moguntini conciliorum patres, eorumdem conciliorum actis decretisque ad Imperatorem Carolum Magnum missis, eum rogant, ut, si quid omissum fuerat, id ipse suppleat, corrigat quod forte vitiosum, perficiatque quod bene ac recte se habere compertum fuerit; nec magis refert conciliorum convocationem ad Principem pertinere; ex convocationis enim jure, præsidentiæ jus inferri non potest, quia illud nec decisivum suffragium, nec influentiam in judicia, hoc autem necessario utrumque requirit, cum agatur de præsidentia quam legislativam & jurisdictionalem vocant, non autem de honoris simplici præsidentia, deque coactiva vi, ad impediendum tumultum, nihilque non in ordine retinendum.

Cæterum, quamvis ad conciliorum essentiam præsidentia minime spectet, quoniam percipitur posse, stricto jure, concilium haberi, negotia per notarium proponenda mandari, iisdemque ex majore votorum numero finem imponi, quin ullum concilii membrum Præsidis titulum obtineret; negari tamen non potest summopere utile fore aliquem e concilii patribus esse qui præsit, ut turbæ ac perturbatio avertantur, pax & tranquillitas comparetur, rectus ordo servetur, omnia in officio contineantur; & ob has sane causas semper aliqui Præsides in omnibus cœtibus tam civilibus quam ecclesiasticis extiterunt.

CAPUT XI.

De Ratione opinandi & numerandi Voces seu Suffragia in Conciliis.

Absolutis precibus quæ ad conciliorum apertionem fieri solent, omnibusque qui iisdem intersunt, silentibus, articulos Præses proponit de quibus deliberandum est, monitis patribus, ut libere, ac sine partium studio aut personarum acceptione, suam quisque sententiam libere dicant. A diacono, vel a notario hi nonnunquam articuli proponuntur. Conciliorum tabelliones seu notarii sunt officiarii quidam qui sumuntur ex inferioribus clericis, enuntiatoque indictionis actu qui in concilio fit, eliguntur. Horum notariorum seu tabellionum est, quicquid in concilio dicitur, proponitur, agitur, in scripta redigere. Expenduntur propositi articuli, initio ab iis ducto, qui fidem spectant; conferuntur cum sacris Litteris, cum Patrum operibus, cum generalium conciliorum definitionibus; consuluntur Theologi & quicunque, qui pollent scientia, lucem afferre possunt. Sua Episcopi suffragia, pro ordinationis gradu, aut sedium dignitate, & Præses e suffragiorum pluralitate concludit.

Hæc suffragia, hæc vota, seu voces has numerandi ratio duplex distinguitur.

Prima est ejusmodi, ut per capita numerantur. Ex hac numerandi ratione, tot sunt suffragia, quot personæ suffragandi jus obtinent; &, quod inde consequens fit, si quo in concilio fuerint personæ mille hoc jure pollentes, numeranda venient suffragia mille.

Voces, suffragia seu vota numerandi ratio altera ea est, ut per nationes numerentur; itaque si sex in concilio nationes fuerint, in has sex nationes concilium tribuitur. Harum sex nationum quæque deputeter in

torum quos e suo ipsius gremio sumit, una cum notariis & eorumdem præside, certum statumque numerum nominat. Hi cujusque nationis deputati & officiarii privatim coeunt de rebus deliberaturi quæ ad concilium deferri debent; cum vero de aliquo articulo inter eos convenit, eum deferunt ad deputatorum nationum sex generalem cœtum; quod si propositus articulus unanimi consensione approbatus fuerit, aut saltem, in suum favorem, suffragiorum majorem numerum obtinuerit, firmatur obsignaturque deferendus ad universum concilium, in eoque a cujusque nationis deputatis e majore suffragiorum numero decernendus.

Suffragia, in capita, numerandi prima ratio usui per omnem Ecclesiam fuit, ad Constantiense concilium usque, quod an. 1414. habitum est; sed quia in hoc concilio numerus Episcoporum unius Italiæ longe multumque reliquarum conjunctim omnium nationum Præsules superabat, statutum fuit, ut concilii patres distribuerentur in nationes omnino quinque, scilicet Italiæ, Galliæ, Germanicæ, Angliæ & Hispaniæ; negotia de quibus agendum esset, ex votorum pluralitate in unaquaque natione, & a Cardinalibus in eorum collegio ad trutinam revocata definirentur, tum vero deferrentur ad concilium in quo ex majore, in quaque natione, suffragiorum seu vocum numero decernerentur.

In Basileensi concilio quod an. 1431. celebratum fuit, in quatuor classes seu deputationes numero æquales divisi Præsules suere; prima nuncupabatur *deputatio Fidei*; *Pacis* altera; *Reformationis* tertia; *Negotiorum communium* quarta; suus cuique deputationi præses, suus promotor, officiarii sui erant; coibant seorsim singulæ, ter in hebdomada, superque negotiis deliberabant, quæ iisdem proponebantur. Cum deputationum una deliberaverat, sententia a qua major suffragiorum numerus steterat, ad reliquas tres deputationes deferebatur; &, siquidem ab omnibus, aut saltem tribus deputationibus approbata esset, in generalem congregationem referebatur, in qua Præses, concilii nomine, e suffragiorum quæ deputationes contulerant, majore numero concludebat; deinde vero conclusio hæc enuntiabatur in solemni sessione quæ in Basileensis urbis præcipua Ecclesia habebatur.

CAPUT XII.

De Conciliorum Confirmatione.

Trifariam sumitur, quoad concilia, *confirmationis* vocabulum; 1. pro assensu qui præbetur eorum canonibus, ac pro eorumdem, quæ fit, acceptione; 2. pro auctoritate quæ canonibus his tribuitur, ut proinde, absque hac veluti confirmatione, nullus iisdem effectus, nullum robur, nullus obligatoriæ legis character insistet; 3. pro eorum solemni acceptione quam Principes edunt, ut suis in ditionibus eos insigniant publicæ legis nota, & executioni mandandos curent.

Conciliorum confirmatio, prima significatione sumpta, nullam patitur difficultatem; reciproca erat ex duarum Orientis & Occidentis Ecclesiarum parte. Orientales Occidentalium, & Occidentales Orientalium concilia confirmabant, cum, utrinque, nihil habebant, quod reponerent. Pertinet id juris ad omnes Episcopos, quippe qui in causis spiritualibus universi & singuli judices sunt.

Eadem conciliorum confirmatio, accepta notione tertia, nihilo majoribus, cum bona fides locum habet, difficultatibus subesse potest. Primum omnium, certum est concilia solemni Principum confirmatione indigere, ut publicæ, civilis & coactivæ legis, etiam in rebus mere spiritalibus, characterem & vim obtineant, quia non nisi ad Principes pertinet afflictivas iis pœnas imponere, qui pertinaciter, in ipsis mere spiritalibus rebus, conciliis obsequi recusarent. Non est etiam minus certum concilia opus habere præterea confirmatione Principis, ut vim habeant in rebus mixtis, quæ partim scilicet spiritales, partim temporales, cumque Ecclesiæ externa politia & administratione conjunctæ sunt. Id in causa fuit, ut tam multa, seu generalia, seu particularia concilia, quemadmodum ex eorum actis quæ nobis supersunt, constat, suarum constitutionum confirmationem a Principibus peterent. Hac mente & hoc sensu Constantinus Magnus Nicæni, Theodosius itidem Magnus secundi generalis Constantinopolitani, Theodosius junior Ephesini, Marcianus Chalcedonensis, &c. conciliorum canones confirmarunt; idem Hispaniarum & Galliarum Reges quoad concilia in eorum regnis habita præstitere. Gontrandus confirmavit secundum Matisconense concilium; Clotarius II. Parisiense quintum; Carolus Magnus Francofurtense; concilia Remense, Turonense, Moguntinum, Arelatense & Cabillonense sua ad hunc Principem decreta miserunt, ut ea ipse probaret & publica fieri juberet. Haud aliter Ludovicus Pius pro Aquisgranensi, ejusque filii Lotharius & Ludovicus pro Parisiensi conciliis, &c. se gesserunt.

Possunt etiam Principes aliquid amplius quam conciliorum canones confirmare, quippe qui eo jure gaudent, ut, quoad Ecclesiæ externam politiam atque administrationem, sanctiones edant, ut innumera statuta, constitutiones & reformationes probant, quæ super hac re ex Imperatoribus & Regibus emanarunt; quod S. Augustinum impulit, ut sui tertii contra Crescenium libri *cap.* 51. diceret: *Reges, in quantum reges sunt, serviunt Deo, jubendo bona, & prohibendo mala, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad divinam religionem.*

Quod etiam attinet ad conciliorum canones qui super dogmate, cæterisque omnino spiritalibus rebus versantur, tamquam certum spectari debet iis inesse legis vim, quin a Principum confirmatione pendeant, quoniam Principes nec fidei nec cæterarum mere spiritalium rerum judices sunt, &, ex Dei ordine, hoc in capite Episcopis, qui soli sunt, per divinam institutionem, in hoc rerum genere judices, parere debent. Ob hanc prorsus causam dogmatica Tridentini concilii decreta obtinent in Gallia vim legis & constitutionis fidei, tametsi concilium hoc ibidem receptum non fuerit, aut publica in Senatibus, vulgo Parlamentis, auctoritate firmatum. Id ipsum perspicietur, & quidem fusius distinctiusque in Capite quod sequitur, ubi suus erit cæteris difficultatibus locus, quæ super conciliorum confirmatione proponi possunt.

CAPUT XIII.

De Conciliorum Auctoritate.

Expendemus in hoc Capite, 1. utrum conciliis legislativa, proprie dicta, an vero testimonialis & consultativa solum auctoritas sit; 2. undenam sua iisdem auctoritas; 3. an generalium conciliorum auctoritas sit omnis erroris expers, fallere & falli nescia, seu, quod ajunt, infallibilis; 4. quo demum generalium conciliorum infallibilitas referatur; 5. utrum concilia generalia suam infallibilitatem a Papæ confirmatione mutuentur, an vero ea gaudeant, quin ab ejusmodi confirmatione pendeant.

§. I.

De legislativa Conciliorum Auctoritate.

Sita est legislativa auctoritas in potestate judicandi, leges ferendi quæ obligent, & pœnas iis imponendi qui eas transgrediuntur. Pertinet hæc auctoritas ad concilia, non autem solum auctoritas consultativa, seu consilii, ut contendunt Protestantes, nec simplex auctoritas testimonialis, seu testimonii, quod alii nonnulli scriptores sibi in animum induxerunt. Ad neminem non convincendum, satis est levis attentio ad rationum momenta quæ nostram hanc sententiam firmant.

1. Auctoritas legislativa non minus necessaria est in ecclesiasticis cœtibus ad finienda super religione dissidia, quam in cœtibus secularibus ad finienda dissidia civilia; in utrisque, judicibus opus est quibus id juris sit, ut decidant, ut controversias dirimant, ut leges ferant, ut has ipsas executioni mandandas curent. Id ni fuerit, nulla tranquillitas, nulla pax omnino sperari poterit; nullus erit unquam disputationibus, dissensionibus, discordiis finis; in suo quisque sensu abundare poterit, & quicquid eidem libuerit, credere & facere, eum nulla firmum reddente regula, nullo fræno cohibente. Quam tandem Ecclesiæ, ejusque divini institutoris Christi Domini notionem afferret hæc perturbatio? Is minus sapiens, minusque perspicax, qui terrarum Imperia condiderunt, id facere ad Ecclesiam suam tranquillandam servandamque nescivisset, quod hi ad Imperiorum suorum pacem & incolumitatem fecerunt.

2. Suum Synagogæ juridicum tribunal erat ad exhaurienda religionis litigia; serva tamen & captiva erat Synagoga præ Ecclesia, quæ vera Filii Dei sponsa est. Non ergo minoribus hæc privilegiis donata fuit quam prima, quoad caput hoc. Quamobrem videmus eam,

usu

usu nunquam ab ipsius incunabulis intermisso, coegisse concilia, in iisque voluisse pastorum primos sedere tamquam judices totidem qui fidem, mores, disciplinam moderarentur, & quæcunque in ejus sinu prodiere, quoad religionem, dissidia tandem finirent per canones, statuta, decreta, leges, sanctiones, quibus omnes ad unum fideles se subdere debuerunt, secus anathema subituri, ac tamquam ethnici publicanique spectandi.

3. Protestantibus ipsis suæ sunt synodi quibus eamdem auctoritatem tribuunt, quam suis in conciliis Catholici agnoscunt & profitentur. Celebris eorum synodus Dordracensis excommunicationis sententiam, & depositionis pœnam pronuntiavit in Theologiæ professores qui synodalibus decretis se subdere noluerant.

4. Si Episcopi in concillis non nisi consultores ac testes sunt, nulla prorsus prærogativa gaudebunt non modo supra simplices presbyteros, verum etiam supra inferiores clericos, supraque laicos qui eos mente, judicio, scientia exæquantes aut etiam superantes; æque proinde meliusve quam ii, bona consilia dare, veritatesque testari poterunt, quas Ecclesia omnibus retro temporibus credidit. Nec magis Episcopi, in hac hypothesi, ullam pœnam pronuntiare, ullam constitutionem edere, ullam obligatoriam legem ferre; quod non minus absurdum quam contumeliosum est sapientiæ Christi Domini, fundatoris Ecclesiæ, qui eam sine ulla auctoritate, sine ullo subsidio, sine ullo adjumento quo se sustentaret, sibique obedientiam pareret, reliquisset. Episcopi ergo in conciliis non minus judices quam testes sunt, seu potius judices sunt, antequam testes sint; nec testes sunt, nisi quia judices fuere; cum enim fidei novos articulos minime condant, sed eos tantum declarent exponantque qui in sacris Litteris & in Traditione continentur; fieri omnino non potest, ut id præstent, quin antea judicaverint, quis sacræ Scripturæ, quis traditionis sensus sit, quoniam super hoc ipso sacræ Scripturæ ac Traditionis sensu in omnibus religionis controversiis disputatur, omnisque difficultatis vis in conciliis versatur. Ante igitur Episcopi judicarunt quam declararent ac testarentur; ergo judices sunt, antequam testes sint; nec testes sunt, nisi quia judices fuerunt, & quia præjudicarunt, ut deinde testari ac declarare possent. Quod si conciliorum judicia & præcipuorum Ecclesiæ Pastorum legislativa auctoritas non impediunt, quominus in Christianæ reipublicæ sinu tam multæ disputationes factæque sint; id oritur ex hominum perversitate, qui auctoritati obluctantur, non vero ex auctoritate ipsa quæ ad finienda dissidia, divisosque animos conciliandos, suapte natura, idoneo satisque firmo adjumento est. Longe major esset perturbatio, si nulla prorsus existeret in Ecclesiæ regimine juridica auctoritas, & privato cuique liberum esset non aliam suarum sententiarum regulam, quam suum ipsius spiritum sequi.

Abutuntur sacris Litteris Protestantes, cum ad statuendum, principii veluti loco, privatum spiritum, in religionis negotiis, sufficere, nobis obtrudunt; fidelium cuique, in hoc rerum genere, non nisi unum & unicum Magistrum, Doctorem, Legislatorem & Judicem in Christi Domini persona suppetere; non nisi ejus vocem audiendam esse, homineque nulla judicandi, mandandi, puniendi, sed solum docendi, monendi, hortandi, persuadendi potestate pollere. Verum id sane, modo ita accipiatur, ut Ecclesiæ Pastorum legislativæ potestati nihil officiat, at si aliter accipiatur, omnino falsum. Unus Magister, unus Doctor, unus Judex noster Legislator invisibilis & supremus est Christus Dominus; id veritati congruit, nec tamen impedit, quin in Ecclesia judices & legislatores visibiles, secundarii & ministeriales sint, quos Dominus ipse Christus instituit, qui nobis ejus nomine ejusque auctoritate loquuntur, quorum ipse vult nos vocem audire, doctrinam sequi, præcepta servare, secus ejus indignationem in omne tempus subituros: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

§. II.

Undenam legislativa Conciliis Auctoritas?

Contendunt Protestantes Christum Dominum Ecclesiæ regendæ legislativam potestatem Christianis Principibus populisque directe ac proxime contulisse, hos autem Episcopis & conciliis eamdem impertitos esse; ut eam proinde Episcopi & concilia mediate solum a Christo Domino, proxime vero a Christianis Principibus & populis teneant. Est hic contra eidem error, quæ Episcopos & concilia, in negotiis mere spiritalibus, suam potestatem legislativam proxime a Christo Domino, nulloque prorsus modo a Principibus populisve Christianis tenere docet.

Qui sacræ Scripturæ & Patrum textus divinam conciliorum & Episcoporum institutionem probant, iidem evincunt proxime a Christo Domino suam legislativam auctoritatem Concilia & Episcopos accepisse. Inutile fuerit ejusmodi textus repeti, super quibus nulla gravis difficultas confici potest.

Cæterum, si a Principibus populisque suam concilia auctoritatem tenerent, horum decreta ederentur eorum nomine, eorumdemque confirmatione indigerent, ut valida essent; liceret a conciliis ad Principes & ad populos appellare; tum Principes, tum populi eo jure gauderent, ut concilia ad trutinam revocarent, tamquam Judices, eademque abrogarent, siquidem iis videretur ita expedire; paradoxa sunt hæc prorsus absona & inaudita quæ Protestantes theorice non propugnare coguntur, & a quibus tamen in praxi recedunt. Eorum synodus nationalis, an. 1552. Aureliani habita, damnavit Joannis Morelii, Genevensis ministri, super Disciplina & Politia Christiana, Opus, in quo docebat minister hic ecclesiasticum regimen suam a populo auctoritatem mutuari.

Damnarunt iidem rursus, in alia synodo nationali, Parisiis an. 1565. celebrata, idem Opus utpote perversam & periculosam doctrinam continens; & auctorem anathemate perculerunt.

Suam ergo legislativam potestatem concilia solum a Christo Domino, minime vero a Principibus, a populis, ac ne a secundi quidem ordinis clericis tenent, quia episcopi e quibus ea essentialiter coalescunt, sunt, jure divino, soli fidei judices ordinarii, soli Apostolorum successores, soli gregis pastores primi, soli quibus supremus Pastor promisit se, sine intermissione, ad sæculorum consummationem usque, cum iisdem fore.

Neque vero quispiam dixerit Christum Dominum præcepisse, ut controversiæ ad totam Ecclesiam quæ e puris putisque fidelibus, ut ex Episcopis conflata est, perferrentur: *Dic Ecclesiæ;* aut concilia suam ipsorum confirmationem a Principibus petiisse, aut denique Episcopos, secundum canones, non posse quicquam facere, quin suos ipsi clericos consulant, & hos quidem non minus in conciliis, quam advocatos in foro, necessarios esse.

Per Ecclesiam ad quam Christus Dominus, *S. Matth. cap.* 18. nos mittit, intelligi debent Ecclesiæ ab eo institutæ judices ipsi, primique pastores quos statuit, ut eam regerent, & controversias finirent. Confirmationem quidem concilia a Principibus postularunt, sed solum, ut iidem efficacius eorum decreta servanda curarent, civilium ditionis legum charactere iisdem impresso, non autem ut iis tribuerent ecclesiasticarum legum vim quam semper habuere, quin a Principum confirmatione penderent, ut constat ex pœna excommunicationis, aliisque, mere spiritalibus, per ipsa tantum concilia in suorum decretorum violatores inflictis. Recte quidem sapienterque suum Episcopi clerum consulunt, ut plurimum, in alicujus momenti negotiis; est hæc complurium canonum sanctio; & præstantiorum Episcoporum sapientiæ plena, omnibus retro sæculis, agendi ratio. At Episcopos nunquam ab hac lege abstinere posse; semper, & in omnibus ecclesiasticorum negotiorum generibus esse necesse, suum ut ipsi clerum consulant; eosdem non solum ante concilia, sed in ipsis quoque conciliis, necessario debere simplicium presbyterorum sententiam sumere in quæstionibus super dogmate, moribus, disciplina, alioquin ei pœnæ subesse, ut eorum judicia nulla sint; hæ vero chimæræ sunt tam divinæ institutioni contrariæ, quam aptæ natæ perturbationem in Ecclesiam inducere. Demonstratum supra est episcopos, divino jure, solos fidei, aliarumque mere spiritalium rerum necessarios judices esse; simplices autem presbyteros, in ejusmodi negotiis, tantum utiles ex æquitate quadam, non sine Ecclesiæ venia, judices esse; denique Episcoporum judicia, independenter a presbyterorum suffragio, valida esse, quia solis Episcopis, tamquam primis pastoribus, facta est infallibilitatis absoluta promissio. In hac divina institutione, in Dei voluntate quæ nobis e sacra Scriptura, traditione, perpetuoque Ecclesiæ usu innotescit, non autem in humanis quibusdam rationibus aut comparationibus, jura ad ejusdem Ecclesiæ pastores spectantia quærenda sunt. Ex iis ipsis conciliis in quibus simplices presbyteri vocem deliberativam obtinuerunt, ne unum quidem in medium afferri poterit, quod eorum perinde atque Episcoporum suffragia necessaria esse contenderit, & a presbyteralibus suffragiis Episcopalium validitatem pendere voluerit; at contra proferentur innumera in quibus Episcopi

scopi, sine sui cleri sententia, judicarunt; ejusmodi sunt; 1. concilia quæ non ex regulis convocata, sed veluti fortuito, & occasione dedicationis Ecclesiæ, vel alterius eventi, cujus causa plures Episcopi convenerant, habita sunt; 2. concilia servatis quidem regulis indicta, sed quorum tamen convocationis litteræ negotia, de quibus in iisdem agendum erat, non indicabant; 3. concilia in quibus pertractata negotia ab iis alia de quibus in convocationis litteris sermo erat; 4. concilia quibus Episcopi procul a suis diœcesibus in exilium acti interfuerunt, aut quæ ipsi coegerunt; 5. concilia quæ habita sunt, variis temporibus, in urbe Roma, & ad quæ summi Pontifices vocabant Episcopos qui ex aliis aliisque terrarum orbis regionibus, in ea christiani nominis metropoli tunc temporis versabantur; sunt ex hoc genere, inter alia propemodum innumera, concilium Romanum, an. 430. sub Papa Cælestino I. contra Nestorium; Alexandrinum, an. 362. contra Arium; Arausicanum, an. 529. illud adeo insigne concilium in quo S. Cæsarius Arelatensis, aliique duodecim Episcopi qui ad Ecclesiæ dedicationem convenerant, quam Patricius Liberius, Galliarum præfectus, Arausione extruendam curaverat, eos tam celebres, super gratia & libero arbitrio, canones ediderunt qui, super his gravibus negotiis, Ecclesiæ fidem continent. Dixeritne quispiam nulla & invalida hæc omnia concilia esse, quia secundi ordinis clerus in iisdem consultus non fuit?

§. III.

De generalium Conciliorum Auctoritate.

Concilia particularia, quocumque tandem suffragantium numero constent, infallibilem tamen ipsa per se auctoritatem non obtinent, quia universam Ecclesiam non repræsentant. Hac auctoritate tum solum pollent, cum ea summi Pontifices & reliquæ Christiani Orbis Ecclesiæ confirmarunt & receperunt; ad illud usque tempus, haud latius patet eorum auctoritas quam Episcoporum jurisdictio, qui iisdem interfuerunt. Non ita de generalibus & œcumenicis conciliis sentiendum est; horum enim suprema, firma, certa, verbo, infallibilis auctoritas est, ob eam causam, quia universam Ecclesiam, quæ vi promissionum Christi Domini, infallibilis ipsa est, repræsentant.

Nemo nescit hunc divinum Servatorem, cum inibi esset, ut in cælum ascenderet, Apostolos suos misisse, ut evangelium per universum terrarum orbem prædicarent, certosque fecisse fore, ut ipse per omnem dierum cursum, ad sæculorum finem usque, cum iis esset: *Euntes, docete omnes gentes . . . . Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* (*Matth.* XXVIII.) Neminem quoque latet hanc infallibilitatis, vi perpetui subsidii Christi Domini, promissionem non ad Apostolos tantum spectare, verum etiam ad Episcopos eorum successores, tamquam Ecclesiam repræsentantes, &, quod inde consequitur, ad concilia generalia, ex Episcopis undique accitis collectisque conflata, quæque, hac de causa, universam Ecclesiam repræsentant.

Ita quidem Traditio semper intellexit laudata sacræ Scripturæ verba, ut e S. Athanasio, in Epistola ad Epictetum, S. Cælestino, in Epistola ad concilium Ephesinum, S. Augustino, *lib.* I. *contr. Donatist. cap.* 7. S. Leone, in 65. ad Theodoretum Epistola, S. Gregorio, in Epistola 24. *lib.* I. &c. liquido constat. Hi sancti Doctores credidere semper docueruntque, ut alii omnes Ecclesiæ Patres, Apostolorum collegium, & cœtum Ecclesiæ, cui suam Christus Dominus perpetuam opem promisit, per concilium generale repræsentari; generalis concilii judicium esse extremum judicium Ecclesiæ; judicium hoc esse supremum citraque appellationem, irretractabile, irreformabile; mortem potius subire oportere quam illud deserere; ei fideles omnes, tamquam fidei articulo, debere se subdere, eosque qui non eidem se subdunt, hæreticos esse. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere & venerare me fateor*, ajebat S. Gregorius Papa, in Epistola quam laudavimus. *Sequor Tractatum Nicæni concilii a quo me nec mors, nec gladius poterit separare*; S. Ambrosii verba sunt, in Epistola 32.

§. IV.

De Materie Infallibilitatis Conciliorum generalium.

Per materiem infallibilitatis conciliorum generalium, eas ipsas res intelligimus super quibus ea jus obtinent infallibiliter pronuntiandi; ac res hæ sunt quæstiones seu negotia quæ fidem, mores & disciplinam afficiunt.

Concilia generalia super his capitibus singulis falli omnino non possunt, hujus peremptoriæ rationis vi, quia eadem omnem, quam late patet, Ecclesiam exhibere nequeunt, quin ejus omni prorsus infallibilitate gaudeant, & quia Ecclesia in his tribus capitibus est infallibilis, hoc est, non potest Ecclesia proponere filiis suis nisi fidem sanam & veritati consentaneam; mores puros & ad sanctitatem compositos; disciplinam agendique externam rationem, quæ fidei, bonis moribus, divinæque legi respondeat; quoniam, si Ecclesia in his tribus capitibus, aut in eorum aliquo errare posset, ea, quicquid fidelibus ad salutem necessarium est, a Christo Domino non accepisset; eos per sua documenta, nedum salvos faceret, ac per salutis, justitiæ & veritatis tramitem tuto duceret, in errorem trahere & perdere posset; ac proinde non amplius esset basis & columna veritatis, nec sanctitatis, bonorum morum rectæque agendi rationis regula.

Ad alia rerum genera quod spectat, quæ fidelibus ad salutem necessariæ non sunt, concilia generalia, perinde atque Ecclesia quam repræsentant, infallibilitatis dono super ejusmodi rebus minime gaudent, ea ipsa de causa, quia parum eorum interest eo jure pollere, ut certo componant & firment hominum animos quoad capita quædam in quibus esse discordes, & aliter sentire possunt, quin detrimenti quicquam subeat eorumdem salus, qui unus & unicus scopus est quem Christus Dominus, Ecclesiam suam efformans, sibi proposuit, quemque sibi proponit Ecclesia ipsa in decretis quæ secundum divini sui Fundatoris mentem, potestatemque quam ab eo accepit, ad hominum salutem edit.

Inter capita ad salutem minime necessaria super quibus generalia concilia errare possunt, recensentur quæstiones mere philosophicæ, quæstiones mere scholasticæ, quæstiones juris humani tantum, facta non revelata, & generatim quicquid in sacris Litteris, aut in Traditione non continetur.

O B J E C T A.

Conciliorum generalium infallibilitati opponuntur hæc; 1. decretum generalis concilii Lugdunensis, an. 1245. quod Imperatorem Fridericum deposuit; 2. decretum aliud generalis concilii Lateranensis, an. 1215. quod Principum hæreseos fautorum subditos a præstito fidelitatis jurejurando absolutos declarat, eorumque terras acquisitioni Catholicorum exponit; 3. decreta Sessionum XIV. & XVII. concilii Constantiensis, in quibus declarantur excommunicati, suisque dignitatibus, seu ecclesiasticis, seu sæcularibus spoliati, quicunque concilii statuta violaverint, absque ulla distinctione vel exceptione Regum, Imperatorum, Principum, summorum Pontificum, Cardinalium, &c. 4. conciliorum decreta quæ disciplinam per præcedentia, tametsi generalia, concilia statutam mutarunt; 5. S. Augustini, in capite 3. libri II. contra Donatistas, testimonium quod est ejusmodi: *Ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento verum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*; 6. Græcæ Ecclesiæ a Latina separatio quæ efficit, ut, post hanc epocham, nullum œcumenicum & vere generale concilium in Latina Ecclesia celebrari possit.

Respondemus ad oppositionem primam, Fridericum Imperatorem non a generali Lugdunensi concilio, an. 1245. sed ab Innocentio Papa IV. coram concilio, depositum fuisse; ex quo factum, ut Papa hic non uteretur, ad hanc depositionem, formula, *Sacro approbante concilio*, ex consuetudine a summis Pontificibus tunc servata, sed hac: *Sacro præsente concilio*, coram concilio; quod probat Friderici depositionem opus fuisse solius Papæ Innocentii IV. non autem Lugdunensis concilii.

Ad oppositiones duas quæ sequuntur, cum Bossuetio & Fleurio, respondemus, conciliorum Lateranensis & Constantiensis decreta quæ temporales Potestates impetunt, edita fuisse ex condicto cum ipsis Potestatibus, Principum Oratoribus qui iisdem conciliis intererant, in id consentientibus suorum dominorum nomine, qui præjudiciis & erroribus temporis, quibus prava studia tum quidem in usu posita causam præbuerant, imbuti erant. Alia responsio quam memoratis decretis adhibet Bossuetius, ejusmodi est: (*Defens. Cler. Gall. Part.* II. *lib.* 8. *cap.* 10.) concilia quorum opus ea sunt, tamquam veram certamque posuisse falsam opinionem directæ vel indirectæ potestatis Eccle-

siæ in Regum temporalia, sed eam tamen nec expendisse, nec probasse, nec statuisse, ac ne minimam quidem cogitationem in iis fuisse, ut dogmatis vim eidem adderent. Satis hæc responsa superque sunt ad impediendum, ne qua consectatio ex quorumdam generalium conciliorum in Regum temporalia molitionibus contra eorumdem sanctorum cœtuum infallibilitatem trahatur. Iis exprobrari id unum potest, quod falsas opiniones quasdam pro veris habuerint, atque adeo in praxi, per facti vias, easdem secuta fuerint; at id eorum infallibilitati nocere non potest, cum id ipsis consilii non fuerit, ut eos errores, seu falsas opiniones, tamquam fidei articulos proponerent, & in dogmata erigerent, quia non nisi generalium conciliorum decisiones afficit infallibilitas quam Christus Dominus iisdem promisit. Potest ergo generale concilium falsam opinionem ut veram ponere; potest etiam re ipsa eamdem sequi, sive aliqua alia ratione quam per divisionem, auctoritatem tribuere, atque ita veritatem huic falsæ opinioni contrariam indirecte obscurare & infirmare, quæ in fidei tantum decisionibus, secundum promissa Christi Domini, est infallibile, ac dum falsam aliquam opinionem haud solemnem in modum decidit, promissæ subsistunt perinde ac veritas falsæ opinioni contraria, tametsi non sine aliqua obscuratione ac deliberatione. Non ita res haberet, si concilium falsam, aut quamvis aliam non revelatam opinionem decideret; tum vero infallibile esse desineret, certeque falleretur, id pro revelato & pro fidei capite prabens, quod ejusmodi non est; falsum, Dei nomine, testimonium ferret, id eum revelasse declarans, quod reapse non revelavit. Pro certo igitur habendum est, nec opposite concilia, nec eorum ullum quæ universim tamquam œcumenica suscipiuntur, Ecclesiæ directam vel indirectam in Regum temporalia potestatem aut definiisse, aut definire potuisse; quia Regum independentia, quoad caput hoc, est veritas certa cui in sacris Litteris ac Traditione, in utroque scilicet sacro revelationis deposito, inconcussa fundamenta suppetunt, quæque, quominus semper in Ecclesia doceretur, non obfuit obscuratio quam quibusdam sæculis eidem attulit temporum calamitas, quod probat Gallicæ nationis ejusque Theologorum reclamatio, cum Bonifacius VIII. decimo tertio labente sæculo, id sibi sumpsit, ut per Bullam quæ incipit, *Unam sanctam*, summorum Pontificum in Regum personam ac temporalia potestatem fulciret.

Mutationes quæ in disciplina contigerunt, quam generalia concilia statuerant, horum conciliorum, super disciplinæ capitibus, fallibilitatem non probant; Ecclesiasticæ solum disciplinæ mutabilitatem evincunt. Dicere, concilium generale super disciplina falli non posse, est dicere, nullum disciplinæ caput, in decisionis modum, ab eo statui posse, quod fidei, quod moribus, quod Dei legi, quod fidelium saluti repugnet; non inde tamen sequitur omne disciplinæ caput, a generali concilio statutum, esse immutabile. Econtra, disciplina, sua sponte natura, mutationi obnoxia est, quæ a temporum, locorum, personarum circumstantiis pendet, fierique potest, ut quod certo quodam tempore, certis quibusdam in locis, & quoad certas quasdam personas bonum est, aliis temporibus, aliis in locis, & quoad alias personas id esse desinat, aut perniciosum evadat. Disciplina ergo a generalibus conciliis statuta mutari potest; & quidem, non semel, mutationes plures, absque eorum infallibilitatis detrimento, passa est. Fieri quoque potest, ut disciplinæ caput e generali concilio statutum bonum sit ipsum per se, nihilque seu fidei, seu moribus contrarium contineat, quin omnibus Catholici nominis regionibus congruat, quibus id juris est, ut suas quæque veteres & legitimas consuetudines servent; ac ne id quidem generalium conciliorum, super disciplina, infallibilitati officit. Hinc fit, ut, quamvis Tridentinum concilium ut œcumenicum, & quod inde consequitur, ut infallibile per universam Ecclesiam receptum sit, illud tamen Gallia, super pluribus disciplinæ capitibus quæ nationis usibus & libertatibus adversantur, nec recipit, nec sequatur.

Duplex ratio præsto est, qua expliceatur allata S. Augustini sententia „ generalia nempe concilia e po„ sterioribus ejusdem generis conciliis emendari posse, „ cum id quod antea non innotescebat, opere tandem „ & animi contentione detegitur. “ Prima magisque communis explicatio est, S. Augustinum, eo loci, de iis tantum decretis loqui quæ versantur super quibusdam facti & disciplinæ capitibus quæ experientia detegi possunt, non autem de veritatibus revelatis quæ scilicet per experientiam non deteguntur.

Explicatio altera ejusmodi est, ibi S. Augustinum de decretis loqui quæ dogma spectant; vult enim ostendere in Opere toto e quo allatum testimonium depromptum est, Baptismi extra Ecclesiam collati validitatem quam tamquam dogmaticum caput certo spectabat. Quomodo ergo S. Doctor generalium conciliorum, super dogmate, infallibilitatem propugnare potest, eodemque tempore dicere concilia hæc, quoad dogma ipsum, e posterioribus conciliis corrigi posse? Hac sane ratione: cum ait Augustinus generale concilium a posteriore concilio, super dogmate, corrigi posse, non loquitur de generali concilio quod, post accuratam discussionem, solemnem in modum aliquod dogma deciderit, quoniam per ejusmodi decisionem omnibus disputationibus finem imponi profitetur, neminem non ei cedere debere, futurumque fuisse, ut eidem cederet Cyprianus ipse, siquidem aliquod ejusmodi concilium, contra atque ipse sentiebat, ejus statuisset. De generali concilio loquitur quod doctrinam haud ita ad veritatis regulas exactam traderet, quemadmodum S. Cyprianus, quæ ejus privatim sententia erat, eam suo in concilio tamquam opinionem quæ problematis loco esset, proponebat, quin alios juberet eamdem sequi, eosque damnaret qui abnuerent. Evidens porro est, generale concilium quod doctrinam quamlibet non aliter traderet, haud eam solemnem in modum decisurum esse, & a posteriore concilio corrigi posse, quod diligentius quæstionem expenderet, quin contra generalium conciliorum in dogmaticis quæstionibus infallibilitatem quicquam inferri posset, quia hæc generalium conciliorum infallibilitas non nisi solemnes eorum decisiones, ex maturi, satisque accurati examinis consecutionem, afficit.

Porro Græcæ Ecclesiæ e Latina separatio, nostra quidem sententia non impedit, quominus Latinæ Ecclesiæ concilia œcumenica sint, quandoquidem cum Christus Dominus S. Petri sedem, unitatis Ecclesiæ centrum statuerit, nemo se ab hac sede separare potest, quin se ab Ecclesia per schisma separet, ac se ab ea separans, jura & auctoritatem, quæ ibidem obtinebat, amittat, ut docent S. Cyprianus, in suo de Ecclesiæ Unitate Tractatu, S. Augustinus, *serm.* 253, & cæteri ad unum Patres.

§. V.

Mutuanturne generalia concilia suam infallibilitatem a Papæ confirmatione?

Hujus quæstionis solutio pendet ab alia, scilicet, utrum Papa generali concilio, totique ecclesiæ superior sit, an vero generale concilium, quod universam Ecclesiam repræsentat, sit Papæ superius. Si generale concilium est Papæ superius, clarum est suam illud infallibilitatem a papali confirmatione non mutuari, &, quin ab hac pendeat, eadem gaudere; jam vero generale concilium supra Papam esse, veritas est quam Gallicana Ecclesia acriter propugnat, quæque innumeris auctoritatibus invictisque rationibus nititur, & quam hoc loco, quam late patet, exponere, instituti nostri & officii est.

I.

Sacra Scriptura.

Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Ecclesiam). Matth. XVI.

Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Matth. XVIII.

Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3.

Non Petro, neque ejus successoribus dictum est, sed Ecclesiæ, ut in eam portæ inferi non prævalerent; ad Ecclesiam, non ad Petrum Christus Dominus supremam & peremptoriam sententiam subituros fideles mittit; veritatis columna & fulcrum Ecclesia nuncupatur; Petro igitur ejusque successoribus superior Ecclesia est.

At, inquiunt qui contra stant, Petrus Ecclesiæ fundamentum est, ex iis Christi Domini ad eum verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; jam vero non e domo fundamentum pendet, sed domus a fundamento.

Textum hunc Patres alii aliter explicant; eos Launojus, *Part.* V. *Epist.* 7. tribuit in classes omnino quatuor. Prima eorum est qui super S. Petro ædificatam Ecclesiam docent; & hi quidem septendecim numero sunt. Patrum est altera qui Ecclesiam super omnibus Apostolis extructam, & hos omnes ei fundamenti loco esse docent; & ab hac explicatione sunt Patres

octo.

octo. Eos complectitur classis tertia, qui, per petram, fidem intelligunt, cujus S. Petrus, e vestigio, professionem ediderat. Hujus tertiæ explicationis propugnatores recenset Launojus Patres quadraginta quatuor. In quarta eaque ultima classe sunt qui Christum Dominum ipsum eam petram esse contendunt super quam Ecclesia constructa est, hanc Patres sexdecim sententiam tuentur. Nec desunt e Patribus qui per petram intelligunt fideles homines singulos qui Christum Dominum confitentur, aliique qui putent fundamenti titulum, de quo hoc loco sermo est, Apostolorum personæ proprium & peculiarem esse, nec ad eorum successores migrasse. Apostoli, inquiunt, erant Ecclesiæ fundamenta, propterea quod ipsi Spiritus Sancti plenitudinem, & fidei perfectionem acceperant, ut omnium primi Evangelium nuntiarent, Ecclesiæque fundamenta jacerent; at id omne erat eorumdem proprium, iisque tantummodo conveniebat, quoniam non semper ædificii fundamenta jaciuntur. Apostoli ergo jecerunt Ecclesiæ fundamenta, eorumque successores super ejusmodi fundamentis semel jactis ædificarunt. Perspicuum est per has posteriores explicationes quinque nullam S. Petro prærogativam tribui, primamque tantum ei favere videri; verum ad animadversionum quæ sequuntur, lumen evanescit hæc ipsa favoris species. Animadversionum prima est, Patres qui priore significatione propositum sacræ Scripturæ textum accipiunt, paucos esse, si cum aliis Patribus qui eumdem aliter explicant, conferantur, nihilque proinde ex iisdem inferri posse, quod S. Petri superioritati, quam vocant, patrocinetur, ex ea regula apud Catholicos omnes recepta, a Tridentino concilio adoptata, insertaque a Pio IV. fidei professioni quam edere jubentur quicunque ad Ecclesiam redeunt, videlicet, „ Sacram Scripturam interpretandam non esse nisi ex „ unanimi Patrum consensu. “ Animadvertendum est, secundo loco, Patres qui Petrum ajunt Ecclesiæ fundamentum esse, eamdem Apostolis prærogativam tribuere. *At dicis*, inquit S. Hieronymus, *super Petrum fundatur Ecclesia; licet hoc ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesia fortitudo solidetur.* (*Lib. I. adversus Jovinian.*) In eamdem sententiam loquuntur S. Cyprianus, *Epist.* 27. Origenes, S. Basilius, S. Augustinus, &c. Nonne S. Paulus pronuntiat fideles esse *superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum?* An vero Apocalypseos cap. 21. versic. 14. non dicitur nova Jerusalem, nova scilicet Ecclesia, habere Apostolos duodecim, fundamenti loco? En verba ipsa: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni.* Apostolorum igitur quisque fundamentum Ecclesiæ est. Inferturne hinc Episcopos singulos qui Apostolorum successores sunt, supra ipsam Ecclesiam esse? Denique, quacunque demum ratione S. Petrus Ecclesiæ fundamentum sit, certum est ejus eum nec primum, nec essentiale fundamentum esse; id enim convenire Christo tantum Domino potest: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ergo S. Petrus non nisi secundarium, minus præcipuum, & ministeriale Ecclesiæ fundamentum esse potest, cujus ipse pars & membrum est; jam vero totum est parte majus, & corpus membrorum peculiariter cuique superius est; concilium igitur quod totum Ecclesiæ corpus exhibet, est Papa majus, eique superius; quoniam Papa nunquam nisi Ecclesiæ pars & membrum est.

II.

De Potestate clavium, Ecclesiæ concessa.

Per clavium potestatem, intelligitur non modo potestas remittendi & retinendi peccata, verum etiam ecclesiastica, quam late patet, jurisdictio, omnisque generatim auctoritas qua ad hominum spiritale regimen & salutem Ecclesia opus habet.

In clavium potestate veniunt distinguenda duo, proprietas & ministerium, seu usus, aut exercitatio. Quoniam vero potestas hæc non nisi per peculiares actus exerceri potest, compertum proinde fit hanc exercitationem proxime concessam Ecclesiæ non fuisse, quia Ecclesia perinde atque omnis alia societas, seu communitas, non quidem ipsa per se, sed solum per suos ministros, seu officiarios ejusmodi actus edere potest. Id ergo quæritur, utrum proprietas potestatis clavium, quoad substantiam, collata fuerit immediate Ecclesiæ, ut eam ipsa Papæ cæterisque ministris impertiretur, an vero tributa fuerit immediate Papæ, ut eam ipse Ecclesiæ ejusque ministris conferret. Si potestatis clavium proprietas collata fuit proxime Ecclesiæ, ut eam ipsa Papæ tribueret, Ecclesiam supra Papam esse certum est, quandoquidem persona quæ alicujus potestatis immediatam proprietatem habet, eamque alteri communicat, in eamdem personam, quoad caput hoc, superioritatem habere censetur. At si, contra, potestatis clavium proprietas tradita fuit immediate Papæ, ut eam ipse communicaret Ecclesiæ, Papa supra Ecclesiam est, seu superioritatem habet supra ipsam.

Distinguenda est etiam, in potestate clavium, potestas ordinis & potestas jurisdictionis.

Potestas ordinis est potestas radicalis conferendi Sacramenta, prædicandi Evangelium, ferendi leges ad Ecclesiæ spiritale regimen. Characteri sacerdotali & episcopali addicta est potestas hæc.

Potestas jurisdictionis est jus conferendi reapse Sacramenta, prædicandi reapse Evangelium, ferendi reapse leges & canones ad Ecclesiæ spiritale regimen. Hæc jurisdictio dividitur & ipsa bifariam, ut alia sit ordinaria, alia delegata.

Per ordinariam jurisdictionem intelligitur ea quæ est propria, permanens, utpote addicta & inhærens titulo vel officio; ejusmodi est jurisdictio Episcopi in sua diœcesi, aut Parochi in sua parœcia.

Delegata jurisdictio nuncupatur ea quæ tribuitur, titulo commissionis revocabilis ad nutum, a Superiore cui certi ejusdam territorii demandata est spiritalis administratio.

Hoc posito, certum imprimis est eos omnes qui ordinis potestate insigniti sunt, hanc proxime a Christo tenere, quoniam eam non possident nisi ordinationis vi, cujus auctor, institutor, præcipuus minister est Christus ipse, eaque essentialiter inhæret characteri quem ipsi in ordinatione suscipiunt. Hinc fit, ut quicunque hac ordinis potestate insigniti sunt, possint valide facere, ipsi per se, & Ecclesiæ prohibitione nihil obstante, quicquid, ut validum sit, non nisi hujus potestatis exercitationem postulat, seu licite sit seu illicite. Ita sacerdos, contra Ecclesiæ prohibitionem, valide consecrare potest.

Id igitur unum quæritur, Ecclesiane proprietatem, potestatem jurisdictionis e Christo Domino proxime acceperit, ut eadem reapse, seu per actualem exercitationem, utendi jura Papæ cæterisque ministris tribueret, an vero Papa ipse hac prærogativa gaudeat.

Ultramontani contendunt hanc ecclesiasticæ jurisdictionis potestatem traditam fuisse a Christo Domino proxime S. Petro qui eam, secundum omnem plenitudinem, ad Papam transmisit; ac proinde Papam unum & unicum eam possidere divino jure, ut ejusdem quos ipse voluerit, participes faciat; alios vero ministros eam ab ipso tenere, ejusque non nisi vicarios esse; eum posse, pro arbitratu, eorumdem facultates suspendere aut limitare, ejusque auctoritatem superiorem esse auctoritati Ecclesiæ, seu dispersa sit, seu in generali concilio congregata.

Asserunt, econtra, Galli potestatem hanc proxime Ecclesiæ concessam fuisse, Ecclesiæ, inquam, primum quidem per S. Petrum, deinde vero per reliquos Apostolos repræsentatæ; adeoque hujus potestatis omnem vim seu totalitatem residere in universitate pastorum qui, tamquam Apostolorum successores, hanc ipsam, ut ii, proxime a Deo tenent, propterea quod eorum muneribus succedentes, omnibus eorumdem juribus & privilegiis successerunt; & hæc ipsa eodem titulo eademque ratione possident. *Hæreditario jure Episcopi succedunt Apostolis, & cum ita succedunt, a Christo, ut Apostoli, potestatem jurisdictionis obtinent.* (*Nicolaus I.*) Hæc Gallicanæ Ecclesiæ sententia nititur unanimi, citra omnem exceptionem, Patrum consensu. Videri possunt S. Cyprianus, *De Unit. Eccles.* S. Ambrosius, *de Dignit. Sacerd. cap.* 2. S. Joannes Chrysostomus, *Homil.* 79. *in Matth.* S. Hieronymus, *Lib.* 1. *contr. Jovin.* S. Augustinus, *Lib. de Agone Christi, cap.* 30. & *Enarrat.* 2. *sup. Psalm.* 108. & *Tract.* 50. & 118. *in Joann.* S. Cyrillus Alexandrinus, *Lib.* 12. *in Joann.* S. Fulgentius, *Lib. de Fide ad Petrum, cap.* 30. Sanctus Gregorius Magnus, *Lib.* 6. *Exposit. in cap.* 16. *Lib.* 1. *Reg. cap.* 3. Beda, *in cap.* 19. & 21. *Matth.* &c.

Satis nobis hoc loco fuerit S. Augustini testimonium afferre, qui Enarratione in Psalmum 108. ita loquitur; *Quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit; sicuti est: Tibi dabo claves regni cælorum.* Addit S. Doctor (*Tract.* 124. *in Joann.*): *Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro;* en in Libro *de Agone Christi, cap.* 30. *Huic enim Ecclesiæ claves regni cælorum datæ*

sunt, cum Petro data sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Pasce oves meas. Ergo S. Petro, sed pro ut ipse totam Ecclesiam repræsentabat, id dictum est, seu toti potius Ecclesiæ, in Petri persona. Eadem quæ S. Augustini, omnium Patrum mens & sententia est; asserunt omnes S. Petro, tamquam symbolo unitatis Ecclesiæ universæ, claves promissas fuisse, & cæteros omnes Apostolos eas recepisse, unumquemque peculiariter, tamquam peculiarium Ecclesiarum symbolum, quas instituere debebant: *Claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ*, subdit Sanctus Augustinus, *Serm.* 295.

Claves igitur acceperunt Apostoli pro peculiaribus Ecclesiis quarum fundamenta posuerunt, iisdemque Ecclesiis proprie Christus Dominus eas tradidit, dum earum fundatoribus tradidit, quoniam non his tradidit nisi tamquam earum Ecclesiarum figuris, imaginibus, repræsentatoribus, & quidem pro ipsis Ecclesiis; quod ita Tostatus explicat: *Claves illæ datæ sunt a Christo toti Ecclesiæ. Quia tamen non poterat universa Ecclesia dispensare illas, cum non esset aliqua persona, eas Petro dedit nomine Ecclesiæ . . . . Hinc leviter apparet, quomodo, mortuo Petro, potest eligere successorem, & eligendo conferre eam potestatem. Hoc idem potest in communitatibus. Si enim aliqua communitas vel collegium est, ibi erit jurisdictio; & quia non potest administrari per universam societatem, administratur per unum de communitate. Non est tamen jurisdictio in illo ita, ut non sit in communitate; sed est magis in communitate; quia antequam ille constituatur in judicem vel rectorem, nullam habet jurisdictionem; illo mortuo vel cadente, non penitus expirat jurisdictio. Potest alius præfici in rectorem vel judicem, non tamen posset hoc fieri, si non remaneret jurisdictio in communitate. Ergo ipsa communitas habet magis jurisdictionem. Adhuc patet hoc; quia, sede vacante, Capitulum habet omnia quæ pertinent ad jurisdictionem Prælati, licet non ea quæ sunt ordinis; ergo videtur, quod jurisdictio illa radicalius erat in Ecclesia quam in Prælato.* (*In Cap. XV. Num. quæst.* 48.)

Nobis opponuntur hæc. 1. Claves traditæ fuere S. Petro, Ecclesiam repræsentanti, quemadmodum Rex suum ipsius regnum, suum dux exercitum, suam pater familiam, suam superior communitatem repræsentant; quod id probat tamquam certum, S. Petrum supra Ecclesiam superioritate gaudere. At hæc non est explicatio Patrum qui ajunt una voce claves S. Petro promissas fuisse, ut Pastorum & Ecclesiæ unitas commendaretur, non autem ut S. Petri supra Ecclesiam superioritas designaretur, seu potius claves non homini datas fuisse, sed unitati Ecclesiæ, quæ S. Augustini locutio est. *Claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ*; (*Serm.* 295.) ex quo fit, ut, quemadmodum P. Alexander animadvertit, omnes Theologi, post Magistrum Sententiarum, claves a Christo datas appellaverint Claves Ecclesiæ, non autem S. Petri: *Quia immediatius Ecclesiæ traditæ sunt quam Sancto Petro, illique commissæ tamquam Ecclesiæ personam gerenti.* (*Hist. Eccles. ad Sæc. XV. Dissert.* 8. *num.* 53.

2. Papa, pro ut successor est S. Petri cui suas oves suosque agnos pascendos Christus Dominus commendavit, pastor est totius fidelis gregis, videlicet totius Ecclesiæ, seu congregata sit, seu dispersa, seu suis in ministris spectetur, seu suis in membris inferioribus, qui laici sunt, consideretur; jam vero pastor suo ipsius gregi superior est; & pastoris est suum gregem regere, eique imperare, non autem gregis, suum pastorem regere, eique imperare. Falsa ratiocinatio! Hæ Christi Domini locutiones: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*, metaphoricæ loquendi rationes sunt, quæ nihil aliud significant, quam Christum Dominum S. Petro eam curam & sollicitudinem commisisse, ut per doctrinam, & institutionem, sancti verbi pane fideles aleret. Velle metaphoram hanc urgere, & contendere S. Petrum, quoad Ecclesiam, pastori, quoad gregem, & Ecclesiam, quoad S. Petrum, gregi, quoad pastorem, omnino similes esse, est aperte a ratione aberrare; est e gradu dejicere totum corpus Ecclesiæ, magisque peculiariter episcopale corpus, dum cum grege comparatur qui rationis est expers, aut qui sua saltem ratione uti non potest, nisi ut pastoris a quo tamquam supremo Domino ducitur, voci ad imperium compositæ cæcus obediat; est id reliquos omnes pastores cæcæ obedientiæ subdere, eosque redigere, ut in Ecclesia non nisi veluti quædam automata prodeant ii scilicet quibus pascendi gregis cura concredita est, ut S. Petro qui eos repræsentabat, cum sibi dictum audit: *Pasce oves meas*; ii quibus S. Petrus ipse commendat, ut voluntaria prorsus affectione, & non super Domini hæreditate dominentur, gregem sibi demandatum pascant; est denique in despoticum principem erigere præcipuum Ecclesiæ ministrum, primumque œconomum, primum dispensatorem bonorum ejusdem Ecclesiæ, contra Christi Domini exemplum expressumque jussum, qui venit, ut ipse ait, serviendi animo, non autem ut ei servitium exhiberetur, quique suis omnibus Apostolis, sine exceptione, mandavit, ut in sua ipsorum auctoritate, suoque regimine non nisi simplicitatis, suavitatis, sapientiæ, patientiæ, humilitatis, studii charitatisque specimina, amota quavis elationis, dominationis, imperii specie, exhiberent. Ita quidem omnes Episcopi faciunt pastorum titulo satis, cujus una cum Papa participes sunt, quique iis est cum ipso communis, ut omnes Ecclesiæ Patres testantur, præsertim vero S. Augustinus in hæc verba: *Et quidem, fratres, quod pastor est* (Christus), *dedit & membris suis; nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cæteri Apostoli pastores & boni episcopi.* (*Tract.* 47. *in Joann.*)

Idem omnino responsum iis dandum est qui Papam esse ajunt Ecclesiæ caput, patrem, sponsum, &c. Omnes hi tituli qui Papæ tribuuntur, quibusque, ratione habita, Episcopi quoque insigniuntur, quin eorum quispiam se Ecclesiæ superiorem esse contendat, id unum significant, inter dignitatem, officium, munia Papæ, Episcoporum, omnium generatim ministrorum hierarchorum Ecclesiæ, & dignitatem, officium, munia capitis communitatis, patris-familias, sponsi, &c. similitudinis aliquid interesse; sed hi tamen tituli perfectam absolutamque inter res quæ mutuo conferuntur, similitudinem exstare non significant. Non est igitur Papa naturale caput Ecclesiæ, cujusmodi est humani corporis caput; ejus ne morale quidem, essentiale, præcipuum caput est; ejusmodi caput est unus & unicus Christus Dominus; Papa nihil est aliud quam Ecclesiæ secundarium & ministeriale caput, primus minister, primum membrum semper a corpore pendens, quoniam, ut ait S. Hieronymus in hanc rem: *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe*, (*Can, Legimus, dist.* 63.) Unus etiam & unicus Christus Dominus est pater & sponsus essentialis Ecclesiæ, quemadmodum unus quoque ipse supremus ejusdem magister est. Non ea est Papæ in Ecclesiam auctoritas quæ patri in familiam; non ipse, sed Christus suo eam Sanguine genuit; ei sollicitudinem & amorem debet qui pater est, quin super ipsam paterna potestate polleat, quia nec familia nec Ecclesia ejus est, sed familia & Ecclesia Christi Domini cujus non nisi vicarius, œconomus & depositarius Papa est. Denique Papa non ita Ecclesiæ, ut sponsæ sponsus, conjunctus est, quia non unum idemque cum ea corpus efficit, & quia, seu per mortem, seu per divortium, ab eadem sejungi potest.

III.

Ad generalia Concilia confugiendi Consuetudo.

Quoties in Ecclesia, super dogmate ac disciplina, graves disputationes coortæ sunt, ad eas finiendas perfugium in generalibus conciliis quæsitum est, e summorum Pontificum ipsorum sententia, qui omnium primi petiere concilia quæ eorum judicia, cum opus esset, moderarentur aut reformarent. Estne necesse Apostolum eligi in Judæ locum, Diaconos institui, de legalibus cæremoniis quæstionem finiri? S. Petrus fratres cogit, qui nihil non unanimi consensu decidunt. Cum S. Athanasius ad Julium Papam scribit, Papa hic, datis in Orientem litteris, monet, tametsi eam ipse causam cum Italiæ Episcopis judicaverit, nihilominus novum concilium quod Sardicense fuit, cogi oportere ad eam quæstionem, sententiamque quam ipse pronuntiaverat, expendendam.

Papa Liberius ab Imperatore Constantio petiit & ipse concilium aliud quod eamdem causam ad trutinam revocaret. Papa Damasus & Occidentis Episcopi a Theodosio Imperatore generale concilium postularunt, in quo Orientis negotia ad exitum perducerentur. Innocentius I. concilium petiit in quo S. Joannis Chrysostomi causa decideretur.

Eutycheo per Epistolam dogmaticam damnaverat S. Leo, quem tamen id non impedit, quominus ab Imperatore Theodosio generale concilium exposceret, quod ejus judicium expenderet. Concilium hoc Ephesi habitum fuit, suosque S. Leo ad illud legatos misit.

Papa Vigilius, trium Capitulorum damnationi subscribere recusavit; & promisit fore, ut generalis concilii decisioni se dederet; eique reapse se dedidit, contra atque ipse sentiebat.

Innocentius III. Philippo Augusto, divortii cum conjuge facultatem petenti respondit in hæc verba; *Si super hoc absque generalis deliberatione concilii determina-*

mina·

minuere aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret. (*Lib.* 3. *reg.* 15. *Epist.* 104.)

Id etiam probat generale concilium supra Papam esse, quod a Papa ad concilium generale, non autem a generali concilio ad Papam appellatio institui consuevit; neque enim a superiore ad inferiorem, sed ab inferiore ad superiorem interponitur appellatio. Nobis satis fuerit exempla in hanc rem duo quæ in Ecclesiæ Historia insignia sunt, in medium offerre.

Primum est negotium celebrationis Paschatis. Dum Asiaticorum consuetudo, quoad celebrandi Paschatis diem, non nisi Papæ Victoris & Romanæ Ecclesiæ judicio damnata fuit, nec tamquam hæretici, nec tamquam schismatici fuere qui eam propugnabant, at statim ac Nicænum primum generale concilium decrevit, ut Pascha, die Dominica, celebraretur, schismatici haberi cœpti sunt quicunque ad ejus decretum se conformare renuerent.

S. Cypriani cum Papa S. Stephano disputatio exemplum alterum nobis suppeditat. Sanctus hic Papa, contra S. Cypriani sententiam, judicaverat ab hæreticis collatum Baptisma validum esse; hac tamen decisione nihil obstante, S. Cyprianus sententiam suam propugnare potuit, & reapse propugnavit, quin esset hæreticus, quoad quæstio, per generalis concilii decisionem, peremptorio judicio, finiretur.

§. IV.

Summorum Pontificum in id consensio.

Summorum Pontificum plures, doctrinæ & virtutum laude præcipui ingenue fassi sunt generalium conciliorum canonibus se subesse, nec posse se ab iis dispensare nisi in iis casibus in quibus concilia ab iisdem ipsa canonibus dispensassent.

Nos omnia secundum canonem facimus. Jul. I. *Epist. ad Orient.*

Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, qui canonum præcepta servamus. Cælestinus I. *Epist. ad Illyricos Episcopos.*

Nimis improba, nimis sunt prava quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria.... Absit a conscientia mea, ut tam prava cupiditas studiis meis adjuvetur.... Sancti illi & venerabiles Patres qui in urbe Nicæna sacrilego Ario cum sua impietate damnato mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; & si quid usquam aliter quam illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassetur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur. S. Leo I. *Epist.* 53. nunc 80. *ad Anatolium.*

Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum quod universa Ecclesia probavit assensus, non aliam magis exequi sedem oportere quam primam. Gelasius I. *Epist. ad Episcopos Dardaniæ.*

Necesse nobis est, quicquid synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire. Agapetus, *Epist. ad Cæsarium Arelat.*

Solet sancta & apostolica Sedes, pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus a concordia canonicæ traditionis discedere. Gregorius VII. *Lib.* 2. *Epist.* 5.

Contra Deum & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum. Eugenius III. *Epist.* 8.

Videri etiam possunt Papa Zosimus, in Epistola *ad Episcopos Galliæ*, Innocentius I. *Epist. ad Victric. Rothom.* Simplicius, *Epist. ad Acacium*, Symmachus, *Epist. ad Concil. Arelat.* Martinus I. *Epist.* 5. *ad Joann. Philadelph. Episcopum*, Zacharias, *Epist.* 1. *ad Bonifac.*

§. V.

Generalium Conciliorum definitiones & facta.

Generalia concilia definiere se posse judicare, damnare & deponere summos ipsos Pontifices, eosque re ipsa judicarunt, damnarunt & deposuerunt.

1. Concilium Pisanum quod an. 1409. habitum est, omnium Christianorum Principum jussu, decretum edidit quod generalis concilii supra Papam superioritatem statuit, supremo Pontificatu Benedictum XIII. & Gregorium XII. deposuit, ut Alexandrum V. in eorum locum sufficeret.

2. Constantiense Concilium, an. 1414. celebratum declaravit concilium Papæ superius, & in locum Joannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Martinum V. elegit.

3. Concilium Basileense, coactum an. 1431. confirmavit & renovavit quartæ & quintæ Constantiensis Concilii Sessionum decreta duo quorum unum declarat generale concilium tenere potestatem suam proxime a Christo Domino, & Papam ipsum ei parere debere, quod attinet ad fidem, ad schismatis extirpationem, & ad Ecclesiæ in capite & in membris reformationem; alterum vero declarat acriter puniendum esse, quicunque non paret Constantiensis, aut alterius cujusque concilii decretis, etiamsi Papa esset.

Difficultatum solutio, quæ contra hæc tria concilia proponuntur, iis in locis occurret, in quibus eadem in analysi collocantur.

§. VI.

Universitatum & Theologorum Sententia.

Universitas Parisiensis, adeo inter cæteras omnes celebris, quamque summi Pontifices, nullo non tempore, laudibus cumularunt, semper concilii generalis supra Papam superioritatem, tamquam unum e capitibus quæ ecclesiasticæ disciplinæ fundamento sunt, propugnavit. Ea solemnem in modum, an. 1303. declaravit se appellationi adhærere quam Philippus Pulcher, Galliæ Rex a Bonifacio Papa VIII. ad generale concilium interposuerat. An. 1429. Sarrasinum adegit, ut propositionem assereret ex diametro huic oppositam quam ipse protulerat: *Quandocunque in aliquo concilio generali aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis in solo residet summo Pontifice; omnes aliæ potestates de jure nihil possunt contra summum Pontificem.* An. 1491. appellavit ipsa a Papa Innocentio VIII. ad generale concilium, super Ecclesiæ & Ecclesiasticorum libertate. Eamdem doctrinam confirmavit an. 1663. cum, Ludovico Rege XIV. requirente, suam ut sententiam super quibusdam articulis diceret, pronuntiavit ad articulum quintum, haud se docere. Papam supra œcumenicum concilium esse. Ad extremum, die 26. Maji sequentis an. 1664. Librum damnavit Jacobi Vernantii, qui, inter alia, asserebat Ecclesiam in generali concilio congregatam, proxime a Deo jurisdictionem & auctoritatem suam non tenere.

2. Viennensis, in Austria, Universitas, ab Imperii Electoribus interrogata, an concilium Basileense deponendi Papæ Eugenii IV. & successoris eidem dandi plena potestate gauderet, respondit in hæc verba: *Spiritus Sanctus per organum sacri concilii Constantiensis declaravit aperte, talem potestatem habere Ecclesiam & Concilium eam repræsentans, super omnem hominem, etiamsi Papalis existat dignitatis.*

3. Erfordiensis in Germania Universitas, in Tractatu quem super Unione & Neutralitate Principum Electorum edidit, ita loquitur: *Generale concilium subsistens & firmum, majus & superius est Papa in his quæ pertinent ad fidem, schismatum extirpationem, & generalem morum reformationem. Nullus Catholicus intelligere volens potest dubitare.* Idem docet Universitas Coloniensis in suo de Concilii & Papæ Potestate Tractatu quem ad Theodoricum, Coloniensem Archiepiscopum, misit; idem Cracoviensis in suo de sanctorum Conciliorum Auctoritate Tractatu, an. 1441. ad Ladislaum, Poloniæ & Hungariæ Regem misso; & Lovaniensis, ut in Basileensis Concilii Historia memoriæ proditur, quam Æneas Sylvius contexuit.

4. Universitatibus addi possunt celebres Theologi bene multi, cujusmodi sunt Dionysius Chartusianus, *Lib.* I. *De Auctoritate Papæ & generalis Concilii, art.* 1. Alfonsus Tostatus, II. *Parte Defensorii, cap.* 49. & in *cap.* 15. *Numerorum, quæst.* 48. & in *cap.* 18. *Matth. quæst.* 108. Joannes Eckius, *Lib.* III. *De primatu Petri, cap.* 1. Joannes Driedo, *Lib.* IV. *De Dogmat. cap.* 4. Thomas Illyricus, *in Clypeo Papali*, Papæ Adriano VI. nuncupato, qui in 4. *Sentent.* eamdem doctrinam tradit, Maldonatus, *ad cap.* 18. *Matth.* Joannes Gersonius, & Jacobus Almanius, in suis Tractatibus, *De Potestate Ecclesiæ*, &c.

§. VII.

Jus Canonicum & Glossa.

Canon, *Si Papa, distinct.* 40. hæc habet: *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, &c..... hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos judicaturus, a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.* Glossa subdit; *Nec valet corrigi*; deinde quærit; *Quare Papa non potest accusari de alio crimine quam de hæresi?* Repondetque:

detqua: *Certe credo, quod si notorium est ejus quodcunque crimen, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari; nam contumacia dicitur hæresis, & contumax dicitur infidelis.*

Ergo ex Jure canonico existit in Ecclesia tribunal supra Papam positum in quo ipse judicetur, cum est hæreticus, & ex Glossa quidem, quoties criminum reus corrigi nollet, & scandalo esset.

Neque vero quispiam dixerit canonem, *si Papa*, cohærere non posse cum canone, *Nemo judicabit primam sedem . . . . neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque Regibus, neque a Populo judex judicabitur*, *caus.* 9. *quæst.* 13. Haud inter se pugnant hi canones duo, quia cum canon *Nemo* Papam ait *ab omni Clero* judicari non posse, id sibi vult Papam a nullo peculiari clero, & ne a Romano quidem judicari posse, at non negat eumdem posse ab universæ Ecclesiæ clero, qui in œcumenicum concilium coiverit, judicari.

§. VIII.

Rationes Theologicæ.

1. Dogmata ad fidem moresque spectantia non uni S. Petro ejusque Successoribus tantum, sed universæ Ecclesiæ tradita fuere. Est ergo non unius Papæ, sed universæ Ecclesiæ, præ Papa, nos docere, quæ sint ea dogmata quæ ipsa accepit e Christo Domino, siquidem totum suæ parti præferri debet, eademque superius est.

2. Dogmata concredita Ecclesiæ a Christo Domino, ejusdem sponso, novi fidei articuli, novæ revelationes non sunt, sed æternæ veritates, quæ tamen necesse habent proponi fidelibus ab Ecclesia, tamquam veritates quas ipsa reapse accepit e Christo Domino, ut eas hi credere debeant tamquam fidei articulos, Ecclesiæ, ab ipsius incunabulis, revelatos. Cum Ecclesia caput aliquod controversum fidei esse decidit, haud ea quidem novum fidei articulum creat, nec magis novam revelationem recipit; declarat solummodo caput illud esse veritatum unam quæ ei revelatæ fuere, idemque deinceps a Christifidelibus, tamquam veritatem & articulum fidei quam profitentur, credi oportere; jam vero ad hanc declarationem edendam, dignoscendumque, an controversum caput in sacro revelatarum veritatum deposito contineatur, expendendæ sunt & discutiendæ sacræ Litteræ & traditio, consulendæ peculiares Ecclesiæ, longe lateque per orbem diffusæ, ut intelligatur, quid eædem super hoc capite semper crediderint, ne tamquam fidei tradatur articulus nisi quod semper, & ubique & ab omnibus creditum fuit, secundum eam Vincentii Lirinensis immutabilem regulam: *Quod semper, & ubique, & ab omnibus creditum est*, &c. Jam quis non videt, generale concilium ad quod Episcopi ex omnibus Christiani Orbis partibus convenientes, suarum quisque Ecclesiarum fidem ac traditionem afferunt, multo tutius certiusque ad revelatarum veritatum notitiam perventurum, quam solare Papa posset, &, quod inde consequitur, illud, ad hanc rem quod attinet, huic præstare?

3. Eadem ratio in œcumenici concilii favorem, præ Papa, militat, quoad disciplinæ capita, quandoquidem certum est omnium Christiani orbis partium Episcopos melius nosse quam Papam unum, quæ disciplina universim Ecclesiæ congruat.

4. Si concilium œcumenicum non esset Papa superius, necessaria rerum consecutione fieret nullum adjumentum Ecclesiæ præsto esse, quo Papam hæreticum, corruptum depravatumque ad scandalum, contumacem, correctionis impatiens, atque similes nequam homines quos in suum patrocinium reciperet, tandem aliquando reprimeret compesceretque. Qui ergo, tum quidem, Christi Domini erga Ecclesiam suam amor, quæ fides esset, qui eam scilicet ad graviora discrimina redactam sine subsidio relinqueret?

Hæ rationes aliis omnibus momentis additæ quæ hactenus in medium attulimus, invicte probant generale concilium supra Papam esse, suamque proinde infallibilitatem a Papæ confirmatione non mutuari, sed tenere proxime a Christo Domino, promissionum vi quibus illud certum reddidit se cum eo semper futurum, eique per suum Sanctum Spiritum præsto fore, ut impediret, ne falleretur, & ut ab eo omnem omnino, in fide, moribus, disciplina, errorem everteret. Generalium igitur conciliorum confirmatio quam summi Pontifices edunt, eos supra ipsa esse non probat; jus id est quod ad omnes Episcopos, tamquam fidei judices, & testes, pertinet, quodque ipsum per se nullam superioritatem inducit, quia Episcopi, conciliorum decreta confirmantes nihil aliud agunt, quam declarant in iis agnoscere se fidem quæ semper in Ecclesia tradita fuit, eam se sacræ Scripturæ, traditioni, communi prædicationi consonam judicare, eam se probare, amplecti, eique se subdere. Ergo concilium confirmare, nihil aliud significat quam illud approbare, acceptare, suumque ei assensum præbere; ejusmodi est quæ animo residere debet, locutionis, *confirmatio concilii*, sola & vera notio, quoad Papam, perinde atque ad Episcopos cæteros. Mittebantur ad Papam generalium conciliorum decreta, ut ea probaret, non tamquam eorumdem decretorum superior, sed tamquam in ipse se subdens, ut toti Ecclesiæ a qua edita fuerant, communione se jungeret. Ejus igitur approbatio nihil aliud erat quam acceptatio ei similis quæ ex absentibus Episcopis petebatur, quæque nuncupata est *confirmatio*, quia cum omnes Episcopi non nisi per judicium concilia acceptarent, absentium Episcoporum subscriptionibus *confirmationum* nomen tributum fuit. Quamobrem summus Pontifex S. Martinus I. Lateranensis concilii acta, ann. 649. in Monotelitas edita ad Galliæ Episcopos mittens, eos rogat, ut illius concilii decisionem confirment: „ hæc acta, „ inquit, una cum vestris subscriptionibus ad vos „ remittite . . . „ *consentientes & confirmantes.* (*Epist. ad Amand. Traject.*) Id omnino significat vox *confirmatio*, nihil præterea; quod eo fit verius, quod plurima occurrunt particularia concilia, a summis Pontificibus confirmata, quæ ab aliis conciliis aut revisa & approbata, aut revisa & correcta fuere; quod contingere non potuisset, si creditum esset antiquitus, per Papæ confirmationem, concilio infallibilitatis sigillum, ut ita dicam, impressum fuisse. Papa Melchiades in concilio ann. 313. Romæ habito Donatistas damnaverat; nec minus tamen eorumdem causa in plenario concilio de quo S. Augustinus loquitur, revisa fuit. Innocentius I. & Zosimus approbaverant Carthaginensia contra Pelagianos concilia, quorum tamen causa in Ephesino tantum concilio ad quod Papa Cælestinus omnia ejus litigii acta misit, finita fuit. Papa Liberius concilia confirmavit, quæ S. Athanasium damnaverant, & Sirmiensium formularum eas ediderant, quibus hic Papa subscripsit; haud proinde tamen magis orthodoxa sunt concilia hæc.

O P P O S I T I O N E S.

I. Oppositio. Lectæ fuere, in Chalcedonensis concilii sessione tertia, Litteræ plures ad idem concilium missæ, at in quibus S. Leonis Papæ nomen ante concilii nomen legitur: *Sanctissimo & beatissimo universali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sancto universali concilio congregato in Chalcedonensi civitate.* Chalcedonense concilium harum Litterarum inscriptioni non reclamavit; quod argumento est illud agnovisse Papam supra ipsum esse.

Responsio. Litterarum inscriptio quæ Papæ nomen præponit generalis concilii nomini, id unum probat Papam esse primum ac præcipuum concilii membrum, minime vero superiorem eodem esse. Cum ad societatem scribitur, aut societas ad quempiam scribit, harum Litterarum fronti nomen capitis societatis inscribitur, causâ exempli, nomen rectoris universitatis, aut decani facultatis, capituli, quin inde tamen rectoris supra totam universitatem, æque ac decani supra facultatem, vel supra capitulum eminentia, seu superioritas inferri possit. Cæterum, si quid evinceret ratio hæc, sane potius evinceret Ecclesiam Papæ, quam Ecclesiæ Papam præstare, cum Ecclesiæ nomen in Litaniis, in Canone Missæ, & cæteris Ecclesiæ publicis precibus ante Papæ nomen occurrat.

II. Oppositio. In eodem Chalcedonensi concilio legitur Dioscori damnatio, quam S. Leonis Papæ, licet absentis nomine, Paschasinus ejusdem legatus ediderat, non sine concilii approbatione, in hæc verba: *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro apostolo qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioscorum) *tam episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Porro animadversione dignum est, S. Leonis Papæ legatum non nisi, postquam a concilio rogatus fuerat, hanc in Dioscorum sententiam pronuntiasse. Constat ergo concilium agnovisse Papam majore quam ipsum, & primaque auctoritate pollere; alioquin non eum rogasset, ut sententiam ferret, sed ipsum potius eamdem tulisset; vel, ut summum, Papam rogasset, ut eam ferret concilii nomine. Idem de pluribus aliis conciliis generalibus dici potest, quæ

haud

haud ægre tulerunt, Papæ, non conciliorum nomine, sua ipsorum decreta vulgari.

Responsio. Ex agendi ratione quam Chalcedonense concilium & alia inierunt, id unum quod Papæ faveat, inferri potest id ei juris esse, ut generalibus conciliis præsit, ibidem negotia proponat, opinetur primus, eorumdem decreta pronuntiet, indicatque suo nomine, tamquam caput & præses, non autem tamquam superior conciliorum quorum non nisi primum membrum est, ea prorsus ratione qua senatus, seu parlamenti primus præses solummodo primum membrum, non autem superior sui corporis est, quamvis eo jure gaudeat, ut ei præsit, negotia proponat de quibus illud deliberare debet, judicia pronuntiet, ejusque sanctiones edicat. Cæterum, Papa toti Ecclesiæ, seu congregatæ, seu dispersæ, auctoritate, inferior est; ut enim monet S. Hieronymus, major est totius mundi quam peculiaris urbis auctoritas; & Christus quidem Dominus Ecclesiæ universitati atque unitati supremam auctoritatem tribuit cui summus ipse Pontifex subest, ut ejusdem divini Servatoris ea verba probant, quibus S. Petrum ad Ecclesiæ tribunal mittit, tamquam ad omnium supremum, ultra quod nullum amplius existit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum . . . . Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos . . . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* (*Matth. XVIII. 15.*)

III. Oppositio. Romanum concilium, ann. 504. Ecclesiam regente Papa Symmacho, celebratum, hanc diaconi Ennodii doctrinam probavit: *Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminari, Sedis istius Præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores cœlo tantum debere innocentiam.*

Lateranense concilium, ann. 1179. XI. generale, sub Papa Alexandro III. ad Papæ quam aliorum Episcoporum electionem plus circumspectionis afferri vult, quia, cum de Romana Ecclesia agitur, ad superiorem esse non potest perfugio locus: *Quoad Romanam Ecclesiam, non poterit ad superiorem haberi recursus.* Papæ ergo tribunal, tamquam supremum, & generalis concilii tribunali superius hæc duo concilia spectarunt.

Responsio. Romanum concilium non approbavit in omnibus & singulis partibus diaconi Ennodii Apologeticum in quo allata verba leguntur; si enim ita res haberet, dicendum esset concilium etiam sanctitatem & impeccabilitatem summis omnibus Pontificibus tribuisse, secundum hæc alia ejusdem Operis verba: *Ille* (beatus Petrus) *perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros . . . . . Quis enim sanctum esse dubitet quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur, Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.* Cæterum, hoc loco non nisi de particulari concilio agitur, quod, ut summum, declarat Papam ab alio particulari concilio super moribus judicari non posse, et de generali concilio non idem asserit; quod enim ad fidem attinet, fatetur concilium Papam Ecclesiæ subesse: *Est a multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum, ut oves quæ pastori sua commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, præsumant.* Lateranense porro concilium non aliud sibi vult, quam plus circumspectionis ad Papæ quam Episcoporum electionem requiri, quia peculiaribus Ecclesiis quæ Episcopum eligunt, semper præsto est superior existens qui, si quod in electionem irrepserit, vitium corrigere possit: cum, quoad Romanam Ecclesiam, nullus adsit superior, semper existens ad quem prompte & facile confugi possit, quoniam generale concilium, etsi vere Papæ superius, ægre solum ac non sine magno temporis dispendio cogi potest.

IV. Oppositio. Aliud Lateranense concilium, ann. 1513. sub Papa Leone X constitutionem edidit qua Papam omnibus conciliis superiorem declaravit, & contrarium Basileensis concilii decretum abrogavit.

Responsio. Lateranense concilium hoc œcumenicum non habetur; ab eo Parlamentum & Universitas Parisiensis appellarunt, nationis nomine. Eodem accedit Papam Leonem X suam ut sententiam firmet falsis monumentis, & perperam acceptis auctoritatibus uti, Alexandrina Synodus & Litteræ quas ad Papam Felicem ab hac synodo scriptas ait, in causa S. Athanasii, nunquam, Baronio ipso fatente, extiterunt, Ephesinum concilium a S. Leone Chalcedonem translatum esse absque ullo fundamento pronuntiat, Ephesinum concilium, ann. 431. sine translatione absolutum fuit, & Chalcedonense convocatum fuit ab Imperatore Martiano, ann. 451. Nec magis feliciter Leo X, a sacræ Scripturæ & Patrum auctoritate sibi præsidium quærit.

V. Oppositio. Romanorum Pontificum plures supra generalia concilia superioritatem ipsi sibi tribuerunt. Id ad Rufum Thessalonicensem ita scribit Bonifacius I. *Talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra suam conscientiam minime debuisse; deinde de nostro non esse judicio retractandum; nunquam enim licuit, de eo rursus quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari*, Lucas Holstenius, in *Collect. Synodor. Rom. num. 8.*

Non minus vehementer suam mentem aperiunt Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, Nicolaus I. in Epistola 8. ad Michaelem Imperatorem, & Paschalis II. in sua ad Poloniæ Archiepiscopum, cujus quidem postremi hæc verba sunt: *Ajunt in conciliis statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem concilia ulla præfixerint; cum omnia concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani patenter auctoritas excipiatur.*

Responsio. Papa Bonifacius, in ea Epistola, de Episcopis tantum loquitur qui peculiari titulo Romanæ Ecclesiæ jurisdictioni suberant, cujusmodi erant Illyriæ occidentalis Episcopi ad quos certe non pertinebat Apostolicæ sedis judiciis vel leviter derogare. Nec magis de generali concilio Gelasius, sed de peculiaribus Episcopis loquitur, cum eos non posse asserit primæ sedis judicium retractare, & universe ab hac sede ad alias appellari non posse. Nicolaus I. in eamdem sententiam loquitur, & Paschalis II. id unum significat concilia non ita summorum Pontificum manus ligare, ut iidem de canonum quos ea condidere, summo jure quicquam remittere omnino non possint, cum ita expedierit; sed ea potius a Romana Ecclesia vim suam mutuari, ita scilicet, ut Romani Pontifices aut ea convocaverint, aut eorum convocationi consenserint, aut eorumdem decreta probaverint, aut publicaverint, & ad eorumdem executionem incubuerint, peculiari quadam ratione, quæ nempe universæ Ecclesiæ clavibus congruit. Cæterum, Romanorum Pontificum qui se generalibus conciliis præferre videntur, testimonia, nullam licet explicationem paterentur, suum omne robur amittunt cum iis collata qui contra sentiunt, non modo quia hi posteriores & numero plures & apertiores sunt, sed etiam quia longe majoris sunt ponderis, dignique quorum major ratio habeatur, ob eam causam, quia, ut sibi quispiam supra cæteros jura & prærogativas tribuat, eum satis est sui studio trahi, quod ex omnium hominum natura est; contra vero, ut eadem quispiam aliis in sui detrimentum adscribat, a se ipso magnopere abductus, & veritati additus, quod æque difficile ac parum commune est.

V. Oppositio. Frequentia concilia, cujusmodi fuere Ariminense, ann. 359. Ephesinum, ann. 449. Constantinopolitanum, ann. 758. quod e trecentis triginta octo Episcopis conflatum erat, sibique universalis concilii titulum tribuebat, hæc, inquam, concilia errarunt, & e summis Pontificibus reformata fuerunt.

Responsio. Concilia quæ errarunt, quæque a Romanis Pontificibus reformata fuerunt, non erant generalia, saltem celebratione extremaque, tametsi convocatione quidem ejusmodi esse potuerint, ut infra explicabimus; ac proinde ratio a summis Pontificibus iniita, qui ea reformarunt, nullaque & irrita declararunt, eos supra generalia concilia eminere non probat.

VII. Oppositio. Quicquid generalia concilia spectat, in postrema analysi ad Papam redigitur. Est Papa scilicet qui ea convocat, qui iis præest, qui ea dirigit, qui confirmat, qui publicat, qui demum efficit, ut eorum decreta executioni mandentur. Ei ergo, quoad hæc concilia, eminentiæ privilegium negari non potest.

Responsio. Ad generalia concilia quod attinet, quæ primis Ecclesiæ temporibus habita sunt, Romani Pontifices nec ea convocarunt, nec iis præfuerunt, nec ea confirmarunt; quod evincit antiquitati persuasum non fuisse, acta hæc ex parte eorumdem Pontificum necessaria esse; verum, facta etiam hypothesi, esse necessaria, contenditur hanc ipsam necessitatem ad Papam generali concilio præferendum nihil conferre. Parlamenti Præsidum primus, universitatis Rector, capituli Decanus eo jure gaudent, ut suas societates convocent, ut iis præsint, ut eas dirigant, ut earum statuta confirment publicentque & perficienda curent, quin tamen ex his multiplicibus actis inferri possit eorum superioritas quibus ea super suas societates suas efficiendi jus est; id unum inferri potest eos ad quos hæc jure pertinent, esse suorum quemque corporum

capi-

capita & prima membra, in iis tenere primum gradum, & certis quibusdam honoris, sollicitudinis, inspectionis, jurisdictionis etiam atque auctoritatis, sed quæ nullam superioritatem important, prærogativis gaudere. Quidni isthæc agendi ratio summis Pontificibus, quoad generalia concilia, accommodari possit?

VII. Oppositio. Generalium conciliorum congregatio pluribus gravibusque difficultatibus obnoxia est, adeoque Christus Dominus, quin contra præcipuas recti prudentisque regiminis regulas peccaret, supremam regendæ Ecclesiæ potestatem iis concredere non potuisset.

Responsio. Hæc duo, supra Papam, quam vocant, superioritas, & Ecclesiæ, ut ajunt, habitualiter, regendæ suprema potestas, synonyma non sunt, & cum dicimus generale concilium esse Papæ superius, non proinde contendimus generale concilium regendæ habitualiter Ecclesiæ supremam potestatem a Christo accepisse; esset id ex earum rerum genere quæ reapse ad exitum perduci nequeunt, quia vix ac ne vix quidem passim cogi generalia concilia possunt, quippe quæ a tam multis causis pendent. Id unum volumus potestatem supremam & infallibilem regendæ Ecclesiæ, hoc est, decidendi infallibiliter in fidei, morum disciplinæque negotiis, toti solum corpori Ecclesiæ, seu dispersæ, seu congregatæ in generali concilio, cum necessitas illud requirit, & circumstantiæ patiuntur, collatam esse; generalia quippe concilia non semper necessaria sunt; ac tum quoque, cum ea quidem cogi necesse esset, non tamen per temporum rerumque rationem liceret, non desineret Ecclesia subsistere, certoque & infallibiliter decidere, ægrius licet laboriosiusque, collatis particularium Ecclesiarum suffragiis, quemadmodum substitit deciditque infallibiliter hac ipsa ratione per tria christiani nominis priora sæcula, ethnicorum persecutionibus impedientibus, ne omnino generalia concilia celebrarentur. Non ergo contra bene instituti regiminis regulas peccavit Christus Dominus, qui superioritatem supra Papam generali concilio tribuerit, supremumque & infallibile tribunal sua in Ecclesia collocaverit, non autem in ullo singillatim ex ejus membris, sed in ejusdem toto corpore, in omnium particularium Ecclesiarum collectione, quæ integrum universæ Ecclesiæ corpus conficiunt.

CAPUT XIV.

De Conditionibus ad œcumenica Concilia necessariis.

De conditionibus hoc loco agitur, quæ necessario requiruntur, ut œcumenicum & infallibile suis in decisionibus concilium sit, ita scilicet, ut eidem obedientia negari, simulque Ecclesiæ Filii titulus, ejusdemque Ecclesiæ communio servari possit.

Conditiones hæ vel convocationem, vel celebrationem vel exitum concilii spectant.

Ut concilium, quoad convocationem, œcumenicum sit, omnes Christiani Orbis Episcopos ad illud acciri, ab eodemque eorum nullum omnino, nisi hæreticus aut excommunicatus fuerit, arceri necesse est. Ut autem, quoad celebrationem, concilium sit œcumenicum, non est necesse omnes ad unum Orbis Episcopos reapse eidem adesse; satis est in eo congruum eorumdem numerum existere, qui nempe, sapientium prudentiumque virorum judicio, universam Ecclesiam repræsentare possit; quot enim Episcopi ad cœtum qui Ecclesiæ universitatem exhibeat, requirantur, ad amussim, prorsusque præcise definiri non potest. Id pro certo haberi debet, saltem e variis Christianæ reipublicæ provinciis adesse oportere Episcoporum satis, ut suffragium doctrinamque Episcoporum reliquarum provinciarum ad concilium deferant; quod sane per collationes aut concilia particularia fieri potest, etsi minor Episcoporum qui generali concilio intersunt, quam absentium numerus sit.

Ad œcumenici concilii exitum, requiritur, tertio loco, ut in eo controversiæ diligentius ad trutinam revocentur, suffragiisque omnino liberis finiantur.

Quæstionum maturum examen absolute necessarium est, quia Episcopi ad eas dijudicandas a Deo extra ordinem afflati non sunt, nec novas revelationes accipiunt; nulla non veritas in sacris Litteris ac traditione continetur; in hoc ergo duplici fonte veritates omnes quærendæ sunt; & ad eas ibidem inveniendas, ineunda est studii, discussionis, examinis via, quæ humana adjumenta sunt quæ Deus ad veritatem detegendam adhiberi vult, quin subsidia extra ordinem, quæ non promisit, expectentur. Prout solum ad sumenda hæc ex ordine adjumenta animum referunt, certi esse possunt Episcopi sibi Spiritus Sancti subsidium opemque præsto fore, ne suis in judiciis aberrent. Quamobrem generalia concilia semper examinis viam iniisse videmus, ut ad veritatis notitiam pervenirent.

Ad concilii, quam dicunt, œcumenicitatem haud minus quam examen, necessaria libertas est. Ea porró est hujus rei ratio, quod concilium non est œcumenicum, nisi cum universam Ecclesiam exhibet; universam autem Ecclesiam non exhibet, nisi cum loquitur ejus nomine, cum agit per ejus mentem, cum sequitur ejus leges, cum exponit ejusdem sensa; quodque nihil horum facere potest, cum coactum impulsumque est, quia vi quam patitur, impeditur, quominus aut veritatem cognoscat, aut dicat, si cognoverit; Christus enim Dominus congregatis Episcopis non promisit eos se impeccabiles redditurum, supra cupiditates & animi motus evehens qui judices impedire possunt, ne suo faciant officio satis. Ob hanc omnino causam extitere concilia, convocatione quidem, generalia, quæ tamen exitu, ejusmodi esse desierunt; hujus generis concilium alterum Ephesinum, adeo *Latrocinii Ephesini* nomine notum. Ei S. Leonis Papæ Legati adfuerunt, & ad illud Occidentis Episcoporum suffragium contulerunt, quemadmodum S. Cælestini Papæ Legati adfuerant primo, & ad illud eorumdem Episcoporum suffragia contulerant; at notorio libertatis vitio, apertaque regularum, quas Ecclesia semper in conciliis secuta fuerat, violatione factum est, ut illud œcumenicum esse desineret, & cum horrore rejiceretur; ejusmodi etiam Mediolanense, an. 300. & Ariminense, an. 355. concilia sunt.

At, satisne accurate controversias expenderint, ac fuisne in judiciis libera fuerint concilia, qua demum ratione palam fiet? Respondet Bellarminus non nisi per certitudinem, humanam eam quidem, sed indubitatam tamen, & cum naturali evidentia comparandam id innotescere. (*Lib.* II. *de Con. cap.* 9.) ita sane cognoscuntur historica facta omnia generatim recepta, quæque in dubium revocare nemini qui sapiat, in mentem venit. Cum ergo concilium quod convocatione generale erat, ab Ecclesia acceptum fuit, nedum ejus ullam reclamationem subiit, id certo argumento est œcumenicum illud esse, non quod hæc acceptio suam ei vim suamque auctoritatem impertiatur, quoniam ipsum per se supra omnem errorem erat, sed quod eadem confert ad probandum in eo nihil non ex regulis actum esse, statuendumque, quod inde consequitur, illud œcumenicum extitisse.

At qui innotescet & illud, ab Ecclesia receptum concilium fuisse? Id nimirum intelligetur, ubi perspectum fuerit doctrinam a concilio decisam tradi nuntiarique per omnem, quam late patet, Ecclesiam, aut disciplinam ab eo præscriptam ubique & ipsam servari, siquidem re ipsa toti Ecclesiæ præscripta fuerit. Evidenter, exempli causa, cognoscitur Tridentinum concilium, quoad dogma, vel expresse, vel interpretatione quadam ab universa Ecclesia receptum fuisse, quia doctrinam quam illud suis in decisionibus propositam habet, universa Ecclesia tradit nuntiatque; at, cum ejus disciplina non ubique servetur, & Galliæ Regnum quod maximi momenti Ecclesiam in Christiana republica conficit, haud illud receperit, quoad disciplinæ capita plura, dubitari potest, nonnullorum sententia, utrum disciplinæ capita absolutum in modum & sine ulla exceptione in totius Ecclesiæ gratiam præscripserit, an vero, iis ita præscribendis, satis, quoad hanc rem, universam Ecclesiam repræsentaverit, videlicet, liberum satisque accuratum fuerit, ut ne peculiares consuetudines attingeret quas unaquæque Ecclesia, ex generalis Ephesini concilii definitione, servandi retinendique jus obtinet. Satius fuerit pronuntiari, cum omnia disciplinæ capita a concilio statuta, suapte natura, recta sint, quamvis eorum nonnulla cum quarumdam regionum moribus parum cohæreant, id nulla prorsus ratione obesse, quin œcumenicum concilium, etiam quoad disciplinæ negotia, sit fallere & falli nescium.

CAPUT XV.

De œcumenicorum Conciliorum Numero.

De œcumenicorum conciliorum numero inter doctos viros non convenit. Eorum alii numerant unum supra viginti, scilicet Nicæna duo, Constantinopolitana quatuor, Ephesinum unum, Chalcedonense pariter unum, Lateranensia quinque, duo Lugdunensia, Viennense unum in Delphinatu, Pisanum unum,

Con-

Constantiense unum, Basileense unum, Florentinum unum, unum denique Tridentinum. Alii octodecim tantum recensent, exploduntque Pisanum, Basileense & Constantiense, saltem quoad priores sessiones quinque; ita sentiunt vulgo Itali. Concilia, Lateranense quintum, & Florentinum, in Gallia, tamquam œcumenica non spectantur.

Discordia hæc, super œcumenicorum conciliorum numero, haud ea quidem tanti momenti est, quanti fortasse cuipiam prima fronte videri posset; dummodo enim qui super hujusmodi negotiis disputant, nec pacem, nec charitatem lædant, amplectanturque omnia conciliorum decreta quæ per universam Ecclesiam vigere cernunt; quid refert, theorice, certo sciri, concilia hæc vere œcumenica, necne, sint, dum super hac re fuerit inter Catholicos Scriptores sententiarum varietas, suamque mentem universa Ecclesia non aperuerit?

Longe aliter sentiendum esset, si concilium constanter œcumenicum, utpote quod ita a tota Ecclesia spectaretur, alterius concilii œcumenicitatem decidaret. Nemini amplius integrum esset, in hac facti specie, hujus concilii œcumenicitatem in dubium vocare, quia si concilium a tota Ecclesia pro œcumenico habitum, in alterius concilii definienda œcumenicitate falli possit, consequens fieret universam Ecclesiam in rebus ad fidem moresque spectantibus errare posse, ita scilicet, ut concilii non œcumenici, super ejusmodi rebus, errores probaret; neque enim pronuntiari potest œcumenicum aliquod concilium esse, quin eodem tempore pronuntiatur illud super fide & moribus errare non posse, & quin omnes canones quos edidit super hoc duplici rerum genere, suscipiantur. Jam vero, cum omne concilium non œcumenicum super fide & moribus falli possit, consequens evidenter est, siquidem concilium œcumenicum quod universam Ecclesiam repræsentat, decipi posset in alterius concilii œcumenicitate definienda, fore, ut Ecclesia universa in fidei morumque negotiis errare posset, declarans infallibile in his negotiis concilium quod ejusmodi reapse non esset, itemque sequitur, si concilium hoc, in se ipso infallibile, aliquos reapse errores super fide & moribus definiisset, Ecclesiam non posse illud œcumenicum & infallibile declarare, quin eos errores ipsa adoptaret; nec solum super quæstione facti, verum etiam super quæstione juris hæc declaratio versaretur; quod probat fideles teneri non minus concilii œcumenicitatem, quod Ecclesia œcumenicum declaravit, quam cæteras omnes veritates credere quas ipsis ea credendas proponit, quandoquidem ipsa non minus est super hoc capite quam super cæteris infallibilis.

CAPUT XVI.

De Conciliorum Collectionibus.

Græcis & Latinis id curæ fuit, a primis Ecclesiæ seculis, ut Conciliorum Compilationes seu Collectiones conficerent.

Græca Collectio quæ omnium prima censetur, in lucem emissa fuit, ad an. 385. seu a Stephano, Ephesino Episcopo, seu a Sabino, Episcopo Haracleensi, uno e sectæ Macedonianorum antesignanis, seu ab aliquo alio scriptore nobis ignoto. Auctor, quicunque fuerit, ea nobis congessit quæ in synodis, a Nicæna ad ejus tempora, gesta sunt. Eum Socrates nobis exhibet tamquam Macedonianorum erroribus vehementer addictum hominem, & qui solum in Ecclesiæ odium collectionem suam suscepisset. (*Lib. V. cap. 5. & 9.*)

Altera Græca collectio prodiit nomine *Codicis canonum Ecclesiæ* universæ, ante Chalcedonense concilium quod an. 451. habitum fuit, quoniam hujus concilii canon primus eam approbavit. Collectio hæc publici juris facta est an. 1610. studio & opera Christophori Justelli, hoc titulo: *Codex canonum Ecclesiæ universæ a Justiniano imperatore confirmatus, græce & latine; a Christophoro Justello, in 8. Parisiis*, 1610. Ea continet Nicæni, Ancyrani, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani primi, Ephesini & Chalcedonensis conciliorum canones, quæ græca novem concilia sunt e quibus orientalium Ecclesiarum jus vetus canonicum conflatum est. Confundi non debet, ut egit Cardinalis Perronius in sua ad Magnæ Britanniæ Regem Responsione, codex Ecclesiæ universæ, a Justello datus, cum orientalis Ecclesiæ codice quem, ab an. 1540. Tillatius, Briocensis episcopus græce dederat, quamque Gentianus Hervetus latine reddidit ex manuscripto Pictaviensis Ecclesiæ codice. Cæterum, universæ Ecclesiæ codex a Justello exhibitus, haud is quidem hoc nomine dignus est, quippe qui non omnium conciliorum quæ ab omnibus Ecclesiis recepta sunt, canones continet, ac re vere nihil est aliud quam Ecclesiarum Orientis codex.

Græcæ Ecclesiæ codicem qui ante Chalcedonense concilium usui erat, auctor, cujus nomen ignoratur, in latinum sermonem vertit. Dionysius Exiguus, ejus novam versionem aggressus, apostolicos canones ad quinquagesimum usque, Chalcedonensis præterea & Sardicensis conciliorum canones, denique Africanæ Ecclesiæ codicem universum, in quo supra centum triginta octo, *Carthaginensis Concilii* nomine, canones continentur, eidem addidit. Ei codicem etiam adjecit decretalium Epistolarum Romanorum Pontificum, a Siricio ad Anastasium usque, videlicet, ab an. 385. ad usque 496. Dionysii Exigui Opus hoc adoptavit Romana Ecclesia; nec desunt ex auctoribus qui contendant, ante id Operis, nullum Romæ, cui legis vis esset, canonum codicem extitisse. Romana Collectio, ad usque Nicæni concilii tempora, omnino apostolicarum regularum versione constabat; ei deinde additi fuere Nicæni canones, quorum nomen Sardicenses quoque ipsos, an. 347. editos, complectebatur.

Codex quem Papa Adrianus I. imperatori Carolo Magno, sub octavi sæculi finem obtulit, ut eum per Imperii sui regiones in usu poneret, solum codicis a Dionysio Exiguo exhibiti exscriptio veluti quædam est. Utebatur antea Gallicana Ecclesia suo tantum peculiari codice qui Galliæ concilia Nicænis canonibus addita continebat. Hispaniæ, Africæ, &c. sui quoque codices erant.

Ad novas conciliorum collectiones quod attinet, earum aliæ generales sunt quæ scilicet omnia tam generalia quam particularia concilia continent; peculiares aliæ quæ nempe concilia solum continent quæ in aliquibus peculiaribus regnis, aut in eorumdem regnorum certis quibusdam provinciis habita fuere.

Prima est Jacobi Merlini, e Lemovicensi regione, theologiæ Facultatis Parisiensis Doctoris, Canonici & Magni Pœnitentiarii Dominæ Nostræ in eadem urbe. Constat tomis duobus *in-fol.* quorum primus prodiit Parisiis, an. 1523. *in Ædibus Galioti a Prato*, alter vero, *ibid.* an. 1524. *Idem in 8. Colonia* 1530. *2. vol. Idem, Parisiis, apud Franciscum Regnault*, 1535. *2. vol. in 8.* & non *in-folio*, ut ait P. Labbæus, in Apparatus sui Præfatione. Hujus collectionis tomus primus continet conciliorum & litterarum decretalium Romanorum Pontificum, ex Isidoro Mercatore, compilationem. Tomus alter Constantinopolitani I. & II. Constantiensis etiam & Basileensis conciliorum acta complectitur. Extat, in duabus tantum posterioribus editionibus, Imperatoria Caroli IV. Bulla aurea, & quod Regis Romanorum electionem spectat.

Collectio altera est Petri Crabbe, religiosi Ordinis S. Francisci. Ea prodiit Coloniæ, an. 1538. duobus voluminibus *in-folio*, apud Petrum Quentellum. Volumen primum cui ad Carolum Quintum Dedicatio initium dat, concilia post S. Petrum ad Joannem Papam II. usque habita continet; alterum incipit a Constantinopolitano Concilio quinto, & in Florentino desinit. *Idem, in-fol. Colonia*, 1551. 3. *vol.*

Tertia Laurentii Surii, Chartusiani collectio est, *in-fol. Colonia*, 1567. 4. *vol.*

Collectionem quartam suppeditat editio Dominici Nicolini, typographi Veneti, qui ad eam adhibuit præstantium virorum operam, & potissimum P. Dominici Bollani, Viri Nob. Veneti, e Fratrum Prædicatorum Ordine. „ PP. Labbæus & Cossartius, inquit P. Echardus, aut nuncupatoriam Nicolini ad Sixtum V. Epistolam non viderint, aut animum ad eam non adverterint, necesse est, cum editionem hanc auctori „ anonymo tribuerunt. “ Divisa est in quinque volumina *in-fol.* & impressa an. 1585.

Quinta est Binii, in Theologia licentiati, & Coloniensis canonici. Tribuitur in volumina quatuor *in-fol.* typis edita Coloniæ ann. 1606. 1618. & 1636. Id huic collectioni peculiare est, quod editor cuique concilio epitomen præfert quæ continet concilii causas, tempus, locum, Episcoporum numerum qui eidem interfuerunt. Ad cujusque concilii calcem extant adnotationes quibus vitiosa textus loca corrigit, obscura explicat, suppletque quod nobis actorum deest.

VI. Conciliorum Collectio impressa est Romæ, voluminibus 4. *in-fol.* 1608. & 1612. græce & latine. Generalia concilia continet. In cujusque concilii fronte adest latina historia. Cardinalis Bellarminus arguitur qui in causa fuerit, ne Basileense concilium in hac editione poneretur. Sermonis qui proœmii locum tenet, auctor est P. Sirmondus.

VII. Collectio, *Luparensis* dicta, inscriptaque, *Conciliorum omnium generalium & provincialium Collectio Regia*,

gia, in fol. Parisiis, 1644. *a Typographia Regia*, 37. *vol.* Chartæ typorumque pulcritudine & magnificentia omnibus aliis collectionibus præstat; non omnis tamen est vitii expers; quamvis enim id consilii fuerit, ut emendata traderetur Binii collectio, ex eo tamen expuncta non sunt nisi locutionis & impressionis errata. Ibi addita fuere Galliæ concilia, a P. Sirmondo collecta, cum mendis quæ in textum irrepserant; & quin consulerentur *errata*, ubi adeat eorumdem correctio; ne id quidem censoria virga notatum est, Philippum Pulcrum jure anathemate percussum fuisse.

VIII. Collectio PP. Labbæi & Cossartii, an. 1670. impressa Parisiis, voluminibus septendecim *in fol*, hoc titulo: *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta quæ nunc quarta parte prodit auctior, studio Philippi Labbei & Gabrielis Cossartii, Societatis Jesu presbyterorum.* Est hæc Luparensi, & P. Harduini collectionibus amplior, haud fere tamen emendatior quam prima cujus æque ac Binianæ, ut plurimum, errores exscribit.

IX. Balutii collectio cui titulus: *Nova Collectio Conciliorum. Stephanus Baluzius, Tutelensis, in unum collegit, multa notatu dignissima nunc primum edidit, notis illustravit, reliqua emendavit ad vetustissima exemplaria manuscripta. Tomus I. in fol. Parisiis, apud Franciscum Muguet*, 1685. Hoc unum volumen cum alterius argumento prodiit.

X. P. Harduini collectio, inscripta: *Collectio maxima Conciliorum generalium & provincialium, Decretalium & Constitutionum summorum Pontificum, græce & latine, studio & opera Joannis Harduini e Societate Jesu, in fol. Parisiis, a Typographia Regia*, 1715. 12. *vol.* Impedita fuit hujus collectionis venditio, quia continet essata plura falsis tantum decretalibus nixa & Gallicanis libertatibus repugnantia.

XI. Collectio P. Labbæi rursus impressa fuit uno & viginti voluminibus *in folio*, Venetiis, an. 1732. Nicolai Coleti opera. Ei P. Joannes Dominicus Mansi, Clericus regularis e congregatione Matris Dei addidit, supplementi loco, quinque volumina *in fol.* quorum primum prodiit Lucæ in Italia, an. 1748. Denique idem auctor, nunc Lucensis Archiepiscopus, hujus collectionis, auctæ emendatæque, novam editionem prorsus integram dedit.

Peculiares conciliorum collectiones sunt; collectio conciliorum Romæ, per Lucam Holstenium, canonicum & bibliothecarium Vaticani, impressa post ejus mortem, Romæ, an. 1662. *in* 8. tributa in partes duas; collectio conciliorum Africæ, aliorumque quæ super Pelagii hæresi habita sunt, auctore P. Garnerio, an. 1673. collectio conciliorum Galliæ ad annum usque 987 voluminibus tribus *in-folio*, impressis, Lutetiæ Parisiorum, an. 1629. auctore P. Sirmondo; quæ, an. 1666. secutum est supplementum *in-folio*, quod D. *de la Lande*, P. Sirmondi pronepos edidit; collectio conciliorum Galliæ, a Tridentini concilii tempore, per Ludovicum Odespum *de la Mechiniere*, Turonensem presbyterum, Parisiis, an. 1646. *in-folio*; collectio conciliorum Hispaniæ, per Garciam Lodisam, an. 1593. quæ non nisi ad octavi sæculi exordium pervenit, & per Cardinalem Aguirreum, impressa Romæ, an. 1693. voluminibus quatuor *in-folio*; collectio conciliorum Peruanorum, hoc titulo, *Lima limata*, per Franciscum Hardum, Franciscanum, Romæ, *in-fol.* 1673. collectio conciliorum Angliæ, per Henricum Spelmanum, voluminibus duobus *in-folio*, Londini, an. 1639. & 1664. collectio conciliorum Angliæ & Irlandiæ, conjunctim, auctore Wilkius, voluminibus quatuor *in-folio*, impressa Londini, an. 1737. Nulla extat, ut Galliæ, Hispaniæ, &c. ita Germaniæ conciliorum collectio peculiaris & propria; at hæc tamen ipsa comperiuntur in editione Capitulariûm Caroli Magni, per Beatum Rhenanum, an. 1531. parte secunda Tomi II. *Antiquitatum Germanic*, impressi an. 1606. Francofurti, studio & opera Melchioris Goldast, & in Constitutionibus imperialibus ejusdem auctoris, Tomo I. atque in Historia Moguntina Nicolai Serarii, an. 1604.

Præter has collectiones, suppetunt aliæ quæ alicujus provinciæ concilia seorsim continent, cujusmodi sunt collectiones conciliorum Normanniæ, per Franciscum Pommeraye, Benedictinum Congregationis S. Mauri, cum Angeli Godini adnotationibus, Rothomagi, in 4. an. 1677. ac deinde *in-folio*, an. 1717. per D. Bessinium, religiosum ejusdem Congregationis; conciliorum Turonensis provinciæ, per Joannem Maan, ad ecclesiasticæ quam exaravit, Turonensis Historiæ, *in-folio*, an. 1697. conciliorum Galliæ Narbonensis, auctore Balutio, in 8. Parisiis, an. 1668. collectio conciliorum Ecclesiæ Armenæ, quam exhibet Historia Armena a Galano edita hoc titulo: *Historia Armena, ecclesiastica & politica, & Ecclesiæ Armenæ cum Romana conciliatio*; collectio conciliorum provinciæ Beneventi, quæ inscribitur: *Synodicon S. Beneventanensis Ecclesiæ, continens Concilia XIX. per Vincentium-Mariam Ursinum, Cardinalem, in fol. Beneventi, ex Typographia archiepiscopali* 1695. &c.

Protestantes ex ipsis conciliorum collectionibus, eorumque qui eas contexuerunt, arrogata conciliorum oppositiones eruunt, quæ, eorum quidem sententia, conciliorum omnem vim omnemque auctoritatem evertunt; 1. enim, inquiunt, conciliorum exemplaria, maxima ex parte, corrupta sunt, Crabbe ipso fatente qui in hanc rem ita loquitur: (*Pag.* 1002. *Tom.* 2, *edit.* 1551.) *Concilia antiqua & etiam posteriora vix inveniuntur; & est mirabile, quomodo hæc ita neglexerit Ecclesia Romana, & quomodo non ordinarit, ut in Ecclesiis cathedralibus, vel etiam metropolitanis saltem semper haberentur.* Respondetur hæc verba Crabbii, ut summum, probare haud semper satis curæ fuisse, ut concilia in cathedralibus Diœceseon ecclesiis, ubi habita sunt, servarentur, eorumque nonnulla esse quorum admodum pauca exemplaria comperiuntur; non tamen evincere exemplaria quæ nobis supersunt, corrupta esse, maxima ex parte, quoniam horum exemplarium vel una lectio satis nos docet, quæ fuerit Episcoporum sollicitudo, ut suis in archiviis minima quæque ecclesiastica monumenta custodirent. Milevitani concilii, quinto ineunte sæculo habiti, Patres mandant, ut Numidiæ matricula & archivium custodiantur in prima sede, æque atque in metropoli quæ Constantina est: *Placuit ... ut matricula & archivus Numidiæ, & apud primam sedem sit, & in metropoli, id est, Constantinæ.* Is erat Romanorum Pontificum mos, ut tuto abditoque in loco qui *scrinium, chartarium, archivum* appellabatur, Litterarum Actorumque quæ Ecclesiæ utilia esse poterant, autographa servarentur. Ad calcem Epistolæ quartæ Damasi Papæ qui sanctam sedem ab anno 366. ad 384. occupavit, leguntur hæc: *Explicit hæc epistola, vel expositio synodi Romanæ habita sub Damaso....* &, post subscriptiones plures, subditur: *Similiter & alii 146. Orientales Episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archivis Romanæ Ecclesiæ tenetur.* Igitur in urbe Roma, jam inde a sæculo quarto, aderant archivia in quibus custodiebantur præcipua ecclesiastica monumenta quæ sunt concilia, quoniam ibi sermo est de Romano concilio, deque Antiocheno cui plures quam centum quadraginta sex Orientis Episcopi subscripserunt. De cathedralibus plurium regnorum Ecclesiis idem sentiendum; iis nempe sua erant archivia in quibus exemplaria ponebantur actorum ad concilia spectantium, quæ exscripta singuli Episcopi qui conciliis adfuerant, secum asportabant, aut quæ ad Episcopos qui ibidem adesse non potuerant, mittebantur.

2. Addunt Protestantes, gravia discrimina quæ in variis conciliorum editionibus inveniuntur, aperto argumento esse eorum exemplaria depravata prorsusque corrupta fuisse. Occurrunt præterea in conciliis mutuo collatis plura quæ invicem pugnant. Id alia damnant & destruunt, quod alia statuunt & approbant. Verum discrimina quæcunque inter aliquorum conciliorum exemplaria deteguntur, eorumdem auctoritatem evertere non possunt, quippe quæ essentialia non sunt, nullumque e canonibus ad fidem vel ad mores spectantibus afficiunt. Quod ad disciplinam attinet, cum hæc sit obnoxia mutationi, eam posterius concilium mutare potest, quam præcedens concilium statuerat, siquidem par jurisdictio utrique concilio sit. Ad extremum, quoad arrogatas conciliorum repugnantias, nullum concilium verè œcumenicum posse cuipiam alteri ejusdem naturæ concilio, super fide aut super moribus repugnare. Idem pronuntiatur de conciliis particularibus quæ omnis adoptavit Ecclesia. Ad cætera quod spectat, hæc enimvero errare possunt, quoniam infallibilia non sunt; errorum tamen in quos inciderint, communia exempla non sunt.

CAPUT XVII.

De Regulis ad Concilia utiliter legenda.

I. Regula. CUm dogmatum, moralis doctrinæ, disciplinæque in Ecclesia fontes concilia sint; prima quam ad ea utiliter legenda servari oportet regula est, ut ad hanc lectionem recta mens afferatur, nec alius in ea propositus finis sit, quam ut religionis veritates sanctæ, ejus moralis doctrinæ principia, ejusdem politiæ leges cognoscantur, eo prorsus animo, ut Dei gloria comparetur, tuto per salutis vias ine-

incedatur, aliique sine periculo per easdem ducantur, luminum omnino cælestium ope, quæ in ejusmodi pretiosis fontibus e quibus justitiæ & veritatis aquæ puræ dimanant, percepta fuerint.

II. Regula. Id semper obtinuit, ut in conciliis fides & mores distinguerentur. Nicæni concilii symbolum definitionem fidei, canones vero mores & disciplinam continent. Eadem distinctio in omnibus conciliis œcumenicis reperitur, in Tridentino ipso quod omnium postremum est. In hoc id quod mores spectat, appellatur *Decretum de Reformatione*; quod autem ad fidem pertinet, id in ordines duos tribuitur. Primus super fide decretum continet, id nimirum quod cuique credendum est; canones alii, qui id innuunt quod non credendum, quodque rejiciendum est, anathematis indicta pœna; quod in veteribus conciliis, *anathematismorum* nomine designabatur. Quoniam igitur imprimis eo spectant concilia ut definiant proponantque articulos fidei quos omnes Christifideles credere debent, sub anathematis pœna; omnino peculiaris attentio adhibenda est, ut quod reapse, tamquam aliquod e fidei articulis, concilia definiunt proponuntque, ab aliis capitibus discernatur, quæ quidem, seu data opera, seu incidenter & occasione quadam, ab iis pertractantur, sed quæ tamen ab iisdem tamquam revelata dogmata nec deciduntur, nec proponuntur, etsi longius aut propius, strictius aut latius ad hæc ipsa dogmata referantur. Ergo in concilio sunt hæc sedulo distinguenda: acta seu historica eorum narratio quæ ibidem ab Episcopis dicta sunt, rationes quæ decisioni fundamentum suppeditant, quæque vel ab aliquibus singillatim Præsulibus, vel a toto simul concilio allatæ fuere, res super quibus concilium incidenter pronuntiat, quin agitatæ aut in examine positæ fuerint, res quas concilium significat, tamquam suum votum, suamque sententiam, & ad quas per theologicam conclusionem inferendas comparat doctos viros, quamvis expressis solemnibusque verbis eas non decidat, facta constantia quæ concilium pro certis, evidentibus, omniumque quorum interest, confessione firmatis habet, sed super quæ non cadit concilii judicium; facta quæ contestationis materiem constituunt, & supra quæ concilii judicium cadit; res denique quas diserte &, ut ajunt, formaliter concilium decidit, Christique fidelibus, tamquam articulos eorumdem fidei, per nitidam præcisamque decisionem proponit.

Conciliorum acta & Episcoporum colloquia quæ in iis referuntur, non nisi rerum ibidem gestarum historicæ narrationes sunt, quæ proinde divinæ fidei argumentum aliquod non efficiunt. Idem judicium de rationibus singillatim sumptis ferendum est quæ decisioni fundamento sunt; quamvis enim super omnibus generatim rationibus quæ definitioni sunt basis loco, œcumenicum concilium falli non possit, super earumdem tamen, peculiariter, rationum aliquibus falli potest, non solum earum aliquas, tamquam ad fidem pertinentes proferens, quæ ad eam tamen non pertinerent, verum etiam earumdem aliquas in medium afferens, tamquam veras & certas, quæ falsæ nihilominus, aut dubiæ incertæque forent. Ad decisionis infallibilitatem satis est fundamentorum quibus ea nititur, aliqua de fide esse; nos unum solummodo in id exemplum ex secundo Nicæno concilio quod generale septimum est, depromptum, super imaginum cultu, exhibebimus. Ad imaginum cultum statuendum, falsis pluribus monumentis usum est concilium hoc, sanctis Ecclesiæ doctoribus bene multis opera tribuens quæ non erant eorumdem fœtus, & perperam nonnullorum quæ genuina erant eorumdem opera, sensum accipiens. Nihilominus, quia concilium hoc suam decisionem aliis auctoritatibus quibus satis roboris inest, & imprimis Ecclesiæ quæ, ante omnem memoriam, imaginum usum receperat, auctoritate firmat, id non impedit, quin illud, super hoc capite, infallibile sit, æque atque ejusdem decisio. Hujus rei ratio est, quia Spiritus Sanctus qui generalibus conciliis præest, non promisit ea se vel impeccabilia vel infallibilia in rebus omnibus redditurum, ut ea nempe ab omni peccato & ab omni errore, etiam levi & accidentario tueretur, sed solum satis iis præsto fore, eademque moderaturum, ut impediret, ne errarent in decisione ipsa, & tamquam fidei dogma revelatamque veritatem, id quod ejusmodi reapse non esset, fidelibus credendum proponerent.

Idem dicendum de rebus super quibus obiter & per transennam concilium pronuntiat, quin eas agitaverint aut expenderint, quoniam, ut experientia compertum est, examen ad conciliorum, eorumdemque decisionum infallibilitatem necessaria conditio est. Eadem est rerum ratio quas concilium tamquam suum votum exhibet, & ad quas per theologicam conclusionem inferendas comparat doctos viros, tametsi solemnem in modum, &, ut scholæ dicunt, formaliter eas non decidat. Exemplo esse potest, inter alias complures, quæstio de residentiæ necessitate quoad Ecclesiasticos qui beneficia possident, quæ animarum curam adjunctam habent. Certum est controversiam hanc acriter in Tridentino concilio discussam fuisse, illudque, quamvis hanc residentiæ speciem divino jure necessariam esse formaliter non deciderit, perspectum tamen apertissime reliquisse id sibi in votis esse ac se ita sentire, per decretum quod super hoc negotio edidit, quodque his verbis conceptum est; (*Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 1. de Reform.*) *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere.... quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacrosancta synodus admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.* Decretum hoc haud illud quidem residentiæ, jure divino, necessitatem formaliter non decidit, ut inter omnes perspicaces Theologos convenit, fateturque, inter alios, Benedictus XIV. *De Synodo Diœcesana. lib. 7. cap. 1.* sed ita tamen hujus concilii votum sententiamque perspici sinit exhibetque, ut Episcoporum non pauci qui eidem intererant, initio statim hallucinati fuerint, viderique existimaverint residentiam divino jure necessariam in eo formaliter decisam fuisse, quemadmodum Cardinalis Pallavicinus in sua Tridentini Concilii Historia, *lib. 21. cap. 12.* memoriæ prodit.

Facta quæ concilium ut certa ponit, quin decidat, eaque ipsa quæ decidit, fidei articuli, ob hanc solum causam, minime sunt; non essent ejusmodi, nisi quatenus concilium ea tamquam indubitanter ac certo revelata poneret, & ita rem habere per decisionem sacra Scriptura & traditione nixam declararet.

Non ergo pro fidei articulis habenda sunt nisi doctrinæ capita quæ concilium vere œcumenicum per præcisam decisionem talia declarat, quæque tamquam a Deo revelata & in sacro Scripturæ traditionisque deposito contenta, fidelibus credenda proponit, seu definitionem suam per symbolum, seu per aliquam aliam fidei formulam, pronuntiandique rationem exprimat, quæ perspicue significet eo illud animo esse, ut fidei articulum fidelibus credendum proponat, ut cum Tridentinum concilium anathema in eos pronuntiat qui doctrinæ capitibus quæ definit & credenda proponit, oblocuti fuerint: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem.... anathema sit.*

Ejusmodi est regula quæ semper præ manibus habenda est, ut quod fidei est & quod tale non est, in conciliis discernatur; & regula quidem hæc eo majoris momenti est, quod, ut ait in hanc rem Joannes Major, „ non minus hæreticum est asserere aliquid „ esse de fide cum de fide non est, quam aliquid negare quod est de fide. " Quid ita? Quia non minus crimen est Dei verbo addere, quam detrahere; efficere, ut Deus loquatur, cum tacet, quam ut taceat, cum loquitur; tamquam revelatum tradere quod reapse revelatum non est, quam divinarum revelationum numerum imminuere; quod in causa est, ut S. Joannes Apostolus, Apocalypseos *cap. 22.* easdem exsecrationes in eos pronuntiet, qui ejus Libro aliquid addere ausi fuerint, atque in eos qui eo temeritatis devenerint, ut aliquid ex eo demant; *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Præclara sane tam multis hominum, Theologis, aliisque lectio, qui non verentur privatas, sæpenumero falsas, ridiculas aut absurdas opiniones suas in dogmatum album referre, eosque qui aliter sentiunt, heterodoxos declarare! Scholarum quæ inter se differunt, asseclæ bene multas singularum proprias & peculiares opiniones, veluti totidem inconcussa dogmata propugnarunt, quin secum in animo reputarent, non ab hominum libidine atque arbitratu, sed a Dei voluntate, per ejus verbum patefacta, & per ejusdem Ecclesiam proposita pendere dogmata. Justæ molis volumen conficeret, qui omnes & singulas opiniones referre vellet, quas aut ignorantia, aut falsa sollicitudo, aut superbiæ propriique amoris prurigo, quæ refractarium neminem pati potest, aut sollicitæ æmulationis abjectus impetus, aut erga peculiare corpus seu societatem immoderatioris studii impulsio in dogmata erexit. Quin de Thomistis,

de Scotistis, ac de tot aliis loquar, qui ita sibi blandiri non possunt, ut se nunquam habuisse dicant, quod super hoc capite ipsi sibi exprobrarent, satis habebo P. Sebastianum de Sancto Paulo, Carmelitarum provincialem, hoc loco in exemplum proferre, qui suis in dissidiis cum Bollandistis, vulgavit ingens Opus *in-folio*, quod ipsum non erat, eo sane judice, nisi errorum & hæreseon in voluminibus quibus titulus, Acta Sanctorum, existentium compendium; quæ quidem errata producebat ad usque bis mille, & assertiones quæ sequuntur, inter ea recensebat: „ Constantini per Papam Sylvestrum baptismus fabula est; „ ejusdem Imperatoris ad Romanam Ecclesiam donationis sunt suppositum monumentum; non est certum Christi Domini faciem sudario sanctæ Veronicæ „ impressam fuisse, atque adeo ullam unquam hujus „ nominis sanctam feminam extitisse; Imperii Electores Imperatoris creandi jus a sancta sede non tenent; Mons Carmelus non erat antiquitus pietatis „ locus; & Prophetam Eliam Carmelitæ fundatorem „ non habuerunt. „ Arrogati Bollandistarum errores reliqui ejusdem, atque hi, ponderis sunt, ac satis multi, ut ostendant, qua circumspectione opus habeat quicunque concilia legit, ne tanquam dogmata revelata, suas peculiares opiniones obtrudat; quod non nisi fidem infirmare, veritatem inobscurare, unitatem corrumpere, justitiamque & charitatem turbare potest, contra Ecclesiæ mentem consiliumque, quæ super omnibus capitibus quæ ipsa nequaquam per nitidam præcisamque decisionem firmavit, sententiarum libertatem reliquit.

III. Regula. Conciliorum scopus alter moralis doctrina est; & hæc quidem materiem suppeditat eorumdem decretis pluribus, ad quæ legenda prudentiæ non minus quam perspicientiæ & sagacitatis afferri debet, ne omnia confundantur, & ut vehementioris severitatis, aut mollioris lenitatis scopuli duo æque periculosi vitentur; quamvis enim conciliorum decreta quæ eo spectant, ut moribus regulas statuant, nostram omnem observantiam mereantur, id tamen non impedit, quominus id quod essentiale est, ab eo quod est accessorium, & id quod ad morum vim & rationem quasique fundum pertinet, ab eo quod puræ putæque decentiæ est, in his decretis seu constitutionibus distingui debeat. Sunt e constitutionibus quædam quæ Christifidelium ineluctabilia, pro vario & multiplici eorumdem statu, officia præscribunt; sunt aliæ quibus sanctiones continentur quæ referuntur ad certas quasdam rationes & circumstantias, quibus cessantibus, ipsæ quoque sanctiones cessant; at pariter cum harum sanctionum rationes semper subsistunt, contrariæ consuetudinis non eas destruunt, nec, ut cessent, efficiunt. Nec desunt canones quos ad verborum apicem, quibus expressi sunt, exigere non debemus, quosque recte intelligere non possumus, nisi ad legis usque vim & propositum assurgamus, quin in cortice & littera consistamus; ejusmodi sunt obscuris, ambiguis, æquivocis & quæ multiplicationi subesse possunt, vocabulis concepti canones. Hos ut intelligas, ad alios canones qui super eodem rerum genere clariores sunt, confugias oportet, eosque cum naturali, divino aut humano quicum magis cohærent, jure compares; sunt enim ita comparatæ obligationis & juris notiones duæ, ut mutuo referantur, nec invicem sejungi possint, quandoquidem fieri nequit, ut quispiam ad aliquod officium, nisi juris alicujus vi, quod ita præcipit, obligetur.

IV. Regula. Conciliorum pleraque coacta non fuere, nisi ut disciplinam, scilicet externam Ecclesiæ, seu generalem, seu peculiarem politiam moderarentur. Politia hæc, seu disciplina varietati essentialiter obnoxia est, quia non rebus ad salutem necessariis & in Evangelio præscriptis continetur, sed usibus aut suapte natura promiscue se habentibus, aut saltem minime necessariis, quarumque utilitas ad tempora, ad personas, ad nationes refertur; quæ scilicet utilis quidem certo quodam tempore & quoad certos quosdam populos, inutiles vero aut etiam perniciosæ aliis temporibus, & quoad alios populos esse possunt. Hinc fit, ut Ecclesiæ definitiones super disciplinæ capitibus non semper eædem sint, easque ipsa invertere, mutare, reformare possit, prout expedire judicaverit; hinc certa discrimina quæ in Sacramentorum administratione, in cælibatu, in aliis ritibus pluribus Græcam inter & Latinam Ecclesias occurrunt; hinc etiam discrepantiæ quæ in plurium peculiarium Ecclesiarum, tametsi universæ Ecclesiæ sinu singulæ contineantur, usibus comperiuntur; hinc denique mutationes quæ in antiquioribus, latiusque universim receptis consuetudinibus contingere, cujusmodi sunt communio sub utraque specie, itemque infantium communio, quas Ecclesiæ visum est abrogare. Ut immutabile prorsus esset, & ad fidem pertineret aliquod doctrinæ caput, revelatum fuisse, & ut tale communi traditione credi oporteret.

Est hæc ob oculos habenda regula, cum concilia leguntur, ne arbitraria quædam disciplinæ capita vertantur in dogmata, neve mirari subeat eorumdem plura, vel in generalibus conciliis firmata, non ubique vigere, cum sibi concilia non proposuerint suas tanquam revelatas constitutiones tradere, omnesve Ecclesias adigere, ut a suis quæque juribus, usibus, canonibusque, quoad ea quæ apud ipsas agi licebit, jam receptis servatisque recederent. Nicænum generale concilium, ut aliquod exemplum offeram, in vicesimo canone, mandat, ut diebus Dominicis, & Paschali tempore, preces edantur erectis pedibus; nec receptus tamen nec servatus ab omnibus generatim Ecclesiis hic canon fuit.

Quia Theologorum nonnulli huic regulæ non institerunt, propterea disciplinæ capita plura in dogmata erigere adeo præpollere contenderunt; ejusmodi est, inter alios, in Ecclesia communis usus, ut ii solum infantes qui extra maternum sinum, omnino aut ex parte, sunt, baptizentur. Doctus Papa, felicis recordationis, Benedictus XIV. in Capite V. Libri VII. *De Synodo* Diœcesana, animadvertit esse portento similes hac in re sententiarum varietates inter Doctores, quorum alii contendunt puerum in matris utero, omni ex parte, delitescentem, posse, cum necessitas urget, valide & licite baptizari, modo effici possit, ut ad eum usque lustralis aqua perveniat, alicujus instrumenti adminiculo; cæteri contra stant. Summus idem Pontifex sapienter monet cavendum etiam atque etiam esse, ne quæstio hæc in diœcesanis synodis decidatur æque ac tot aliæ de quibus inter Theologos controvertitur. Nihilominus Orellius, Barnabita, in theologica Dissertatione quam super hoc negotio edidit, rejicere non veretur tanquam erroneam & tanquam hæreticam P. Gabrielis Gualdo, Theatini Itali sententiam, qui infantibus in matrum suarum ventre omnino latentibus, cum evidens mortis periculum adest, baptisma conferri posse propugnat.

Qui super disciplina concilia legit, ad temporum, locorum, personarum, causarum seu occasionum circumstantias, quæ ad ea cogenda impulerunt, animum referat, necesse est; id ni fecerit, nihil, certe parum aberit, quin ea modo contradictionum, modo relaxationis, modo severitatis accuset. Veterum conciliorum statuta quædam duriora videntur, si cum nostris moribus, nostrisque consuetudinibus conferantur; verum alia prorsus animum subit cogitatio, cum reputatur, qui fuerit, primis Ecclesiæ temporibus, fidelium fervor, quæque acriores sanctiones edendi necessitas, ut ritus quidam quos deserere ne tum quidem volebant ethnici, cum Christianam religionem amplexi erant, evellerentur. Veri nominis Theologus, inquit P. Thomassinus, politiam ab antiquis conciliis approbatam admiratur, perpetuoque novam a posterioribus firmatam sequitur. Imaginari nemo debet, inquit Hugo de Sancto Victore, factum esse levitate quadam, ut novi usus instituerentur, veteresque desinerent. (*Lib. 2. de Sacram. Part. II. cap.* 12.) Egerunt id Patres, mandaruntque, suis quisque temporibus, quod fidelium bono congruebat. Hac sane notione, tum quoque veterum canonum vim quasique spiritum Ecclesia custodivisse dici potest, cum eorum litteram seu externam speciem mutavit, ut certa quædam incommoda averteret. Satis est, inquit S. Augustinus, novum aliquem usum ab Ecclesia universim receptum esse, ut ejus æquitas non amplius sine audacia prorsus intoleranda impugnari possit: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, nunc & hinc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissima audacia est.* (*Epist.* 54. *num.* 6.)

Animadvertendum & illud est, conciliorum canones non eadem omnes auctoritate pollere, nec provincialium aut nationalium eamdem atque œcumenicorum conciliorum canonibus vim & pondus inesse. Generatim, concilia particularia eos tantum obligant qui horum conciliorum juridicis ditionibus subsunt, nisi in alias Ecclesias, aut etiam in Ecclesiam universam recepta fuerint, quemadmodum Neocæsariensi, Ancyrano, Antiocheno, Gangrensi, & Laodiceno conciliis contigit, quæ tum, quam late patet, Ecclesia suscepit. Fieri tamen potest, ut particularium quam generalium conciliorum leges, ad disciplinam quod attinet, majore in pretio habendæ sint, tum nempe, cum rationes, prout quibusdam Ecclesiis opus erat, intra compulerant, ut in earum gratiam, generalium conciliorum legibus derogaretur; fit hinc, ut Gallia non omnes Tridentini concilii canones ad disciplinam

sue

spectantes sequatur, quia eorum plures ejus usibus & libertatibus, itemque Gallicanorum particularium, tam provincialium quam particularium conciliorum, adeoque aliarum Ecclesiarum antiquis, jamque apud Gallos receptis canonibus adversantur.

Cum Papa approbat alicujus provinciæ concilia, non inde statim sequitur legis vim in tota Ecclesia iisdem inesse; consequens id unum sit ea quoad provinciam approbata esse, in cujus gratiam habita fuerunt. Ut per universam Ecclesiam; canonum quos particulare concilium edidit, auctoritas diffundatur, omnium Ecclesiarum acceptione consensuque opus est.

CAPUT XVIII.

De Jure Canonico.

Canonici juris nomine venit jus, ad regendam Ecclesiam & moderanda Christi fidelium acta, quoad spiritalia bona æternamque felicitatem, ab Ecclesiastica potestate institutum; in quo differt a jure civili quod a sæcularibus potestatibus ad ditionum earumdem regimen, & ad hominum acta dirigenda, quoad temporalem felicitatem, institutum est. *Jus canonicum* dicitur a græca voce *ca on*, quæ *regulam* significat, quia leges e quibus illud coalescit & constat, cum rectitudine excellant, dignæ proinde sunt quæ *regulæ* nomen præseferant. Nuncupatur etiam *jus sacrum*, *jus ad religionem spectans*, *jus ecclesiasticum*. Eruitur e præcipuis fontibus quatuor, scilicet, e sacra Scriptura, e Conciliis generalibus & particularibus, e sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum Operibus, e Romanorum Pontificum Decretalibus seu Epistolis.

Dividitur jus canonicum, 1. in jus Orientale quod ad Orientis, & in jus occidentale quod ad Occidentis Ecclesiarum regimen editum est; 2. in jus commune quod pro tota Occidentis Ecclesia conditum est, cujusmodi est illud quod in generalium Occidentis conciliorum decretis continetur, & in jus particulare quod pro nationalium Occidentis Ecclesiarum aliqua confectum est, cujusmodi est Gallicanæ Ecclesiæ proprium & peculiare jus quod in Pragmatica Sanctione, Concordato, Capitularibus & Regum edictis continetur; in jus publicum quod propius ad omnium, & longius ad singulorum rationes spectat, cujusmodi super ecclesiasticorum bonorum administratione canones sunt, & in jus privatum quod propius ad singulorum, & longius ad omnium rationes refertur, cujusmodi sunt canones qui certas personas, certa corpora, certosque status afficiunt; 4. in jus vetus, jus novum, & jus novissimum. Appellatur *jus vetus* illud quod in conciliorum canonibus, quæ primis Ecclesiæ sæculis habita sunt, & in Gratiani Decreto extat. Vocatur *jus novum* illud quod in Decretalibus & in posteriorum sæculorum canonibus exhibetur. Dicitur *jus novissimum* illud quod in Romanorum Pontificum constitutionibus, bullis & brevibus occurrit, quæ per publicam auctoritatem collecta & in lucem edita fuere, post Decretales & canones qui in juris canonici corpore continentur. Harum Decretalium postrema est constitutio Sixti IV. ann. 1483. in lucem edita: & quicquid hoc in genere sequitur, ad jus novissimum pertinet. 5. Tribuitur jus canonicum in jus receptum, seu solemniter per publicationem, seu tacite per usum, & in jus non receptum, non acceptatum, seu tacite, seu solemniter; 6. in jus abrogatum quod obligavit, at non amplius obligat, & in jus non abrogatum quod semper in usu est.

Canonici juris materies seu id quod multiplices Ecclesiæ leges moderantur, redigitur ad personas, ad res & ad judicia; ut in toto proinde jure nihil omnino sit quod non apte sub harum trium partium una collocari possit. Personæ sunt aut Deo consecratæ, aut non consecratæ; & consecratæ quidem personæ sunt aut clerici, aut religiosi, aut utræque simul, aut in dignitatibus constitutæ, aut fine dignitatibus. Res spectant fidem, aut mores, aut politiam & disciplinam. Judicia versantur super actionibus civilibus aut criminalibus, &c.

Inter collectiones quæ jus canonicum continent, sunt aliæ veteres, aliæ medio tempore prodierunt, aliæ has posteriore subsecutæ sunt, & veniunt ad nos usque. Veteres sunt, inter alias, Collectio canonum & constitutionum quæ Apostolis tribuuntur; Orientis Ecclesiæ Codex; vetus Codex Romanæ Ecclesiæ, Codex Dionysii Exigui, qui antiquis Codicibus addit Summorum Pontificum Decretalia, a Siricio qui ann. 385. in vivis agebat, ad Anastasium II. qui ann. 523. e vita migravit; Codex notus Isidori mercatoris nomine, qui falsa Decretalia plura vulgavit Pontificum nomine, qui Siricium præcesserant. Cardinalis de Aguirre putat S. Isidorum Hispalensem, majore saltem ex parte, hujus collectionis auctorem esse; eum enim fatetur, cum ann. 636 supremum diem obiisset, suæ collectioni inserere non potuisse concilia plura quæ in ea comperiuntur, quæque non nisi post ejus mortem habita sunt. Alii aliter sentiunt, quin tamen aut nomen veri auctoris collectionis hujus, aut statum tempus quo ea cœpit se in lucem dare, designare possint. In id unum consentiunt, ut dicant id non nisi intra spatium, a septimi sæculi initio ad noni finem, esse potuisse. Ad auctorem quod spectat, sunt qui putent, cum Petro de Marca, eum fuisse Episcopum quemdam *Isidorum* nomine, qui *peccatoris* nomen suo addidit, ex consuetudine quæ olim vulgo inter Episcopos obtinebat, ut, per humilitatem, *peccatoris* nomen suo adderent; ut horum proinde auctorum sententia, *mercatoris* nomen, ex amanuensium inscitia vel oscitantia, *peccatoris* nomini suffectum fuerit. Ut ut res habeat, omnes canonici juris veteres collectiones veluti extinxit abolevitque Gratiani Decretum quod statim ac prodiit, explicari cœpit, nec porro desiit in omnibus Universitatibus; nominatur *Decretum* per excellentiam.

Gratiani Decretum continet, volumine *in-folio*, primam ejus partem quod *Corpus juris canonici* nuncupatur. Ejus auctor Gratianus Benedictinus monachus erat, Clesii in Hetruria natus, Florentiam prope. Illud ann. 1127. inchoavit, & ann. 1151. luci dedit, hoc titulo: *Concordia discordantium canonum*, quia reapse in id incumbit, ut canones conciliet, qui invicem pugnare videntur. Dividitur id Operis in partes tres; prima distinctiones complectitur centum & unam numero, quæ totidem veluti sectiones, tituli seu capita sunt, quæ materien distinguunt & dividunt. In prioribus viginti hujus primæ partis distinctionibus, agit Gratianus de jure universim, deque multiplici ejusdem genere; de jure naturali & positivo, divino & humano, civili & ecclesiastico; de eo e quo jus ecclesiasticum conflatum est, videlicet, de conciliorum canonibus, de PP. sententiis, &c. Reliquæ distinctiones agunt de ecclesiasticis personis, de ordinibus, de variis gradibus jurisdictionis, & generatim de hierarchia universa. Decreti pars altera tribuitur in causas triginta sex, ita dictas, quia in iis expenduntur utrinque quæstiones quæ in interno aut externo Ecclesiæ foro agitari possunt. Unaquæque causa in quæstiones & canones subdividitur. Prima causa quæ continet quæstiones septem, agit de Simonia; quæ subsequuntur, ad decimam sextam usque, agunt de judiciis criminalibus, accusationibus, testibus, &c. A decima sexta ad usque vicesimam primam, agitur de jure patronatus, de monachis & monasteriis. Vicesima prima super clericorum vita versatur; cæteræ vero clericorum & laicorum vitam sibi proponunt. Earum tricesima tertia de Pœnitentia Tractatum continet. Tertia Decreti pars quæ inscribitur, *de Consecratione*, non continet nisi distinctiones quinque quæ peculiariter agunt de rebus sacris, nempe, de Ecclesiarum & Altarium Consecratione, de Missa, de Eucharistia, de Festis diebus quibus ea suscipi debet, de Baptismo, de Confirmatione, de Jejunio, de Imaginum cultu, de Doctrina Trinitatis.

In Gratiani Decreto, ad plurium canonum frontem, occurrit *Palea*. Ajunt nonnulli per id nominis reapse *paleam*, *festucam* significari, ut innuatur eos canones, tamquam paleam, inter triticum spectandos esse. Asserunt alii ita quidem notari libuisse pravas additiones quasdam editas a Gratiani discipulo, nomine *Patea*. Vocem hanc alii derivant a vocabulo *lex antiqua*. Id certum est eo nomine designari res quasdam quæ minoris auctoritatis quam cæteræ sunt, quæque huic operi deinceps additæ fuere. Porro Gratiani Decretum ipsum per se non alia quam operum auctoritate pollet, e quibus confectum est, videlicet Gratiani collectioni non inest legis vis, ut inesset, si approbata fuisset *ad hoc*, & quas continet, decisionibus doctrinalis tantum auctoritas est, quæ nempe conciliorum canonibus, aut summorum Pontificum Decretalibus convenit, quod earum fundamentum est. Itaquidem Galli, contra eorum sententiam qui Gratiani Decretum ipsum per se legis vi, utpote a Papa Eugenio III. approbatum confirmatumque, pollere contendunt.

Juris canonici pars altera continet Decretalium Gregorii IX. libros quinque, scilicet collectionem Epistolarum Romanorum Pontificum, earumque potissimum quæ ab ann. 1150. ad 1230. scriptæ fuere, cum generalium conciliorum Lateranensium tertii & quarti, aliorumque nonnullorum decretis quæ Gratianus omi-

omisit. S. Raimundo de Pennafort, Dominicano demandata fuit compilatio hæc a Gregorio IX. qui eam insignivit legis vi, quod in obedientiæ regionibus locum habet. Tribuitur quisque liber in titulos, & quisque titulus in capita seu capitula. Capita, ea quidem longiora, in paragraphos, & paragraphi in versiculos dividuntur. Argumenta de quibus in his quinque libris agitur, hoc versiculo continentur: *Judex, judicium, clerus, connubia, crimen*. Liber primus qui complectitur titulos quadraginta tres, agit de sancta Trinitate, de juris sacri generibus, de ordinibus, gradibus officiisque ad ecclesiasticas personas spectantibus, de rebus ad electiones, ad pallium, ad abdicationes, &c. pertinentibus, de judicum officio; de rebus judicia antevertentibus, cujusmodi sunt pacta, transactiones, &c. Liber secundus qui triginta titulos continet, de causis in universum, ac de judiciorum ordine & formis agit. Tertius cui tituli quinquaginta sunt, super præcipuis capitibus quinque, clericorum virtutibus, bonis ecclesiasticis, ecclesiasticorum bonis & juribus temporalibus, statu monastico & votis, clericorum officiis, functionibus, immunitatibusque versatur. Quartus agit, titulis duobus, de matrimonio, de causis ecclesiasticis, itemque de sæcularium causis non criminalibus. Quintus, titulis uno & quadraginta, de criminibus, judiciis criminalibus, & censuris ecclesiasticis loquitur. Compilationem hanc nonnulli Pentateuchum appellant, quia est in libros tributa quinque. Eadem nuncupatur *Extra*, quia sejuncta est a Gratiani Decreto quod unum antea corpus juris canonici conficiebat.

Tertia canonici juris pars continet collectiones quatuor, nempe, Sextum, Clementinas, Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes communes. Sextus, ita nominatus, quia Gregorii IX. Libris quinque additus est, continet epistolas Gregorii IX. post compilationem ejus jussu confectam, aliorumque Pontificum ad Bonifacium VIII. usque, & hujus ipsius epistolas. Continet etiam Lugdunensium duorum generalium conciliorum decreta. Dividitur in Libros quinque. Ei nihil unquam auctoritatis in Galliis fuit, ob Papæ Bonifacii VIII. cum Philippo Pulcro dissidia. Clementinæ, a Joanne XXII. enuntiatæ continent decretales Clementis V. & Viennensis, ann. 1311. concilii decreta. Extravagantes Joannis XXII. sunt Papæ hujus epistolæ, Extravagantes communes aliorum Pontificum epistolæ sunt. Dicuntur extravagantes, hoc est, errantes, quia in canonici juris corpore, scilicet in Gratiani Decreto, vel in antiquioribus collectionibus non continentur. Extravagantibus communibus nulla inest publica auctoritas. Adduntur canonici juris corpori Institutiones, seu Instituta quæ Joannes Paulus Lancelotus, Perusiæ, in Italia, doctor confecerat ad eorum imitationem quæ Justinianus edi jusserat, ut ad civile jus introductionis loco essent; & Lancelotii tamen Instituta hæc non sunt e canonici juris corpore.

Præter compilationes de quibus diximus, aliæ suppetunt quæ jus continent, quod *novissimum* vocari potest, collectio nempe cui titulus, *Septimus Decretalium*, qui, opera Petri Matthæi, jurisconsulti Lugdunensis, ann. 1591. lucem aspexit, inscriptus: *Collectio Constitutionum & Bullarum post Sextum, Clementinas & Extravagantes, usque in hodiernum diem*; magnum Bullarium Romanum; concilia, Tridentinum & provincialia quæ post XV. Sæculum habita sunt; Romanæ Cancellariæ Regulæ, numero circiter una & septuaginta. Per Romanæ Cancellariæ Regulas intelliguntur constitutiones quas Romani Pontifices ad beneficiorum dispositionem & provisionem, aliasque Pontificiæ Cancellariæ expeditiones, & ad litium in re beneficiaria judicium edunt. Hæ constitutiones desinunt ad Papæ mortem, ab eoque qui electus est, postridie quam ejus electio contigit, renovantur. Harum regularum tres tantum in Galliis expressim receptæ sunt; & earum plures aliæ, non tanquam Romanæ Cancellariæ, sed tanquam æquitatis regulæ, regiis sanctionibus, aut arrestorum jurisprudentia firmatæ ibidem servantur. *Vide*, in hujus Operis secunda Parte, *verb. Cancellaria Romana*.

Est præterea suum cuique nationi jus quod ejus proprium & peculiare est, constatque pluribus statutis, constitutionibus, edictis, regulis, usibusque uniuscujusque nationis, provinciæ, ecclesiæ, ordinis, congregationis, communitatis, &c.

Jus ecclesiasticum, Galliæ proprium, positum est, 1. in antiquis universæ Ecclesiæ Decretis & Usibus quos ea a cæterarum nationum jugo accuratissime sartos tectosque servavit; quod fundamento est Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, ita dictis, quia ad hanc Ecclesiam a servitute defendendam inserviunt in quam aliarum Ecclesiarum pleræque inciderunt, quibus scilicet haud satis animi fuit, ut omnium Ecclesiarum communia jura tuerentur. 2. in Pragmatica Sanctione, Concordato, Aurelianensi & Blesensi Constitutionibus, regiis Edictis, &c. 3. in Decretis provincialium Conciliorum Galliæ, synodalibus Statutis, Parœciarum, Hospitalium, aliarumque Communitatum præscriptis Regulis.

Laudatur porro jus canonicum in hunc modum:

Ex prima quidem Decreti Gratiani parte deprompti canones ita laudantur: *Can. Presbyter, distinct. 32.* videlicet, Canone qui incipit, ab hac voce, *Presbyter*, qui canon reperitur, distinctione 32.

Canones secundæ partis Decreti ita: *Can. quoniam* XII. quæst. 1. videlicet, Canone qui incipit ab hac voce, *Quoniam*, Causa XII. quæstione prima.

Tertiæ partis canones ita: *Can. nemo 9. distinct. 1. de Consecratione*. Vox hæc, *de Consecratione*, significat laudatum canonem pertinere ad tertiam Decreti partem quæ hunc titulum præfert: *De Consecratione*.

Gregorii IX. Decretales ita laudantur: *Cap.* Sollicita 2. *extra de restitutione spoliatorum*; nempe: Capitulo, *Sollicita*, secundo, quod est extra Decretum Gratiani, nempe, in Decretalibus Gregorii IX. titulo, *de restitutione spoliatorum*.

Collectiones reliquæ laudantur ita: *Cap. discretioni, de Decimis in* 6. nimirum, Capitulo, *discretioni*, titulo *de decimis*, in sexto Libro Decretalium. Item: *Cap. unico, de Homicidio, in Clement.* hoc est, in Clementinis vel Clementina. Item: *Cap. execrabilis, de præbendis & dignitatibus, in Extravag. Joann. XXII.* &, *Cap. Super cathedram, de sepulcris, in Extravagant. commun.*

Animadvertendum est in Decretis occurrere loca quædam in quibus ipse Gratianus loquitur, ut canones conciliet, hasque conciliationes appellari *dicta Magistri*. Præter has Gratiani conciliationes, extant loca alia quæ ejusdem & ipsa sunt, ejusmodi est quod ait ad initium cujusque distinctionis in prima Decreti parte, ut eam copulet cum præcedenti, aut cum sequenti; ejusmodi est etiam quod ad cujusque causæ exordium pronuntiat ad earum rerum expositionem quas hac in causa, & in singulis ejusdem causæ quæstionibus expendendas sibi proponit. Loca in quibus Gratianus loquitur, designantur per hoc vocabulum, *Gratianus*, & per duplicem (inversam) quæ ad eorumdem locorum marginem cernitur.

Abbreviationes pariter in juris canonici laudandis textibus usitatæ ejusmodi sunt:

Sp. Bon. Apud Bonifacium, in Sexto, ubi Bonifacii VIII. Constitutiones existunt.

Ap. Greg. apud Gregorium, in Libris Decretalium Gregorii IX.

C. seu, Can. In Canone, scilicet, in tali capite vel articulo Decreti Gratiani, vel alicujus concilii.

Cap. Capite, seu, *Capitulo*, in Capite tituli Decretalium, aut alicujus novæ Constitutionis.

Cau. Causa, in Causa, scilicet, in certa quadam lectione secundæ partis Decreti Gratiani.

De Cons. seu, *de C. secr. De Consecratione*, in Decreti parte tertia.

De Pœn. seu, *de Pænit. de Pænitentia*, in Tractatu de Pœnitentia, apud Decretum, causa 33. quæstione 3.

D. seu, *Dist. Distinctione*, in tali Distinctione Decreti Gratiani.

E. C. & Q. [illegible] *Eadem Causa & Quæstione*, In eadem Quæstione ejusdem Causæ, de qua jam dictum fuit.

E. vel, *Eod.* in eodem titulo.

E. vel, *Ex.* vel, *Extr. Extra*, scilicet, in Decretalibus Gregorii IX. quæ prima extra Gratiani Decretum collectio est.

Extra Jo: 22. Extravagante Joannis XXII. seu, *comm.* in tali vel tali Constitutione extravagante Joannis XXII.

F. Finalis, Finali, Fine; postremo, postrema, seu, ad finem.

Gl. Glossa; Notæ, seu, Adnotationes approbatæ super utroque jure.

H. Hic, in eodem loco, ibidem; in eadem distinctione, in eodem titulo, in eodem capite, &c.

H. Tit. Hoc titulo; in hoc titulo.

J. j. infra; inferius, mox, e vestigio.

J. Gl. Juncta Glossa, scilicet, addita laudato textui.

In Extr. comm. In Extravagantibus communibus; in Decretalibus quæ appellantur *Extravagantes communes*.

In F. In Fine, ad finem capitis, §. &c.

In P.

In P. dec. In Parte decisa; in parte abscissâ a Decretali quæ in medium affertur.

In Pr. In Principio; ad initium, & ante alicujus legis §. primum; ante primum alicujus distinctionis canonem.

In F. pr. In Fine Principii; ad finem introitus, seu proœmii.

In 6. vel, *In Sexto*; scilicet, in Libro sexto Decretalium quæ Bonifacii VIII. jussu collectæ sunt.

Li. vel, *Lib.* Libro; in Libro 1. 2. &c.

Lib. 6. vel, *Lib. VI. Libro sexto*; in Sexto.

P. Principium; initium tituli, &c.

Q. seu, *Quæst.* seu, *Qu. Quæstione*; in tali quæstione talis causæ.

Sum. seu, *Summa*; distinctionis, aut quæstionis Summarium, compendium, epitome.

T. seu, *Tit. Titulus, Titulo.*

℣. Versiculo, seu Versu; designatur ita pars paragraphi, canonis, &c.

Ult. Ultimo, Ultima; in postremo canone, in postrema lege, &c.

§. *Paragrapho*; in Paragrapho, hoc est, articulo, seu membro legis, capitis, distinctionis aut quæstionis Decreti.

Canonici juris eadem ac conciliorum studium emolumenta & commoda consequuntur, quoad dogmata, moralem doctrinam, disciplinam, historiam. Huic ergo danda est opera, eadem animi contentione, quin ab eo nos averti sinamus, ea scilicet obducta causa, quod ibidem occurrunt abrogati canones plures, iis qui servantur, admixti, quorum tamen abrogatio non indicatur, aut qui nullam in Gallia auctoritatem obtinent, aut qui suppositi sunt & ex apocryphis Pontificum Decretalibus ducti, aut qui denique relaxationes continent quæ sanctæ veterum canonum severitati repugnant.

Oppositiones has Giberius, ecclesiasticarum Institutionum suarum Tomo primo, sibi proponit, & ibidem ad singulas ita respondet: (*Pag. 6. & seqq. Editionis an.* 1750.)

1. Vel ad fidem, vel ad mores, vel ad divina præcepta, quoad Sacramenta, spectat maxima canonum pars; & hi quidem canones adhuc subsistunt, semperque subsistent, cum id quod continent, immutabile omnino sit. Tantummodo super disciplina editi canones mutationi obnoxii sunt, ut disciplina ipsa; sed eorum tamen complures usui etiamnum sunt, vel omnino, vel ex parte. Eorum plerosque quos, ante Tridentinum Concilium, contrarius usus, aut desuetudo abrogaverat, renovavit restituitque concilium hoc cujus decreta in Gallia servantur, iis tantum exceptis qui Libertates impetunt; & horum quidem non ita magnus numerus est. Quamvis autem abrogati canones non amplius obligent, non proinde tamen inutiles sunt; iis enim sua est, aliis rationibus, accommodatio. Cæterum regulæ præsto sunt, quarum adminiculo discernantur. Præcipuarum una est, canonem abrogatum non esse, tametsi non amplius servetur, atque adeo contrarius usus obtineat, dum eum renovant instaurantque, identidem, Præsules, sine quorum consensu canones abrogari non possunt. Hæc renovatio atque instauratio, quoad abrogationem, formalis oppositio est, & præscriptionem impedit. Hujus nimirum regulæ vi judicandum est canones qui ecclesiasticis mandant, ut vestem talarem, brevesque capillos deferant, abrogatos non esse, contrariis consuetudinibus non obstantibus, quia per conciliorum decreta, & Episcoporum constitutiones assidue renovantur.

2. Longe maximus est conciliorum numerus, etsi particularia fuerint & in exteris regionibus habita quæ auctoritate pollent in Gallia, quia scilicet ibidem recepta sunt; veniunt in hunc numerum, inter alia bene multa, priora quinque concilia particularia Ecclesiarum Orientis, Neocæsareense, Ancyranum, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, & conciliorum Africæ canones qui Gallicanæ ecclesiæ Libertates ex parte constituunt, quemadmodum ex earumdem Libertatum Articulo XLI. licet intelligi.

3. Suppositi canones in nullo propemodum numero sunt, si cum legitimis comparentur; vix enim apocryphus unus est pro genuinis mille, quoniam in Gregorii IX. collectione, quatuordecim tantum suppositi occurrunt, *Cap.* 1. *de Elect. c.* 3. *de Feud. c.* 1. 2. 7. *de Accusat. c.* 3. 4. 5. 6. 7. *de Simon. c.* 1. *de Heret. c.* 1. *de Cler. Excomm. ministr. c.* 1. *de Regul. juris, c.* 5. *de Jurejur.* Ejusmodi nullus prorsus extat in Collectionibus Bonifacii VIII. Clementis V. Joannis XXII. & Extravagantium communium; & hæ quidem collectiones, conficiunt duas tertias partes corporis juris. Gratiani collectio, quod ad commentitios canones attinet, eorum tantum nonnullos continet, qui Apostolis tribuuntur, quoniam eorum quinquaginta tantum recepit Romana Ecclesia; Papæ quæ de Sylvestri canones, eosque qui e falsis Decretalibus, nempe, ut notorium est, ex omnibus Litteris ducti sunt, quæ laudantur Pontificum nomine, qui Siricio priores fuerunt; Decretalibus, cæteroquin, quæ bene multa haud sane rejicienda continent, quia eas impostor e pluribus testimoniis contexuit, quæ e sacra Scriptura, Patribus Conciliisque deprompsit.

4. Distinguenda sunt in antiquis canonibus hæc duo, spiritus & littera; præterea quod mores afficit, & quod disciplinam tantum. Verum quidem est Ecclesiam se adactam vidisse, prout tempora defluebant, ut veterum canonum, in meræ disciplinæ rebus, severitatem moderaretur; at super littera se remittens, eorum semper spiritum servavit qui subsistit etiamnum, semperque subsistet. Ita abrogans, causa exempli, veteres canones qui publicam pœnitentiam, cum ejus duris exercitationibus & gradibus, longisque inter hos singulos intervallis præscribit, eorum nihilominus spiritum ipsum vimque retinuit, pœnitentiam seu satisfactionem ad peccatorum numerum & gravitatem exigi jubens, & ad judicium de hac proportione ferendum, veterum canonum lectionem commendans. Eorum ergo studium negligi nequit, ea obducta causa, quod abrogati sunt, quoniam semper viget & constat eorumdem spiritus, ab eorumque littera recedens recentior Ecclesia, nec a veritate, nec a justitia recessit, quia nec auctoritatis, nec infallibilitatis ei minus est quam primitivæ Ecclesiæ fuerit, quandoquidem eam idem regit Spiritus Sanctus.

ANALYSIS

Tractatus de Conciliis.

Concilia sunt Episcoporum aliorumque Ecclesiæ ministrorum legitimi cœtus, ab eo cui id juris est ut iisdem præsit, vel ejus consensu convocati, ad ecclesiastica negotia quæ fidem, mores, aut disciplinam spectant, moderanda.

Concilium generale, seu œcumenicum illud est ad quod vocantur omnes Christiani Orbis Episcopi, eorum excluso nemine, nisi hæreticus aut excommunicatus sit.

Concilium particulare illud est ad quod vocantur non quidem totius Christiani Orbis, sed unius tantum nationis Episcopi, ac tunc nationale concilium est; vel alicujus Patriarchatus Episcopi, & est patriarchale concilium; vel Episcopi Primatiæ, & concilium primatiale est; aut provinciæ alicujus Episcopi, & est provinciale; seu denique solus, una cum suo ipsius clero, certæ cujusdam diœcesis Episcopus, & est concilium seu synodus diœcesana.

Concilia divinæ institutionis sunt, ut probant ea Christi Domini verba quæ Chalcedonense concilium explicuit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; & Apostolorum qui ad Hierosolymitanum convenerant, hæc alia verba: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.*

Concilia, seu generalia, seu particularia, non sunt absolute quidem necessaria necessitate physica aut metaphysica, quia Deus ecclesiam suam sine conciliis tueri incolumemque servare potest; solummodo necessaria sunt absoluta quadam morali necessitate, spectato nimirum ordine quem Deo placuit ad ecclesiæ suæ regimen & incolumitatem statuere; cujus sane ordinis vi, concilia, seu generalia, seu particularia cogi necesse est, pro multiplici circumstantiarum ratione, ut cum id agitur, ut disputationes quæ super obscuris ac difficilibus doctrinæ capitibus insurgunt, finiantur, aut explanentur etiam doctrinæ capita quibus ecclesiæ publica dogmata continentur, sed quæ tamen ipsa ab hostibus impugnantur vi & numero formidandis, aut ad generalem Ecclesiæ reformationem studium & opera conferatur. In his aliisve ejusmodi casibus necessaria concilia sunt, ac semper utilia, ut Ecclesiæ dogma, moralis doctrina, disciplina, cultus, ritus, cæremoniæ ad normam componantur, servetur ejus unitas & integritas, eademque ab hostibus, tum qui foris, tum qui intus in ipsam irruunt, defendatur.

Concilia possunt definite ecclesiastica omnia negotia dijudicare, ea scilicet quæ fidem, mores, disciplinam, sacramenta, sacrorum Bibliorum sensum & interpretationem, Librorum censuram spectant, & generatim quicquid ad ejus inspectionem & jurisdictionem pertinet, quippe quæ eam repræsentant, aguntque ejus nomine & auctoritate. Adhibere etiam & consecrare certas quasdam loquendi formulas & rationes possunt, quæ sint veluti proprium fidei vocabulum, formulasque seu locutiones contrarias damnare,

quæ veluti proprium erroris vocabulum essent. Quoad res mere civiles ac temporales, non eo jure concilia pollent, ut de iis judicent ipsa per se; potestas enim quam acceperunt a Christo Domino, eorumdem institutore, æque ac potestas Ecclesiæ quam repræsentant, non nisi spiritalis potestas est, cui quidem non est propositus scopus alius quam animarum, in hac vita, per documenta & Sacramentorum administrationem, sanctificatio; possunt ea tamen de temporalibus iis rebus agere quæ ad eorum tribunal, ibidem judicandæ, libere deferuntur.

Ad conciliorum præsides pertinet jus proponendi negotia super quibus eadem versantur, quin tamen excludantur cæteri Episcopi quibus semper liberum fuit, in conciliis quibus interfuerunt, ea proponere de quibus eorumdem cœtuum judicio ac deliberatione sibi opus esse censuissent. Porro negotiorum, quæ conciliis proposita materies est, decisio & conclusio semper ad hos sanctos cœtus pertinuerunt, qui semper definite pronuntiarunt, & quorum nomine definitiones inscriptæ fuerunt: *Sancta synodus definivit. Universum concilium dixit. Ab universis Episcopis dictum est. Placet universis Episcopis.*

Laici non gaudent deliberativa voce in conciliis quoad negotia mere ecclesiastica, quia hujusmodi vox seu suffragium nihil est aliud quam definite cum auctoritate judicandi potestas, & quia laici negotiorum mere ecclesiasticorum judices instituti non fuerunt. Conficit assertio hæc articulum fidei, sacra Scriptura, Patribus, uniformi constantique conciliorum praxi, Christianorum Principum testimonio, pluribusque theologicis rationibus nixum. Clericis tantum & non laicis Christus Dominus clavium potestatem concessit, quæ posita est in facultate ligandi animas solvendique, & eas judicandi; easdem ducendi, iis Sacramenta administrandi, iisdem id proponendi quod credere aut rejicere, servare aut evitare debent. Non omnes prophetæ, apostoli, doctores, pastores sunt. Id contendere, est miscere sacra profanis, essentialem distinctionem de medio funditus tollere quæ spiritales inter ac temporales res intercedit; est, in religione omnia susque deque vertere, omnia confundere.

In negotiis quæ fidem, mores, disciplinam spectant, & quicquid ad plurium Ecclesiarum regimen pertinet, judicandi, decidendi, legesque condendi radicalem potestatem a Christo Domino simplices presbyteri, cum initiati sunt, acceperunt. Iis hujus potestatis usu in conciliis frui licuit, ad Tridentinum concilium usque, cum Ecclesiæ venia, quæ poterit in eamdem, quoties ita expedire crediderit, eos restituere. Judicandi radicalis potestas quam sacerdotes a Christo Domino susceperunt, ejusdemque exercendæ jus quod ab Ecclesia tenent, non impediunt, quominus Episcopi presbyteri, divino jure, superiores sint, &, independenter a presbyterorum suffragiis, valida sint eorumdem judicia, quia primis tantum pastoribus absoluta infallibilitas promissa fuit, alteriusque ordinis pastores non judices necessarii & stricto jure, sed utiles & ex æquitate quadam judices sunt. Suffragii jus quod a Christo & ab Ecclesia tenent presbyteri, de suffragio proprie dicto intelligi debet, quoniam, e communi usu, absentium Episcoporum deputati, & Episcopalium Ecclesiarum procuratores, vacantis sedis tempore, ejusmodi suffragium obtinuerunt, æque ac simplices presbyteri qui nonnunquam conciliis præfuerunt, Romanæ Ecclesiæ Cardinales-presbyteri, & patriarchalium Orientis Ecclesiarum presbyteri.

Episcopi *in partibus infidelium* deliberativa voce, quoad exercitationem, generalibus in conciliis, gaudent ipsi per se, cum in infidelibus regionibus ad animarum salutem incumbunt, quia tum quidem jurisdictione quam in suis peculiaribus Ecclesiis, supraque suos proprios subditos exercent, instructi sunt; contra vero Episcopi *in partibus* qui in infidelibus regionibus non laborant, deliberativæ vocis usu, solum privilegii vi, gaudent, cum nec jurisdictionem, nec Ecclesiam, nec subditos habeant.

Abbates regulares quibus jurisdictio quasi-episcopalis est, deliberativa voce gaudent, quin nova concessione opus habeant; at abbates commendatarii & abbates regulares qui in suos tantum monachos suosque domesticos jurisdictione pollent, hac voce tum solum, cum iis conceditur, frui possunt.

Universitatum doctores, officiarii, magnique vicarii, inquisitores eo jure gaudent ipsi per se, ut doctrinalia judicia ferant, non autem legislativa quæ judiciariam auctoritatem sequuntur; jus hoc non obtinent, nisi cum ab Ecclesia, per Papæ vel Episcoporum ministerium, iisdem conceditur, ut ex actis erectionis ejusmodi dignitatum constat.

Diaconis, utpote qui ex hierarchia sunt quam Christus Dominus instituit, Ecclesia deliberativam vocem concedere potest. Eam reapse obtinuerunt in conciliis pluribus ad quæ suis ab Episcopis deputati erant; eaque Cardinales-diaconi nunc quoque temporis gaudent. De subdiaconis vero, de clericis inferioribus, &, potiore sane ratione, de laicis contra sentiendum est, quia e divina hierarchia minime sunt. His consultativam vocem concedere potest Ecclesia, nihilque prætera.

Hæretici porro conciliis, tamquam judices, interesse non possunt, quia cum ab Ecclesia sejuncti sint, jurisdictionem amiserunt; ad ea tamen admitti possunt, tamquam traditionis testes, super capitibus in quibus eos inter & Catholicos convenit; atque adeo debent iidem in ea recipi, cum de eorum personis damnandis agitur, quia postulat naturæ jus, ut ne quis inauditus damnetur.

Romanis Pontificibus, tamquam universæ Ecclesiæ capitibus, id, ex ordine, juris est, ut generalia concilia convocent; at hoc jus ipsum non est exclusivum, quandoquidem priora octo generalia concilia a Christianis Imperatoribus convocata fuere, ac multiplex est facti species in qua generalia concilia ab aliis convocari quam a summis Pontificibus possunt, ut cum plures inter se de Papatu contendunt, aut cum Papa est hæreticus, mentis impos, captivus apud infideles, &c. Supremi quoque Principes nationalia suarum Ditionum, itemque provincialia concilia convocandi jus obtinent, quia conciliorum convocatio est actus auctoritatis mere civilis, inhærentis personæ Principis, supremæ potestatis vi qua is in suos omnes subditos pollet.

Omnium primi ad concilia vocandi sunt quicunque deliberativa voce, per divinam institutionem, in iisdem gaudent, cujusmodi Episcopi sunt, iique deinde quibus hæc vox non nisi per Ecclesiæ concessionem est, cujusmodi sunt Cardinales non episcopi, abbates quidam, &c. Ad eadem, tamquam doctores & consultores, vocari debent simplices presbyteri, aliive clerici sapientia scientiaque ecclesiastica commendabiles. Accersit etiam ad concilia eos omnes Ecclesia, qui iis aliquid utilitatis afferre possunt, aut quorum res in iisdem agitur, hæreticos demum ipsos, ut eorum defensiones audiat, eosdemque, si qua tandem ratione possit, in suum ipsius sinum restituat.

Convocatio quæ fit ex regulis per invitationis Epistolam a Patriarcha, Primate aut Metropolitano ad eos missam quibus id juris est, ut conciliis intersint, ad particularium conciliorum essentiam non pertinet, quoniam eorum plura, per occasionem. & quin solemnis forma ulla præcederet, habita sunt; at eam generalia concilia necessario sibi vindicant, quandoquidem ad ea vocentur, oportet, omnes Christiani Orbis Episcopi.

Præsidentia honoris & patrocinii, quæ in eo est posita, ut prima sedes in concilio occupetur, in eodem servetur ordo, eique præsidium suppeditetur, ad supremum Principem, ob ejus eminentiam ac dignitatem, pertinet. Auctoritatis vero & jurisdictionis præsidentia quæ negotia proponendi ad quæ concilia referuntur, judicium pronuntiandi, suffragium conferendi, & quæ aliis collata sunt, colligendi jus tribuit, pertinere non potest nisi ad ministros quos Christus instituit, ut ipsius Ecclesiam regerent, & in fidei negotio, omnique mere spiritali rerum genere judicarent.

Indigent concilia confirmatione Principis, ut publicæ, civilis & coactivæ legis notam & vim, etiam in rebus mere spiritalibus, sortiantur, quia Principum tantum est afflictivas iis pœnas imponere qui vel in rebus mere spiritalibus, conciliis parere pertinaciter recusaverint. Verum, independenter ab hac Principis confirmatione, concilia, in dogmatum negotio, in iisque rebus omnibus quæ mere spiritales sunt, sacratæ & ecclesiasticæ legis vim & robur obtinent, hoc est, ligant ipsa per se, in foro interno, obligantque ipsorum Principum æque atque aliorum conscientias, quoniam iidem Ecclesiæ filii sunt non minus quam alii, nec minus ejusdem legibus mere spiritalibus subsunt.

Conciliis suppetit auctoritas legislativa quæ in judicandi, obligatorias leges ferendi, earumque transgressoribus pœnas imponendi potestate posita est, quia potestas hæc omni recte institutæ societati essentialis, & ad ejus incolumitatem absolute necessaria est. Qui sacræ Scripturæ & Patrum textus divinam conciliorum & Episcoporum institutionem probant, iidem etiam evincunt Episcopos & concilia suam legislativam auctoritatem proxime a Christo Domino, non autem, ut Protestantes garriunt, a Principibus & populis accepisse.

Concilia particularia, plurimi licet ad ea celebranda con-

convenerint, infailibili auctoritate non gaudent ipsa per se, quia scilicet universam Ecclesiam non repræsentant. Eorum ergo auctoritas haud latius patet quam Episcoporum jurisdictio qui iisdem interfuerunt. E converso, suprema & infallibilis est generalium conciliorum auctoritas ob eam ipsam causam, quod universam Ecclesiam qua, vi promissionum Christi Domini, infallibilis ipsa est, repræsentant.

Generalium conciliorum infallibilitas ad omnes controversias seu negotia protenditur quæ fidem, mores & disciplinam spectant, ea de causa, quia totam, quam late patet, Ecclesiam repræsentare non possunt, quin ejus omni prorsus infallibilitate gaudeant, & quia in tribus quæ diximus, capitibus infallibilis Ecclesia est, videlicet, Ecclesia filiis suis proponere non potest nisi fidem sanam & veritati consonam, nisi mores puros & sanctitati consentaneos, nisi disciplinam externam, quæ agendi rationem quæ fidei, bonis moribus, divinæque legi respondeat; si enim Ecclesia in his tribus capitibus, aut in eorum aliquo errare posset, quicquid ad fidelium salutem necessarium est, a Christo Domino non accepisset; eos per sua documenta in errorem inducere & perdere posset, & quod inde consequitur, veritatis basis & columna, sanctitatisque, bonorum morum, rectæque agendi rationis regula non amplius esset.

Quoad alia capita ad fidelium salutem minime necessaria, concilia generalia, perinde atque Ecclesia quam repræsentant, infallibilitatis dono seu privilegio non gaudent, ea ipsa de causa, quod eorum parum interest hominum animum super quibusdam capitibus certo sistere ac firmare, in quibus secus esse possunt, aliterque sentire, quin inde quicquam incommodi subeat eorumdem salus quam unam & unicam Christus Dominus, suam Ecclesiam efformans, sibi proposuit, sibique proponit Ecclesia ipsa, suis edendis decretis, a sui divini Fundatoris mente, ac pro potestate quam ab ipso ad eamdem hominum salutem accepit.

Inter capita ad salutem haud necessaria in quibus generalia concilia falli possunt, numerantur quæstiones mere philosophicæ & mere scholasticæ, quæstiones humani solum juris, facta non revelata, & generatim quicquid in sacris Litteris, aut in traditione non continetur.

Suam generalia concilia infallibilitatem a Papæ confirmatione non mutuantur; eam proxime tenent a Christo Domino, promissionum vi per quas recepit se cum Ecclesia versaturum, eique per suum sanctum Spiritum præsto fore, ut impediret, ne falleretur, & ut ab ipsa errorem averteret, ad sæculorum finem usque, siquidem generale concilium nihil est aliud quam Ecclesia universa, in unum corpus conjuncta, & quod inde consequitur, superior Papæ qui non nisi primum membrum est, ab hoc universæ Ecclesiæ corpore semper pendens. Generalium igitur conciliorum a Summis Pontificibus edita confirmatio eos supra concilia hæc esse non probat. Jus hoc ad omnes Episcopos, tamquam fidei judices ac testes pertinet, ipsumque per se nullam eminentiam seu superioritatem secum trahit, quia Episcopi, dum conciliorum decreta confirmant, solum declarent se in iis fidem agnoscere quæ semper in Ecclesia tradita fuit; eam se sacris Litteris, traditioni, communi prædicationi consonam judicare, eam se approbare, eam se amplecti, eique se subdare. Confirmant ergo generalia concilia summi Pontifices, non quasi iis superiores sint, sed ut ea suscipientes, iisque se ipsos subdentes, ut communione se toti Ecclesiæ conjungant. Non ergo quicquam aliud eorum approbatio est quam acceptio ei similis quæ ab absentibus Episcopis petitur, quæque ipsa dicitur *confirmatio*, quia, cum omnes Episcopi per judicium concilia suscipiant, proinde absentium Episcoporum subscriptiones *confirmationes* vocantur.

Adsunt conditiones tres necessariæ seu essentialiter requisitæ, ut concilium aliquod sit vere generale seu œcumenicum & in suis decisionibus infallibile; & conditiones hæ vel ad convocationem, vel ad celebrationem, vel ad exitum concilii spectant.

Ut concilium quoad convocationem œcumenicum sit, Catholici omnes Christiani Orbis Episcopi ad illud vocati sint, oportet, tamquam qui omnes & singuli, divino jure, fidei judices sint.

Ut concilium in ipsa celebratione sit œcumenicum, non est necesse omnes ad unum Orbis Episcopos reapse eidem adesse; satis est ibidem existere congruum eorumdem numerum ad universam Ecclesiam, sapientium & prudentium virorum judicio, repræsentandam, siquidem ad apicem, & cum præcisione, definiri non potest, quot Episcoporum ad eum cœtum conficiendum qui Ecclesiæ universitatem exhibeat, ibidem adesse debeant. Id certum est oportere a variis Christiani nominis provinciis adesse saltem Episcoporum satis, ut Episcoporum in reliquis provinciis degentium suffragium & doctrinam ad concilium afferent; quod optime fieri potest, collationum aut conciliorum particularium ope, tametsi multo minor Episcoporum, in generali concilio, præsentium quam absentium numerus sit.

Requiritur, tertio loco, ad œcumenici Concilii exitum, ut in eo quæstiones diligenter examinentur, eædemque non sine suffragiorum libertate quæ sit omnibus absoluta numeris, decidantur. Necessarium porro est quæstionum examen, quia Episcopi ad eas judicandas a Deo extra ordinem inspirati non sunt, nec novas revelationes accipiunt. Revelatæ veritates omnes sacris Litteris ac traditione continentur; nec detegi eruique possunt nisi studii & examinis adminiculo, quæ scilicet adjumenta sunt ad veritatem detegendam a Deo instituta, quin nova quæ non promisit, extra ordinem subsidia expectentur.

Non minus necessaria quam examen ad concilii œcumenicitatem libertas est, quia concilium non est œcumenicum, nisi cum universam Ecclesiam repræsentat; nec universam Ecclesiam repræsentat, nisi cum loquitur ejus nomine, cum per ejus spiritum agit, cum ejus leges sequitur, cum exponit ejusdem sensa; horum autem nihil facere potest, cum torquetur, molestia afficitur, cogitur, & per violentiam adigitur impelliturque, quia vis quam patitur, illud impedit, ne veritatem aut cognoscat, aut dicat, si cognoscit; cum Christus Dominus congregatis Episcopis non promiserit eos se impeccabiles redditurum, supra præposteros scilicet animi motus erecturum, qui judices, quominus ex officio agant, impedire possunt. Cum in concilio violentia dominatur, non censentur Episcopi suam ipsorum sententiam suamque voluntatem exprimere, sed eorum sententiam & voluntatem, qui eos opprimunt, iisque vim inferunt. Factum hinc, ut extiterint concilia, convocatione quidem, generalia, quæ ipso tamen exitu, ejusmodi esse desierunt, libertatis defectu, cujusmodi, inter alia, Ephesinum secundum concilium fuit; &, quoniam difficile scitu est an concilium quæstiones satis expenderit, & an suis in judiciis liberum fuerit, œcumenicitatis concilii non alia omnino certa regula est, quam ejusdem per universam Ecclesiam acceptio; quæ quidem acceptio tunc innotescit, cum doctrinam a concilio decisam in tota per orbem Ecclesia tradi & nuntiari perspicitur, sine ulla Episcoporum contradictione. Ita, causa exempli, evidenter agnoscitur Tridentinum concilium ab universa Ecclesia, quoad dogma, receptum esse, quia doctrina ad quam ejus decisiones referuntur, publice in tota Ecclesia traditur nuntiaturque, Episcopis nequaquam contradicentibus. Sed Ecclesiæ tamen acceptio œcumenicis conciliis vim & auctoritatem non tribuit; sunt enim ipsa per se fallere & falli nescia; hæc acceptio adjumento est, ut intelligatur, in iis nihil non e regulis actum esse, &, quod inde fit consequens, ita scilicet, ut de eorum œcumenicitate constaret.

CONCILIA
SÆCULI PRIMI.

Concilium Hierosolymitanum ann. 49. 50. seu 51. Christi Domini.

HUIC concilio occasionem præbuit Antiochenæ Ecclesiæ super circumcisione & legalibus cæremoniis dissidium. Cum Sanctus Paulus & S. Barnabas Antiochiæ versarentur, fratrum nonnulli qui ex Judæa venerant, ibidem turbas conflarunt, ajentes neminem sine circumcisione, & non servata Mosis lege, æternam salutem consequi posse. Hujus seditionis Cerinthus hæreticus caput erat. In eum S. Paulus & S. Barnabas vehementer invecti sunt, asserentes Christum Dominum suos ab hac servitute liberaturum venisse, iisque qui circumcisionem ut necessariam spectarent, ejus gratiam omnino inutilem fore. Tum Hierosolymam se contulerunt, ubi easdem turbas quæ Antiochenam Ecclesiam exagitabant, compererunt. Ad eas finiendas Apostoli convenerunt, ann. 50. aut 51. numero quinque, scilicet, S. Petrus, S. Joannes, S. Jacobus, S. Paulus & S. Barnabas. Alii præterea fratres ibidem aderant; atque adeo Hierosolymitana omnis Ecclesia eo vocata fuisse videtur, non quidem ut judicaret, sed ut judicium quod ab Apostolis pronuntiatum esset, audiret ac non sine observantia susciperet. Cum illi super proposita difficultate magnopere contulissent, surrexit S. Petrus, tamquam Apostolorum æque atque universæ Ecclesiæ caput, atque ita conclusit, ut eos qui recens ad fidem venerant, a Mosaicæ legis cæremoniis eximeret. Excepit S. Petri verba S. Jacobus, allatoque propheta rum testimonio, quicquid Petrus de Gentium vocatione dixerat, confirmavit, judicavitque haud turbandos qui ex iis resipuissent, sed solum per litteras monendos esse, ut ab eo quod idolis oblatum fuerat, a fornicatione, a carnibus suffocatis, & a sanguine se abstinerent. Sancti Petri & Sancti Jacobi sententiam cœtus universus secutus est; synodica in id edita Epistola quam ad novos, e Gentibus, Antiochenæ urbis, Syriæque & Ciliciæ provinciarum fideles missam Paulus, Barnabas, Judas, cognomento *Barsabas*, & Silas detulerunt. Clemens Alexandrinus, in IV. Stromatum suorum libro, *pag.* 512. synodicam hanc Epistolam scriptam ait duodecim Apostolorum nomine quos ii quidem omnes & singulos Hierosolymitano concilio interfuisse pro certo ponit; at de quinque tantum sacra Scriptura loquitur.

In ea Cardinalis Baronius (*Super hac synodica Epistola animadversiones.*) sententia fuit, carnes idolis immolatas comedendi prohibitionem non ad universam Ecclesiam, sed ad Antiochiæ solum, provinciarumque Syriæ & Ciliciæ Christifideles spectasse, ad quos nempe concilii Epistola mittebatur, quibusque in locis disputationes inceperant. Utcunque sit, interdictio quæ in ea legitur, ne idolis immolatæ carnes edantur, bifariam accipi potest; primo, ne comederentur iis ipsis in locis in quibus offerebantur, quia ad dæmonum mensam edere, erat eorumdem sacrificia participare; secundo, ne ex iis edatur in communi victu, cum periculum adest, ne id infirmis lapsus & scandali occasio fit, aut erronea conscientia, ita scilicet, ut id malum esse putetur. Idolis igitur oblatas carnes omnino non inficiebat ejusmodi oblatio; ex quidem ipsæ per se promiscue se habebant; nec nisi per accidens, illicitus evadebat earumdem usus, seu quod crederetur iis vesci malum esse, seu iis comedendis ob eorum oculos qui sibi in animum inducebant credere eas suapte natura malas esse, eumque qui fieret earumdem particeps, significare se ad idololatriam regredi velle. At fornicationem, sine exceptione, concilium vetuit; & hac sane de re Ethnicos certiores fieri necesse erat, quia eorum plerique licitam autumabant. Civiles leges, in ethnica religione, non nisi adulterium interdicebant; concubinas, captivarumque usum, pro lubidine permittebant. Ad suffocata animalia quod attinet, vetuerat jam Deus Noe, cum ex arca pedem efferret, ne ex eorum sanguine & carne comederet; atque est sane, quod credantur Apostoli hanc unam satis facilem e legalibus cæremoniis initio quidem relinquere voluisse, ut Gentes & Judæos consociarent, iisque arcam Noe, figuram Ecclesiæ quæ omnes nationes recipit, in animum revocarent. Substitit id moris in Latina Ecclesia, ad duodecimum usque sæculum, quo nempe S. Othonem, Bambergensem Episcopum, Pomeraniæ incolis quos Ecclesiæ nuper addiderat, vetuisse perspicimus, ne sanguine & suffocatis animalibus vescerentur; mos idem in Africa haud tamdiu viguit; & S. Augustinus memoriæ prodit ibi risu etiam exceptas fuisse religiosiores personas quasdam quæ ægre adduci poterant, ut eum violarent. *Lib.* 32. *contra Faustum, c.* 13. *p.* 457. *tom.* 8.

Ejusmodi fuit Hierosolymitanum concilium quod conciliis generalibus, ad finiendas fidei & disciplinæ controversias, in Ecclesia deinceps habitis exemplum suppeditavit. Ejus historia in Libri Actorum Apostolicorum Capite XV. legitur; & (*Reg. & Lab. Tom.* I.) Apostoli quidem, peculiaribus aliis de causis, iterum etiam, secundo & tertio Hierosolymis convenerunt; at cœtus hi, si proprie loqui volumus, concilia non sunt. In horum primo, perfidi Judæ successorem forte traxerunt; & sors quidem super S. Matthiam cecidit. Venerabilis Bedæ ea est opinio Apostolos sortis ratione usos esse, ut agnoscerent quem sibi Deus Apostolum vellet, quia Judæi, quotannis, magnum Sacerdotem in hunc modum eligere consueverant; at interpretum plerique putant ea verba, *sors cecidit*, nihil aliud innuere, quam Deum, ea occasione, voluntatem suam per apertum aliquod & sensibus obvium signum patefecisse. Cœtus hic statim ab Ascensione Christi Domini habitus fuit, cum adhuc Apostoli in cœnaculo morarentur, ubi Spiritus Sancti adventum præstolabantur, ann. scilicet C. D. 33. aut 34. Cœtus alter, eodem anno celebratus, priorum septem Ecclesiæ diaconorum electionem propositam habuit; electi fuere S. Stephanus, S. Philippus, Procorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus. Convocatus tertius fuit ann. C. D. 56. Judæorum occasione, qui Christianam fidem amplexi de S. Paulo conquerebantur, persuasum habentes eum funditus evertere Mosis legem, erga quam observantia alte eorum animis insidebat. Hierosolymam se contulit S. Paulus, ut cum aliis Apostolis de hoc negotio colloqueretur; omnesque, post maturum examen, expedire judicarunt, ut Synagoga cum dignitate sepeliretur, declarantes, quoad Templum & sacrificia Hierosolymis perstitissent, circumcisione adhuc & cæteris Mosaicæ legis cæremoniis Judæos qui Christo nomen dederant, uti posse, sed ita tamen, ut crederent satis esse, ad salutem obtinendam, Evangelii præcepta sequi. Videri possunt, super his cœtibus, I. 6. & 21. Apostolicorum Actorum Capita, & tomus I. Conciliorum R. & L.

Tribuitur Apostolis concilium aliud (*Falsum concilium Antiochenum.*) quod Antiochiæ habitum fuisse contenditur; ejusque nonnulli etiam canones proferuntur. Eos Turrianus contraxit & redegit ad novem; deprompti censentur ex manuscripto codice vetustissimo, ubi legitur eosdem in Origenis bibliotheca martyrem Pamphilum nactum esse. In primo mandatur, ut qui credunt in Jesum Christum, quique *Galilæi* nuncupantur, deinceps, *Christiani* nominentur. Secundus vetat, ne circumcisioni subdantur qui baptisma susceperunt. Jubet tertius eos omnes recipi qui Christianam religionem amplecti voluerint, e quacunque tandem natione sint. Quartus avaritiem & injusta lucra prohibet. Quintus Christianis gulam, theatra & juramenta interdicit. Sextus scurrilitates, blasphemias usus que ethnicorum vetat. Septimus Hierosolymitanam, quoad legales cæremonias, constitutionem renovat. Octavus de Dei, Domini Nostri Jesu Christi, Sanctorumque in cælis cum eo regnantium imaginibus agit, easque idolis suffectas vult. Nonus ciborum, ex Judæorum more, delectum vetat.

Etsi conciliorum compilatores hoc Antiochenum concilium suscipiant, idemque in Nicæno secundo concilio laudetur, illud tamen suppositum censent docti viri, plurimis gravissimisque de causis; etenim, I. nulla sit hujus concilii mentio, vel in Apostolorum Actis, vel in antiquis Patribus, vel in ullo veteri monumento quod antiquitas nobis dederit, ad secundum Nicænum concilium usque, sub annum 787. qui ex eo, pro

pro imaginum cultu, canonem affert, seu potius Gregorius, Pessinuntis Episcopus, hunc canonem laudat ex incerto rumore, usus formula *dicitur*, eumque vere Apostolorum esse non asserens: *Gregorius reverendissimus Episcopus Pissinuntensium, dixit: In synodo sanctorum Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur, &c.* 2. Laudantur in hoc concilio apocrypha monumenta plura. 3. Ejus, qui proferuntur canones novem, longe alia ratione laudantur a conciliorum compilatoribus, cujusmodi sunt Turrianus, Baronius & Binius. 4. Occurrunt in his canonibus bene multa falsa & absurda. In primo legitur Christifideles designatos fuisse *Galilæorum* nomine quod iis non nisi ab ethnicis, irrisionis ergo, atque adeo perraro tributum fuit, quoad, medio circiter sæculo quarto, Julianus Apostata qui Servatori nostro insultare gestiebat, hoc nomine, illud, ut Christianis omnibus commune redderet, lege firmavit. Minime fit vero simile Apostolos præcepisse, ut Dei imago in idolorum loco poneretur, quo tempore Christiana religio in incunabulis adhuc erat, quoque idolorum templa vero Deo consecrandi occasio se nondum obtulerat. Origenes sane nos docet, ab Apostolorum morte annis centum & quinquaginta, Christianos nondum Dei imaginibus usos esse, adeoque Entis supra omnem sensum positi & ab omni materiæ contagione secreti formam figuris circumscribi noluisse. (*Origen. contra Celsum, lib. 7. p. 376.*) *Theandrici* vocabulum, ad *duas* in Christo *naturas* significandas, in eorum canonum uno positum, nec Apostolorum sæculo, nec subsecutis tribus in usu erat. Illud omnium primus adhibuit scriptorum auctor quæ S. Dionysii Areopagitæ nomen falso præferunt. Denique, in postremo canone, Synagoga dicitur *Belluina*, quod insultans vocabulum est atque oppido ab Apostolorum suavitate ac pietate maxime alienum, qui observantiam qua eam prosequebantur, suscipiendis ejusdem cæremoniis, luculentissime testabantur.

Fit etiam cujusdam Apostolorum concilii Antiochiæ habiti mentio in quadam Papæ Innocentii I. Epistola Decretali; (*Epist. ad Alex. ep. p. 851. t. 1. Epist. Rom. Pont.*) at liquido constat in eo textu mendum inesse, perinde atque apud Origenem qui in octavo contra Celsum Libro, *pag.* 396. Antiochiæ ponit concilium quod Apostoli Hierosolymis celebrarunt.

Cardinalis Sfondratius, in sua *Innocentia vindicata*, Apostolorum concilium laudat, in quo ait immaculatam Sanctæ Virginis Conceptionem definitam fuisse. Volunt alii, cum Genebrardo, (*Chronographia lib. 3. p. 370. edit. Lugdunen. ann.* 1609.) Apostolos, dedita opera, ad concilium convenisse, ut symbolum quod eorum nomen præfert, canones & constitutiones apostolicas conficerent, & sanctæ Virginis parentalia celebrarent.

P. Hieronymus *Romand de la Higuerra*, nonnunquam *Flavii Dexteri* adscititio nomine notus de duobus conciliis loquitur a S. Jacobi Majoris discipulis, uno quidem Eliberi, seu Iliberi, ann. 57. altero Cheronelii in Hispania, ann. 60. C. D. celebratis. At concilia hæc, cum Ecclesiastica Historia nullam eorum mentionem faciat, rejicienda sunt.

CANONES APOSTOLICI.

Nobis suppetunt, Apostolorum nomine, octuaginta canones seu decreta quæ priorum Ecclesiæ sæculorum disciplinam afficiunt; at non sunt eorum fœtus, nec omnino, & Turrianus, *in Defensione pro Concilio Apost.* probare conatus est, nec ex parte, ut contenderunt Binius, Sixtus Senensis, Baronius, Bellarminus & Possevinus. Nec magis probabile fit hos canones V. tantum sæculo cusos fuisse, prout asserit Minister Dallæus, *de Pseudo-Epigraph. Apost. lib.* 3. Satius ergo dixerimus hos canones, licet Apostoli non sint eorumdem auctores, esse nihilominus antiquissimos, pluriumque super disciplina sanctionum quas ante Nicænum concilium, seu particularia concilia plura, secundo & tertio sæculis habita, seu ejus temporis Episcopi, quod paulo post Apostolos vixerint, *homines Apostolici* nuncupati statuerunt, proprie collectionem esse. Hæc sane Albaspinæi, Aurelianensis Episcopi, *Lib. 1. Observat. cap.* 13. Petri de Marca, *Lib. de Concord. Sacerdot. cap.* 2. Beveregii, docti inter Anglos viri, aliorumque complurium sententia est.

Apostolorum non esse canones hos ex eo primum evincitur, quod non solum Ecclesia in divinarum Scripturarum album eos nunquam retulit, sed nullus etiam e Patribus, conciliorum nullum, ante Ephesinum, eos Apostolorum nomine protulerunt; eoque ipso in loco in quo eorum meminit posterius concilium hoc, contendunt non pauci non, *canones Apostolorum*, sed, *canones Patrum*, legi oportere. Veteres qui iis usi sunt, eosdem simpliciter *canones veteres*, *canones Patrum*, *canones ecclesiasticos* appellarunt; & si quando *canones apostolicos* nominarunt, aut inscripserunt, id non fecerunt, nisi quia nonnulli ab Episcopis editi fuere, qui Apostolis suppares erant, quique, hac de causa, *homines apostolici* nuncupabantur.

Ex eo petitur alia ratio, quod in his canonibus de quibusdam cæremoniis sermo est, quas Apostolorum tempore usitatas fuisse non constat; ejusmodi sunt quæ in tertio & quarto canonibus memorantur, in eo positæ, ut offerantur super altari spicæ novæ, racemi, oleum ad luminare, & thus adolendum, sanctæ oblationis tempore. Canone 36. qui ordinationes in urbibus, aut vicis, extra jurisdictionis suæ fines, Episcopum edere vetat, non congruit Apostolorum sæculo quo nondum Diœceseon limites statuti erant, Apostolis omnibus & singulis per universum terrarum orbem sua missione fungentibus, pro potestate quam in id a Christo Domino acceperant. Deciditur in octavo canone non licere Pascha cum Judæis celebrari, quæ sane controversia, solum Papæ Victoris tempore, agitari cœpit, nunquamque agitata fuisset, si Apostoli, pro ut fertur in hoc canone, definiissent. Canones quinquagesimus primus & quinquagesimus tertius Manichæorum, & quinquagesimus secundus Novatianorum & Montanistarum hæreses impetunt, quæ quidem hæreses non nisi longo post Apostolos tempore coortæ sunt. Quadragesimus sextus & quadragesimus septimus mandant, ut Episcopus, aut presbyter qui, tamquam validum, hæreticorum baptisma receperint, deponantur. Hi ergo non Apostolorum canones habebantur, quo tempore super baptismate disputatum est, quandoquidem, si tales habiti fuissent, S. Firmilianus & S. Cyprianus iis uti non neglexissent. Constans igitur firmumque est hos canones Apostolorum fœtum non esse. Antiquiores tamen quam Dallæus contendit, iidem sunt, quoniam de iis sermo est in Alexandri, Episcopi Alexandrini, ad episcopum Constantinopolitanum Epistola, ante Nicænum concilium scripta, & ab ann. 441. adeo perspecti notique erant, ut ex canonibus viginti quinque quos Antiochenum concilium, eo anno habitum, edidit, octodecim ex apostolicis canonibus aperte deprompti sint; nec responderi potest apostolicos potius canones ex Antiochenis expressos fuisse; Antiochenum enim concilium veterem canonem profert quem apostolicorum tricesimum quintum esse perspectum est. Præterea canones apostolici nihil continent, quod primitivæ Ecclesiæ moribus ac disciplinæ non congruat, quodque, per secundum, tertium & quartum sæcula, apud aliquas Ecclesias in more positum, & ab aliquibus conciliis præscriptum non fuerit. Ad Papæ Gelasii qui apocrypha inter opera apostolicos canones refert, decretum quod attinet, responsio in promptu est, id nempe vocabuli in nonnullis tantum exemplaribus legi, decretumque hoc apocryphum & ipsum esse.

Apostolicorum canonum iis necessaria cognitio est, qui Ecclesiæ veterem disciplinam percipere volunt. Eos magno in pretio habuere Græci Latinique, cum hoc tamen discrimine, quod eosdem Græci ad usque octuaginta quinque receperunt, & prope omnes eorum auctores qui de iis post sextum sæculum locuti sunt, eos Apostolorum esse crediderunt; cum Latini olim quinquaginta solum priores canones reciperent, quos, exclusis cæteris, suæ latinæ versioni canonum Ecclesiæ universæ Dionysius Exiguus inservit, & hos canones Apostolorum esse non ita universim credebant.

Horum canonum primus his verbis conceptus est: „Episcopus a duobus vel tribus ordinetur, necesse „est."

Minister Dallæus ex hoc primo statuto probare contendit apostolicos canones non altius quam ad quinti sæculi finem ascendere; at ei respondetur disciplinam quæ in hoc primo statuto continetur, notam servatamque ante primum Nicænum concilium fuisse.

In secundo dicitur, ad presbyteros, diaconos, cæterosque clericos ordinandos, Episcopum unum tantum sufficere.

Vetat tertius Episcopis & presbyteris, ne quicquam aliud ad altare offerant, sacrificii ergo, nisi quod a Domino præceptum fuit, ut, si quis mel, lac, aut liquoris genus aliud, in vini locum, seu volucres, animalia & legumina offerret. Quod si hujus prohibitionis rationem non habuerint, eos deponi vult.

Quartus ait non nisi novas spicas, racemos, oleum ad lampades, quo tempore fit oblatio, ad altare offerri licere.

§. „ Ut hi duo canones, quod oblationes ad altare „ editas spectat, intelligantur, sciendum est olim fi„ deles consuevisse duplicis generis oblationes, die „ domi-

„ dominica, ad Ecclesiam afferre. Primo continebatur certe quantitate panis & vini, quæ communionem suscepturi consecranda præbebant. Hujus generis oblationes diaconus ad altare, ubi consecrarentur, non ante afferebat, quam in peculiari loco qui latine *gazophylacium*, seu *secretarium* appellabatur, conclusæ fuissent, ut expenderetur, dignæ, nec ne, essent, quæ ad altare deferrentur, ad quod Catholicorum tantum qui bonis moribus essent, oblationes recipiebantur. Oblationis genus alterum addictum erat sustentationi ministrorum Ecclesiæ, conclusumque in *gazophylacio*, e quo distribuebatur in singulos, prout cujusque ratio postulabat, ad Episcopi placitum, qui dispensator ejusdem erat. "

Quintus primitias cæteras ad altare offerri non vult, sed ad Episcopum & presbyterum, ubi degunt, afferri, quos certum est earum partem diaconis & reliquis clericis præbituros.

Prohibet sextus Episcopo & presbytero, suas ne conjuges abigant, vel religionis specie; id si fecerint, communione privandi, si persisterint nolle easdem recipere, deponendi.

§. „ Ut hic canon intelligatur, sciendum est, quo tempore editus fuit, non presbyteris solum & diaconis, sed etiam Episcopis licuisse cum feminis quas ante susceptos ordines sibi uxores adduxerant, conjugii jure vivere. Hæ sunt legitimæ conjuges quas ab iis canon, etiam religionis obducta causa, dimitti vetet. "

Vetat canon 7. depositionis indicta pœna, Episcopis, presbyteris & diaconis, ne se sæcularibus negotiis onerent.

Vetat 8. eadem proposita pœna, ne Pascha Judæorum more, ante æquinoctium vernum celebretur.

Mandat 9. ut, si quis Episcopus, presbyter, diaconus, aliusve clericus, cum adsistit sacrificio, communicare renuerit, quin æques, cur ita se gerat, excusationes efferat, communione privetur ob scandalum quod populo præbuit, suspicioni locum dans, eum qui oblationem edidit, eamdem non recte edidisse.

§. „ Erat olim in more positum, ut episcopalis urbis universus clerus altari, cum solemnem Missam celebrabat Episcopus, deserviret, ac eoque omnes & singuli communionem sumerent. Nobis adhuc superest hujus disciplinæ vestigium in aliquibus Romæ urbis Ecclesiis, in quibus solemnis Missæ ministri communionem in ea suscipiunt, ut nos docet Cardinalis Bona " *Lib. 2. Rerum Liturg. cap.* 17. §. 2.

Canon 10. eidem pœnæ fideles subdit qui ex Ecclesia egrediuntur, postquam sacrarum Scripturarum lectionem audierunt, quin Precum finem expectent, & quin communionem percipiant.

§. „ Addidit Gratianus huic canoni clausulam, *in solemnitatibus* sacris, & Regino, *die Dominico*, accommodare volentes eumdem canonem disciplinæ sui temporis quo fidelium communio ad dominicos dies, magnasque solemnitates redacta erat, quin satis secum ipsi reputarent sui temporis disciplinam ab ea differre quæ vigebat apostolicorum horum canonum tempore. "

11. Eum communione privat qui, cum excommunicato, in privatis ædibus, orationi vacaverit.

12. Eamdem pœnam in eum statuit qui cum clerico deposito preces fuderit, quia eum adhuc pro clerico habere censetur.

13. Alienum ullum clericum aut laicum, sine sui Episcopi commendationis Epistola, in Ecclesiam recipi vetat.

14. Ait non licere Episcopo Ecclesiam cui præest, deserere, ut aliam regendam sumat, nisi id vergat in majus religionis bonum, & hanc translationem fieri per Episcoporum judicium vult.

15. Presbyterorum aliorumque Ecclesiasticorum qui sine Episcopi sui consensu suam parœciam deserunt, ut ad alterius servitium se conferant, functiones suspendit, eosque ad laicam communionem redigit; & 16. eamdem in Episcopos pœnam statuit, quos interdictum a proprio Episcopo in eos pronuntiatum non impedierit, quominus tamquam clericos, eosdem reciperent.

17. Ab ordinibus eos arcet qui, post susceptum baptisma, ad secundas nuptias migrarunt, aut concubinam detinuerunt.

§. „ Cum canon hic bigamos in clerum recipi vetat, haud is quidem damnat secundas nuptias, quemadmodum hæreticorum nonnulli fecerunt; sed solum bigamos irregulares declarat, quia turpitudinem quemdam secundæ nuptiæ secum trahunt, pro ut iis inest incontinentiæ cujusdam nota, eædemque Christi Domini cum Ecclesia, ipsius una & unica sponsa fœdus unum & unicum haud satis perfecte significant. "

18. Eidem legi eos subdit qui viduam, aut concubinam, seu ancillam, aut eam duxerunt quæ histrioniam profitetur.

19. Eos quoque inter irregulares rejicit qui cum duabus sororibus, aut cum vidua, aut cum fratris filia matrimonium inierunt.

20. Clericum vetat se cuipiam sponsorem dare.

21. Nihil obesse vult quin is qui eunuchus natus esset, aut ejusmodi per hominum malitiam, seu per tyrannorum crudelitatem evasisset, siquidem idoneus inventus fuerit, episcopus ordinetur; at 22. eos qui se eunuchos fecerunt, irregulares declarat, quia sui ipsorum homicidæ sunt.

23. Mandat, ut clericus deponatur qui in se id operationis ediderit.

24. Laicum communione privet, ad annos tres, qui eamdem operationem in se peregisset.

25. In Episcopos, presbyteros & diaconos, fornicationis, perjurii aut furti reos, depositionem statuit; sed eos tamen communione non privet.

26. Eamdem pœnam in cæteros ecclesiasticos eorumdem criminum reos pronuntiat.

27. Lectoribus & cantoribus tantum licere vult, post ordinationem, matrimonium inire.

28. Vetat, indicta depositionis pœna, ne Episcopi, presbyteri, diaconi Christianos aut infideles percutiant, qui in aliquod peccatum inciderint, quoniam eos Christus Dominus suo id exemplo non docuit.

29. Episcopum, presbyterum aut diaconum qui ob crimina certa & probata depositi suum munus obire audent, ab Ecclesia rescindi vult.

30. Episcopos, presbyteros & diaconos qui per pecuniam ordinati fuerunt, æque atque eos qui ordines iisdem contulerint, deponit, simulque communione privat.

31. Episcopum deponi vult, qui, ut Ecclesiam obtineret, sæcularibus Potestatibus usus est, eidemque eos pœnæ subdit qui cum eo communicant.

32. Mandat, ut presbyter deponatur qui, in Episcopi sui contemptum, peculiares cœtus habet, & altare seorsim erigit, veluti dominandi animo. Eadem imponitur clericis pœna qui ibidem adsunt; hæc tamen sententia pronuntianda non erat nisi post tres ab Episcopo editas monitiones.

33. Ad communionem recipi vetat presbyterum aut diaconum quem Episcopus ab ea removerit, nisi hic e vivis excesserit.

34. Prohibet Episcopos, presbyteros & diaconos recipi, qui, haud sumptis communionis Litteris, iter agerent.

35. Oportere ait, ut cujusque provinciæ Episcopi inter se caput agnoscant, sine cujus sententia consensuque nihil aggredi debent ultra suarum diœceseon negotia; & ne hic quidem Episcopus, eorumdem caput, quicquam agere debet nisi cum Episcopis qui ejus comprovinciales sunt.

§. „ Episcopus hic de quo in hoc canone sermo est, qui primum inter cæteros locum tenet, quique tamquam eorum caput spectari debet, proprie Metropolitanus est; quia porro id nominis ei non tribuitur, hinc evincitur antiquitas hujus canonis, propterea quod Metropolitani titulus ante Nicænum concilium primum in usu positum fuisse non videtur, quamvis Metropolitani jura multo ante stabilita essent, ut concilium hoc ipsum agnoscit, definiens antiquis consuetudinibus standum esse; at hujus 35. canonis sanctio id etiam probat eum Apostolicis tribuendum non esse, quoniam eorum tempora nondum statuta erat Episcopatuum & jurium ad Metropolitas spectantium distinctio. "

36. Episcopos qui extra suarum diœceseon fines ordinant, eosque quos ipsi, sine venia Episcopi loci, ordinaverint, deponi vult.

37. Episcopum ad Ecclesiam aliquam ordinatum ejus curam sumere vult, secus communione privandum; quod presbyterum pariter & diaconum spectat. Quod si populus eum suscipere pertinaciter recusaverit, is quidem in suo Episcopi titulo permanebit, omnesque urbis clerici, tamquam rei, propterea quod populum de obedientia superioribus debita non docuerint, excommunicationi subjicientur.

38. Mandat Episcopis, duo ut concilia quotannis habeant; primum, per Pentecostes hebdomadam quartam, alterum, decimo Octobri mense.

39. Episcopo mandat, ut curet Ecclesiæ bona, vetatque, ne suos in consanguineos eadem profundat; qui si pauperes sint, iis, ut pauperibus cæteris, opem ferat, necesse est.

40. Pres-

40. Presbyteros & diaconos prohibet quicpiam agere, inconsulto Episcopo, cui grex Domini demandatus est, declaratque, eodem tempore, ecclesiasticos bonorum dominos esse quæ ad eos pertinent proprietatis jure, eademque, mortis tempore, pro ut expedire crediderint, disponere posse.

41. Declarat Episcopum, utpote cui animarum cura est, debere, potiore jure, temporalium & spiritalium Ecclesiæ suæ rerum curam sumere, earum dispensatorem esse, sibique addicere necessaria, tum ad suum ipsius usum, tum ut eum advenis hospitalitatis jure fungatur.

42. Anathemati subdit Episcopos, presbyteros & diaconos qui aleis ludunt, aut ebrietati obnoxii sunt, nec ad bonam frugem redire volunt.

43. Eamdem in cæteros clericos & laicos ipses pœnam pronuntiat qui in eadem flagitia prolabuntur.

44. Episcopis, presbyteris & diaconis usuram, iisdem inflictis pœnis, prohibet.

45. Episcopos, presbyteros & diaconos qui orant cum hæreticis, communione privatos vult; quod si quis ecclesiasticorum hos ad orandum hortatus fuerit, eum deponi jubet.

46. Episcopum, seu presbyterum damnat qui hæreticorum baptisma suscipiunt.

47. Mandat, ut Episcopi & presbyteri deponantur qui ex Ecclesiæ forma baptizatos rebaptizant, aut eos non baptizant qui baptisma secundum Ecclesiæ præceptum non susceperunt, quia Domini crucem & mortem derident, nec verum sacerdotium a falso discernunt.

48. Eum communione privat qui conjugem suam repudiat, ut aliam ducat, aut a viro repudiatam uxorem ducit.

49. Non aliud Baptisma validum censet quam quod Patris, Filii & Spiritus Sancti nomine collatum est, abscinditque ab Ecclesiæ corpore Episcopum aut presbyterum qui trium Principiorum sine principio, trium Filiorum, triumque Paracletorum nomine baptizaverint.

50. Mandat, ut baptisma per immersiones tres conferatur, pronuntiatque depositionis pœnam in Episcopos aut presbyteros qui per unam tantum baptizant, quia videntur in Domini morte, hoc est, Christi pro nobis mortui nomine baptismum conferre.

51. Ecclesiasticos deponi vult qui a matrimonio, carnibus & vino, tamquam a rebus malis & exsecrandis abstinent.

52. Mandat, ut Episcopi, aliique ecclesiastici deponantur, qui renuunt peccatores resipiscentes ad pœnitentiam suscipere.

53. Eamdem in Ecclesiasticos pœnam pronuntiat qui carne, aut vino abstinent, diebus festis, non ut cupiditates cohibeant, sed quia id genus res ut malas abominantur.

55. Clericum deponi vult qui suo, sine causa, Episcopo insultat.

56. In clericos qui presbytero aut diacono insultant, communionis privationem statuit.

57. Quicunque, cum alterius contemptu, exprobrat naturæ vitia, ut surditatem, & ejusmodi alia, eum a communione segregat.

58. Mandat, ut Episcopi & presbyteri qui suum gregem erudire & ad pietatem formare negligunt, communione priventur. Quod si in hac negligentia perstiterint, eos deponi vult.

59. Episcopis & presbyteris præcipit, ut clericos cordi habeant, qui in necessitate versantur; ac si quæ ad vitam necessaria sunt, iis suppeditare renuerint, eos communione spoliari vult, si vero in suscepta duritie perstiterint, tamquam suorum fratrum homicidas deponi.

60. Depositionis pœnam in eum statuit qui Libros vulgat tamquam bonos quos hæretici, falsis inscriptos titulis excuderunt.

61. Homines fornicationis, adulterii, vel alterius criminis convictos ad clericaturam evehi vetat.

62. Clericum, si ab ethnico, a Judæo, vel ab Hæretico vim aliquam timens se Christianum esse negaverit, ab Ecclesia segregatum vult, quoad, peracta pœnitentia, ad communionem laicam recipi possit; at si solum negavit se clericum esse, satis habebitur eum deponi.

63. Pœnam statuit depositionis in clericum & excommunicationis in laicum, convictos, belluæ suffocatæ, mortuæ suapte sponte, vel ab alia bellua captæ carnem comedisse.

64. Easdem pœnas in clericos laicosque pronuntiat qui die dominico, aut sabbato, eo excepto quod præcedit Paschatis festum diem, jejunaverit.

§. „ Huic edendo canoni occasionem præbuisse videntur Simon Magus, Menander, aliique Hæretici
„ qui dedito studio jejunabant die dominico & sabbato, quia Christi Domini resurrectionem negabant,
„ putabantque alium Deum adorandum esse quam
„ eum qui mundum creaverat, qui die septimo requieverat, & quem Judæi eo die adorabant. His
„ extinctis hæresibus, liberum fuit sabbato jejunare.
„ Quoad sabbatum, hoc die non jejunandi consuetudinem ab Apostolorum traditione derivari Tertullianus testatur “ *Lib. 2. de Coron. Milit. cap. 3.*

65. Depositionis in clericum, & excommunicationis pœnam in laicum fert, quos in Judæorum, vel Hæreticorum synagogas, orandi causa, ingressos esse constaret.

66. Clericum deponi vult qui adversarium quo cum rixabatur, occiderit, unum licet ictum tantummodo eidem inflixerit; quod si laicus in hac facti specie fuerit, communione privabitur.

§. „ De homicidio, quodammodo, involuntario agitur in hoc canone. “

67. Excommunicationis pœnam in eum decernit qui virgini vim intulit, jubetque, ut eam in uxorem, quantumvis pauperem ducat.

68. Prohibet, imposita depositionis pœna, Ordinationem iterari, nisi ab hæretico peracta fuerit: clericos enim atque adeo fideles eos haberi non vult qui Ordinationem, aut Baptismum ab hæreticis susceperunt.

69. Quadragesimæ, feriæ quartæ & feriæ sextæ jejunium præcipit, clericis quidem, excommunicationis indicta pœna, laicis vero, communionis imposita privatione, infirmitatis excepto casu.

70. Vetat, iisdem pœnis, Judæorum jejunia servari, eorum festa coli, & ex eorumdem cæremoniis aliquas peragi, cujusmodi esset azymi panis usus Paschatis tempore.

71. Pronuntiat in eos anathema qui in Ethnicorum Templa, vel in Judæorum synagogas oleum deferunt, eorumve diebus festis lampades accendunt.

72. Eamdem in eos pœnam statuit, qui in Ecclesia oleum aut ceram sumpserint, furtumque præterea, & quidem quinquies amplius, reddi vult.

§. „ Haud apte impugnatur hujus canonis antiquitas ex eo quod olei & ceræ meminit. Usus hic antiquissimus est in Ecclesia; ab eoque fideles in cœtibus quos noctu habebant, abstinere non poterant.
„ S. Athanasius, in sua ad Orthodoxos Epistola,
„ *tom. 1. p.* 114. queritur Georgium, Alexandriæ sedis usurpatorem, Ecclesiæ usui oleum ceramque
„ ademisse. Romæ Præfectus ad S. Laurentium ait
„ Christianorum Pontificibus, ad nocturna sacrificia
„ illustranda, cereos aureis candelabris infixos suppetere. “ (*Acta Martyr. sincera, p.* 191.)

73. Sub excommunicationis pœna, prohibet, ne quis in proprium usum detorqueat id quod Deo consecratum fuit, cujusmodi sunt aurea, argentea, aut linea Ecclesiæ ornamenta.

74. Vult, ut Episcopum, si forte a Christifidelibus, fide dignis accusatus fuerit, cæteri Episcopi semel, iterum ac tertio, apud duos ex eorum confratribus, in jus vocent, in eumque, si renuerit se sistere, congruam sententiam pronuntient.

75. Hæreticorum in Episcopum, atque adeo fidelis, si unus tantum accusator fuerit, testimonium recipi vetat.

76. Prohibet Episcopo, suos ne consanguineos, humanis rationibus permotus ordinet, ut si eos suæ dignitatis heredes reddere vellet; secus fore, ut ejus ordinatio tamquam nulla spectetur, & ipse deponatur.

77. Eum episcopatu spoliari non vult qui oculum amisit, claudusve seu mancus est.

78. Mutum, aut surdum, aut cæcum vetat Episcopum ordinari.

79. Energumenos arcet a clericali ordine, ac ne orare quidem cum fidelibus vult; eos tamen, postquam liberati fuerint, ordinari patitur.

80. Neophitos, seu fide nuper imbutos haud ita statim ad episcopatum evehi vult, nisi in iis emicet divina Gratia.

81. Vetat Episcopis & presbyteris, ne publicorum & sæcularium negotiorum administratione se involvant.

82. Captivos haud a dominis libertate donatos ordinari vetat.

83. Episcopos, presbyteros & diaconos qui militaria officia obeunt, deponi jubet.

84. Clericum qui deest observantiæ regibus & magistratibus, aut superioribus debitæ, deponi vult, & laicum qui in eamdem culpam labitur, communione privari.

85. Ca-

85. Canonicorum tam veteres quam novi Testamenti Librorum catalogum continet; in quo quidem inter sacros veteris Testamenti Libros ii tantum recensentur quos Judæi recipiebant, Judith & Machabæorum Libris exceptis quos Hebræi in suum canonem non referebant, quosque nihilominus hujus exemplaria nonnulla exhibent; alia quippe non desunt in quibus eorum nulla mentio. Ibidem, de Tobia, itemque de Ecclesiastici Libro altum silentium est; neque inter novi Testamenti canonicos Libros Apocalypsis occurrit; apostolicæ Constitutiones, una cum S. Clementis Romani Epistolis in sacrorum Librorum albo ponuntur. Hanc porro additionem esse, ad majorem auctoritatem iis apocryphis monumentis tribuendum, non dubitatur (*Regin. Labb. & Hard. tom.* 1.). Videri etiam possunt Canones apostolici inter PP. apostolicorum Scripta, a Cotelerio collecta, & impressa Oxonii, an. 1685. & Amstelodami, an. 1724. *in-fol.* Hunc nos postremum collectoram qui aliquibus in locis ab aliis discrepat, secuti sumus.

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ.

Opus cui titulus, *Constitutiones apostolicæ*, nec Apostolorum, ac ne S. Clementis quidem, Romani cujus etiam nomen præfert, genuinus fœtus est. Confectum fuit e scriptis pluribus quæ Apostolorum nomen præseferebant, a sæculi quinti scriptore qui, prout Apostolos loquentes inducit; novas probationes suppeditat, Constitutiones quas iis tribuit, ab iisdem minime derivari. Continentur Libri octo; &, in octavo, auctor ait „ eas ab Apostolis duodecim, coram Paulo qui vas electionis eorumque cooperator erat, & coram presbyteris septemque diaconis contectas fuisse “. S. tamen Stephanus, horum septem diaconorum unus; ante S. Pauli apostolatum, martyr obierat, & auctor ipse in suo Libro V. de S. Stephani martyrio meminit. In simile erratum, quoad Jacobum, Zebedæi filium, & Joannis fratrem incidit, quem concilio, super legalibus cæremoniis, Hierosolymis habito interfuisse refert, eum scilicet, quem ante annos plures Herodes morti tradiderat. Auctor (*Lib.* 2. *c.* 26.) Episcopum, presbyterum & diaconum cum Patre, Filio & Spiritu Sancto temere comparat. Privatam vindictam ait (*Lib.* 6. *cap.* 23.) ipsam per se justam esse, neque a Deo prohibitam fuisse, nisi quia venia perfectior est. Si ei fides, Africanorum, quoad iterationem Baptismatis ab hæreticis collati, consuetudo tam contrarium usum superat, quam supra errorem veritas est. (*Lib.* 6. *cap.* 15.) Cæremoniarum in Liturgia præscriptarum, quæ Libro VIII. continetur, ordo, ingens numerus & magnificentia luculenter evincunt eam tum solum additam fuisse, cum Ecclesia sua Christianis Principibus pace fruebatur.

S. Epiphanius, in pluribus operum suorum locis, (*Hæres.* 45. *c.* 5. *Hæres.* 80. *n.* 7. *Hæres.* 70. *num.* 10. & 11. *Hæres.* 75. *num.* 6.) Apostolorum Constitutiones laudat; at, si eædem sunt quæ nobis supersunt, magnopere deinde corruptæ fuerint, necesse est; apostolicas enim Constitutiones a S. Epiphanio laudatas inter & nostras non pauca notantur aperte pugnantia. Ut exemplum afferam, apostolicæ Constitutiones nostræ distinguunt diem nativitatis Domini ab Epiphaniæ die, ut primus quidem sit Decembris vicesimus quintus, alter vero Januarii sextus; at S. Epiphanius qui in Apostolorum Constitutionibus nihil fuisse testatur quod disciplinæ quæ ejus ætate vigebat, adversaretur, Natalis diem ab Epiphaniæ die minime distinguebat, sed a duobus unum & unicum conficiebat. Apostolicæ Constitutiones, a S. Epiphanio laudatæ, Pascha cum Judæis celebreri volunt. quod nostræ vetant, falsitatis accusantes eorum calculum super Paschate. Occurrunt, in apostolicarum Constitutionum Collectione, eximia plura super disciplina quæ in Græca Ecclesia servabatur per priora sæcula quatuor, & ad quinti initium usque, quo creduntur hæ Constitutiones in ordine positæ quem in præsentia nobis exhibent. In iis porro hæc potissimum animadversione digna sunt.

De Moribus & Electione Episcoporum, eorumque Ordinatione.

In iis mandatur, ut is in Episcopum aligatur qui bonis moribus sit, annos natus quinquaginta, cui una tantum conjux fuerit, cujusque ipsa conjux haud prius alteri viro nupserit. (*Lib.* 3. *cap.* 20.) Electus Episcopus a tribus aliis Episcopis, aut saltem a duobus ordinari debet; quod si quis solum ab uno ordinatus fuisset, uterque, tum ordinatus, tum ordinans deponebatur. (*Lib.* 3. *cap.* 20.) Excipiebatur tamen necessitatis casus, ut persecutionis tempus, aut alia ejusmodi ratio quæ non sinebat Episcopos convenire; tunc enim unus tantum ad ordinationem satis erat, dummodo plures in eam consentirent. (*Lib.* 8. *cap.* 27.) Electione peracta, populus, die Dominica, in Ecclesiam cum presbyteris & Episcopis conveniebat. Is inter eos, qui cœtui præerat, novum electum presbyteris & populo præsentabat, essetque, necne, quem Episcopum elegerant, ab iis quærebat. Eorum responsum erat ita se rem habere; quærebat deinde præses, an tanto ministerio dignum crederent; respondebant omnes ita se credere, idque, veluti coram Deo, Christo Domino, Sanctoque Spiritu, testabantur. In eumdem modum ad præsidis interrogationem tertiam, an electus idoneus esset, respondebant; tum vero unus e primis Episcoporum qui cœtui aderant, prope altare erectus consistens, una cum duobus aliis, super electo precem edebat. Interea, diaconi sanctorum Evangeliorum Librum apertum tenebant super ejus capita qui ordinabatur, submissaque voce Episcopi & presbyteri orabant. Absoluta prece, cumque presbyteri respondissent *amen*, Episcoporum unus in ejus qui ordinabatur, manibus Hostiam ponebat; eum vero cæteri ad paratum thronum ducebant. (*Lib.* 8. *cap.* 5.) Ibi, is sanctum osculum ab omnibus Episcopis accipiebat: &, post Prophetarum Evangeliorumque lectionem, populum salutabat, et Domini Nostri Jesu Christi gratiam precatus, ac deinde sermonem habebat, ut ad virtutem eum hortaretur. Sermone habito, omnes surgebant; cumque diaconus edixisset, ut qui in audientium gradu erant, aut infidelibus non licere diutius in cœtu persistere, Liturgia inchoabatur.

Episcopus alium Episcopum solus deponere nequit; sed id potestatis obtinet in cæteros clericos qui digni sunt qui deponantur. (*Lib.* 8. *cap.* 28.) Non debet sæcularibus negotiis se immiscere, aut in causis pecuniariis defensionem suscipere, aut pro quopiam respondere. (*Lib.* 2. *cap.* 6.) Utatur, oportet, secundum Deum, primitiis & decimis quas ei tribui lex jubet. Presbyteri quoque & diaconi sustentationem suam ex primitiis trahebant, & in decimis sumebatur, unde reliqui clerici & pauperes alerentur. Quod supererat e panis & vini oblationibus quas fideles ediderant, quæque ad Communionem consecratæ non fuerant, clero, pro cujusque dignitate, distribuebatur. (*Lib.* 8. *cap.* 30. & 31.) Sumebat ex iis Episcopus partes quatuor, presbyter tres, diaconus duas, unam cæteri; hæ oblationum reliquiæ nuncupabantur *eulogia*. Reservatus Episcopis & presbyteris Baptismus erat; at iis diaconi in his functionibus suppetias ferebant.

De Presbyteris & Diaconis.

Presbyteri electio per totius cleri suffragia peragebatur; (*Lib.* 8. *cap.* 16.) ei deinde manus imponebat Episcopus, cæteris presbyteris & diaconis adsistentibus, Deumque obsecrabat, ut ei animarum morbos sanandi, bene docendi, & sacra Mysteria cum innocentia celebrendi dona concederet, quia presbyteri munia sunt docere, Eucharistiam offerre & distribuere, peccata remittere & baptizare. (*Lib.* 2. *cap.* 33.) Is quidem ordines non conferebat; sed manus imponebat, & inferiores clericos puniendi, atque adeo excommunicandi facultate pollebat. (*Lib* 8. *cap.* 28.) Diaconi pauperum curam gerebant; afflictos invisebant, & Episcopo cui veluti animæ loco, quoad miseros, erant, eos detegebant. (*Lib.* 2. *cap.* 19. 20.) Hos unus tantum Episcopus initiabat, qui manus iis imponebat, Deumque orabat, ut eo quod ipsorum proprium erat, adeoque altiore dignos redderet. Diaconi nec baptizabant, nec Mysteria offerebant; at id populo distribuebant, quod ab Episcopo, vel a presbytero oblatum fuerat. (*Lib.* 8. *cap.* 28.) Extendebatur eorum potestas supra subdiaconos, supraque inferiores ministros reliquos quos, absente presbytero, si necessitas postulasset, excommunicationi subdebant. Oleo quoque quod Episcopus sanctificaveret, consuetas super eo qui baptizabatur, unctiones edebant; at si femina erat cui Baptismus administrabatur, eam super fronte tantum ungebant, eam Diaconissis curam relinquentes, ut unctionem absolverent, quæ fere per totum corpus peragebatur. (*Lib.* 3. *cap.* 15.) Hæ Diaconissæ debebant esse virgines, aut viduæ, & semel nuptæ. (*Lib.* 6. *cap.* 17.) Iis Episcopus ministerium, coram presbyteris, diaconis, & Diaconissis reliquis, per manuum impositionem, & per precem, conferebat. (*Lib.* 8. *cap.* 19.) Præter unctionem quam super feminis baptisma suscipientibus peragebant, quæque ex earum functionibus præcipua erat, viduis invigilabant, & Ecclesiæ fores custodiebant. (*Lib.* 3. *cap.* 7.)

De Subdiaconis, cæterisque Clericis inferioribus.

Subdiaconis manus imponebat Episcopus, eodemque tempore orabat, ad Spiritus Sancti gratiam iis obtinendam, ut Domini voluntatem exequerentur, & vasa quæ iisdem concredita erant, decenter tangerent. (*Lib.* 8. *cap.* 21.) Lectores, præsente populo, sacras Scripturas legebant; & ut id digne facerent, iis Episcopus quos lectores ordinabat, manus imponebat, & pro iisdem orabat. (*Lib.* 8. *cap.* 22.) Ad exorcistas quod attinet, hi quidem non ordinabantur; sed, ad eorum obeunda munia, sumebantur qui peculiari beneficio, Dei donis insigniti erant; & ejusmodi sane plures, primis Ecclesiæ sæculis, existebant. (*Lib.* 8. *cap.* 26.)

De Clericorum Matrimonio.

Lex quæ vetabat, (*Lib.* 6. *cap.* 17.) ne, qui uxores plures habuerat, Episcopus, presbyter, aut diaconus ordinaretur, prohibebat etiam, ne eorum quispiam, ordinatione suscepta, matrimonium iniret; at iisdem licebat eam retinere quam habebant, quo tempore ad ecclesiasticas dignitates promoti fuerant, quin aliam ducere possent. Non eadem erat subdiaconorum, lectorum & ostiariorum ratio; quamvis enim oporteret eos semel tantum conjugium iniisse, iis tamen qui ordinationis tempore nondum illud inierant, inire deinde licebat. Universim clerici prohibebantur seu pravis moribus puellam; seu ancillam, seu viduam sibi conjugem sumere.

De Baptismate.

Unum & unicum baptisma est quod, invocato pronuntiatoque Patris, Filii & Spiritus Sancti nomine, conferri debet. (*Lib.* 6. *cap.* 15.) Cum baptizari quispiam optabat, pergebat ad diaconos qui eum Episcopo aut presbyteris præsentabant. (*Lib.* 8. *capit.* 32.) Hi vero ex eo quærebant, quæ ejus rei causa esset, ipsiusque mores & conditionem diligentius expendebant; ac si cui prohibitæ professioni, ut histrionis, magi, gladiatoris, aliisve similibus addictum comperissent, eum non ante suscipiebant, quam artem deseruisset. (*Ibid.*) At concubina, ethnici serva a baptismate non arcebatur, dummodo non alium virum cognosceret; tunc enim duplicis generis concubinatus distinguebatur, unus quidem libidinis, alter vero qui solum prolis susceptionem spectabat; primus omnino vetitus erat, alter tolerabatur; sed hæc tolerantia non nisi apud ethnicos locum habebat; & Christianus quidem qui concubinam, seu liberam, seu captivam teneret, eam sibi conjugem sumere jubebatur; quod si facere renuisset, ex Ecclesia pellebatur. (*Ibid.*) Qui ad Baptismum recipiebatur, in catechumenorum gradu per annos tres remanebat; eoque toto temporis spatio, super Ecclesiæ doctrina erudiebatur; eidem manus imponebantur, & super eo preces effundebantur. Ie jejunabat, antequam baptisma susciperet; (*Lib.* 7. *cap.* 22.) ediscebatque memoriter formulas duas quas pronuntiare debebat, dæmonem deserens, ut Christo se dederet. (*Ibid. c.* 40.) In posteriore formula omnes symboli articuli continebantur, in alia vero abrenuntiatio quoad diabolum, quoad ejus pompas, &c. (*Ib. c.* 41.) Post hanc professionem, catechumenus oleo quod Episcopus sanctificaverat, ungebatur; (*Ibid. c.* 42.) ducebaturque ad sacrum balneum, ubi presbyteri a Deo petentes, ut aquam sanctificaret, petebant eodem tempore, ut qui baptizabatur, in ea crucifigeretur & sepeliretur, cum eo resurrecturus, & justitiæ vitam victurus, postquam peccato mortuus esset. (*Ib. c.* 43.) Eum aqua mergens, Patris, Filii & Spiritus Sancti nomen Episcopus invocabat; deinde eumdem ungebat, Deum rogans, ut ei unctioni boni odoris Christi Domini in eo detinendi vis inesset. (*Ibid.* 44.) Posterior hæc unctio Sacramentum Confirmationis erat. Episcopus Orationem Dominicam recitabat, ad Orientem conversus, rogabatque Spiritum Sanctum, ut super novum baptizatum descenderet, quem in fide & veritatis professione firmaret. (*Ibid. c.* 45.)

De Liturgia.

Ecclesiæ, quo Christiani conveniebant, (*Lib.* 2. *cap.* 57.) oblongæ figuræ navi similes erant, ad Orientem conversæ, non sine pluribus ad latus cubiculis quæ Ecclesiæ ejusque ministrorum rationibus inservirent. Episcopi sedes posita erat inter presbyterorum, utrinque, subsellia. Erecti diaconi, leviter induti stabant, in id incumbentes, ut laici qui ad Ecclesiæ caput alterum, viri seorsim e feminis, assidebant, modeste se gererent, & silentium servarent. Lector inter eos medium, eumque eminentem locum tenebat, & Mosis, veterisque Testamenti Scriptorum Libros legebat; alter deinde Davidis Psalmos recinebat; eique populus, postrema versiculorum verba repetens, respondebat. Subsequebatur Apostolicorum Actorum lectio, qua absoluta, diaconus, aut presbyter Evangelium legebat, adsistentibus omnibus erectis silentibusque. Tum vero presbyteri singuli, peculiariter, unus post alium, ad populum sermonem habebant; omnium postremus Episcopus loquebatur. Si quis haud e vulgo, sermonis, lectionis cantusque Psalmorum tempore, ingressus esset, cavebatur, ne eos interrumperet qui has functiones obibant; at eum diaconi sedere jubebant. Quia porro duplex erat in Ecclesiam aditus, (*Lib.* 2. *cap.* 57.) viris unus, feminis alter; ostiarii ad primum, diaconissæ ad alterum consistebant. Si quis a usu recessisset ab ordine, arguebatur a diacono qui perficiebat, ut in congruum locum se se reciperet. Cum locus erat, ea dabatur junioribus venia, ut seorsim sederent; secus erecti stabant; ut provectæ ætatis homines considebant, apud patrem & matrem stantibus filiis. Si locus sinebat, puellæ seorsim ponebantur; aliter iis locus cum feminis erat. Cæterarum primæ virgines, viduæ & anus collocabantur. Absoluto sermone, omnes surgebant; & diaconus, (*Lib.* 8. *c.* 6.) elatum locum conscendens, ajebat: „ nullus Audientium, Infidelium nullus . . . . “ Inchoabat deinde preces pro catechumenis; & ad singulas populus respondebat: „ Domine, miserere . . . “ Suam pueri vocem huic sanctæ symphoniæ admiscebant, eamque inchoabant. Deinde catechumenis, diaconi jussu, caput demittentibus Episcopus benedictionem impertiebatur, eosque dimittebat. Preces pro energumenis, competentibus & pœnitentibus in eumdem modum peragebantur; (*Ibid. cap.* 7. & 8.) iisque, nec non quibuscumque Mysteriorum celebrationi interesse non licebat, ex Ecclesia egredi jussis, fideles, ut genuflecterent, Diaconus hortabatur. In eo statu, (*Lib.* 8. *cap.* 10.) orabatur pro sancta Ecclesia Catholica & Apostolica, per universum terrarum orbem diffusa; pro peculiari Ecclesia in qua cœtus habebatur; pro omnibus orbis Episcopis, præsertim vero pro Episcopo diœcesano, ujusque diœcesi; pro omnibus presbyteris, diaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, personis conjugali vinculo obstrictis, pro iis e fidelibus qui oblationes & eleemosynas in pauperes erogaverant; pro recens baptizatis, infirmisque; pro navigantibus, aut ad metalla aliudve supplicium damnatis; pro hostibus & persecutoribus nostris; pro hæreticis & infidelibus, ut eos Deus ab errore ad sui cultum converteret. Post has preces, Episcopus populum salutabat, inquiens: pax Dei vobiscum sit. „ Populus respondebat: “ & cum spiritu tuo. „ Diaconus, elata voce, sublebat: invicem amplectimini, & sanctum osculum date. “ Eodem tempore clerici, per id osculi, Episcopum salutabant; illud sibi mutuo laici, viris viri, feminis feminæ conferebant, in perfectæ conciliationis argumentum; at pueri erecti ad pulpitum consistebant, diacono, ut recte se gererent, invigilante. E vestigio, (*Cap.* 11.) vetabat iterum diaconus catechumenis, audientibus, infidelibus, hæreticisque, ne, per oblationis tempus, in Ecclesia commorarentur. Jubebat matres sibi suos filios sumere, adstantesque omnes odium & hypocrisin ex animo evellere, conjunctaque Deo mente, ad Sacrificium se comparare. Tum vero dona a diaconis super altare collata Episcopus recipiebat, adstantibus, utrinque, ex ordine, circum altare, presbyteris, præpositisque diaconis duobus, ut muscas & alia insecta placide averterent, quæ, sine hac circumspectione, in calices decidere potuissent. Episcopus, magnifice indutus, primo quidem submissa voce cum presbyteris orabat; tum, ad altare stans, sibi frontem in crucis modum signabat, cœtumque salutabat, Omnipotentis gratiam, Christi Domini charitatem, & Spiritus Sancti communicationem precatus omnibus. Ad hanc salutationem simul universi consueta ratione respondebant. Sequebatur ea Missæ pars quam nos *Præfationem* dicimus, quia ad sanctum canonem præparatio veluti quædam est. Eam Episcopus inchoabat, inquiens elata voce: „ erigite corda vestra; “ respondebant omnes: „ erecta habemus ad Dominum. “ Subdebat Episcopus: „ agamus Domino gratias. “ Universi respondebant: „ justum & rationi consonum est ei gratias agi. “ Episcopus postreme verba hæc repetebat; & cum is Præfationem quæ in apostolicis Constitutionibus prælonga est, absolvisset, quotquot aderant, conjunctim hymnum Seraphin recitabant, quem Isaias notat, in hæc verba: „ Sanctus, Sanctus, Sanctus, est Domi-

„ nus,

„ nus, Deus Exercituum. " Pergebat Episcopus; &, postquam panem & vinum aquæ admixtum, in memoriam Christi Domini, consecraverat, orabat pro tota Ecclesia, pro se ipso, & pro Clero, pro Rege & Potestatibus Mundi, addebatque se etiam pro omnibus Sanctis offerre, proque iis omnibus quorum nomina Deo nota erant. Demum offerebat pro incolumitate & incremento bonorum terræ; pro absentibus, aqua de causa, proque universo populo, & hanc precem per glorificationem Patris & Filii & Spiritus Sancti absolvebat. Iterabatur prex pro cujusque generis conditionibus, (*Lib.* 8. *cap.* 13.) pro iis ipsis qui in pace occubuerant; factaque martyrum commemoratione, eorumdem certaminum participatio poscebatur. Cum porro diaconus populum monuisset, ut animum intenderet, ajebat Episcopus: „ Sancta Sanctis. " respondebat populus: „ Christus Dominus unus est sanctus; ipse unus est Dominus. " Eucharistiam sumebat Episcopos, & primus communicabat, deinde vero presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores, monachi, diaconissæ, virgines, viduæ, puerique. Deinceps omnes & singuli ex ordine, modeste, reverenter, & sine strepitu communicabant. Episcopus, Eucharistiam distribuens, ajebat: „ Hoc est corpus Jesu „ Christi. " Qui eam recipiebat, respondebat *Amen*, videlicet: ita credo, quemadmodum explicant sancti Patres. Calicem interea præ manibus tenebat diaconus, qui sub una specie communicaverat, inquiens: „ Hic est sanguis Christi Domini, calix vitæ. " Qui ex eo bibebat, respondebat, *Amen*. Dum populus communicabat, psalmorum tricesimus tertius ad cœtum detinendum concinebatur; selectus autem erat psalmus hic, occasione octavi versiculi in quo dicitur: „ Gu- „ state & videte, quam suavis est Dominus. " Communione ab omnibus sumpta, diaconi in proximum Ecclesiæ cubiculum, quod e speciebus supererat, deferebant. Subsequebatur gratiarum Actio; tum postrema oratio quæ a nobis *post-communio* nuncupatur; deinde vero, cum Episcopus cœtui benedixisset, cœtum ipsum diaconus dimittebat, inquiens: „ ite in „ pace. "

De cœtus diebus & horis.

Quoad fieri poterat, diebus singulis, mane & vespere, sabbato potissimum & die dominica, in Ecclesiam conveniebatur. (*Lib.* 2. *cap.* 59.) Matutino tempore psalmus septuagesimus secundus, vespertino centesimus quadragesimus canebantur. Die dominica, erectis pedibus, orabatur, vicibus omnino tribus, in Christi Domini memoriam, qui eo die resurrexerat, cum in sepulcro, trium dierum spatio, moratus esset. Veteris etiam & novi Testamenti Scripturæ legebantur; habebatur sermo; sancta Mysteria celebrabantur, eorumque participes fideles erant. Quo tempore nec in Ecclesia, nec privatis in ædibus cœtus haberi poterat, orabat quisque psalmosque canebat, unus, duo, tres ve simul. (*Lib.* 8. *cap.* 34.) Christifideles orabant here mane, hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, & ad galli cantum. Labori addicti erant hebdomadæ dies quinque; at sabbatum, diesque dominicus omnino ponebantur in pietatis operibus, in eoque peculiariter, ut documenta in Ecclesia perciperentur. A labore, per integram Majorem hebdomadam & sequentem, famuli exempti erant, quia per eos dies quindecim, Christi Domini Passionis & Resurrectionis mysteriis imbui debebant. Festi quoque apud eos erant Ascensionis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniæ, Apostolorum, S. Stephani Proto-martyris, aliorumque Sanctorum Martyrum dies.

De Mortuorum Sepultura, Precibusque quæ pro iis edebantur.

Martyrom festis diebus, (*Lib.* 6. *cap.* 30.) Christifideles in cœmeteria conveniebant, ut ibidem sacras Scripturas legerent & psalmos canerent. Orabant etiam ibi pro fratribus qui in Domino obdormierant, & Christi Domini corpus, seu ipso in loco, seu in Ecclesiis, pro iis offerebant. Funeribus, psalmos canentes, intererant, fusisque ad Dominum precibus postulabant, ut defunctis, quæ peccaverant, condonaret, iisdemque locum in Sanctorum domicilio concederet. (*Lib.* 8. *cap.* 41.) Tertium, nonum & quadragesimum a morte diem, orantes, psalmos canentes, Scripturasque legentes, in ejus memoriam qui e vivis excesserat, celebrabant. (*ibid. c.* 42.) Erat etiam in more positum, ut de mortui hominis bonis, pauperibus tribueretur, certumque habebatur fore, ut illud charitatis opus eidem prodesset, si pietati, dum mortalem banc vitam viveret, addictus fuisset. (*ibid. c.* 43.) Inferebatur iis ad mensam, qui ad funus acciti venerant; at ea erat comedentium moderatio, ut ne propterea, quin pro defuncto precibus vacarent, impedirentur. (*ibid. c.* 44.)

De Agapis.

Coibant etiam Christifideles ad quædam charitatis convivia quæ inter se peragebant, quæque *agapes* appellabant. (*Lib.* 2. *cap.* 28.) Pauperes ætate graves convocabantur, idque seponebatur, quod presbytero tribui consueverat, qui proinde, vel absens, convivii particeps erat. Diaconi quam senes dupla plus accipiebant, & duplex portio presbyteris tribuebatur, ob eorum in distribuendo divini verbi pane assiduitatem, quia tenent Apostolorum locum, ac veluti Episcopi consilium & Ecclesiæ corona sunt. Lectoribus, cantoribus & ostiariis una pars tribuebatur.

De Jejuniis.

Inter jejunia quæ in Ecclesia præscripta erant, Quadragesimale locum principem obtinebat. Incipiebat feria secunda, & in feriam sextam ante Palmarum festum diem desinebat; ita scilicet, ut per dies quadraginta jejunaretur ante jejunium Paschatis, quod ab eodem Palmarum die inchoatum, totius hebdomadæ spatio, ad usque Paschatis diem perdurabat; hac enim hebdomada, etiam die sabbati jejunabatur, propterea quod eo die Christus Dominus sepultus fuerat. (*Lib.* 7. *cap.* 23.) Per hebdomadam quoque jejunabatur, quæ Pentecostes festum consequebatur, reliquisque præterea singulis quartis & sextis per annum feriis; (*Lib.* 5. *cap.* 20.) quarta quidem feria, quia ea ipsa die Christus Dominus a Juda traditus fuerat, sexta vero, in ejusdem Passionis memoriam. (*ib.* 4. *cap.* 15.) Fideles Ecclesia jejunare jubens, jubebat eodem tempore id quod ipsi sibi per jejunium detrahebant, pauperibus elargiri. (*ibi. cap.* 20.) Ex Quæstionibus quæ *Anastasii* nomen præferunt, compertum fit „ Quadra- „ gesimæ jejunium ab eo distingui consuevisse quod „ Hebdomadæ sanctæ proprium & peculiare erat, & „ prius quidem in feriam sextam quæ Palmarum do- „ minicam diem antecedit, desiisse. " (*Anast. Quæst.* 64.)

De Pœnitentia.

Cum fidelium quispiam in gravem culpam prolabebatur, eum Episcopus ex Ecclesia ejiciebat, testatus tamen id ægro se animo facere. (*Lib.* 2. *cap.* 16.) Sibi quoque id displicere Diaconi significabant; atque adeo quomodo peccator se gereret, inquirebant, eumque nacti extra Ecclesiam detinebant, in quam regressi, pro eo Episcopum obsecrabant, qui eum sibi sisti jubebat, peractoque examine, si eum patrati criminis pœnitebat, dignusque erat qui in Ecclesiam reciperetur, imposito, pro peccati gravitate, plurium dierum, aut plurium hebdomadarum jejunio, post elapsum pœnitentiæ tempus, monitus, ut Dei misericordiam imploraret, dimittebatur. In Ecclesiæ communionem peccator, per manuum impositionem, restituebatur. (*Lib.* 2. *cap.* 41.) Easdem sæpenumero, per pœnitentiæ cursum, ei Episcopos imponebat; ipsumque jubebat, antequam divina Liturgia inchoaretur, ex Ecclesia pedem efferre. Pœnitentia ad peccatum exigebatur, aliaque ratione operum, verborum & cogitationum peccata puniebantur. (*ibid. c.* 48.) Quoad peccatores quosdam Episcopus minis contentus erat; alios jubebat eleemosynas erogare, jejunare alios, impœnitentes autem obduratosque ex Ecclesiæ corpore rescindebat. (*ibid. cap.* 41.) Si post excommunicationis sententiam resipuissent, infidelium instar recipiebantur, hoc est, in Audientium gradu ponebantur; at, in prece quidem, nulla erat cum iis communio; absolutaque Prophetarum & Evangelii lectione, ex Ecclesia egredi jubebantur, quoad se dignos reddidissent, qui sacris cœtibus interessent. (*ibid. c.* 39.)

De Ecclesiasticis Judiciis.

Fere, inter Christianos coorta litigia, feria secunda, judicabantur; (*ibid. cap.* 47.) cumque ea die finiri non poterant, causæ examen ad proximum sabbatum remittebatur, ne quid contestationis inter eos, die dominica, remaneret. Episcopus, adsistentibus presbyteris & diaconis, judicabat; ab iisque judicium, sine personarum acceptione, ferendum erat. Utraque pars, erectis pedibus, in media audientiæ aula, pro se dicebat; auditasque partes, antequam Episcopus decretum suum pronuntiaret, presbyteri & diaconi conciliare studebant; neque enim æquo animo ferebant

rebatur publice innotescere Christianum hominem damnatum esse; suique judicii Episcopus non nisi Christo Domino rationem reddebat. His circumspectionibus potissimum locus erat, cum de aliqua facti specie quæ famam afficeret, agebatur. Tum quidem apostolicæ Constitutiones jubent ecclesiasticos judices sibi ob oculos ponere se, per suam sententiam, de accusati æterna seu vita seu morte decidere; excommunicationi quippe, cum justa est, eam vim inesse, ut eum quem perculerit, a vita seu gloria excludat, ac tum apud Deum, tum apud homines confusione suffundat. Perspectæ tantum probitatis testes recipi debebant, nec ante accusatus damnari poterat, quam de ejus actæ vitæ ratione constaret. (*ibid. c.* 49.) Delator, si calumniæ convictus esset, puniebatur; itemque, si accusatum reum esse innotuisset, ut id cæteris exemplo foret. Constitutionum auctor (*ibid. cap.* 50.) diligentiam proponit quam sæculares magistratus ad sua judicia afferebant, (*ibid. c.* 52.) notatque, cum reum ex ipsius confessione convicissent, plurium eos adhuc dierum spatio supersedisse, antequam cum extremo supplicio damnarent, novis inquisitionibus, maturisque deliberationibus institutis, ut de criminis veritate certiores fierent; tum vero judicem mortis sententiam pronuntiaturum extulisse ad solem manus, eumque sibi testem sumpsisse se humani sanguinis innocentem esse. At, quamcunque tandem circumspectionem sæculares Magistratus in judiciis suis adhiberent, Christifidelibus ad eorum tribunal actionem intendere, sæcularibusque judicibus de ecclesiasticis negotiis cognoscere non licebat. (*Lib.* 2. *cap.* 45.)

Apostolicæ Constitutiones impressæ fuere, quam late patent, primum, græce & latine, Venetiis, an. 1563. *in* 4. Turriani cura & opera, cumque ejusdem animadversionibus. Iterum typis editæ prodierunt; Antuerpiæ, apud Plantinum, an. 1578. *in-folio*, Venetiis, an. 1585. in Nicolini Collectione Conciliorum, & in Binii Collectione, Coloniæ, an. 1606. *in-folio*. Earum versionem dedit Cotelerius, easdemque, græce & latine, novis additis adnotationibus, inter Patrum Scripta, qui *Apostolici* nuncupantur, Parisiis imprimendas curavit. Editio deinde hæc prodiit Amstelodami, an. 1698. & 1714. curante D. le Clerc, & Antuerpiæ, iisdem annis, *in-folio* voluminibus duobus. Occurrunt etiam apostolicæ Constitutiones in Bibliothecis Patrum, & in Collectione Conciliorum P. Labbæi; at in cæteris Collectionibus desiderantur.

§. „ Leguntur, in plerisque conciliorum editionibus, Epistolæ Romanorum Pontificum, a S. Lino, „ qui primus S. Petri successor fuit, ad Papam Siricium usque, qui an. 385. sedere cœpit. Hæ porro „ disciplinæ regulas plures Christifidelium primis ignotas continent, ac proinde tamquam apocryphæ & „ suppositæ rejiciendæ sunt, tametsi, ad medium usque sæculum decimum septimum, eas, tamquam „ veras, hominum simplicitas adoptaverit. Eædem, „ critices vitio, & per inscitiam, tamquam eorum „ priorum temporum authentica monumenta, in Gratiani Decreto laudantur. Id par est animadverti, „ cum veteres theologi & canonistæ leguntur. Unus „ & unicus e primis Pontificibus, quorum certa aliqua Epistola nobis suppetit, est S. Clemens, tertius Papa, cujus extat ad Corinthios Epistola; profertur ejusdem altera, sed quæ tamen est dubiæ fidei. “ (Vide *Epistol. Pontif.* Patris Coutant, Benedictini Congregationis S. Mauri. Parisiis, an. 1721. *in-fol.*)

ANALYSIS CONCILIORUM.

CONCILIA SÆCULI II.

Concilium Siculum, an. 125.

BAlutius (*In nova Collectione*) concilii cujusdam meminit quod an. 125. contra Heraclionitarum & Valentini errores in Sicilia habitum ait; at concilium hoc suppositum creditur.

Concilium Romanum, an. 146.

Concilium, an. 146. contra Theodotum Coriarium Romæ celebratum Fabricius agnoscit. In *Synodico veteri Fabricii Bibliotheca græca, Tom. XI. p.* 186.

Concilium Pergamense, an. 152.

Laudat Balutius (*ibid.*) Pergamense, in Asia, concilium quod an. 152. contra Colorbasanianos coactum putat, & alterum in Oriente, an. 160. contra Cerdonis errores.

Concilium Romanum, an. 170.

Romanum quoddam concilium, an. 170. contra Quartadecimanos celebratum affertur, in *Synodico veteri*, apud Fabricium, *Tom. XI. p.* 186.

Concilium Hierapolitense, an. 173.

Concilium contra Montanum, Montanistas, & Theodotum Coriarium, Hierapoli in Asia, an. 173. celebratum. Balutius ex Eusebio, Fabricius, loco supra laudato. Alia per Asiam concilia, sub idem tempus, superque eadem re, celebrata creduntur.

Concilium Lugdunense, an. 197.

Lugdunense, sub S. Irenæo, an. 197. de Paschate. (Balutius unus).

Asianum, seu Ephesinum. Concilium hoc ex omnibus Asiæ minoris, proximarumque nonnullarum provinciarum Episcopis qui an. 197. seu 198. Ephesum convenerant, conflatum fuit. Ei præfuit Polycrates, ejus urbis Episcopus, deciditque in Paschatis, Martii luna decima quarta celebrandi, consuetudine persistendum esse, quin id ad sequentem Dominicum diem differretur. Synodica Epistola quæ a Polycrate exarata, & ad Papam Victorem missa fuit, adeo hunc Pontificem exacerbavit, ut Asiaticos communione privaret, eorumque concilium damnaret. (Balutius, in nova Collect. ex Euseb. *Lib. V. Hist. cap.* 25. *& seq.*)

Ponticum, in Ponto, scilicet Asiæ provincia, an. 197. Receptum non est concilium hoc.

Concilium Osrhoense, an. 197.

Osrhoense in Asia, an. 197. non est receptum.

Corinthiacum in Græcia, an. 197. non est receptum.

Cæsareense in Palæstina, an. 197. non est receptum.

Hæc tria concilia quæ recepta non fuere, Paschatis celebrationem spectant. (*Reg. Lab. & Hard.* Tom. I.)

Romanum, an. 167. habitum est anno quarto Imperii Severi sub Papæ Victoris pontificatu, super celebratione Paschatis, & contra Asiæ Ecclesias quæ festum hoc, Martii luna ipsa decima quarta, Judæorum more, celebrabant. Mandat concilium, ut Pascha non nisi die Dominica post Martii lunam decimam quartam & æquinoctium vernum, ex Romanæ Ecclesiæ, omniumque Occidentis Eclesiarum usu celebretur. Hujus concilii acta periere. Eusebius, *Lib. V. Histor. Eccl. cap.* 22. Reg. & Lab. *Tom. I.*

Romanum, an. 198. super Paschate, Fabricius, in *Synodico veteri, Tom. XI. p.* 186.

Mesopotamiæ concilium itidem super Paschate. Fabric. *ibid.*

Ponitur ad an. 198. concilium in Græciæ incerto loco habitum ad Patriarchæ jus per totam. Assyriam, Mediam & Persiden Seleucensi Archiepiscopo conferendum. Concilium hoc commentitium est. Assemanius, *Biblioth. Orient. Tom. III. Part. I. p.* 54. Mansius, *Conciliorum supplem. Tom. I. p.* 7. *& seq.*

Concilium Lugdunense, an. 198. *seu* 199.

D. *de la Lande* concilium memorat, an. 198. seu 199. contra Valentini errores, Lugduni habitum, Epistolæque hujus synodi latinum fragmentum exhibet, dignum a Balutio judicatum quod in ejus Collectione locum haberet, ubi græce & latine prostat, ex interpretationibus duabus, Rufini, scilicet, & Valesii. *De la Lande, Supplem. Concil. antiq. Galliæ a Jacobo Sirmondo, edit. pag.* 12.

CONCILIA
SÆCULI TERTII.

Concilium Carthaginense, an. 215.

Agrippinus, Carthaginis, in Africa, Episcopus concilium ex omnibus Numidiæ & Africæ Episcopis, an. 215. ea in urbe coegit, perspiciendi causa, an hæretici ad Ecclesiam redeuntes rursus baptizandi essent, quaque iidem ratione in ea recipiendi. Declarat, unanimi voce, concilium hæreticos, cum Spiritum Sanctum non habeant, non posse Baptismum conferre, aut peccata per Baptismum remittere, eosque ad Ecclesiam redeuntes baptismate rursus ablui oportere. Rejicitur concilium hoc, ejusque acta perierunt. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.* (*)

Concilium Carthaginense, an. 217.

Idem Agrippinus, an. 217. Carthagine coegit concilium alterum. In eo prohibentur clerici sibi tutelam, aliasve ejusmodi curas sumere. S. Cyprianus de hoc concilio, in Epistola 66. loquitur. *Hard. Tom. I.*

Concilia Alexandrina, unum an. 223.

An. 223. concilium Alexandriæ habitum est, in quo Origenes degradatus, quod se mutilasset. Hujus concilii unus meminit Balutius in nova Collectione. (**)

Alterum an. 235.

An. 235. Heraclas, Alexandrinus Patriarcha, concilium coegit occasione cujusdam Episcopi cui nomen Ammonio qui a fide defecerat. Eum Patriarcha cum convenisset, ad veritatem feliciter revocavit. *Lab. Tom. I.*

Concilia Iconiense & Synnadense, an. 235.

Eodem an. 235. concilia duo, Iconii unum, Synnadæ alterum super hæreticorum Baptismo & contra Donatistas habita sunt. His Phrygiæ, Galatiæ & Ciliciæ Episcopi interfuerunt.. Eusebius, *lib. VII. cap.* 7. Augustinus, *lib.* 3. contra Cresconium, *cap.* 3. Firmilianus, *in Epist. ad Cypr. Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 237.

Sub annum 237. Origenem Fabianus Papa damnavit in concilio quod Romæ habuit.. Rufinus, *lib.* 2. *Invent. in Hieronymum. Hard. Tomo I.*

Concilium Lambesitanum, an. 240. seu 242. seu 245.

An. 240. aut 242. aut etiam, ex Pagio, 245. habitum est Lambetii, seu Lambesii, in Africa, sub Papa Fabiano & sub Imperatore Gordiano, concilium ex Episcopis nonaginta conflatum, contra hæreticum quemdam *Privatum* nomine, qui in eo damnatus, ac deinde a Fabiano summo Pontifice communione privatus fuit. Qui peculiariter errores *Privati* fuerint, haud constat; crediturque potius aliquarum veterum hæreseon fautor, quam novorum errorum inventor fuisse. Nullum amplius nobis hujus concilii vestigium superest. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.* Pagius, *Histor. Pontif.*

Concilium Bostrense, an. 242. seu 243.

An. 242. aut 243. Philadelphiæ, seu Bostræ, in Arabia, quæ Urbs ab Isaia propheta *Botron* dicitur, habitum concilium fuit. Ei adfuit Origenes, qui contra Beryllum, ejus urbis Episcopum, in Theodoti Coriarii hæresin lapsum acriter disputavit, eumque tandem ad sanam doctrinam redegit. Nihil, ad hoc concilium quod attinet, ad nos pervenit. *Lab. & Hard. Tim. I.*

Concilium Ephesinum, an. 245.

Ad an. 245. contra hæreticum Noetium, Ephesi, vel alibi in Asia proconsulari concilium extitit. *S. Epiphan. Hæres. LVII. pag.* 479. *edit. Patav.* Balutius, *in nova Collect. Hard. Tom. I.*

Concilium Arabicum, an. 249.

An. C. D. 249. qui Philippi Imperatoris quartus, & Papæ Fabiani undecimus erat, habitum est in Arabia concilium, ex Episcopis bene multis conflatum. Coactum fuit in arabicos nonnullos hæreticos qui animum mori cum corpore, atque una cum eo aliquando resurrecturum docebant. Huic concilio adfuit Origenes qui ea vi ac soliditate eos hæreticos confutavit, ut a suis ipsos erroribus revocaret. Eusebius, *Lib. VI. cap.* 31. Baronius, *ad an.* 249. *num.* 6. *Reg. & Lab. Tom. I.* (***)

Concilium Achajense, an. 250.

An. 250. concilium contra Valesienses, seu Eunuchos habitum est qui docebant hominem, nisi Eunuchus esset, salvum fieri non posse. Balutius, in *Collect.*

Concilium Romanum, an. 250. vel 253.

Eodem an. 250. Clerus urbis Romæ coegit ibidem concilium, sedis, a Papæ Fabiani morte, vacantis tempore, eorum occasione qui seu idolis sacrificantes, seu thus iis adolentes, seu publicum aliquem alium religionis actum edentes, seu denique privatim fidei nuntium remittentes, & a magistratibus libellos ementes quibus eos sacrificasse palam fieret, idololatriæ evaserant. Ad hoc concilium clerus finitimos Episcopos, exterosque qui Romam venerant, convocavit; in eoque statutum fuit, ut ad confessionem & pœnitentiam reciperentur apostatæ qui periculose ægrotarent, cæteris vero, ad Papæ electionem usque, conciliatio differretur. Cyprianus, *Epist.* 52. *ad Antonianum*, Baronius, ad an. 253. *num.* 78. 79. 80. & 81. *Reg. & Lab. Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 251.

An. 251. Papa Cornelius sexaginta Episcoporum concilium Romæ coegit in Novatianum qui ex Ecclesia ejectus fuit. Eusebius, *lib. VI. cap.* 43. *Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, an. 251.

S. Cyprianus, an. 251. Carthagine in Africa concilium coegit, in Lapsorum causa, Christifidelium scilicet, qui, Decii persecutione grassante, in idololatriam prolapsi fuerant, quosque facilius ad pœnitentiam nonnulli laxioris moralis doctrinæ Presbyteri recipiebant. Re quidem vera, concilium hoc Lapsos ad pœnitentiam suscepit; at iis non nisi post maxime diuturnas probationes absolutionem concessit. Ibi quoque Novatianus damnatus fuit qui in Papam Cornelium schisma conflaverat, quique ausus fuerat, ut Africanos in suas partes traheret, ad concilium scribere. In eodem concilio communione privatus fuit, jam tertio, Felicissimus, eademque aliis quinque Carthaginensis Ecclesiæ presbyteris inflicta pœna, qui & ipsi schisma in S. Cyprianum, suum Episcopum, excitaverant.

Perie-

(*) *Tillemontius concilium hoc ad an. 200. refert.*

(**) *Sunt qui concilium hoc ad an. 231. referant, sub Demetrio.*

(***) *Docti Benedictini, auctores Artis verificandi Datas, sub an. 146. collocant concilium hoc.*

perierunt hujus concilii acta. *Vid. S. Cypr. Epist.* 40. 42. 52. 54. *&* 55. *Reg. & Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, an. 252.

Concilium hoc, in Privatum, Feliciſſimum & Novatianum, a S. Cypriano convocatum fuit. *S. Cypr. Epist.* 55. *ad Cornelium Papam, & Epist.* 68. *ad Stephanum Papam. Reg. & Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 252.

Concilium hoc habitum fuit, S. Cornelio Eccleſiam regente. Id in eo confirmatum fuit quod Carthaginenſe concilium primum, ſuperiore anno a S. Cypriano celebratum, ſuper Lapſorum pœnitentia ſtatuerat; Epiſcopoſque, presbyteros, eoſque omnes e clero qui cultum idolis præſtiterant, aut libellos ſumpſerant, ad pœnitentiam ſuſcipiendi ratio ad certum modum redacta eſt. Hujus concilii acta non extant. Vide *S. Cypr. Epist.* 52. 64. 67. *&* 68. *Reg. & Hard. Tom. I.*

Concilium Antiochenum, an. 253.

Coegit Demetrius, Antiochenus Epiſcopus, concilium hoc in quo Novatus depoſitus fuit. Balutius, in *nova Collect. Lab. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, an. 253.

Concilium hoc ex Epiſcopis ſexaginta ſex, S. Cypriano præſide, conſtans definiit infantes ſtatim a nativitate, nec expectato octavo die baptizandos eſſe. Hujus concilii Synodica Epiſtola eſt S. Cypriani quinquageſima nona ad Fidum miſſa. *Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, an. 253. *vel* 254.

Concilium hoc habitum fuit a S. Cypriano, ejuſque collegarum pluribus in Baſilidem, Epiſcopum Legionenſem, & Martialem, Aſturicenſem Epiſcopum in Hiſpania, propterea quod Libellatici fuerant, ſchedulas ſcilicet, publica e ſcripto teſtimonia, ſeu certificata ſumpſerant, quibus eos ſacrificaſſe ſignificabatur. Vide *S. Cypr. Epist.* 68. *Hard. Tom. I.*

Concilia Carthaginensia, ann. 252. 255. 256.

Hæc concilia tria quæ in Eccleſia recepta non ſunt, a S. Cypriano coacta fuere, ſuper Baptiſmate ab Hæreticis collato quod nullum prorſus & irritum declaratum fuit. (*Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*) Ponitur ad an. 255. Italiæ concilium, ſub Papa Cornelio, in Novatiani cauſa. *Reg. Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 256.

Concilium hoc a S. Stephano Pontifice Maximo habitum fuit; in eoque ſtatuta validitas Baptiſmatis hæreticorum, contra ſententiam Epiſcoporum Africæ, *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Concilium Narbonense, an. 257. *aut* 260.

Concilium, eo circiter tempore, Narbone habitum creditur in cauſa S. Pauli, ejus urbis Epiſcopi quem a ſuiſmet diaconis incontinentiæ accuſatum, ab hac calumnia miraculum purgavit. Boſquetius, Montis Peſſulani Epiſcopus, & auctor vitæ S. Pauli Narbonenſis id refert quod in hoc concilio geſtum eſt. *Part. II. Hist. Ecclesia Gallic. Labb. Tom. I.*

Concilium Alexandrinum, an. 258.

Alexandrinum concilium quoddam, contra Novatum, hoc anno ponit Fabricius in *Synod. veter.*

Concilium Romanum, an. 260. *seu* 263.

Cum Dionyſius Alexandrinus Sabellianiſmi accuſatus fuiſſet, Papa S. Dionyſius, an. 260. ſeu 263. concilium Romæ coegit, ut accuſationem diſcuteret. Poſt maturum examen, accuſatus, unanimi ſententia, a concilio abſolutus fuit, quemadmodum S. Athanaſius in ſuo ſcripto ſuper Dionyſii contra Arianos ſententia teſtatur. Baronius, ad an. 263. *num.* 30. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Concilium Africanum, an. circiter 262.

S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos memoriæ tradit eoſdem Epiſcopos qui primum in Africano concilio cum S. Cypriano judicaverant hæreticos rebaptizari oportere, novum judicium ex diametro oppoſitum in alio concilio tuliſſe. *Hard. Tom. I.*

Concilia Alexandrina, an. 263.

Habita ſunt, hoc anno, Alexandriæ, ſub Epiſcopo Dionyſio, concilia duo; in quorum primo damnatus Sabellius, & in altero damnati Nepotianus, in Ægypto Epiſcopus, & Cerinthus, Millenarii qui præterea cruenta ſacrificia neceſſaria eſſe aſſerebant. Ex *veteri Synodico*, apud Fabricium, *Tom. XI. pag.* 292. *Lab. Tom. I.*

Primum Antiochenum Concilium, an. 264. *vel* 266.

Concilium hoc, Papæ Dionyſii & Imperatoris Gallieni tempore habitum fuit, occaſione Pauli, Epiſcopi Samoſateni qui contendebat Chriſtum Dominum purum putumque hominem fuiſſe, ante Mariam non extitiſſe, nomen *Filii Dei* non alia de cauſa, quam ob bonos mores obtinuiſſe, ejuſque ſanguinem, in Euchariſtiæ Sacramento, corruptioni obnoxium eſſe. Ei Firmilianus, Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, præfuit, & Paulus Samoſatenus, cum pœnitentiam & palinodiam ſimulaſſet, ne ſuæ ſedis jacturam ſubiret, cenſuram & depoſitionem vitavit. Hujus concilii acta nobis non amplius ſuppetunt. Euſebius, *lib. VII. cap.* 24. Baronius, ad an. 265. *num.* 3. *& seq.* item ad an. 266. *num.* 2. *& seq. Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 268.

Concilium hoc Hæreticorum Baptiſmum propoſitum habuit. Fabricius, in *Synod. vet.*

II. Concilium Antiochenum, an. 268.

Cum Paulus Samoſatenus in errorem prolapſus eſſet, quem in primo concilio, Antiochiæ habito, revocare viſus erat, ea ipſa in urbe coactum fuit concilium alterum, an. 268. ſeu 270. ſeu denique 272. C. D. qui Imperii Aureliani ſecundus, & Pontificatus Papæ Dionyſii duodecimus erat. Concilio huic interfuerunt Epiſcopi numero plurimi qui Paulum Samoſatenum depoſuerunt, & Domnum in ejus locum elegerunt. Concilium ad Papam Dionyſium & ad omnes alios Epiſcopos ſcripſit, ut Pauli depoſitionem & Domni ordinationem iiſdem ſignificaret. Cum Paulus ex Epiſcopalibus ædibus egredi recuſaret, Aurelianus Imperator mandavit, ut domus ad eum pertineret cui eamdem Italiæ & Romæ Epiſcopi adjudicaſſent. Euſebius, *Lib. VII. cap.* 24. *Baron. ad an.* 272. *Lab. & Hard. Tomo I.*

Concilium Ancyranum, an. 273.

Ancyræ, in Galatia, an. 273. ſuper diſciplina concilium extitit, ſi Domino Pithou fides. Idem auctor aliud ſuper eadem re ponit Ancyræ, in Cæleſyria, an. 277. Pithou, in *Collect.*

CONCILIA

SÆCULI QUARTI.

Concilium Sinvessanum, ann. 303.

EST scripto traditum, Marcellinum Papam concilio quod Sinvessæ in Campania habebatur, se se stitisse, in eoque confessum esse se thus idolis adolevisse; at hæc narratio fabula est, & concilium aperte evidenterque fictitium. *Reg. Lab. & Hard.*

Concilium Cirthæ in Numidia, Cirthense, ann. 305.

Hoc in concilio absoluti Episcopi qui in persecutione sacros codices ethnicis tradiderant, & quibuscum communione jungi proconsulare in Africa concilium, superiore ann. 304 (*Concilium Alutinense.*) habitum, indicta excommunicationis pœna, vetuerat. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Concilium Alexandrinum, ann. 30[illegible]. seu 306. seu 308.

Meletius, Lycopolis, Ægypti in Thebaide urbis Episcopus idolis sacrificasse convictus, in hoc concilio depositus fuit, quod S. Petrus, Alexandrinus Episcopus, convocaverat. Haud se subdidit concilii sententiæ Meletius, statuitque se factionis caput, conflato schismate. Ejus asseclæ, ab ipsius nomine, *Meletiani* nuncupati. *Hard. Tom. I.* Balutius, in *Collect.*

Concilium Eliberitanum, ann. 303.

Ad ann 303, referentes concilium hoc, doctum Cardinalem Aguirræum ducem sequimur cui epocha hæc vero simillima visa est, quin ea sit nobis mens, ut sententias damnemus quas Catholici alii auctores amplexi sunt. quod enim attinet ad hujus concilii quod magni momenti est, tum tempus, tum locum, tum aliquorum canonum sensum, magnam esse opinionum varietatem non ignoramus. Quia plura in eo continentur quæ Protestantibus contraria sunt, hi proinde, ad ejusdem vim eludendam, illud retraxerunt, alii quidem ad annum circiter 700. cujusmodi sunt Centuriatores Magdeburgenses, alii vero ad annum usque 1200. quæ sane adeo palmaria errata & crassa sunt, ut ne confutatione quidem digna sint. Illud Baronius, Binius, PP. Labbæus & Cossartius an. 305. alii an. 300. aut 301. aut 304. aut 309. statuunt. P. Harduinus, Onuphrio subscribens (*in Fastis*) illud ad an. 313. refert. P. Morinus (*Lib. 9. de Pœnitent. cap. 19.*) contendit Eliberitanum concilium post Zephirini, & ante Cornelii pontificatum videlicet, intra annos 219. & 250. habitum fuisse; quod ex eo probat, quia Eliberitani Patres Novatiani fuissent, nisi concilium hoc ante medium sæculum tertium habitum esset; homicidis enim, & idololatris, etiam in mortis articulo, communionem negarunt haud secus ac Novatiani, quorum hæresis medio circiter sæculo tertio originem habuit. At soliditatis expers hæc ratio est, quia Novatianos inter & Eliberitanos Patres longum latumque discrimen interest; contendebant Novatiani nullum mortale peccatum quod post Baptisma patratum esset, ab Ecclesia remitti posse; at Eliberitani Patres contra sentiebant; ac si, mortis tempore, peccatoribus atrocium quorumdam criminum reis communionem negabant, id non alia de causa faciebant, quam quia salutaris disciplinæ sancta severitas iis maxime cordi erat, & ut terrorem cæteris inspirarent; quod Papa Sanctus Innocentius I. in iis excusavit.

Videmus etiam Sardicensis concilii ann. 347. habiti Patres statuisse, canone primo, ut ambitiosis Episcopis qui ex una in aliam Ecclesiam migrassent, communio, vel ad mortem, negaretur. Num propterea quispiam dixerit eos Novatianos fuisse? Duguetius in sua, de tempore & loco quo Eliberitanum concilium habitum est, Dissertatione, oportere ait, ut ante ann. 302. habitum sit; quo quidem tempore inchoata est sævissima Diocletiani persecutio, qua grassante, concilia haberi omnino non poterant. At ei respondetur Diocletiani persecutionem, in Hispania, non nisi sub anni 303. finem apertam fuisse, atque ad fideles contra ejusdem immanem vim furoremque muniendos, Eliberi concilium, eo ipso anno ineunte, coactum, in eoque canones plures, ad temporis rationem spectantes, editos fuisse.

Ad celebrationis ejusdem concilii locum quod attinet, hoc jam tempore convenit inter omnes eum non esse Galliæ Narbonensis Eliberin quæ sæpius *Caucoliberis* quam *Eliberis* appellabatur, quæque adhuc *Colioure* dicitur, sed Hispaniarum Eliberin in Bætica, scilicet, Andalusia sitam, duabus tribusve leucis Granata procul, ad quam episcopalis sedes Eliberis, quæ non amplius subsistit, translata fuit. Eliberitano concilio adfuere plurium provinciarum Episcopi, nempe, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitaniæ, Bæticæ, numero octodecim, novendecim, atque adeo quadraginta, si manuscripto Domini Pithou codici fides. Præcipui notioresque sunt Felix Episcopus Accis in Carthaginensi, quæ nunc Gadee in Andalusia, qui quidem primus omnium nominatur, Osius Cordubensis, Sabinus Hispalensis, Flavius Eliberitanus, Liberius Emeritanus, Valerius Cæsaraugustanus, Decentius Legionensis, Melanthus Toletanus, Vincentius Orsunensis, Quintianus Eboricensis, & Patricius Malacensis. Interfuere presbyteri viginti sex haud secus atque Episcopi, considentes; at Diaconi stabant, erectis pedibus; adfuitque populus universus. In Suessionensis, an 853. concilii Historia, sanctæ Sedis legati Eliberitano Concilio interfuisse dicuntur; at nondum mos obtinuerat, ut iidem conciliis provincialibus aut nationalibus interessent. Est hoc conciliorum primum, quæ in Hispaniis, quod constat, habita sunt. In eo editi super disciplina canones octuaginta quorum aliqui obscuri sunt intellectuque difficiles. Ad eos, ex editione Labbæi, *Tom. I. pag.* 969. afferendos progredimur.

Primus eum Communione privat, etiam in mortis articulo, qui, cum Baptismum susceperit, pergit, ratione jam usu pollens, ad idolorum templum, ibidem sacrificaturus, aut ibidem reapse sacrificat; quod capitale crimen, seu enormitate præcipuum est.

Ut hic, aliique plures ejusdem concilii canones in quibus *Communionis* vocabulum adhibetur, bene penitus intelligantur, videndum est, quæ sit huic voci subjecta notio.

Erat olim vocis, *communio*, multiplex significatio. Sumebatur ea modo pro participatione precum fidelium, modo pro conjunctione quam inter se Ecclesiæ servabant, modo pro divinæ Eucharistiæ perceptione, modo pro conciliatione cum Ecclesia, & modo pro conciliatione cum Deo, seu pro sacramentali absolutione quæ per hæc nomina, *communio*, *societas*, *consortium*, designabatur, quia sacramentalis absolutionis effectus & finis est ad Ecclesiam reditus, & cum fidelibus societas qua pœnitentes privabantur. Hoc posteriore sensu id vocabuli sumunt S. Cyprianus (*Epist. 9. pag. 19. Epist. 10. pag. 20. Epist. 11. pag. 21.*), S. Ambrosius (*Lib. 1. de Pœnitent. cap. 16. num. 90.*), summus Pontifex S. Innocentius I. in Epistola ad Decentium, in ea etiam quam ad Exuperium, Tolosanum Episcopum dedit, antiquiores denique auctores, magisque critices periti viri; jam vero hac ipsa significatione intelligi debet hic primus Eliberitani concilii canon, non autem ita, ut Communionem pro divinæ Eucharistiæ perceptione sumptam significet, quia nullibi legitur, quibus peccatorum absolutio concedebatur, Eucharistiam, eo tempore, negatam fuisse. Eucharistia, tamquam absolutionis sigillum spectatur, nec ea quidem ab hac sejungebatur. At e converso ex S. Cypriano, S. Innocentio Papa I. & ex aliis pluribus constat absolutionem peccatoris, in ipso mortis articulo negatam nonnunquam fuisse, & quamvis ad pœnitentiam reciperentur, eos nihilominus divinæ misericordiæ relinqui consuevisse, quin iisdem absolutio tribueretur. Subsecutis temporibus, ut vitaretur Novatianorum immoderatio, absolutio simulque communio pœnitentibus concessæ sunt, præter quam in Gallia, ubi absolutionis reis ad mortem damnatis negandæ mos ad annum usque 1396. perstitit. Primus ergo Eliberitani Concilii canon id sibi vult, absolutionem, ipso mortis tempore, ei negari oportere, qui,

Baptis.

Baptiſmate jam ſuſcepto, voluntarie in idololatriæ crimen inciderit. Probatur id evidenter ex Eliberitano concilio ipſo; extant enim 1. complures hujus concilii canones in quibus nec de conciliatione, nec de pace, nec de abſolutione, ſed ſolum de communione ſermo fit; quod argumento eſt Epiſcopos per id nominis idem ac cæteros intellexiſſe; 2. ſæpe idem canon ambiguitatem explicat: *Quinquennium a communione placuit abſtineri*, inquit 61. canon, *niſi forte dari pacem velocius neceſſitas coegerit infirmitatis*. 3. Sæpe concilii Patres communionem opponunt pœnitentiæ, ut in canone 64. „ ubi peccator Communionem, peracta „ pœnitentia, ſuſcepturus, " dicitur, abſolutionem ſcilicet, ſine qua nulli pœnitenti concedebatur Euchariſtia.

Secundus canon eamdem pœnam decernit in Flamines qui fidem amplexi, ſuſceptoque Baptiſmate, ad ſacrificatorum officium redierunt, ſacrificia ſcilicet idolis offerentes, aut offerenda curantes, idque eo magis, inquiunt Patres, quod per homicidia aut per adulteria hoc crimen auxerunt.

Vox *Flamines*, ut Voſſius monet, derivatur a voce *flammeum*, quod capitis ornamentum eſt, ita dictum, quia ignei coloris erat. *Flamines* igitur vocabantur ſacrifici quidam qui *flammeum* hoc geſtabant capiti impoſitum, & a cæteris ſacrificulis qui *Sacerdotes* nuncupabantur, in eo differebant, quod priores erant ſacrifici urbium provinciæ, quæ *municipia* appellabantur, & poſteriores, *Sacerdotes* dicti, erant magni ſacrifici totius provinciæ, ejus inſtar Arſacii cui Julianus Apoſtata in quadam apud Sozomenum (*Lib.* 5. *cap.* 6.) Epiſtola hunc titulum tribuit: *Arſacio Sacerdoti Græciæ*, quique ſingulorum cujuſque urbis ſacrificulorum præfectus ſeu ſuperior erat. Sacrificationis ratio hæc, tum quæ *flaminium*, tum quæ *ſacerdotium* vocabatur, munus erat apud Romanos perhonorificum: *Flaminii honorem & ſacerdotii*, inquit Conſtantinus. His ſacrificis publicæ expenſæ demandabantur, ſpectacula imprimis ludique, quæ *munera* dicebantur; hinc iidem ſacrifici dicti *munerarii*; cumque crudelia eſſent hæc & cruenta ſpectacula, eos a quibus exhibebantur, cujuſque in iiſdem patrati homicidii reos habebat Eccleſia. Ludis reliquis minus quidem crudelitatis, at periculi non minus inerat; in iis incontinentiam publice licentiamque hiſtriones docebant, exhibentes laudanteſque ſuorum deorum crimina. Cum ergo malum oculis exhibitum ediſceretur, qui dabat operam, ut ea populo exhiberentur, tamquam adulterio & impuritate fœdatus ipſe, eorumdemque criminum reus ab Eccleſia ſpectabatur. Huc referuntur ea ſecundi hujus canonis verba: *Eo quod vel triplicaverint facinus cohærente mœchia*, tametſi de crimine etiam vere patrato intelligi poſſint. Cæterum, qui canonem hunc de iis tantum accipiunt qui ante ſuſceptam Chriſtianam fidem Flamines erant, turpiter decipiuntur; intelligendus eſt etiam de Chriſtifidelibus canon, qui, poſt ſuſceptum Baptiſma, ad Flaminum officium, ſeu ſuapte ſponte, ſeu vi adacti redierunt; quamvis enim Chriſtifideles id muneris obire prohibiti eſſent, inter eos tamen non deerant qui illud aut ex ambitione requirebant, aut tamquam municipale munus accipere cogebantur.

Tertius huic pœnæ modum quoad eos adhiberi vult qui ſatis habuere ſpectacula, quin ſacrum facerent, exhibere, iiſdemque in mortis articulo communionem concedit, dummodo legitimam pœnitentiam egerint, nec deinde in adulterium prolapſi fuerint.

Ita habet hujus canonis textus; *Item Flamines qui non immolaverint, ſed munus tantum dederint*. Vox hæc *munus* ſignificat *ſpectaculum*, quemadmodum ſupra dictum eſt, & e pluribus præterea qui in eumdem ſenſum ea uſi ſunt, ſeu profanis, ſeu eccleſiaſticis auctoribus probari poſſet: *Qui epulis . . . . gladiatorum muneribus . . . pecunias profundunt*, inquit Cicero, *lib.* 2. *de Officiis*; & S. Ambroſius: *Muneribus gladiatoriis patrimonium dilapidant*. Eſt igitur hic canon de Flaminibus intelligendus, qui ſpectacula apud ethnicos exhibebant: eſtque portento ſimile Mendozam in eam abiiſſe ſententiam, ut crederet per eum Libellaticos deſignari, eos nempe qui pecuniam dederant, ut ſchedulas acciperent, quæ ipſos idolis ſacrificium obtuliſſe ſignificabant, licet illud reapſe non obtuliſſent.

Non deſunt auctores qui canonem hunc ad publicam tantummodo pœnitentiam referant, quæ ſemel tantum, non autem ad privatam ſecretamque quæ toties eorum quidem judicio, fidelibus concedebatur, quoties in peccata relapſi eſſent. At propugnari non poteſt ſententia hæc; etenim, 1. de una ſolum & unica pœnitentia loquuntur veteres, & hæc ſane pœnitentiæ unitas cum aliata publicæ occultæque pœnitentiæ diſtinctione cohæret; 2. pugnat cum juſtitia, recto que ſenſu graviſſime primum, a ſuſcepto Baptiſmate, erratum puniri, & peccatores innumerorum relapſuum reos per indulgentiam nullis circumſcriptam terminis recipi; 3. hæc agendi ratio non potuiſſet, quin relapſus acceleraret, crimina multiplicaret, diſciplinam publicamque pœnitentiam de medio funditus tolleret; 4. cum S. Auguſtinus quorumdam hominum qui criminibus morte dignis obſtricti in carceribus detinebantur, eductionem a Macedonio petiiſſet, miniſter hic ex eo quæſivit, quomodo probus vir, qui ipſe erat, ſanctique Epiſcopi de nequam hominum, pertinacium haud raro & impœnitentium vita & impunitate ſe adeo ſollicitos exhibere poſſent, qui probe ſcirent in Eccleſia cujus miniſtri erant, non niſi ſemel pœnitentiam concedi. S. Auguſtinus reſpondet, re quidem vera, Eccleſiam ſemel tantum peccatoribus pœnitentiam concedere, at Deum iis indulgere poſſe, eoſdemque adhuc ad pœnitentiam expectare, quos nempe ſoſpites & incolumes ſervat, nec morte plectit; hæc porro Macedonii ratiocinatio, itemque S. Auguſtini reſponſio hæc invicte probant eos duorum generum pœnitentiam & abſolutionem non agnoviſſe, publicam unam quæ ſemel tantum ſuſciperetur, ſecretam alteram ad quam homines, quoties ad vomitum rediiſſent, reciperentur. Vide S. Auguſtini Epiſtolam 152. *num.* 2.

4. Flamines ad Baptiſmum admitti vult, poſtquam triennium catechumeni fuerint, dummodo a ſacrificiis offerendis, per id temporis, abſtinuerint.

Hoc in canone, de Flaminibus catechumenis agitur, qui populo ſpectacula ſolum conceſſerant, a quibus ſibi temperare, quin ſuo deeſſent muneri, illudque deſererent, non poterant. Iis concilium catechumenatus tempus protrahit; aliis enim illud duorum tantum annorum erat, quemadmodum ex quadrageſimo ſecundo ejuſdem concilii canone compertum fit.

5. Feminæ quæ famulam percuſſerit, ita quidem, ut intra triduum e vivis excedat, pœnitentiam imponit annorum ſeptem, ſi id egerit occidendi animo, ſi minus, annorum quinque; at eam liberat, ſi ancilla tridno poſt inflictos ictus obierit: Eamdem feminam, ſi, dum pœnitentiam peragit, in morbum incidat, ad communionem recipi vult.

6. Eum, vel morti proximum, abſolutione privat, qui alteri per maleficium vitam ademerit; & ratio quam in id affert concilium, ea eſt, quia crimen hoc ſine idololatria patrari non poteſt, cum maleficium ſit magia quædam in qua poteſtas dæmonis invocatur.

7. Eidem pœnæ fidelem ſubdit qui, poſtquam pœnitentiæ ob adulterium additus fuit, in fornicationem recidit.

8. Eamdem in feminas diſpoſitionem continet, quæ ſine cauſa viros deſerunt, & aliis nubunt.

9. Declarat haud licere feminæ quæ, adulterii cauſa, virum deſeruit, alteri nubere, eamque, ſi id fecerit, non ante ad communionem recipi poſſe, quam is quem deſeruit, e vita migraverit, niſi forte morbi periculum adigat, ut eadem citius ei concedatur.

10. Baptizari patitur tum viros qui uxores, tum feminas quæ viros deſeruerunt, dum inter catechumenos verſabantur, tametſi, poſtquam uxores ſeu viros deſeruerunt, cum aliis matrimonium inierint. At ſi fidelis femina viro nubat qui conjugem ſine cauſa deſeruit, mandat concilium, ut ei, etiam in extremo vitæ diſcrimine, communio negetur.

11. Si catechumena viro nupſit qui contra jus faſque uxorem deſeruit, ejus Baptiſmum ad quinquennium differri jubet, niſi periculoſus eam morbus inceſſerit.

Ex hoc, aliiſque non nullis ejuſdem concilii canonibus perſpicitur catechumenatum dilatum fuiſſe, pro criminum gravitate, quibus obſtricti erant, qui, ut ſibi liceret in eum ingredi, poſtulabant. Magna eſt habenda hujus veteris diſciplinæ ratio, cujus alioquin veſtigia quædam occurrunt.

12. Communione privat, etiam in morte, ſeu matrem, ſeu quemlibet e fidelibus, qui filias proſtituunt.

13. Eamdem in virgines pœnam ſtatuit quæ jam Deo conſecratæ votum violaverint & in vitæ licentiam abierint, haud reputantes cujus boni jacturam fecerint. At ſi ſemel tantum, per ſeductionem, aut per fragilitatem, lapſæ fuiſſent, & pœnitentiam, per omne deinceps vitæ tempus, egiſſent, iis concilium in fine communionem concedi vult.

Apparet, ex hoc canone, conſuetudinem conſecrandi Deo virgines quæ virginitatis votum ederent, quibuſque non amplius deinde liceret conjugium inire, jam in Eccleſia inſtitutam fuiſſe; & ſane, virginum

ſtatus

ſtatua prima entiquitatis eſt in Eccleſia quæ ſemper obſtrictæ ab iiſdem fidei violationem tamquam grave crimen ſpectaeit.

14. Mandet, ut puellæ quæ virginitatem non cuſtodierint, quin tameo vóvarint, conciliatione donentur poſt annum pœnitentiæ, ſi iis nubunt, qui eas deflorerunt; et ſi alios viros cognoverint, per annos quinque pœnitentiæ ſubdantur. Ratio quam affert concilium, ut unius tantum anni pœnitentiam puellis imponat quæ virginitatem, quin tamen voverint, amiſerunt, ea eſt, quia nuptias non violarunt, hoc eſt, violarunt chriſtiani matrimonii integritatem ſolummodo, extra quod ſcilicet haud iis licuit cum viro neceſſitudinem ac rem habere.

Canon hic in editionibus Lupsrenſi, Labbæi & Harduini, aliis verbis conceptus eſt; ita nimirum habet: *Poſt annum ſine pœnitentia reconciliari debebunt*; quod longe alium ſenſum inducit. At prima lectio præferenda, quippe quæ ſcriptoris anonymi qui ante nonum ſæculum vixiſſe creditur, & Rabani Mauri, Burchardi & Yvonis Carnutenſis auctoritate nititur, qui hunc omnes canonem his verbis retulerunt; *Poſt pœnitentiam unius anni*. Can. 14. apud anonym. Auctorem antiq. canonum pœnitential. *lib.* 1. *c.* 79. *p.* 65. *Tom. II. Spicileg.*

15. Fidelibus prohibet filias, quicunque tandem fuerit inter Chriſtianos puellarum numerus, in matrimonium ethnicis tradere, ne eæ, in ipſo ætatis flore, ſpiritali adulterio, idololatriæ nimirum, exponantur.

16. Eemdem quoad Hæreticos qui ſe Catholicæ Eccleſiæ redintegrere nolunt, quoad Judæos, & quoad Schiſmaticos, ſanctionem ſtatuit, eoſque e conſanguineis qui eamdem violaverint, e communione amputat per annos quinque.

Canon hic in Collectionibus ita legitur: *Sed neque Judæis, neque Hæreticis*; at legi oportet, *Schiſmaticis*, cum Ferdinando de Mendoze, ſeu, *neque Ethnicis*, cum aliis.

17. Communionem, vel in morte, iis dari vetat qui idolorum ſacerdotibus filias in matrimonium tradiderint.

Perſpicitur ex his canonibus, quantopere Chriſtianarum puellarum conjugia cum Ethnicis, Hæreticis, Judæis, Eccleſiæ menti repugnent.

18. Vetat, ne Epiſcopi, presbyteri, diaconi ſuas ſedes, ſuas ſcilicet Eccleſias, deſerant, negotiationis ergo, neve itinera per provincias inſtituant, ut nundinas mercatuſque frequentent; iiſdem tamen licere vult, ad ſuſtentationem ſibi comparandam, filios, libertos, aliumve mittere, atque adeo in provincia negotiari.

19. Mandat, ut, ſi compertum fuerit Epiſcopum, presbyterum, aut diaconum adulterio, poſt ordinationem, ſe polluiſſe, ei communio negetur in morte ipſa.

20. E gradu dejici & excommunicatione percelli clericos vult qui uſuras ſumpſiſſe convicti fuerint; laicum ejuſdem peccati reum ex Eccleſia trudi, ſi renuet reſipiſcere, ſed eidem parci, ſi reſipuerit.

21. Mandat, ut qui, in urbe verſatus, ad Eccleſiam, tribus deinceps dominicis diebus, venire neglexerit, pari temporis ſpatio, communione privetur, ut appareat eum ob hanc negligentiam punitum fuiſſe.

22. Statuit, ut, ſi quis a Catholica Eccleſia ad hæreſin tranſierit, redieritque, pœnitentiam peragat ad decennium, tum vero communionem percipiat; pueri porro qui ſeducti fuerint, ſtatim recipiantur, quia hac in re, nulla adeſt eorumdem culpa.

23. Decernit, ut, ſingulis menſibus, Julio & Auguſto, ob æſtum, exceptis, jejunia, *ſuperpoſitiones* dicta, celebrentur, præter duorum dierum jejunium quod, quaque per annum hebdomada, ſervabatur. Jejunia hæc appellabantur *ſuperpoſitiones*, hoc eſt, jejunia addita, ſeu aucta, ſeu duplicata, quia, quin cibi quicquam ſumeretur, omnino tranſigebantur. Erant e lege ſemel in menſe; ac, per Hiſpaniam, erat in id ſtatutus ſabbati dies, quemadmodum ex 26. canone perſpicuum fit.

24. Eos ordinibus initiari vetat qui baptiſmum extra proprias provincias ſuſceperint, quia eorum vita non ſatis perſpecta eſt.

25. His verbis effertur: *Omnis qui attulerit litteras confeſſionis, ſublato nomine confeſſoris, eo quod omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, communicatoria ei danda ſunt littera*. Mendoze, Garcias, Baronius & P. Sirmondus hunc canonem de litteris ſeu ſchedulis explicant quas fideles qui Chriſti nomen in perſecutionibus confeſſi fuerant, quique, hac de cauſa, *confeſſores* nuncupabantur, pœnitentibus dabant, ut facilius ſuorum hi peccatorum abſolutionem, ad eorum confeſſorum commendationem, obtinerent. Pœnitentium aliqui, ſimplicitate quadam, & qui minus edocti eſſent, peccatorum ſuorum remiſſionem in ejuſmodi ſchedulis reponebant, quin eas quidam Epiſcopis exhiberent. Abuſum hunc Eliberitani Patres per hunc canonem corrigunt, inquiunt Auctores hi.

Putat Albaſpinæus nec de pœnitentibus, nec de eorum conciliatione, nec de confeſſorum ſchedulis ſeu libellis, deque eorumdem interpoſitione ſeu commendatione hoc loco agi, ſed de communionis Litteris quæ fidelibus iter facientibus tribuebantur, quaſque nonnulli in Hiſpaniis e confeſſoribus petere cœperant, ut in locis ad quæ ituri erant, pluris fierent & melius exciperentur, quamvis, ex veteri conſuetudine, hæ Litteræ ſolum ab Epiſcopis petandæ aſſent, quorum, quoad hanc rem, 25. canon auctoritatem reſtituit.

Alii demum aſſerunt, hoc in canone, de viatoribus agi qui ad copioſiores eleemoſinas extorquendas, operam dabant, ut in communionis Litteris, quas iis Epiſcopi de more tribuebant, poneretur, eos Chriſti nomen in perſecutionibus confeſſos eſſe. Quamobrem, ut nonnullorum, quoad Confeſſoris nomen, ad concuſſiones ſuper ſimplicibus exercendas, abuſui concilium occurrat, mandat, ut, quicunque iter inierint, in hunc finem, ſuorum Epiſcoporum communionis Litteras ſumant, one in iiſdem notetur eos Chriſtum confeſſos eſſe.

26. Jejunium duplex, ſingulis ſabbatis, ſervari jubet.

27. Pronuntiat Epiſcopum, ſeu quemvis a clero poſſe ſororem aut filiam, dummodo virgo ſit & Deo conſecrata, non autem extraneam feminam apud ſe detinere.

Canon hic non ſolum ſubſecutis conciliis exemplo fuit, dum Eccleſiaſticis tam ſæpe vetuerunt, ne alterius ſexus perſonas apud ſe retinerent, ſed ea quoque, in duplici, & ea quidem gravi, facti ſpecie, ſupergreſſus, Eccleſiaſticos non eſt paſſus niſi filias aut ſorores ſecum habere, eaſque tum ſolum, cum ſuam eædem virginitatem Deo conſecraſſent.

28. Prohibet Epiſcopos ab iis munera accipere, qui ad Eucbariſtiæ participationem admiſſi non ſunt.

Super hujus canonis ſenſu, inter doctos viros, diſſidium eſt. Contendunt alii eum de oblationibus intelligendum eſſe, quas, poſtquam pœnitentes & catechumeni exierant, & proxime ante ſanctorum Myſteriorum celebrationem, fideles edere conſueverant; et proinde canon Epiſcopum vetat ab eo qui non communicat, oblationem recipere. Contra, Albaſpinæus in primo ſuarum Animadverſionum Libro, eos aſſerit qui canonem hunc ita accipiunt, graviter hallucinari, quia, inquit, quod ſupererat ex oblationibus quæ conſecratæ non fuerant, in eccleſiaſticos & in pauperes diſtribuebatur, nec vero ſimile omnino fit utroſque panibus azymis altos fuiſſe, cujuſmodi panes erant qui Eucbariſtiæ conſecrationi inſervire debebant. At Duguetius aſſerere non veretur hunc doctum virum aberrare ipſum a vero, quandoquidem certum eſt, Chriſti Domini corpus, antiquis temporibus, ex eo pane ipſo conſecratum fuiſſe quem fideles, proxime antequam ſanctorum Myſteriorum conſecrationem Sacerdos perageret, offerebant, quod adeo clare ac præciſe, ut nihil magis, teſtantur S. Juſtinus, *Apolog.* n. *pag.* 97. S. Irenæus, *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 1. n. 4. Tertullianus, *de Exhort. caſtit. c.* 11. S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 10. *Tom. I. p.* 351. Theodoretus, *lib.* 4. *Hiſtor. Eccl. c.* 19. &c. Harum oblationum reliquiæ, propterea ſolum quia ad altare a fidelibus eo animo allatæ fuerant, ut Chriſti Domini corpus evaderent, tam pretioſæ ſanctæque erant, ut ab iis tantum qui communicare poterant, inter eccleſiaſticos & fideles comedi poſſent.

29. Recitari prohibet ad altare, oblationis tempore, energumeni nomen, eique facultatem tribui, ut in Eccleſia, dum ſancta Myſteria celebrantur, ſua manu deſerviat.

Eliberitanum concilium haud novam conſuetudinem ſtatuit, vetans, ne energumenorum nomen in Sacrificio recitetur, eoſque omni ſervitio in Eccleſiæ interdicens, quoniam apoſtolicorum quoque canonum ſeptuageſimus eos durius habet, quos ſcilicet e communi fidelium prece & e ſanctorum Myſteriorum aſpectu removet. Hi conſiſtebant in catechumenorum & pœnitentium ordine; intererant, eorum inſtar, ſacrarum Scripturarum lectioni; & Pſalmorum cantui; & cum iis egredi jubebantur. In aliquibus tamen Eccleſiis alius mos obtinebat, quæ nempe communionem ipſis energumenis concedebant, ut ex Timothei Alexandrini qui ſuper hoc negotio interrogatus fuerat, reſ

responsione, *Concil. Tom.* 2. *pag.* 1791. & Arausicano concilio primo, an. 441. &c. constat.

30. Eos qui, florente ætate, adulterium patraverint, subdiaconos ordinari vetat, ne deinceps subreptitie ad altiorem gradum perveniant; commendatque, ut, qui ita initiati fuerint, deponantur.

31. Statuit, ut adolescentes qui, suscepto Baptismate, in impuritatis peccatum lapsi fuerint, ad communionem, peracta pœnitentia, initoque conjugio, recipiantur.

32. Mandat, ut, qui in lethalem culpam incidit, pœnitentiam non a presbytero, sed ab Episcopo accipiat; ita nihilominus, ut, si morbus inciderit, ut presbyter aut diaconus, siquidem Episcopus jusserit, communionem tribuat.

33. Episcopis, presbyteris, diaconis, omnibusque & singulis clericis qui reapse ministerio funguntur, generatim mandat, ut suis quisque uxoribus, clericaturæ alioquin honore privandi, abstineant. Ad illud usque tempus, nulla communis lex se prodiderat quæ omnes promiscue clericos ad continentiam adigeret.

34. Cereos, interdiu, in cæmeteriis accendi vetat, quia, inquit canon hic, turbandi non sunt sanctorum spiritus; eosque abscindit ab Ecclesiæ communione qui ab hoc usu abstinere noluerint.

Huic canoni tribuuntur explicationes omnino tres. Prima quam affert Garcias Loaisa, ejusmodi est; vetare concilium cereos, plena luce, in cœmeteriis accendi, ne sanctorum inquietentur animæ, ne, videlicet, perturbaretur spiritalis fidelium quies qui in cæmeteriis orabant, & incommodo suberant a luminarium ingenti vi, quæ, interdiu, ibidem accendebantur. Explicationem alteram profert Baronius qui per sanctorum spiritus intelligit mortuorum animas, non quasi turbari posset earumdem quies ratione proprie dicta, sed metaphorice tantum, prout nempe haud gratas habebant superstitiosas cæremonias quasdam quas neophyti defunctorum tumulis adhibebant, ethnicorum consuetudinem imitati, qui ad suos mortuos honore afficiendos, ibidem, pleno die, magnum cereorum numerum accendebant, referente Suetonio in *Tiber. cap.* 98. vel etiam ad eos evocandos, turbandos, sollicitandos, quæ Plinii, *lib.* 28. *cap.* 2. locutio est; per hunc ergo canonem, defunctorum fidelium animas, ethnicorum instar, honorandi, aut etiam evocandi superstitiosus usus proscribitur. Albaspinæi tertia explicatio est, qui putat concilium prohibere super Martyrum sepulcris quæ in cæmeteriis extruebantur, cereos accendi, ne turbentur eorumdem animæ quas sub eorum aris consistere, quoad Deus ipsorum mortem ulcisceretur, olim vulgo obtinebat opinio. Quod si quis dixerit non esse credibile Eliberitanos Patres in eam abiisse sententiam, ut crederent spiritus igne & fumigationibus turbari posse, respondetur opinionem hanc olim valde communem fuisse, eamque sane ab Eliberitano concilio adoptari potuisse, quandoquidem totius Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ concilium oppido definiit hæreticos rebaptizari oportere.

35. Canon fœminas vetat in cæmetariis noctes transigere, quia sæpenumero, orandi specie, crimina clam perpetrabant.

36. Effertur ita; „ Picturas in Ecclesiis poni nolu-
„ mus, ne id ad quod cultus noster, nostræque ado-
„ rationes referuntur, super parietibus pictum sit. “

Est hæc interdictio non de Sanctorum, sed de Dei solum imaginibus intelligenda, quas quidem posteriores imagines concilium prohibet, nolens figuris limitari Dei formam, qui Ens est supra sensus positum, & materiæ prorsus expers, atque ita quidem præberi Ethnicis & Catechumenis credendi ansam sibi fucum fieri imponique, cum Deum qui purus putusque spiritus est, sibimet annuntiatum audiunt.

37. Energumenis qui catechumeni sunt, baptismum, in mortis articulo conferri sinit, eosque, siquidem fideles sint, communione privari non vult, dummodo publice lampades (in Ecclesia) non accendant; sin id facere animum obfirmaverint, eos a communione amoveri jubet.

38. Fideli qui nec pœnitens, nec bigamus sit, licere pronuntiat, in necessitatis casu, catechumenum baptizare, in maritimo itinere, aut cum Ecclesia haud prope abest, ea conditione, ut, si superstes fuerit, sistatur Episcopo, per manuum impositionem perficiendus, hoc est, confirmationem ab eo suscepturus.

39. Ethnicis, si morbo correpti, sibi manus imponi petierint, annui vult, eosdemque Christianos, nempe catechumenos fieri, modo tamen eorum vitæ ratio aliquid honestatis præseferat.

Manuum igitur impositio de qua in hoc canone sermo est, ea nimirum est per quam ethnici in catechumenorum album referri consueverant. Non ait canon fore, ut iis Baptisma tribuatur, quia non ponitur eos versari in mortis periculo, & quia, secundum communem regulam, haud iis Baptisma concedebatur, qui omnia & singula non perfecerant catechumenatus officia, qui duorum annorum spatium sibi vindicabat, etiam quoad eos quorum recta & innocens vita erat.

Albaspinæus & P. Morinus hunc canonem de Confirmationis sacramento intelligendum esse contendunt, pro certo ponentes, ethnicos de quibus ibidem sermo, jam Baptismate ablutos fuisse, supplendumque vocabulum *perfectos* ante *fieri Christianos*; at novum est eos qui Baptisma susceperant, *gentilium*, seu *infidelium*, seu ethnicorum nomine designatos fuisse, atque adeo novum magis prorsusque inauditum est dubitatum fuisse, an iis qui baptismi Sacramentum receperant, Confirmatio tribuenda esset, quoniam hæc duo Sacramenta uno eodemque tempore conferebantur.

40. Prædiorum proprietarios vetat id suis conductoribus seu receptoribus computare, quod pro idolis dederint, indicta excommunicationis pœna ad annos quinque.

41. Fideles hortatur, ut suis in domibus nullum, quoad fieri poterit, idolum tolerent, ac si suorum captivorum quibus idola sustulerint, vim reformidant, ipsi se saltem ab idololatria puros & integros servent.

Ut hic canon intelligatur, animadvertendum est, captivos tum quidem numero plures, maximaque ex parte idololatras extitisse, & Magistratus iis præsto fuisse.

42. Mandat, ut qui, suscipiendæ fidei causa se sistunt, si bonis moribus sint, ad Baptismi gratiam, intra biennium, recipiantur, nisi morbus, aut precum quas iidem fuderint, fervor impulerit, ut citius iis subsidium feratur.

43. Pravam consuetudinem corrigi vult quæ alicubi per Hispanias irrepserat, ut festum Pentecostes, die quadragesimo post Pascha celebraretur, mandatque, ut, a sacræ Scripturæ auctoritate, festum hoc peragatur die quinquagesimo; qui secus egerit, tanquam novam hæresin inducens notetur.

Erat olim admodum in more positum, ut super his præcipuis cæremoniis error hæresis haberetur, ut constat ex S. Epiphanio, *Hæres.* 50. *p.* 419. *tom.* 1. ex Philastrio, *Lib. de Hæres. p.* 708. *tom. V. Biblioth. Patr.* aliisque compluribus qui Hæreticis Quartadecimanos adnumerant, eos nempe qui Pascha luna quartadecima cum Judæis celebrabant, quamvis non nisi super disciplinæ capita errarent.

44. Feminam quæ publica prostituta fuit, ac deinde nupsit, si Christianam fidem amplecti velit, haud ægre recipi vult.

45. Catechumeno Baptisma conferri vult, etsi longissimum, &, ut habet canon, infinitum tempus transegerit, quin ad Ecclesiam veniret, hoc est, ad idololatriam redierit, modo eum Christianum, scilicet catechumenum fuisse aliquis Ecclesiasticorum, aliive nonnulli testentur, quia in veteri homine peccasse videtur.

Canon hic intelligi omnino nequit, nisi accipiatur de catechumeno, qui prorsus catechumenatus exercitationes deseruerit, ut ad idololatriam regrederetur, quique periculoso morbo correptus, Baptismum petierit, ac deinde, ante presbyteri adventum, vocis usum amiserit. Ei concilium, in hoc necessitatis casu, Baptismum conferri vult, ex ecclesiastici, simpliciumve aliquorum fidelium testimonio per quod certum fiat eum aliquando catechumenum fuisse. Indulgentia cum eo concilium utitur, veteris disciplinæ severitatem temperans, quæ Christianos apostatas, vel in mortis articulo, absolvi prohibebat; ob eam causam, subdit concilium, catechumenus hic apostata peccasse videtur in veteri homine, nimirum in Adam, ignorantiæ peccato quodam, atque ethnicorum instar qui baptizati non fuerunt; quod proinde multo levius quam fidelium peccatum qui post susceptum Baptisma ad idololatriam rediissent. Catechumenis quidem *Christiani*, baptizatis autem *Fideles* nomen tribuitur. Occurrit distinctio hæc apud Sanctum Augustinum, *Tract.* 44. *in Joann. cap.* 9. Ita sane canonem hunc Albaspinæus in suis super Eliberitano Concilio Adnotationibus explicat.

46. Statuit, ut fidelis, si per longum temporis spatium ad Ecclesiam non venerit, redeatque, quin in idololatriam lapsus fuerit, ad communionem post annos decem suscipiatur.

47. Mandat, ut, si fidelis qui legitimam conjugem habens adulteria plura commisit, in morbum inciderit, morti proximus conveniatur; ac si se ad bonam frugem rediturum promiserit, ei communio tribuatur;

at si,

at si, postquam convaluerit, in suum peccatum reciderit, eidem non amplius ea concedatur.

48. Pecuniæ, dum Baptisma suscipitur, in sacro fonte ponendæ consuetudinem reformat, ne videatur Episcopus id vendere quod ipse gratis accepit, clericosque & Episcopum ab eorum lavandis pedibus, qui Baptisma suscipiunt, deinceps abstinere vult; id enim moris obtinebat in pluribus Occidentis locis, ut Mediolani, & in Galliis, at Romæ non item. In nonnullis quidem manuscriptis codicibus legitur: *Neque eorum pedes lavandi sunt a sacerdotibus, sed clericis*; at non facile mutanda est impressorum codicum lectio; nullusque non subest credendi locus Hispanicam Ecclesiam Romanæ ritibus maximopere addictam, ut hac etiam in re ad eam se conformaret, baptizatorum pedes lavandi consuetudinem quæ Romæ non vigebat, per hunc canonem, reformare voluisse. In Africa, qui in Paschatis vigilia baptizandi erant, majoris hebdomadæ feria quinta se se abluebant, ut indecentiam vitarent, quæ locum habuisset, si ad sacrum fontem, pædore obductum corpus, quem per Quadragesimalem abstinentiam contraxerant, attulissent. Porro munus aliquod ei tribuendi a quo Baptisma suscipiebatur, consuetudo subsistebat adhuc S. Gregorii Nazianzeni tempore, qui etiam dapes Episcopo iisque qui in Baptismatis administratione ei præsto fuerant, tributas fuisse memoriæ prodit. *Gregor. Nazianz. Orat.* 40. *p.* 655. *tom.* 1. *Ambros. lib.* 3. *de Sacram. cap.* 1. *p.* 362. *tom.* 2. *Mabill. in Missalib. Goth. & Gall. vet. Aug. epist.* 54. *ad Januar. cap.* 7. *pars.* 127. *tom.* 2.

49. Prohibet, excommunicationis indicta pœna, ne fideles qui prædia possident, eorum fructus a Judæis benedici patiantur, quasi vero presbyterorum benedictionem inutilem reddere vellent. Ostendit canon hic agrorum fructus benedicendi consuetudinem jam in Ecclesia viguisse.

50. Eadem imposita anathematis pœna, clericos & fideles cum Judæis comedere vetat.

51. Fideles, e quacunque demum hæresi venerint, prohibet in clerum recipi; statuitque, ut si quis ex iis initiatus fuerit, deponatur.

52. Anathema in eos pronuntiat qui famosos libellos in Ecclesia ponere comperti fuerint.

53. Excommunicatum non vult ab alio quam ab Episcopo qui eum excommunicavit, recipi posse, prohibetque, ne quis alius Episcopus eum, sine Episcopi cui subest, consensu, ad communionem suscipiat, secus, rationem suis confratribus, neu sine depositionis periculo, redditurus.

54. Consanguineos qui sponsalium fidem adulterant, a communione, ad triennium, abscindit, nisi sponsus aut sponsa in gravi culpa versentur.

Evincit canon hic jam tum sponsalia ante matrimonium celebrandi consuetudinem obtinuisse, Ecclesiæque id juris fuisse, ut eos puniret qui, absque legitima causa, matrimonii promissa revocassent.

55. Falsorum deorum sacerdotes qui solum coronam gestaverint, quin idolis sacrificarent, aut ad servitii iisdem exhibiti impensas conferrent, ad communionem, duobus elapsis annis, recipi vult.

Ex Tertulliano, *Lib. de Corona Militis, capit.* 10. *pars.* 117. constat coronas non modo a falsorum numinum ministris gestatas, verum etiam super aris superque victimis positas fuisse.

55. Duumviros, per magistratus annum, Ecclesiæ aditu prohibet.

Duumviri nomen commune erat magistratibus duobus qui idem munus conjunctim obibant, erantque propemodum in provinciæ urbibus, quod in urbe Roma Consules erant. His concilii Patres interdicunt Ecclesiæ aditum, quoad officio fungerentur, quia fere non nisi per turpes demissiones indignasque assentationes eo perveniebant, præterea fieri ægre poterat, ut ne plura in obeundo munere contra justitiam patrarent, leges ususque Evangelio repugnantes secuti, denique prope ineluctabili necessitati suberant, ut populo spectacula exhiberent, ethnicarumque cæremoniarum participes fierent.

57. Prohibet, ne feminæ, communione alioquin privandæ per annos tres, ad sæcularis, hoc est, ethnicæ pompæ ornamentum suas vestes commodent.

58. Mandat, ut ubique, potissimum vero quo in loco prima Episcopatus cathedra instituta est, qui communionis Litteras afferunt, recte, necne, omnia se habeant, interrogentur.

Communionis Litteræ quæ etiam *commendatitiæ Litteræ* nuncupabantur, in Ecclesia institutæ jam erant, S. Pauli tempore, ut constat ex ejus secunda ad Corinthios Epistola, in cujus Capite III. leguntur hæc: *Numquid egemus, sicut quidam, commendatitiis Epistolis?* His Litteris ea vis inerat, ut impedirent, ne impostores, infideles, aut ex Christianis ipsis errones, justoque anathemate perculsi homines ad sanctorum Mysteriorum participationem, ad communem mensam, & ad convictus suavitates reciperentur. Id etiam commodi eædem pariebant, ut pastores maxime dissitos mutuo conjungerent, eosque de statu Ecclesiarum cujusque provinciæ certiores facerent.

59. E duabus partibus constat. Prima generatim afficit Christianos omnes, seu fideles, seu catechumenos, præcipitque, ut, si quis inter eos in ethnicorum capitolium, sacrificia spectaturus, conscenderit, idololatriæ reus æque atque ethnicus qui sacrificium obtulit, censeatur, licet ipse nequaquam obtulerit. Pars altera annorum decem pœnitentiam ob hanc culpam imponit, si e fidelium numero sit qui in eamdem inciderit; qua peracta pœnitentia, eum in communionem restitui vult.

60. Eos qui, idolis perfringendis, occisi fuerint, in Martyrum album referri vetat.

Canon hic de iis intelligi debet, qui in locis quorum ipsi non sunt domini, aut quin publica auctoritate muniti sint, idola confringunt. Ratio quam in id affert, ea est, quod hæc violentiæ species ab Evangelio non firmatur, quodque Apostoli nihil tale fecisse leguntur. Sane, ex hujus canonis mente, Mensurius, Carthaginis Episcopus, eos tamquam Martyres honore affici noluit, qui, in Diocletiani persecutione, ultro ipsi se stiterant, ut declararent penes se sacros Codices esse, & mori maluerant quam eos tradere: At canon hic ipse non eos spectat qui jam capti & ad judicem ducti idola subvertebant frangebantque ad quæ colenda compellebantur; ac temere dicitur sancta Eccelsia virgo, quæ ann. 303. aut 304. in Hispania martyrium subiit, huic sanctioni occasionem præbuisse, quia ad idolum perducta, pede illud impetiit, & in judicis frontem expuit, referente Prudentio, in *Hymno de Martyrio sanctæ Eccelsiæ* apud Ruinartium in libro cui titulus: *Acta Martyrum sincera*, *pag.* 453.

(2) 62. Aurigam circi, pantomimum, aut histrionem, si fidem amplecti voluerint, suæ primum arti, sine ulla ad eam redeundi spe, nuntium remittere vult; tum vero recipi, sin recepti hanc interdictionem violaverint, ex Ecclesia ejici.

(1) 61. Eum qui defunctæ conjugis sororem ducit, a communione per annos quinque rescissum vult, nisi morbi necessitas adigat, ut ea citius concedatur.

Ex S. Basilio perspicuum fit ejusmodi matrimonium semper in Cæsareensi Ecclesia vetita fuisse. *Epist.* 160. *ad Diodor. pag.* 243. *tom.* 3.

63. Statuit, ut, si femina, ex adulterio ventrem gerens perficiat, ut ejus fructus dispereat, ei, vel ad vitæ finem, communio ob duplex crimen negetur.

64. Eadem severitate cum eo agit qui in adulterio ad mortem usque vixerunt; at iis quæ sua, priusquam in morbum incidant, peccata deferunt, communionem, post pœnitentiam annorum decem, concedit.

65. Communione, in ipso mortis articulo, clericum privat qui conjugem in adulterium lapsam sciens, statim a se non repellit; ne ejus crimen clericus per tolerantiam probare videatur.

66. Eum qui conjugis filiam, vel, ex aliis, neptem, qui incestus est, duxerit, vetat, vel in fine, communionem recipere.

67. Indicta communionis privatione, feminis, seu fidelibus, seu catechumenis interdicit, ne histriones, aut theatrales actores mercede conductos habeant.

68. Catechumenam quæ fœtui per adulterium concepto spiritum intercluserit, Baptismum in morte non suscepturam pronuntiat.

69. Mandat, ut qui, quæve semel tantum in adulterium inciderint, annorum quinque pœnitentiæ subdantur, nisi extrema morbi vis citius conciliationem postulet.

70. Virum, si, eo consentiente, conjux adulterium patraverit, communione, vel in morte, privandum; at, si eam repudiaverit, post annorum decem pœnitentiam, recipiendum declarat.

71. Eos, etiam morti proximos communione privat, qui pueris abutuntur.

72. Statuit, ut vidua, si ei nupserit quicum peccavit, ad communionem, post pœnitentiæ annos quinque, admittatur; quod si eum deserat, ut alteri nubat, conciliationem ne in morte quidem obtineat; is autem cui ea nubit, si e fidelium numero sit, per annos decem pœnitentiæ subdatur.

73. Mandat, ut, si fidelis, cum se denuntiatorem reddiderit, in causa fuit, ut quispiam proscriberetur aut morte plecteretur, communione, vel ad mortem,

prive-

privetur; at si levior causa est, eam post annos quinque suscipiat.

74. Falsum testem, pro criminis gravitate, super quo falsum testimonium reddidit, puniri vult; quod si crimen haud morte dignum est, isque probat se non sine repugnantia testimonium reddidisse, diuque, quia vellet quempiam dicere, cunctatum esse, ei duorum tantum annorum pœnitentiam imponi: at, si minus probet, coram clem, se adactum fuisse, ut illud falsum testimonium redderet, per annos quinque, pœnitentiæ subjectum vult.

75. Cum, vel morti proximum, communione privat qui Episcopum, presbyterum aut diaconum falsi criminis accusaverit.

76. Mandat, ut diaconus, si criminis morte puniendi reus se initiari passus fuerit, pœnitentiæ subdatur per annos tres, si ex ejus propria confessione crimen innotuerit, sin ex alterius testimonio, per annos quinque; & his quidem elapsis, ad laicam communionem recipiatur.

77. Oportere ait, ut, si diaconus populum regens, aliquos catechumenos, sine Episcopo & sine presbytero, baptizaverit, eos Episcopus per suam benedictionem perficiat, hoc est, confirmet; ita nihilominus, ut qui ex iis prius occubuerint, pro sua ipsorum fide salutem obtineant.

Ex hoc canone perspicuum fit diaconos extitisse qui curata beneficia seu parœcias administrabant; quod etiam evincitur ex Carthaginensis concilii Epistola ad Felicem presbyterum populumque Legionensem & Asturicensem, ad Lelium diaconum populumque Emeritensem missa; ex Antiocheni concilii canone 1. ex Toletani IV. concilii can. 27. & ex Tarraconensis concilii, ann. 522. habiti *can.* 7. Cardinalium-diaconorum tituli, seu Ecclesiæ, origine quidem, nihil erant aliud quam parœciæ quarum iis ita concreditum regimen erat; atque hujus veteris consuetudinis, in apostolicorum canonum 29. vestigia cernuntur. Canon hic id etiam nos docet creditum fuisse Baptismum ad salutem sufficere, quin absolute necessarium esset, Christifidelem „ vel perfici per Episcopi benedictionem, “ per Confirmationem scilicet quam SS. PP. *perfectionem* appellant, quia per eam perfecti Christiani reddimur, imposita Baptismi gratiæ veluti postrema manu, vel Eucharistiam sumere quæ iis tantum qui confirmati erant, concedebatur.

78. Homini conjugato qui adulterium cum Judæa, vel cum Ethnica perpetravit, pœnitentiam imponit annorum trium, si suum ipse crimen fatetur, & annorum quinque, si de eo per alterius delationem convictus est.

79. Statuit, ut fidelis qui tesseris pecunia luserit, excommunicetur, si vero se corrigat, conciliari post annum possit.

Præter pericula cum aleis fere conjuncta, creditur idololatriæ genus aliquod tesserarum ludo admixtum fuisse. Deorum imagines qui ab Ethnicis colebantur, iis erant numeri loco, & ad jactæ tesseræ successum ea falsa numina invocabantur.

80. Vetat, ne liberti quorum domini seu patroni in sæculo sunt, ethnici scilicet, quia hujusmodi liberti semper in quadam servitute quoad eos remanentes a quibus libertate donati fuerant, censebantur irregulares, propterea quod eorum dominis id juris erat, ut servitia indigna sacerdotii amplitudine & sanctitate ab iisdem exigerent.

81. Fidelium conjuges prohibet ad laicos scribere suo ipsarum nomine, vel ab iis Litteras, earumdem nomine tantum inscriptas, accipere.

Intelligit Albaspinæus canonem hunc de commendationis seu communionis Litteris, quas nonnulli, ad hospitalitatem in itineribus obtinendam, a clericorum uxoribus extorquebant. Ea est scilicet concilio mens, ut hunc abusum proscribat, vetitis clericorum conjugibus hujusmodi Litteras seu scribere, seu accipere.

Ejusmodi sunt Elibertani concilii canones, omnium antiquissimi, qui ad nos usque venerunt. Osius qui ad eos edendos contulerat, in concilio Sardicensi, ann. 347. vicesimum primum laudavit, eumque fundamento esse voluit obligationi, Episcopis ibidem impositæ, ut in suis quisque diœcesibus residerent, ac proinde suis ab Ecclesiis, præter quam in peculiaris necessitatis casu, per tres deinceps dominicos dies abesse non possent. Quia porro Elibertani concilii canones plures intellectu difficiles sunt, doctorum virorum non pauci ad eos illustrandos animum applicuerunt, inter alios, Binius, Cabassutius, Albaspinæus, & Cardinalis de Aguirre; Duguetius, in ecclesiasticarum Collationum suarum tomo primo; Garcias, & dominus Fernand de Mendoza, ex Hispaniarum dominis; qui quidem hujus etiam concilii adversus eos qui errores eidem imputabant, defensionem suscepit, suumque Opus ad Clementem VIII. Pontificem Maximum misit. Impressum fuit Opus hoc, ann. 1594. *in-folio*, Matriti, seu, Mantuæ Carpetanorum, & rursus Lugduni, ann. 1665. *in-folio*, cum Notis Garciæ, Albaspinæi, Coriolani, & Emmanuelis Gonzalez, professoris Salmanticensis qui ad hanc posteriorem editionem studium & operam contulit. Adnotationes Mendozæ, Binii & Albaspinæi occurrunt in tomo primo Conciliorum Labbæi, ad Elibaritani concilii calcem. Leguntur ibidem præterea canones undecim huic eidem concilio adscripti, quorum alii Arelatensis concilii sunt, ut undecimus, alii ad recentiora concilia pertinent, ut sextus qui præcipit, ut mulier quæ fornicationis causa virum occiderit, in monasterium secedat pœnitentiam ibidem actura.

Concilium Carthaginense, ann. 311.

Habitum fuit concilium hoc, ut Carthagini daretur Episcopus; electus in eo Cæcilianus qui Mensurio successit. Balotius, *in Collect.*

Concilium Carthaginense, ann. 311.

Conciliabulum fuit quod Episcopi septuaginta Donatistæ constituerunt, qui Cæcilianum, Carthaginis Episcopum, & quidem absentem, quasi traditor fuisset, deposuerunt, in ejusque locum Majorinum, præpotentis feminæ, cui Lucillæ nomen, machinationibus & existimatione, intruserunt. *Optatus, lib.* 1. *Aug. in Breviculo Collat. cap.* 14. *& in Epistol.* 162. *& in Lib. ad Donatist. post Collationem, cap.* 3. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, ann. 312.

In hoc concilio absolutus & restitutus Cæcilianus fuit. *Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, ann. 313.

Cum Donatistæ Cæcilianum, offusis ejus nomini calumniis pluribus, Constantino Imperatori invisum reddere constituissent, Papa Melchiades concilium coegit in urbe Roma, in quo Cæcilianus plene cumulateque purgatus fuit, Donatusque damnatus. Optatus, *lib.* 1. *contra Parmen.* Baronius, *ad ann.* 313. *n.* 17. *Reg. Lab. & Hard. Tom. I.*

Arelatense, in Provincia, Concilium I. ann. 314.

Conquerentibus Donatistis causam suam in Romano concilio male judicatam fuisse, Constantinus Imperator aliud indixit in urbe Arelate, ad Kalendas Augusti ann. 314. Concilio is dies initium dedit. Papa S. Silvester suos ad illud legatos misit; adfueruntque omnium regionum Episcopi, ad quas Constantini imperium protendebatur, Galliæ, Africæ, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ & Angliæ. Haud eorum plures tamen quam triginta sex agnoscuntur; quod judicandi locum præbet in subscriptionibus lacunas esse. Abbas Cuminius qui septimo, & Ado qui nono sæculo vivebant, hoc in concilio sexcentos ipsos Episcopos numerent. Marinus Arelatensis in synodica concilii Epistola nominatur omnium primus, crediturque ei præivisse. Nihil nobis ejus actorum superest; id unum, ad rem quod attinet, in comperto est, Cæcilianum, Carthaginensem Episcopum, cum ejus negotium multo quam Romæ diligentius hoc in concilio discussum esset, innocentem declaratum fuisse. Dijudicata Cæciliani causa, hujus concilii Episcopi constitutiones viginti duas ediderunt.

Primo Paschatis festum, uno eodemque die, per universum terrarum orbem servari jubet, & hunc sanctum diem a Papa, de more, significandum, missis ad omnes Litteris, ad omnes scilicet Occidentis Episcopos; quoad eos enim qui Orientis ecclesias administrabant, mos obtinebat, ut, quo die Pascha celebrare deberent, iis Alexandrinus Episcopus indicaret.

2. Ecclesiæ Ministris imponit, ut in locis resideant, ad quæ ordinati fuere.

Obligatio cui clericis subsunt, ut Ecclesiæ addicti remaneant in qua ordinationem susceperunt, apostolicorum canonum decimo secundo & decimo tertio nititur, qui non minus quam Arelatensis concilii secundus & vicesimus primus, quoad caput hoc, ad severitatem expressi sunt. Nicænum quoque concilium super hac re veteres Ecclesiæ regulas renovavit, in canone decimo sexto, imposita clericis contumacibus excom-

excommunicationis pœna, qui suas ad Ecclesias regredi recusarent, Concilia Antiochenum, Chalcedonense, Carthaginense, & alia prorsus innumera idem sanxerunt; & id quidem quanti momenti sit, satis probat consensio hæc. Quæcunque tamen clericos obligatio devinciat, ut Ecclesiæ additi permaneant, legitimæ rationes subesse possunt, quibus ab hac communi lege eximantur: cujus rei non unum nobis antiquitas exemplum suppeditat. Ita quidem S. Presbyterum Numidicum S. Cyprianus Carthaginensi clero associavit, ad quem antea non pertinebat. Ita etiam S. Ambrosius S. Paulinum suo clero addidit, tametsi Barcinone ordinatus fuisset, nec Mediolani degeret. At hæc sunt communis legis exceptiones quædam, quæ raræ sint, oportet, nitanturque non ministrorum loci mutandi facultatem petentium inconstantia, ambitione, cupiditate, sed germana indigentia & necessitate, vel saltem utilitate & majore bono Ecclesiarum ad quas mittuntur.

3. Abscindit a communione milites qui arma deserunt, pacis tempore: *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abstinere eos a communione.*

Surius, in hujus concilii editione, se in quodam veteri manuscripto codice legisse notat, *in bello*, pro, *in pace*; & Yvo Carnutensis qui eumdem canonem refert, in alio exemplari legerat, *in prælio*. Ex hac sane lectione, facile admodum intelligitur allatus canon; ut nempe significet concilii Patres in ignaros desertores anathema pronuntiare qui arma deserunt, belli aut prælii tempore. P. Sirmondus in suis super Arelatensi concilio posthumis Adnotationibus, contendit verba hæc, arma projiciunt, idem significare ac, *arma conjiciunt*, accipitque hunc canonem de homicidis qui suos peculiares adversarios, rebus ad omnem pacem compositis, aggrediuntur; coacta videtur ejusmodi significatio. De Ecclesiæ pace canonem hunc intelligit Albaspinæus, & in hanc notionem explicat: „ ut nempe excommunicentur milites qui arma dese- „ runt, dum Ecclesia pace fruitur, “ videlicet, qui militiam derelinquunt, & servitio se abdicant, quia rationes quæ bellicam artem sub ethnicis Principibus adeo periculosam reddebant, non amplius sub Christiano imperatore subsistebant, cujusmodi Constantinus erat qui nuper Ecclesiæ pacem attulerat, & quia timendum etiam erat, ne, si forte Christiani milites ejus servitium deseruissent, id quam hic Princeps testabatur, de religione sollicitudinem studiumque remitteret.

4. & 5. Communione fideles privat qui currus in circo duxerint perinde ac theatrales homines, quoad in his professionibus perstiterint.

Horum canonum primus eos qui equos & currus in circo ducunt, *agitatores* appellat; iidemque sunt quos Eliberitanum concilium *aurigas* nuncupat: Qui porro in hoc quinto canone *theatrici* dicuntur, omnino sunt quicunque theatrum conscendebant, quique scenici, mimi, histriones, pantomimi vocabantur. Perspicitur ex his duobus canonibus, aliisque similibus bene multis, eos omnes qui id profitentur, ut populum per spectacula oblectent, semper iamquam communione fidelium indignos spectatos fuisse, Ecclesiamque semper interdixisse, ne quis e fidelibus ad spectacula, quæcunque tandem essent accederet. Horum erant apud Græcos & Romanos genera quatuor; nempe, circus, arena seu amphitheatrum, theatrum seu orchestra, stadium seu xystus. Conspiciebantur in circo equorum cursus, qui quaterni e regione ad currus singulos juncti erant. In amphitheatro, gladiatorum qui se invicem interimebant aut hominum cum feris, aut quarumdem multa ferarum certamina spectabantur. Theatrum non tragœdiis tantum & histrionalibus recitationibus addictum erat sed choreis quoque, saltationibus, vocumque & instrumentorum concentibus exhibendis; agebantur ibidem mutæ, omnisque gesticulationis comœdiæ; in eodemque nonnunquam circumforanei propolæ, circulatores, & funambuli conspiciebantur. Cursus, luctæ & spiculi exercitationes sibi stadium vindicabant. Hæc generum, quatuor spectacula sunt quæ semper Ecclesia fidelibus interdixit.

De iis Tertullianus in suæ pro Christianis Apologiæ *Cap.* 38. & in aliis suorum Operum Scriptis pluribus verba facit. Eos igitur omnes qui populi spectaculis detinendi artem profitentur, a communione segregant Arelatensis concilii Patres; ac super hoc sane capite, adeo constans & communis erat Ecclesiæ mos, ut hoc S. Augustinus in Libro de Fide & Operibus ad eos ab errore revocandos utatur, qui petentem quemlibet ad Baptisma suscipiendum putabant, quin expenderetur, aliis, nec ne, quam inchoatæ fidei præparationibus instructus accederet: *Quasi nescio*, inquit, *ubi peregrinentur, quando meretrices & histriones & quilibet alii publicæ turpitudinis professores, nisi solutis aut disruptis, talibus vinculis, ad Christiana Sacramenta non permittuntur accedere, cap.* 18. *n.* 33.

Satis id esset ad probandum semper Ecclesiam spectacula fidelibus interdixisse, quoniam, si impuri & ab Ecclesiæ communione rescissi sunt qui ea exhibent, qui iisdem intersunt, suaque præsentia auctoritatem addunt, rei non esse non possunt, secundum illud Apostoli oraculum, „ consentientes male agentium „ pœna dignos esse “ (*ad Rom.* 1. *v.* 32.); & S. Cypriani effatum aliud (*de Spectacul. pag.* 340.) „ sua „ id præsentia neminem firmare posse quod tamquam „ injustum damnare debet “: *Prohibuit spectari quod prohibuit geri.* Hæc ipsa erat Tertulliani contra infideles ratiocinatio, qui Christianorum de vitandis spectaculis sollicitudinem, tamquam superstitiosam timiditatem spectabant: *Ipsi auctores & administratores spectaculorum*, inquit, *quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amentissimos . . . damnant ignominia, arcentes curia, rostris, senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus, simul ac ornamentis quibusdam. Quanta perversitas! Amant quos mulctant . . . artem magnificant, artificem notant.* (*De Spectacul. cap.* 22.)

6. Iis manus imponi vult qui, ægrotantes, fidem amplecti, nempe, catechumeni fieri volunt, quin expectetur, dum convalescant, ut ipsi manuum impositionem suscepturi ad Ecclesiam veniant, aut in mortis periculo versentur.

7. Mandat, ut fideles qui ad publica munia, ad regimina quoque ipsa evecti fuerint, a Diœcesano cui subsunt Episcopo Litteras sumant quarum ope se in Catholicæ Ecclesiæ communione esse palam faciant; & loci Episcopus, in quo munus obibunt, eorum curam suscipiat, eosdemque, si quid peccaverint, a communione separare possit.

Ad hunc canonem qui maxima, si quis alius, animadversione dignus est, intelligendum, reputetur, oportet, Christianos qui ab una ad aliam provinciam migrabant, ad fidelium societatem, aut sacramentorum participationem recipi non potuisse, quin Episcopi loci, ubi noti erant, communionis Litteras afferrent; & quia provinciarum rectores ex alia fere, quam cui præficiebantur, regione erant, vetat proinde concilium, ne sine ejusmodi Litteris obeant, præcipitque, eodem tempore, locorum Episcopis, ubi residebunt, ut eorum agendi rationi invigilent, ipsosque ab Ecclesiæ communione segregent, siquidem in errata quæ hanc pœnam mereantur, inciderint. Canon hic, quamcunque tandem severitatem præseferat, quædam est severioris usus mitigatio, quo Ecclesia omnes magistratus, quoad in officio perstitissent, a sanctorum Mysteriorum participatione, generatim arcebat, quemadmodum ex quinquagesimo sexto Eliberitani concilii canone evincitur.

Hujus disciplinæ rationes erant; 1. aversio qua Ecclesia ab Imperii splendidis muneribus & dignitatibus abhorrebat; 2. amor studiumque quo ipsa obscuram, humilem tranquillamque vitam prosequebatur; 3. abjecta honestoque homine indigna adjumenta quæ fere adhiberi necesse erat, ut ad dignitates & magistratus perveniretur; 4. propemodum inevitabilis injustitias in iis committendi necessitas, dum leges usque servantur quæ cum Evangelii regulis pugnant; 5. in iisdem periculum, ne magistratus profanorum sacrificiorum participes fierent, quæ scilicet eorum curæ demandata erant, & ad quæ servanda suus eos status ipse adigebat; 6. obligatio cui suberant, ut populo spectacula darent quæ Ecclesia damnabat, quæque morum innocentiæ adversabantur. Nec prope magis sibi temperare poterant magistratus, quin coronas in publicis cæremoniis deferrent, ut vetus auctor, nomine Claudius Saturninus, ostenderat in quodam de Coronis Tractatu quem laudat Tertullianus in sui, *de Corona Militis*, Libri cap. 7. is autem mos minime placebat Ecclesiæ, seu quia idololatriam redolebat, seu quia videbatur Christianæ humilitati contrarius.

Magistratibus tamen omnibusque qui aliquam Imperii dignitatem possidebant, observantiam Ecclesia semper exhibuit, eos quoque ad sua sanctiora Mysteria suscipiens qui ab omnibus sæculi sordibus se puros servabant, suaque auctoritate non nisi ad pacem procurandam fovendamque utebantur. Innocentius I. in sua ad Exuperium Epistola nos certos facit hanc ipsam veterum omnium Episcoporum sententiam fuisse; ac prorsus immerito Tertullianus, in suo *de Idololatria*, Libro contendit sua magistratus auctoritate in reos tuta conscientia uti non posse, aut ullum edictum ad rectum regiminis ordinem ferre, aut ipsa sui muneris insignia sumere, videlicet, eo quidem tempore, fasces & purpuram; prætexens Christum Domi-

num

num purpura indutum non incessisse, nec sibi fasces & secures Romanas præferri voluisse.

8. Mandat, quoad Africanos qui hæreticos rebaptizare consueverant, ut, si quis hæresim deseruerit & ad Ecclesiam redierit, super Symbolo interrogetur, ac siquidem innotuerit eum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizatum fuisse, eidem solum manus imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum; at, si interrogatus Trinitatem professus non fuerit, iterum baptizetur.

Ut canon hic in bono lumine collocetur, quinam hæreticorum fuerint qui Baptisma iterarent; quinam fuerint qui ejus invocationem precemque mutarent; quæ manuum impositionis origo sit; quid manuum impositio significet qua Ecclesia hæreticos conciliabat.

Novatiani, Donatistæ & Ariani rebaptizabant eos qui jam in Catholica Ecclesia spiritalem nativitatem susceperant. Eunomiani quorum erat inter Arianos cæteros insignis impietas, non Catholicos tantum, verum etiam Arianos qui ad eorum partes abiissent, iterum baptizabant; & Luciferianorum nonnulli, certe saltem Hilarius diaconus, e sectæ signiferis unus, Arianorum hostis acerrimus, contendebat horum hæresi infectos non nisi per secundum Baptisma recipi posse; quamobrem hominem hunc S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos *novum Universi Deucalionem* appellat.

Hæretici qui Baptismatis invocationem & precem mutarunt, Paulianistæ, Photiniani, Montanistarum pars, & Eunomiani sunt.

Manuum impositio a Judæis ad Christianos devenit, & a veteri Testamento ad novum migravit. Sane Deus (*Num. cap.* 27. *vers.* 19. 20.) Mosi mandat, ut Josue sibi sufficiat, eique suam potestatem suamque auctoritatem per manuum impositionem impertiatur. Ad exemplar hoc Apostoli diaconorum primis suæ potestatis partem tribuerunt: *Orantes imposuerunt eis manus*; id imitati prophetæ & doctores qui Antiochiæ erant, Dei jussu, Paulum & Barnabam apostolatus sollicitudinibus consociarunt, & S. Paulus Timotheum sacerdotii gratia cumulavit. Judæi tum quoque manus imponebant; cum alicui pristinam valetudinem per miraculum restituere, vel eis benedicere, vel Dei subsidium in eumdem trahere volebant. Id etiam erat, apud Judæos, in more positum, ut testes qui contra reum deposuerant, & ad quorum depositionem is ad mortem damnatus erat, manus super ejusdem miseri hominis capite ponerent, ut e Susannæ Historia (Daniel. *cap.* 13. *vers.* 34. 40.) perspicuum fit. Non transiit ad Christianos ejusmodi consuetudo; hujusque funestæ manuum impositionis loco, quam apud Judæos mors sequebatur, in Ecclesia, primis temporibus, vigebat salutaris manuum impositio, *in pænitentiam* nuncupata quæ peccatorem ad pœnitentiæ exercitationes ducebat, quæ ad justitiam cum vita eidem reddendam institutæ erant, quamque semper precatio comitabatur.

Hæretici ergo per manuum impositionem conciliabantur Ecclesiæ; atque ut palam fit, quid esset hæc manuum impositio, alia aliarum Ecclesiarum disciplina distingui debet.

1. E S. Dionysii Alexandrini & S. Cypriani ad Stephanum Papam Epistolis constat Romanam Ecclesiam recepisse hæreticos in hæresi baptizatos, per simplicem manuum impositionem, cum precum Confirmationis recitatione conjunctam, quin iis sanctum chrisma conferret, & quin sacramentum iteraretur, & hanc manuum impositionem, ob hanc causam, *impositionem manus in spiritum* dictam fuisse. Id etiam evincitur ex Papa Innocentio I. qui in sua secundæ Epistolæ *cap.* 8. *num.* 11. ita suam mentem aperit: *Ut venientes a Novatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem, suscipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.*

2. Africæ Ecclesia, postquam sacramenta in hæresi collata iterandi suam pristinam consuetudinem deseruit, eam accurate secuta est quæ in Romana Ecclesia vigebat, & ad hæreticos conciliandos non nisi manuum impositionem adhibuit, quin omnino seu Baptismum, seu Confirmationem, seu Ordinationem attingerat, ut e SS. Optato & Augustino percipimus.

3. Orientis Ecclesia per chrismatis unctionem omnes hæreticos suscipiebat, quorum Baptisma non iterabant, ut luculenter ostendit Laodiceni concilii canon septimus, itemque S. Basilii, in Epistola 188. hæreticarum omnis generis communionum accurata discussio: „ Earum genus primum, inquit S. Doctor, eos complectitur qui Ecclesiæ fidem in præcipuorum capitum aliquo deseruerunt, cujusmodi sunt Valentiniani, Marcionitæ, Montanistæ; & hi quidem non nisi per novum Baptisma recipi possunt. Genus alterum eos omnes continet qui se solum ob quædam capita segregarunt, quorum, si absolute loqui volumus, Ecclesia domina est, quæque essentialia non sunt, *propter ecclesiasticas quasdam causas & quæstiones*, ut Novatiani, Encratitæ, Apotactitæ, Hydroparastatæ; ac vetus mos erat, ut hi quoque rursus baptizarentur. Verum, ad pacem cum aliquibus Ecclesiis servandam, possunt iidem, si libuerit, non iterum baptizari; ea tamen lege, ut sancto chrismate ungantur: *Omni autem ratione statuatur*, Basilii verba sunt, *ut ii qui ab illorum baptismo veniunt, ungantur coram fidelibus videlicet, & ita demum ad Mysteria accedant.* Tertium & ultimum hæreticarum communionum genus, quos idem Basilius *illegitimos conventus* vocat, eos tantum complectitur qui, cum Sacramenta in Catholica Ecclesia suscepissent, se ab ea deinde, seu per ambitionem, seu per inobedientiam sejunxerant; atque S. Pater eos ex veteri traditione per solam pœnitentiam recipi: *Justa pænitentia & animadversione emendatos, rursus Ecclesiæ conjungere.* Generale concilium secundum quod Constantinopolitanum primum est, eamdem, hac in re, ac S. Basilius regulam statuit.

4. Per omnem, prope generatim, Galliam, sæculo V. mos obtinebat, ut hæretici per Confirmationis sacramentum susciperentur, ut ex Arausicani concilii I. canone primo, & ex Arelatensis concilii II. canone decimo sexto compertum fit. Eadem erat Hispaniæ disciplina quæ Galliæ. S. Isidorus Hispalensis (*Lib.* 2. *de Offic. cap.* 24. *parc.* 41.) omnes hæreticos qui Baptisma divinarum Personarum nomine susceperunt, universim recipiendi rationem præscribit in hæc verba: *Hæretici, si tamen in Patris & Filii & Spiritus Sancti attestatione docentur Baptisma suscepisse, non iterum sunt baptizandi, sed solo chrismate & manus impositione purgandi sunt.*

Hic igitur octavus Arelatensis I. concilii canon, vel de Confirmationis Sacramento, quemadmodum P. Sirmondo, in suis ad hoc concilium Adnotationibus, visum est, vel de simplici, eaque mere cæremoniali, non autem sacramentali manuum impositione intelligi potest.

9. Canon his verbis conceptus est: *De his qui Confessorum Litteras afferunt, placuit, ut, sublatis eis Litteris, accipiant communicatorias.*

Canon hic in eumdem sensum, atque Eliberitani concilii vicesimus quintus, accipi debet, tum quia de eodem abusu loquitur, tum quia idem remedium ei affert, tum quia propemodum iisdem verbis offertur. *Vide* hunc Eliberitanum canonem vicesimum quintum.

10. Christianos viros qui conjuges in adulterio deprehenderint, per cohortationes extimulari vult, ne alias, primis viventibus, conjuges ducant, quamvis eos civiles leges id facere sinant.

11. Christianas puellas quæ ethnicis nubunt, a communione, per aliquod temporis spatium, segregatas vult.

12. Clericos usurarios communione privat.

13. Eos jubet e clero ejici quos sanctas Scripturas aut sacra Vasa tradidisse, vel suorum fratrum nomina protulisse, per acta publica, probatum fuerit; at, eodem tempore, vult eos quos iidem ordinaverint, in suo statu permanere. Harum etiam accusationum, si minus, per acta publica, probatæ fuerint, rationem haberi vetat.

14. Eos ad mortem usque communione privat, qui falso suos fratres accusant, quia, ut est in sacris Litteris, falsus testis impunitus relinqui non debet.

16. Sacrificii offerendi jus quod diaconi multis in locis sibi arrogabant, abusivum declarat.

Diaconorum temeritatis, qui contendebant Eucharistiæ sacrificium offerendi sibi jus esse, ea prima & præcipua causa erat, quod olim æque ac presbyteri, parœcias quas regerent, ut liquet ex septuagesimo septimo Eliberitani concilii canone.

16. Statuit, ut qui, ob aliquod crimen, alicubi, a communione sejuncti fuerint, ad communionem regredi nequeant, nisi eo ipso in loco in quo eadem spoliati fuerunt.

17. Vetat, ne Episcopus contra confratris sui jura quicpiam moliatur; & 18. diaconos jubet observantia presbyteros prosequi.

Non satis habuere diaconi Missæ sacrificium offerendi jus sibi arrogare; sed eo quoque ambitionis progressi sunt, ut se supra presbyteros ipsos efferrent, assidua servitia prætexentes quæ Episcopo in sanctorum Mysteriorum celebratione præstabant, dona super altare ponentes, propius ad victimam accedentes, monentes orandum esse, psallendum, accedendum, &c.

19. Advenæ Episcopo, si quam forte in urbem venerit,

nerit, locum dari vult, ut sanctum Sacrificium offerat, hoc est, Episcopum loci, tum quidem, honoris ergo, suum ei jus cedere, quemadmodum summus Pontifex Anicetus cum S. Polycarpo se gessit.

20. Præcipit, ut Episcopus ab aliis septem, omnino saltem a tribus, numquam autem ab uno ordinetur.

Occurrunt hujus disciplinæ capitis vestigia quædam in prima S. Pauli ad Timotheum Epistola, in qua hujus Apostoli ad suum discipulum hæc verba sunt; *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; ac re quidem ipsa, S. Joannes Chrysostomus per hunc seniorum cœtum intelligit cœtum Episcoporum, qui S. Paulo docente, Timotheum consecrarunt.

21. Presbyteris & diaconis prohibet, ne Ecclesias deserant quibus addicti sunt; eos, si secus fecerint, deponi vult.

22. Eos spectat qui, cum a fide defecerint, non agunt errati pœnitentiam, sed expectant, dum morbo corripiantur, ut Ecclesiæ se sistant, & communionem petant; hanc iis concilium tum quidem negari vult, & solum concedi, si convaluerint, & dignos pœnitentiæ fructus egerint.

Apostatæ de quibus hoc in canone agitur, erant qui Ecclesiam deseruerant, in ejusque legum contemptu vixerant, ut præposteros tantum animi motus, tamquam regulas, sequerentur. Communio quam petebant mortis tempore, conciliatio erat seu sacramentalis eorumdem criminum absolutio. Hanc iis gratiam concilium negat; ac disciplinam quidem hanc, etsi durior fuerit, non minus tamen verum est primis Ecclesiæ sæculis viguisse, quemadmodum probant S. Cyprianus, Epistola 52. ad Antonianum, quadragesimus sextus Eliberitani concilii canon, & S. Celestinus I. in secunda ad Episcopos provinciarum Viennensis & Narbonensis Epistola. Adeo severa disciplina hæc, deinceps, pedetentim, quasique per gradus, mollior evasit; cui quidem mitigationi, quoad homines morti proximos, causam præbuisse videtur potissimum S. Augustinus qui quæstionem hanc, *lib.* 1. *de Conjug. adult. cap.* 28. *n.* 35. pertractat. *Reg. ii. Rab. & Hard. Tom. I.* (Vide etiam D. Duguetum in primo & secundo ecclesiasticarum Collectionum Tomo, Dissert. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & 35. super Arelatensis I. Concilii Canonibus.)

Concilium Ancyra in Galatia, Ancyranum, an. 314.

Cum imperator Maximinus Daja qui inter Christianorum persecutores postremus fuit, Tarsi in Cilicia, sub mensem Augustum an. 314. supremum diem obiisset; Orientis Ecclesia coegit concilia plura, vel ut eos qui cruciatuum timore fracti, persecutionis tempore, lapsi fuerant, suum in sinum, congrua imposita pœnitentia, redigeret, vel ut Christifidelium mores redintegraret. E primis unum fuit quod Ancyræ quæ Galatiæ metropolis, habitum est, cujus canones, maxima ex parte, super eorum qui in persecutione lapsi erant, pœnitentia versantur. An. 314. celebratum creditur, verum saltem est ejus celebrationem anno 319. priorem esse, quandoquidem Vitalis Antiocheni mors, qui primus in subscriptionibus nominatur, tamquam concilii præses, in hunc annum incidit. Coivit concilium in quinquagenario Paschatis spatio quod temporum unum est quæ ad cœtus duos quos Episcopi quotannis habere debebant, apostolici canones designarunt; eique non solum Galatiæ, verum etiam Ciliciæ, Hellesponti, Ponti, *Polemoniaci* nuncupati, Bythiniæ, Pamphiliæ, Cappadociæ, atque adeo Syriæ, Palæstinæ, & majoris Armeniæ Episcopi adfuerunt; ut illud proinde pro generali Orientis concilio haberi possit. (*Can. A est.* 38. *T. I. Cotel. p.* 447.) In subscriptionibus, octodecim tantum, ut summum, Episcopi, fere semper e singulis provinciis unus, occurrunt; quod credendi locum præbet aut unum duosve solum e quaque provincia deputatos, aut in subscriptionibus, quippe quæ non sunt autographæ, præcipuos tantum positos fuisse. Justellus, in sua versione, non nisi subscriptiones tredecim; Isidorus autem, in sua, octodecim notat; saltem quoad aliquas editiones: in aliis enim, cujusmodi sunt Parisienses duæ, ann. 1525. & 1535. duodecim tantum numerat. In editione Conciliorum P. Labbæi octodecim recensentur.

Ancyranum concilium viginti quinque canones edidit, quorum plures ad eos referuntur qui, grassante Maximini Dajæ persecutione, lapsi fuerant.

Primus agit de presbyteris qui, cum se adduci passi essent, ut idolis thus adolerent, dolore deinde perciti, bona fide & sine dolo, ad certamen redierant; fiebat enim nonnunquam, ut hic ad certamen reditus non nisi fictus simulatusque reditus esset, cujusmodi eorum erat qui, postquam sacrificaverant, cum magistratibus, numerata pecunia, conveniebant, ut iterum ipsi se sisterent, aut se ad eos duci sinerent, ii vero se ita accedentibus aut se duci sinentibus pœnas infligere simularent. Statuit concilium, in hoc primo canone, ut presbyteri qui in persecutione lapsi sunt, quique deinde ad certamen, sine fraude, citraque collusionem redierunt, in sui ordinis honore serventur, in eoque jure, ut, in Ecclesia, prope Episcopum sedeant, non iis tamen liceat offerre, pro concione dicere, ullumve sacerdotale munus obire.

Animadvertendum venit hujus canonis dispositionem quoad presbyteros lapsos veteris disciplinæ mitigationem esse, quandoquidem, ex veteris disciplinæ regulis, presbyteri in persecutione lapsi deponebantur, quamvis per alacrem & magnanimam confessionem se iterum erexissent.

2. Eamdem pœnam imponit, eamdemque pariter gratiam tribuit diaconis qui in idem crimen lapsi, quique deinde Christum confessi sunt. Non privantur hi quidem diaconatus honore, sed solum sacrarum functionum exercitatione, quæ eorum ordini additæ sunt, nempe ferendi ad altare, aut præsentandi presbytero vel Episcopo sacrificii & oblationis materiem, & sæpe inter sancta Mysteria vocem efferendi ad indicandum populo Liturgiæ ordinem, eumque monendum, vel ut oret, vel ut genuflectat, vel ut se in pedes erigat, vel ut ad communionem se comparet, vel ut egrediatur, &c. quod canon exprimit per verbum *prædicare*. Idem tamen canon Episcopo libertatem relinquit, ut, pro pœnitentiæ fervore aut tepore, majorem indulgentiam, aut majorem severitatem adhibeat.

3. Declarat eos qui ad persecutionem evitandam fugerunt, aut in fuga ipsa, capti vel a domesticis traditi fuere; qui bonorum suorum jacturam fecerunt, cruciatus aut carcerem passi sunt; quibus, vi facta, thus in manus, aut immolatæ carnes in os immissæ, dum se christianos esse clamabant, quique suum deinde dolorem ob id quod ipsis contigerat, corporis habitu, veste, vivendique ratione, testati sunt, utpote a culpa immunes, communione privandos non esse, qua quidem si forte ab aliquo per ignorantiam, aut per nimiam sollicitudinem privati fuerint, nulla interjecta mora, clericos atque ac laicos, recipiendos pronuntiat.

4. Mandat, ut, qui, postquam idolis, per coactionem, sacrificarunt, ad mensam quoque immolatis instructam carnibus comederunt, si festivis vestibus induti, in lætitiæ argumentum, ibidem fuerunt, consistant, per annum, in Audientium & Catechumenorum gradu, prostrati per annos tres; per alios annos duos, solum precum participes, at quin ibidem offerant aut communicent; eoque elapso temporis spatio, ad perfectam communionem suscipiantur.

Hoc in canone sunt animadversione digna potissimum quatuor: 1. plurium pœnitentiæ graduum ordo; 2. veteris disciplinæ severitas; 3. longæ præparationes necessariæ, ut ad communionis felicitatem perveniretur; 4. mos qui tunc obtinebat, ut absolutio peccatoribus differretur, quoad pœnitentiam impositam perfecissent.

5. Eos qui profanis conviviis interfuerunt, lugubri veste, comederuntque solum tristitiam præseferentes, effusique in lacrymas, per epularum tempus omne, inter Prostratos collocat, & ad preces, quin offerant, receptos vult. Quod si non comederant, remanere debebant inter Prostratos, per annos duos, unius tantum anni spatio ad preces admitti; elapsisque annis tribus, perfectam communionem percipiebant. At Episcopo integrum erat, pro majore aut minore pœnitentium fervore, spectataque eorum, ante lapsum, vitæ ratione, tempus illud protrahere aut retrahere.

6. Eos spectat qui suppliciis, suorumve bonorum jacturam veriti idolis sacrificarunt, ac dum concilium hoc ipsum celebraretur, ad pœnitentiam recipi postulabant; eos sanctum concilium in Audientium numero poni vult, ad magnum diem usque, Paschatis diem scilicet; deinde inter Supplicantes ad triennium consistere; tum precibus, per annos duos, quin offerant, interesse; eoque demum elapso tempore, ad communionem suscipi. Iis tamen, si forte mortis periculum fuerit, subsidium afferri, nec suo ipso viatico privari vult.

7. Iis qui idolorum conviviis interfuerunt, sed cibaria contulerant, nolentes iis vesci quæ ibidem exhibebantur, biennii pœnitentiam imponit, Episcopisque expendendæ eorum vitæ rationis facultatem relinquit, ut iis communionem aut citius impertiantur, aut differant.

8. Mandat, ut, qui violentiæ sibi illatæ cedentes, ite-

iterum aut tertio sacrificarunt, quatuor annorum spatio in prostrationis gradu permaneant, per biennium quidem, quin offerant, septimo autem anno, communionis participes fiant.

9. Eos qui non ipsi solum in apostasiam lapsi sunt, sed suos etiam fratres ad eam impulerunt, aut in causa fuerunt, ut ad eam iidem adigarentur, triennium, auditores, sexennium, prostratos, præterea, quin offerant, anni spatio consistere, omnino decennium, pœnitentiæ subesse, & per id temporis eorumdam vitam expendi.

10. Mandat, ut diaconi, qui, in ipsa ordinis susceptione, edixerunt se matrimonium inire velle, si deinde inierunt, in ministerio permaneant, quoniam id Episcopus iisdam permisit; si vero in ordinatione nihil dixerint, ac deinde uxorem duxerint, ministerio priventur.

Apparet ex hoc canone communem legem jam tum extitisse, quæ continentiam diaconis præcipiebat, ita tamen, ut Episcopus ab ea dispensare posset, & reapse dispensare censeretur, cum is qui diaconus ordinabatur, enuntiabat, in ordinatione ipsa, se matrimonium inire velle. Animadvertendum tamen est hanc disciplinam, quod attinet ad ineundi matrimonii veniam quoad diaconos qui, cum initiarentur, edixerant se continentiam servare non posse, Ancyranæ Ecclesiæ propriam & peculiarem fuisse, nec in aliis Ecclesiis obtinuisse, quemadmodum Balsamon, Zonaras, aliique græcorum canonum interpretes monent, perspiciturque ex Trullani concilii canone sexto qui presbyteros, diaconos & subdiaconos qui post ordinationem uxorem duxerint, deponi jubet.

11. Statuit, ut puellæ quas post sponsalia rapi contigerit, suis sponsis reddantur, etiamsi raptores iisdem abusi essent.

12. Eos vult ordinari posse qui, antequam baptizarentur, idolis sacrificarunt, quia Baptismus quem susceperunt, ab omnis generis criminibus eosdem purgavit.

Dionysius Exiguus hunc canonem inscribit ita: *De his qui, cum catechumeni essent, idolis immolaverunt*; ut significet de iis omnibus hoc loco non agi qui ante Baptismum sacrificarunt, quoniam numquam in Ecclesia dubitatum fuerat, quin idololatræ qui, antequam in catechumenorum numerum reciperentur, sacrificaverant, post Baptismum ordinari possent. In hoc igitur canone, de catechumenis tantum agitur qui, sui catechumenatus tempore, idolis immolaverant; an scilicet sacrificantes irregularitatem contraxissent, dubitabatur; ac dubitandi quidem ea ratio erat, quia, licet nondum baptizati essent, Ecclesiæ tamen legibus subesse videbantur. Decidit concilium eos irregulares non esse, & ad ordines recipi posse.

13. Declarat non licere Chorepiscopis presbyteros aut diaconos ordinare, aut urbis presbyteris quicquam suis in parœciis jubere vel agere, præter id quod facere consueverunt, quin Episcopi mandato aut venia, de scripto, muniti sint.

Hoc primum loco de Chorepiscopis sermo est. Vocabulum hoc proprie significat *Episcopum ruralem*, *Episcopum pagi*, *Episcopum alicujus regionis*, *seu territorii quod ab urbe pendet*. Eos Isidorus, in sua versione, *Episcoporum vicarios* nominat, quia iis Episcopi, quoad ruralium locorum negotia, magnam suæ auctoritatis partem impertiebantur, & quia iidem episcopalium functionum pluralisque ibidem obibant. An Chorepiscopi vere, suæ ordinationis vi, Episcopi essent, in quæstione est. Ea obtinet apud plerosque sententia Chorepiscopos, fere, non nisi puros putosque presbyteros fuisse qui nec ordinationem nec auctoritatem episcopalem habebant, sed aliqua solum episcopalia munia in vicis obibant, quo ab Episcopis mittebantur. Non deerant tamen Ecclesiæ in quibus Chorepiscopi vere Episcopi essent, suæ ipsorum ordinationis vi, aliæque in quibus eos veluti casus Episcopos instituerat, cujusmodi erant qui episcopalem ordinem in hæresi acceperant, quique sæpe Chorepiscopi creabantur, cum ad Ecclesiam redibant; ejusmodi erant etiam Episcopi qui a suis sedibus expulsi fuerant.

14. Presbyteros & diaconos qui a comedenda carne abstinebant, vetat id ex contemptu facere, quasi caro immunda esset, tum eoldem jubet eam tangere, oleribus velut cum ea coctis, ut ostendant, se quidem, si ab ea abstinent, non id propterea facere quia ab ea abhorreant, eamdemve ut malam spectent; eos porro qui non paruerint, deponi vult.

Concilii sanctio hæc contra Ebionitas, Manichæos, aliosque nonnullos hæreticos qui carnis usum, tamquam malum damnabant, prudens circumspectio est, ne scilicet fideles ad credendum adducerentur presbyteros & diaconos, de quibus hoc in canone sermo est, eorum hæreticorum erroribus favare velle. Non ergo malus est ipse per se carnis usus, quamvis in merito sit ab eo abstinere pœnitentiæ animo, vel quia ita facto opus est, cum id nimirum Ecclesia præcipit.

15. Declarat, si, episcopali sede vacante, presbyteri, qui Ecclesiæ bonorum œconomi constituti fuerint, earum rerum aliquam vendant, quæ ad eam pertinent, in Episcopi electi potestate fore, ut contractum abrogent, aut venditionis ab iis peractæ pretium recipiant.

16. Mandat, ut qui contra naturam peccata patraverint, siquidem antequam vicesimum ætatis annum attingerent, prostrati per annos quindecim sint, & quinque, quin offerant; si vero post ætatis annos viginti, jamque inito matrimonio, in eadem peccata prolapsi fuerint, prostrati per annos viginti quinque permaneant, & quinque, quin offerant; si denique post quinquaginta ætatis annos, & quidem conjugati peccaverint, non nisi ad vitæ finem communione donentur.

17. Indicit, ut ejusmodi homines, si per hujus generis peccata in ignominiosos morbos quos concilium *lepram* appellat, inciderint, ab omni cum pœnitentibus quos suis sordibus inficere possent, communicatione segregentur, iis designato peculiari loco ad pœnitentiam peragendam, extra Ecclesiæ ambitum, ubi imbribus cælique injuriis ceteris suberant, non ex Ecclesia proinde solum, sed ex Ecclesiæ quoque vestibulo expulsi. Monet Tertullianus (*De pudicitia*, *cap.* 4. *p.* 557.) homines ejusmodi impuritatum reos sub nullo Ecclesiæ tecto, qua ipse vivebat ætate, toleratos fuisse. Hujus canonis græcus textus hos leprosos pœnitentes *Hiemantes* nuncupat, quia sub dio commorari debebant, ne cui malus eorumdem odor nocere posset.

18. Statuit, ut, si quis, Episcopus ordinatus, a populo non recipitur ad quam designatus est, & is quidem alia diœcesi potiri, in eaque seditiones in Episcopum institutum excitare velit, a communione separetur; si sedem qua ante gaudebat, quam Episcopus ordinaretur, inter presbyteros sibi sumere voluerit, id honoris ei relinquatur; at si turbas in Episcopum conflat, ipso presbyteratus honore spolietur, & anathemate percellatur.

Ad hunc canonem intelligendum, sciendum est, primis Ecclesiæ sæculis, sæpenumero contigisse, ut Episcopi, ad Diœcesin aliquam ordinati, ab ejus Diœceseos populo rejicerentur, quia, ex ejus temporis disciplina, ad sui Episcopi electionem populus concurrebat. Contingebat etiam haud raro, ut Episcopi a populo rejecti ad quem initiati erant, eas Ecclesias aliasve turbarent, & seditiones in Episcopos excitarent qui eas administrabant, eo consilio, ut, iis expulsis, ipsi in sedem irreperent. In hos scilicet turbulentos & seditiosos Episcopos canon de quo agitur, editus fuit.

19. Eidem pœnæ subdit bigamos, virginesque quæ, in suæ professionis contemptum, virginitatis votum violarunt, atque adeo virgines prohibet cum viris degere. *Sacrorum* nomine *Bigami* nuncupantur qui, post conjugum suarum mortem, ad secundas nuptias convolant. Quamvis Ecclesia secundas subsecutasque nuptias nunquam damnaverit, eas ægre tamen semper tulit, ac tanquam incontinentiæ notas quasdam spectavit; ut olim proinde bigamos pœnitentiæ subderet quam una & unica consuetudo moderabatur. Ex S. Basilio (*Epist. Can.* 2. *can.* 18. *p.* 291. *Tom.* 3.) constat eos post separationis annum receptos fuisse. Canon hic virginibus adulteris hanc ipsam bigamorum pœnam imponit.

20. Statuit, ut qui adulterium vel ipse patraverit, vel a conjuge patrari passus fuerit, pœnitentiam agat ad annos septem, transiens per consuetos Fletuum, Audientium, Prostrationis, & Consistentiæ gradus quatuor. Mulier adultera haud ea quidem per horum graduum tres priores migrabat; sed, quicquid temporis in iis remanere debuisset, in Consistentiæ gradu transigebat, in quo solum oblationis & communionis privationi suberat. Cum porro sæpe feminarum plures, pietatis & humilitatis ergo, se ibidem ponerent, adulteræ detegi per hujusmodi pœnitentiam non poterant, quæ iis cum innocentibus personis bene multis communis erat.

Ita quidem hunc canonem legit Ceillerius, suæ Ecclesiasticorum Auctorum Historiæ *tom.* 3. *pag.* 720. at alia suppetit lectio quæ vero propior videtur, intelligendum scilicet hunc canonem de eo esse qui feminam ob adulterium a viro repudiatam, eo vivente, conjugem ducit, quique hac ratione, quodammodo, adulterii reum ipse se reddit. Si quis dixerit pœnitentiam annorum septem, quoad hunc virum adulterum,

rum, molliorem videri, quoniam Ecclesia crimen hoc olim per annorum quindecim pœnitentiam puniebat, respondetur se ita concilium gessisse, quia per civiles leges matrimonium, etiam quoad vinculum, adulterii causa, solvi licebat; ipsique nondum Catholici certo noverant, an lex evangelica hanc matrimonii solutionem, quoad vinculum, in ejusmodi facti specie, prohiberet. Cæterum, ex hoc canone compertum fit hanc matrimonii indissolubilem firmitatem ab Ancyrani concilii Patribus ut certam poni; constat etiam pœnitentiæ canones eo jam tempore statutos fuisse.

21. Absolutionem ait olim feminis, ad mortem usque, dilatam fuisse, quæ in fornicationem lapsæ, ut suarum libidinum fructum extinguerent, sibi abortum curabant, concilii tamen Patres, hujus disciplinæ summum jus mollire volentes, earum pœnitentiam ad annos decem in consuetis gradibus transigendos redigere.

22. Mandat, ut, qui voluntarium homicidium patravit, in prostratione, qui laboriosæ & ignominiosæ pœnitentiæ gradus erat, ad mortem usque consistat, & solum in vitæ fine communionem percipiat. Non deerant Ecclesiæ in quibus voluntarii homicidii reis, vel ad mortem, communio negabatur, ut probat Morinus, in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, *lib.* 9. *cap.* 19.

23. Pronuntiat Ecclesiæ veterem disciplinam iis qui involuntarium homicidium patraverant, annorum septem pœnitentiam imponere, se tamen, ut indulgentia cum iisdem utatur, annis quinque contentum esse.

Non dicit concilium, quid per voluntarium, quidque per involuntarium homicidium intelligat; at id explicat S. Gregorius Nissenus in sua ad Letojum canonica Epistola, ubi voluntarium homicidium esse illud ait quod deliberatum & dedita opera patratum fuit, involuntarium autem quod quispiam, aliud agens, casu & quin ei id animi esset, perpetravit.

24. Eos ait qui ethnicorum superstitiones sectantur, & ariolos consulunt, suasve in domos hoc hominum genus inducunt, ut maleficia detegant aut conficiant, pœnitentiæ obnoxios fore per annos quinque, nempe, prostratos, per annos tres, &, quin offerant, per annos duos.

25. Et ultimus canon est solutio casus conscientiæ, qui concilio propositus fuerat. Agebatur de homine qui feminæ quacum sponsalia contraxerat, sorore abusus erat, eam violaverat, & gravidam fecerat; quæ quidem, cum suam is sponsam duxisset, indignatione abrepta se laqueo suspenderat. Statuit concilium, ut quicunque in horum criminum trium, fornicationis, incestuosi conjugii & homicidii partem venerunt, annorum decem, per consuetos gradus, pœnitentiæ subsint.

Animadversione dignum est non semper inter auctores de canonum numero convenire, quos Ancyrano concilio tribuunt, aliis viginti quinque, aliis solum viginti quatuor enumerantibus; quod propterea factum, quia nonnulli quartum hujus concilii canonem, vicesimum secundum alii, demum alii neutrum partiuntur. Gratianus (*Decret. Part. II. caus.* 26. *quæst.* 5. *cap.* 11. *p.* 1505.) canonem addit qui neque in manu scriptis, neque in impressis codicibus reperitur, ut Romani Correctores notarunt; & is quidem tribuitur Papæ Damaso perinde atque alius super homicidio canon qui Ancyrani concilii canonibus additus legitur in editione P. Labbæi, *Tom. I. Hard. Tom. I. Reg. Tom. II.*

Concilium Neocæsareense, *an.* 314.

Cum Episcoporum plerique qui an. 314. Ancyrano concilio interfuerunt, ad Neocæsareense convenerint, posterius proinde concilium hoc vel eodem atque Ancyranum, an. 314. vel sequente 315. habitum creditur. Recensentur, in subscriptionibus, quindecim tantum Episcopi quorum primus Vitalis Antiochenus est qui pariter huic concilio præfuisse videtur. Synodicus (*Apud Justell. t.* 2. *p.* 1173.) ait concilium hoc ex Episcopis viginti tribus conflatum fuisse, & Vitali Antiocheno primum inter cæteros locum tribuit; additque in eo de Lapsorum causa actum esse, tametsi hac de re in hujus concilii canonibus qui supersunt, ne verbum quidem; quod evincit aut in Synodico plures quam in præsentia nobis suppetunt, extitisse, aut eum potius de hoc concilio, quin ejus acta legerit, locutum esse, cum omnino nullus sit credendi locus Episcopos qui eorum pœnitentiam qui persecutionis tempore lapsi fuerant, in Ancyrano concilio paulo ante statuerant, eam rursus in hoc concilio definiisse. Nobis ejus quatuordecim canones, ex Dionysio exiguo, aliisque omnibus Collectionibus præsto sunt. Zonaras qui tertium tribuit in duos, quindecim numerat, qui ita quidem in Labbæanæ editionis græco textu distributi sunt.

Primus Canon mandat, ut presbyter qui, susceptis Ordinibus, matrimonio se obstringit, deponatur; quod si in fornicationem, vel in adulterium prolapsus fuerit, gravius puniatur, & pœnitentiæ subdatur.

2. Statuit, ut, si qua femina duobus fratribus nupserit Ecclesiæ communione, ad vitæ finem usque, privetur; at eidem Pœnitentiæ sacramentum in mortis articulo concedatur, dummodo secundum conjugium, si convaluerit, se soluturam promittat.

3. Declarat pœnitentiæ tempus quoad eos qui pluries, deinceps, matrimonium contrahunt, & bigami nuncupantur, statutum esse; at illud brevius fieri, pro pœnitentis fervore, vult.

Cum hujus concilii Patres dicunt pœnitentiæ tempus, quoad bigamos statutum esse, id de consuetudine, non de canonibus intelligi debet, siquidem ante concilium hoc nullus canon occurrit, qui bigamorum pœnitentiæ certum aliquem modum præscribat.

4. Eum qui criminis cum femina perpetrandi desiderium concepit, illudque non consummavit, Dei gratia, ut admodum probabile fit, servatum ait; videlicet, ut Fleurius Historiæ ecclesiasticæ *lib. X. cap.* 17. animadvertit, canonicæ pœnitentiæ nequaquam subesse, quia eidem interna peccata non suberant.

5. Præcipit, ut catechumenus qui in eorum gradu est qui cum fidelibus orant, si forte peccaverit, in Audientium numerum remittatur; at si peccare pergat, ex Ecclesia penitus extrudatur.

Ad hunc canonem intelligendum, sciendum est duplicis olim generis catechumenos extitisse, quorum alii, recentiores, statim ab Evangelii lectione dimittebantur, cæteri vero, seniores, post hanc lectionem, ad preces cum fidelibus recipiebantur, & genua flectebant, cum iis dicebatur: *Catechumeni, capita vestra Domino flectite.* De hujus posterioris generis catechumenis intelligi debet hic canon quintus.

6 Mandat, ut feminæ quæ ventrem gerunt, baptizentur, cum primum baptizari cupiunt, quin necesse sit; postquam pepererint, earumdem baptisma differri, quia matris baptisma infantem non afficit, cum ad illud suscipiendum oporteat quemque pro se respondere.

Erant qui dubitarent, an Baptismus prægnanti feminæ collatus ejus fœtum afficeret, ut is proinde per matris Baptismum baptizatus censeretur. Hanc ineptam dubitationem concilium de medio tollit declarans Baptismum matris non afficere ejusdem fructum, quia nemo baptizatur, quin interrogetur, respondeatque ita se optare, & ita se velle; quod ob infantibus in materno sinu conclusis fieri omnino non posset.

7. Vetat presbyteros bigamorum nuptiis adsistere, idque eo magis quod pœnitentiæ quædam iis imponuntur, ac turpe esset presbyterum imponere pœnitentiam bigamo, cujus agendi rationem, secundis ejusdem nuptis adsistens, probare visus est.

8. Ad sacros Ordines eum suscipi non posse pronuntiat cujus uxor adulterii convicta fuit, & clericum cujus uxor in hoc peccatum lapsa fuerit, eam repudiare debere, suo, id ni fecerit, ministerio privandum.

Intelligi hic canon potest & de minoribus clericis qui matrimonium inire possunt, & de presbyteris quoque ipsis quibus licebat, ut hoc etiam tempore in Orientis Ecclesia, conjuges retinere quas ante ordinationem duxerant. Canon hic qui laicum ob conjugis crimen punit, sane probat, quam pari esse debeant Ecclesiæ ministri, quandoquidem, ut quispiam a sancto ministerio arceatur, eum satis depravatæ feminæ conjunctum fuisse, quamvis ejusdem pravitati ingemiscat.

9. Presbyterum qui se carnis peccatum, ante ordinationem patrasse confessus fuerit, non amplius offerre vult, eumdem tamen ob alias quibus ornatus est, animi dotes, sua jura cætera & prærogativas servare patitur; ad alia enim peccata quod attinet, ajunt plerique ea per manuum impositionem remitti. Sin is hoc crimen confessus non est, ejusdemque convinci nequit, id ipsius conscientiæ relinquetur.

Cum ait canon hic plerosque e concilii Patribus in ea esse sententia, ut credant peccata alia a fornicatione, quæ ante Ordinationem patrata sunt, per manuum impositionem remissa fuisse, id de peccatis fornicatione minoribus intelligi debet, quæ Patres dissimulanda judicarunt; qua in re animadvertendum dispensatione concilium uti quoad eos tantum qui jam ordines susceperunt; cum quippe non recipiebantur in

in clerum, nisi qui Baptismi innocentiam servaverant.

10. Diaconum quoque qui, antequam initiaretur, in idem peccatum inciderit, suo ministerio privari jubet.

11. Presbyteratus ordinem cuipiam conferri vetat, nisi annos triginta sit natus, utcunque cæteroquin eo dignus sit. Ratio quam in id affert concilium, ea est, quia Christus Dominus, tricesimo tantum ætatis anno, baptizatus fuit, & docere cœpit.

12. Ad presbyteratum eos evehi prohibet qui, cum ægrotarent, baptizati fuerunt, quia solum necessitate compulsi fidem suscepisse videntur; nisi forte hanc deinde gratiam concedat eorum fides & sollicitudo, nec non idoneorum virorum raritas postulent.

13. Rureles presbyteros, in urbis Ecclesia, coram Episcopo, vel urbis presbyteris offerre vetat, eosdemque ne sacrum quidem Panem aut Calicem distribuere vult; eos tamen patitur utrumque facere, presbyteris & Episcopo absentibus.

14. Declarat chorepiscopos ad septuaginta discipulorum normam institutos esse, ut proinde tamquam Episcoporum confratres spectentur, ob sollicitudinem curamque quam erga pauperes exhibent; eoque honore digni habeantur, ut iisdem offerre liceat.

15. Pronuntiat diaconos in quaque urbe, quæcumque ejus amplitudo sit, non nisi septem esse debere, ex prima eorumdem institutione, ut innuit apostolicorum Auctorum Liber. *Reg. Tom. II.* Labbæus & Harduinus, *Tom. I.*

Concilium Romanum, an. 315.

Hujus arrogati concilii mentio fit in Actis S. Sylvestri, quæ in Gelasii Decreto, in quadam Adriani Papæ ad Carolum Magnum Epistola, a Zonare, a Nicephoro Calixto, & a posterioribus aliis nonnullis scriptoribus memorantur; at jam convenit inter omnes Acta hæc nulla fide digna esse, Romanumque concilium hoc fictitium concilium esse. Habitum fertur Idibus Martii an. 315. coram Imperatore Constantino, & Constantino Augusto ejus filio; concilio interfuisse feruntur Episcopi septuaginta quinque cum centum novem Judæorum sacerdotibus, quin it numerentur quos eorum pontifex, *Issachar* appellatus, eo misit, ut suæ religionis partes tuerentur; id autem in causa fuisse dicitur, ut hoc concilium convocaretur, quod Helena quæ, cum in Oriente versaretur, se propemodum ad Judaismum trahi passa fuerat, ferre non poterat filium suum Constantinum Christianam Religionem profiteri; quod eum Principem impulit, ut utriusque partis præcipuos Romæ cogeret, qui, Helena ipsa, & Constantino Augusto præsentibus, suæ religionis veritatem probarent. Additur, concilium feliciter ad Christiani nominis propagationem & gloriam absolutum fuisse, sanctumque Sylvestrum id assecutum esse, ut suos adversarios confunderet; at nihil pejus infartum, nihil ineptius quam concilii hujus historia. Falsa prorsus est ejus celebrationi adscripta dies. Imperator Constantinus (*Tillemontius, in Imperatorum Histor. a, Tom. IV. pag.* 606 & 168.) Romam non venit nisi mense Augusto hujus anni 315. cum Aquilejam, ubi aderat Julii die 18. prætergressus esset, ut ex lege ad Senatum missa perspicitur. Constantinus Augustus anno tantum 316. lucem aspexit, anno scilicet post terminum qui jactato huic Romano concilio affingitur. Ad Helenam quod spectat, Eusebius qui omnium optime Constantini historiam callebat, disertis verbis hunc Principem assecutum ait, „ ut Helenam, matrem, Christi Domini famulam redderet;" neque id honoris S. Sylvestro tribuit. (Eusebius, *lib. 3. de vita Constantini, cap.* 47. *pag.* 506. Ceillerius, *Auth. sacrorum & eccl. Hist. Tom. III. p.* 725. *& seqq.*)

Concilium Alexandrinum, an. 315.

Concilium hoc S. Alexander, Episcopus Alexandrinus, contra hæresiarcham Arium coegit qui Christi Domini divinitatem negabat. Ei centum circiter Episcopi cum presbyteris numero pluribus adfuerunt. Se cœtui sistit Arius, errores suos propugnavit, & una cum suis omnibus sectatoribus anathemate perculsus fuit. Nonnulli concilium hoc ad an. 319. vel 320. vel 321. referunt. Qui illud an. 315. ut Labbæus, adscribunt, alterum an. 321. & ipsum contra Arium, habitum volunt. Synodum etiam presbyterorum Alexandriæ & Mareotidis, hoc eodem anno, in Arium, Alexandriæ coactam agnoscunt; recipiunt etiam concilium aliud, contra Meletianos, Collutianos & Sabellianos, an. 319. seu 320. Alexandriæ celebratum; cui quidem Alexandrini Patriarchatus Episcopi omnes interfuere, ut illud prodit S. Athanasius, Apologia secunda, *generale* nuncupet. Ei Osius Cordubensis, tamquam Papæ legatus præfuit. Illud alii, S. Alexandro præside, & in Arium potissimum celebratum volunt; ejus acta periere. (Labbæus, *Tom. I.*). Etiam Palæstinæ concilium an. 318. in Arii favorem ponit Balutius, *in Collect.*

Concilium Nicænum I. an. 325.

Tria potissimum erant quæ IV. ineunte sæculo Ecclesiam turbabant; Arii hæresis, Meletianorum schisma, superque celebrandi Paschatis die disputatio. Ut his turbis, eisque imprimis quam Arii hæresis excitabat, occurreret, Constantinus Imperator, ex condicto cum Papa Sylvestro, Nicææ quæ Bithyniæ metropolis, concilium œcumenicum convocavit quod, Paulino & Juliano consulibus, die 19. Junii an. 325. sub finem anni decimi sui regni Constantini, habitum fuit. Qui inter Ecclesiarum Europæ, Africæ, Asiæ ministros primum locum tenebant, huic cœtui adfuerunt. Ad eum Episcopi & presbyteri Syriæ, Ciliciæ, Phœniciæ, Arabiæ, Palæstinæ, Ægypti, Thebarum, Libyæ, Mesopotamiæ, Ponti, Galatiæ, Pamphiliæ, Cappadociæ, Phrigiæ, Thraciæ, Macedoniæ, Achajæ, Epiri, unus Persidis, Scythiæ unus, unus Hispaniæ convenerunt. Imperialis urbis, Romæ nimirum, Episcopus, provectæ ætatis causa, adesse non potuit; at legatos, nempe Vitum & Vincentium, Romanæ Ecclesiæ presbyteros, misit, ut Sozomenus memoriæ prodit. Episcoporum, e S. Athanasio in Epistola ad Africanos, (*Lib. I. cap.* 17.) trecentorum decem & octo numerus fuit; quod est omnibus antiquis Patribus, & veteribus Historicis consentaneum; ut proinde mendum in Eusebii textum irrepserit qui solum paulo plures quam ducentos quinquaginta recenset. (*Euseb. lib. 3. de vita Constantini, cap.* 8.) Aderant e presbyteris, diaconis, acolythis, aliisque qui Episcopos comitabantur, prorsus innumeri. Inter Episcopos præcipui erant Osius Cordubensis, S. Alexander Alexandrinus, S. Eustathius Antiochenus, S. Macarius Hierosolymitanus, Cecilianus Carthaginensis, S. Paphnutius in superiore Thebaide episcopus, S. Potamon Heracleensis, uterque e Confessorum numero, S. Paulus Neocæsareæ ad Euphratem episcopus, cui, in Licinii persecutione, ferventi ferro combusti nervi, S. Jacobus Nisibis in Mesopotamia, S. Amphion Epiphaniæ, qui & ipse Christum Dominum in persecutionibus confessus fuerat, Leontius Cæsareæ in Cappadocia, S. Basilius Amaseæ, S. Hyppatius Gangrensis, S. Alexander Bysantii. Gelasius Cyzicenus, in sua Nicæni concilii Historia, *lib. 2. cap.* 5. Osium Cordubensem id honoris assecutum ait, ut in concilio Papæ personam repræsentaret, ejusque una cum presbyteris duobus Vito & Vincentio legatus esset. At Tillemontius, in sua quarta ad Nicænum concilium Adnotatione, probat id fundamento carere; Gelasium Cyzicenum qui ad sæculi V. finem vivebat, id omnium primum proposuisse, ejusque vestigiis nullum deinceps, alicujus quidem nominis historicum institisse. Aderant etiam disputandi arte præstantes viri qui ad ea digerenda de quibus in concilio agendum erat, adjumento essent; atque Athanasius quidem, Alexandrinæ Ecclesiæ diaconus, in hoc negotio primas tenuit, adhuc licet junior esset. Adstitit Imperator, purpura indutus, auroque & adamantibus omnino contectus, haud consuetis custodibus; sed solum ministris, qui Christianum nomen profitebantur, eum comitantibus. Ibi se Arius in conspectum dedit, suas blasphemias propugnavit „ Dei „ Filium, inquiens, e nihilo natum esse, fuisse tem„ pus quo is non erat; eumdemque, pro suo libero „ arbitrio, ad vitium, vel ad virtutem se ferre po„ tuisse. " Eum Episcopi acriter impugnarunt, ipsiusque omnes versutias omnesque technas S. Athanasius mirabili perspicacitate detexit. Post multas disceptationes, concilium omnes, quoad Filium, sacræ Scripturæ locutiones uno & unico *consubstantialis* vocabulo complexum est, utens græca voce ὁμοούσιον, quæ Filium non modo Patri similem, sed ita similem esse significat, ut una eademque res, una eademque substantia cum Patre sit, ab eoque nulla prorsus ratione sejungi aut dividi possit; adeoque Pater & Filius, ut hic ipse ait, unum sint. Hoc ergo vocabulum *consubstantialis* solemni decreto concilium firmavit consecravitque, alias præterea nonnullas voces delegit quas ad Catholicam exprimendam Fidem aptissimas judicavit, & Symbolum edidit quod Nicænum appellatur illudque est quod a nobis in Missa recitatur. Huic Symbolo omnes concilii Episcopi subscripserunt, septemdecim exceptis Arianis Episcopis qui deinde ad quinque redacti sunt. Arii quoque personam & scripta, nomi-

nominatim ejus *Thaliam*, aliasque ipsius cantilenas concilium damnavit; Ecclesiæque auctoritati suam addens Imperator Arium ejusque partium presbyteros in Illyriam exules amandavit.

Ad exitum perducto Arii negotio, Meletianorum schismati, quod ex annis viginti quatuor Ægyptum scindebat, finem imponere concilium voluit. Hujus schismatis auctor Meletius, cujusdam in Ægypto urbis Episcopus, quæ dicta Lycopolis, in Thebaide. Cum plurium criminum, atque adeo thuris idolis oblati convictus fuisset, id S. Petrum Alexandrinum impulit, ut in Episcoporum cœtu quem anno circiter 305. habuit, eumdem deponeret. Renuit Meletius huic sententiæ se subdere, & factionis antesignanus evasit. Usum est indulgentia cum eo concilium, cui nempe licere voluit in urbe Lycopoli, sed absque functione ulla, & cum Episcopi simplici titulo permanere. Quoad eos quos is ordinaverat, statutum fuit, ut redintegrarentur, vel, ut ait Theodoretus, *sanctiore ordinatione confirmarentur*. (*Lib.* 1. *Hist. c.* 9.) & cum sui quisque ordinis honore & functionibus ad communionem reciperentur.

Allata Theodoreti verba Henricus Valesius de nova ordinatione proprie dicta intelligi debere contendit; Hermantius, in Vita S. Athanasii, & Tillemontius, super Concilio Nicæno Adnotatione 12. contra sentiunt & probare nituntur nunquam, vel in Græca Ecclesia, vel in Latina, ordinationis iterationem, seu reordinationem locum habuisse, & Meletianos confirmatos, redintegretos, seu rehabilitatos receptosque fuisse per aliquas cæremonias quæ sane a vera reordinatione differrent, quia eorum ordinatio, valida licet, illegitima tamen seu illicita erat, utpote absque Alexandrini Episcopi consensu facta, contra provinciæ veterem consuetudinem, ut animadvertit Fleurius, *Tom. III. lib.* 3. *num.* 15. *pag.* 132.

Diem porro celebrationis Paschatis concilium esse voluit dominicam post decimam quartam lunæ diem, quæ æquinoctium vernum proxime sequeretur, quia Christus Dominus die dominica resurrexerat quæ proxime Judæorum Pascha secuta erat. Statutum etiam, ut Alexandrina Ecclesia, quotannis, Romanæ significaret, qua die Pascha celebrari oporteret, diemque ad hujus festi celebrationem, apostolica auctoritate firmatum universa Ecclesia, per omnem terrarum orbem disseminata a Romana perciperet.

Viginti præterea constitutiones seu canones ad disciplinam spectantes Nicænum concilium edidit.

1. His verbis conceptus est: „ Si quis a chirurgis, „ in morbo, vel a barbaris eunuchus factus fuit, in „ clero permaneat; at qui se ipse, cum bene valeret, „ mutilavit, interdictus, siquidem in clero est, esse „ debet; ac deinceps ejusmodi nullus ad ordines promovendus: “

Hujus canonis ea vis & ratio est, ut a clericatura eos arceat quibus inest ad incontinentiam & ad violentiam propensio; quæ vitia duo sunt puritati & suavitati contraria, quas Ecclesia suis in ministris requirit. Cæterum, mutilatio voluntaria æque civilibus legibus, & quidem sub mortis pœna, vetita erat; quod tamen non impedit, quin Valesianorum secta se hac crudeli operatione insigniret, suosque non modo discipulos, sed etiam hospites, volentes, nolentes, eunuchos redderet.

2. Canon eos ad Baptismum recipi vetat qui ex ethnica superstitione, ut Fidem amplecterentur, egressi haud satis temporis, ut edocerentur, impenderant, & ad Episcopatum, vel ad presbyteratum eos promoveri qui paulo ante baptisma susceperant; opus enim est tempore, ut ad Baptisma catechumeni comparentur, multoque longiore, ut novus baptizatus probetur, antequam in statum ecclesiasticum recipiatur. Subdit canon, si deinde, qui in clerum receptus fuerit, carnalis alicujus peccati reus comperiatur, ejusque per duos tresve testes convictus sit, suo eum ministerio privandum esse. Quicunque se rei depositioni opposuerit, depositionis periculum ipse subibit, utpote ausus magno concilio se opponere.

Nicænis FF. ea est hoc in canone mens, ut ne ad clericaturam suscipiantur nisi qui bene probati fuerint; & quod inde consequitur, contra hanc mentem est eos in clerum recipi qui ex prava, sæpius etiam plus quam ethnica vita ratione pridem ad fidem venerunt, quod hæretici ad suarum partium propagationem facere consueverant: Ecclesia contra recens baptizatos diutius probabat, antequam in clerum induceret, nisi forte in aliqua extra ordinem facti specie, cum scilicet aperte constabat neophytum ad sacerdotium a Deo vocari, quemadmodum in S. Ambrosii electione contigit, aut cum in clero non inveniebatur qui Episcopatu dignus esset; quod causæ fuit, cur Nectarius, laicus licet & adhuc catechumenus, in Constantinopolis episcopum eligeretur, quia omnes ejus Ecclesiæ clerici hæresi infecti erant.

3. Canon omnibus generatim ecclesiasticis mandat, ut ne quam feminam apud se detineant, exceptis matre, sorore, amita, aliisve quæ nihil suspicionis parere possint, quod de proximis consanguineis Rufinus intelligit. (*Lib.* 1. *Hist. c.* 7.) Feminas quæ huic sanctioni causam præbent, concilium *subintroductas* appellat; eas aliis extraneas, aliis *sorores agapetas*, seu *adoptivas*, seu *socias* nuncupantibus, pro variis causis quas prætexebant, ut earum aliquam apud se detinerent, alii charitatis & amicitiæ spiritalis ergo, alii ut domestica negotia reique familiaris procurationem iis demandarent, alii denique ut ab iisdem, si forte morbo correpti essent, solatium perciperent.

Liquido constat hunc canonem eo spectare, ut ab omni incontinentiæ occasione atque adeo suspicione clericos arceat; ejusque auctoritate S. Basilius usus est, ut sacerdotem, nomine *Paregorium* ad deserendam feminam adigeret, quam secum ad servitium tenebat, etsi presbyter hic septagesimum ageret ætatis annum, nullique periculo omnino subesset.

Canon 4. „ Per hunc canonem Episcopus ab iis omnibus qui e provincia sunt, ordinari debet, quoad „ fieri potest; at si id, vel ob urgentem necessitatem, „ vel ob itineris longitudinem difficile fuerit, eorum „ tres saltem adesse necesse est qui cum absentium, de „ scripto, suffragio & consensu ordinationem peragant; „ at Metropolitani est, in quaque provincia, id quod „ ibidem factum fuerit, confirmare. “ (Instituta cernitur hoc loco provinciarum divisio, tributumque Metropolitano jam tum præcipuæ urbis Episcopo, quam Græci metropolim nominant, ut si quis diceret *matrem urbem*; provinciæ porro ad Romani Imperii divisionem exigebantur).

Dubitatum est, utrum deberet canon hic de Episcopi ordinatione, an de ejusdem electione tantum intelligi. Græci interpretes, ut Zonaras & Balsamon, quos nuper Guillelmus Beveregius inter Anglos presbyteros doctus, in suis super hoc canone Adnotationibus, secutus est, cum de electione tantum, alii solum de ordinatione alii denique de electione & ordinatione simul intelligendum existimant; ac postrema quidem sententia videtur propius ad autographum hujus canonis textum atque ad ejus temporis disciplinam accedere. Tribuitur hujus canonis græcus textus in partes duas: verbum adhibitum in prima parte significat proprie *institui*, abstractione facta electionis & ordinationis seu consecrationis Episcopi. Verbum in altera canonis parte adhibitum *impositionem manuum*, &, quod inde consequitur, *ordinationem* seu *consecrationem* significat. Genuinus ergo canonis sensus ejusmodi est: „ Institui seu eligi debet Episcopus ab omnibus provinciæ Episcopis, quod si fieri non potest, a tribus saltem Episcopis præsentibus, cum „ eorum consensu qui absunt, qui quidem cum in „ electionem consenserint, ii qui adsunt, manuum „ impositionem seu ordinationem peragunt. “ Hæc interpretatio perfecte congruit cum ejus temporis disciplina, qua Episcoporum electio & consecratio conjunctim fieri consueverant. Hujus canonis ratio, ut ait Innocentius I. in sua ad Victricium Epistola, est, ne Episcopi in ovile furtim irrepant, sed ingrediantur cum approbatione totius Ecclesiæ quæ per Ecclesiam exhibetur ejus provinciæ in qua novus Episcopus consecratur. Cæterum venit animadvertendum, Episcopalem ordinationem; ab uno tantum Episcopo editam, quamvis esset illicita, non proinde tamen nullam & invalidam fore. Dispensandi, quoad hanc rem, & permittendi, ut episcopalem ordinationem unus tantum Episcopus conferat, in præsentia summo Pontifici reservata potestas est; quod cœpisse non videtur nisi post clausulam, *Excepta Romana Ecclesia*, recenti manu additam iis verbis Compendii Canonum diaconi Ferrand: *Ut nunquam Episcopus Episcopum non ordinet.* (*Van. Espen, Jur. Eccl. univ. Tom. III. pag.* 83.) P. Sirmondus, in Præfatione Appendicis II. Tomi Conciliorum Galliæ, putat Nicænum concilium statuisse novum jus, adempta populo parte qua prius in Episcoporum electionibus fruebatur, ut huic sanctioni Orientales tantum Ecclesias se subdidisse, Occidentis Ecclesiis in veteri consuetudine persistentibus.

5. Canon his verbis effertur: „ Quoad excommunicatos, seu clericos, seu laicos, sententia ab uniuscujusque provinciæ Episcopis omnibus servari debet, ex canone qui prohibet „ ne quis Episcopus „ eum recipiat quem alii expulerint; at expendendum est, aos, nec ne, Episcopus per levitatem, „ per acerbitatem, aut per ejusmodi alium animi im-

„ petum

„ petum communione privaverit. Ut id via & ordine „ expendi posset, e re esse visum est, ut, quotannis „ haberentur in quaque provincia concilia duo in „ quibus hujus generis controversias Episcopi in com„ mune discenterent, omnesque declararent legitime „ excommunicatos eos qui suum Episcopum læsisse „ comperti fuerint, quoad cœtui placuerit mollius „ quoad eos judicium pronuntiare; jam vero concilia „ hæc habebuntur, unum ante Quadragesimam, ut, „ omni expulsa acerbitate, oblatio pura Deo exhi„ beatur; sub autumni tempestatem alterum. “

Vetus canon cujus in hoc mentio, tricesimus tertius eorum est qui *Apostolici* nuncupantur, per quem statuitur, ut presbyter aut diaconus ab Episcopo cui subsint, excommunicati ab alio recipi nequeant. Huic regulæ fundamento est Ecclesiæ & Episcopatus unitas; quod non impedit, quin sententiæ argumentum & causæ ad trutinam revocari debeant, ut probari videantur Episcoporum privata studia, qui scilicet homines sunt, suaque auctoritate abuti possunt, ut injustas sententias contra innocentes pronuntient, quemadmodum post S. Augustinum, *Lib. de vera Religione, cap.* 6. Van-Espenius, super hoc canone, animadvertit. Nicænum concilium per Quadragesimam de qua hoc in canone sermo est, quadraginta dierum jejunium intelligit quod Paschatis festum antevertebat, ut probat luculentissime Beveregius, *lib.* 3. *Cod. Canonum Ecclesiæ primitiv. vindicat. cap.* 1. & 2. contra ministrum Dallæum; quod evincit jejunii quod festum Paschatis antecedebat, tempus ita in tota Ecclesia statutum fuisse, ut dies quadraginta complecteretur, tametsi jejunii per eos dies servandi ratio non eadem ubique esset. Nicænus canon hic ab Africæ Episcopis, in Apiarii negotio, laudatus fuit, ad probandum ecclesiastica, quoad Episcopos ipsos, negotia in provinciæ concilio absolute finienda esse.

6. Servabuntur veteres consuetudines statutæ in Ægypto, Libya & Pentapoli; ita ut Episcopo Alexandriæ super has omnes provincias auctoritas sit, quoniam Episcopus urbis Romæ eamdem prærogativam, hoc est, eamdem jurisdictionem obtinet super *Ecclesias suburbicarias*, ut explicat Rufinus *Lib.* 1. *Hist. cap.* 6. Antiochiæ pariter & in cæteris provinciis, sua cuique Ecclesiæ privilegia serventur. In universum, notorium sit, si quis, absque Metropolitani consensu, Episcopus creatus fuerit, hoc magnum concilium declarare eum episcopum esse non debere. At si, cum æqua & canonibus consentanea fuerit electio, et per privatam pervicaciam duo tresve obluctentur, major suffragiorum numerus prævalere debet.

Profertur Vaticanæ Bibliothecæ manuscriptus codex in quo canon hic ita inscribitur: *De Primatu Romanæ Ecclesiæ* (*Baron. ad ann.* 325. *num.* 123.) e quo titulo intulere Criticorum nonnulli eum ad nos integrum non pervenisse, suamque opinionem firmant Paschasini auctoritate, qui S. Leonis Papæ ad Chalcedonense concilium legatus, hujus canonis initium ita legebat: „ Ecclesia Romana semper primatum habuit; “ at cum Paschasinus lectionem hujus canonis, prout in ejus exemplari aderat, absolvisset, Constantinus qui in Constantinopolitana Ecclesia a secretis erat, in alio exemplari hunc ipsum canonem legit, prout a nobis in græco textu & in latinis versionibus etiamnum legitur, ubi de Romanæ Ecclesiæ primatu ne verbum quidem. (*Lab. Not. in hunc canon. com.* 2.) Altum quoque hac de re silentium in Codice Canonum Romanæ Ecclesiæ, quem Justellus exhibuit, itemque in ea canonum per Dionysium Exiguum versione quam idem Justellus Parisiis, ann. 1628. ex antiquissimis manuscriptis codicibus imprimendam curavit. Credendum ergo verba hæc, *Ecclesia Romana semper primatum habuit*, in aliquibus Romæ exemplaribus, parum idonea manu, textui addita fuisse; in sexto enim Nicæno canone omnino nec de Romani Episcopi in tota Ecclesia primatu, ac ne de patriarchæ quidem jure, sed de metropolitani jure agitur quod ei cum Alexandrino & Antiocheno Episcopis commune erat. *Ad suburbicarias Ecclesias* quod attinet, intelligendæ sunt, hoc nomine, Ecclesiæ quæ *suburbicariis regionibus* continebantur, provinciis scilicet quæ ab *urbico vicario*, hoc est, a vicario urbis Romæ pendebant, erantque provinciæ numero decem, quarum omnes Episcopos Romani Pontifices ordinabant, suaque ad concilia convocabant. Earum septem Italia, a Pado Talonem usque, insulæ Siciliæ, Corsicæ & Sardiniæ reliquas tres conficiebant. E S. Leonis Epistola decima sexta constat in more positum fuisse, ut Romani Pontifices ad sua concilia Siciliæ Episcopos convocarent. In hoc ergo canone sexto id unum agitur, ut Alexandrino Episcopo sua in Ægyptum, Libyam & Pentapolim auctoritas restituatur; auctoritas nempe quam Meletius, Lycopolis schismaticus Episcopus, ob crimina a S. Petro Alexandrino depositus usurpaverat. Videri super hac quæstione possunt Launojus, *Dissertat. de recta Nicæni* 6. *can. intelligentia*, Valesius, *Not. ad Socratem & Sozomenum*, Marca, *Lib. de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap.* 3. Sirmondus, *de Regionib. suburbicariis, cap.* 3. Scheltratius, *Parc. I. Antiq. dissert.* 2. Van-Espenius, *Jur. Eccl. univ. Tom. III. pag.* 85. & *seq.* Duguetius, in suis Dissertationibus super Nicæni Concilii Canonibus, Ecclesiasticarum suarum Collationum *Tom. II.*

7. Canon Hierosolymitano Episcopo honoris prærogativas servat quas hactenus obtinuerat; „ quoniam „ ex more, inquit, ac traditione veteri, Æliæ, seu „ Hierosolymæ episcopus in ea est possessione ut ho„ noretur, hoc honore frui perget, salva metropo„ litani qui Cæsareæ in Palæstina episcopus erat, di„ gnitate. “

Cum Titus & Vespasianus Hierosolymam funditus evertissent, imperator Ælius Adrianus aliam proxime extruendam curavit, cui *Æliæ Capitolinæ* nomen tribuit, quod adhuc ea gerebat Nicæni concilii tempore, amisitque subsecutis temporibus, ut *Hierosolymæ* nomen sumeret. Hujus igitur urbis Episcopo concilium suas honoris prærogativas servat quæ, ut videtur, prælatione supra cæteros provinciæ Episcopos continebantur; qui sane honor ei tamquam unius ex apostolicis sedibus episcopo debebatur, quin tamen aut patriarcha aut metropolitanus institueretur, ut contra Petrum de Marca Beveregius animadvertit. Solum in Chalcedonensi concilio, ann. 451. celebrato, Hierosolymitanus Episcopus, primum, tamquam Patriarcharum quintus spectatus fuit.

8. Canon rationem tradit qua Novatiani qui se *Catharos*, hoc est, Puros dictitabant, recipiendi, cum ad Catholicam Ecclesiam redibant. Ita scilicet recipiebantur, ut de scripto promitterent se omnia Ecclesiæ dogmata secuturos, & cum bigamis iisque omnibus qui in persecutione lapsi, pœnitentiam Ecclesiæ legibus præscriptam peregerant, communicaturos; is enim erat Novatianorum error, ut pœnitentiam damnarent quam Ecclesia apostatis concedebat, itemque secundas nuptias, ut ab iis proinde quicunque eas iniissent, inter adulteros rejicerentur. Statutum etiam, ut qui inter Novatianos ecclesiasticis gradibus insigniti erant, in iis, accepta manuum impositione, persisterent, quibusque in locis, seu urbibus, seu vicis, alii clerici non existebant, gradum servarent quem in ordinatione susceperant; at, subdit canon, si quis eorum in locum venerit, ubi episcopus aut presbyter Catholici adsint, evidens est fore, ut Catholicæ Ecclesiæ Episcopus episcopali dignitate gaudeat, & qui, inter jactatos Puros, *Episcopi* nomen gerit, *presbyteri* nomen obtineat, nisi forte Catholico Episcopo placeat *Episcopi* nomen ei impertiri; alioquin ei chorepiscopi aut presbyteri sedem comperiet, ut reapse in clero se prodat, ac ne duo in eadem urbe Episcopi sint.

Quæritur, an manuum impositio de qua in hoc canone sermo est, de nova ordinatione intelligi debeat, ut Novatianos in sua ipsorum secta jam ordinatos concilium rursus ordinari jusserit, perinde ac si ordinatio quam ibi susceperant, nulla & invalida omnino esset. Ita quidem Isidorus & Gratianus hanc manuum impositionem intellexerunt. Per eam voluere alii confirmationem intelligi quam Novatiani non conferebant; at hujus canonis græcus textus de manuum impositione accipi debet, ordinatione scilicet quam in sua secta Novatiani susceperant, quamque concilium ratam habet, Novatianos ita ordinatos volens, cum ad Ecclesiam redeant, in susceptis ordinibus permanere. Isidorus igitur hunc canonem male vertit, inquiens: *Ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant*; dicere debebat: *Manus impositionem acceptam habentes, sic in clero permaneant*. Ita hunc canonem verterunt & interpretati sunt Ferrandus, Rufinus, Balsamon, Zonaras, Christianus Lupus, Beveregius, Van-Espen, &c.

9. Canon eum sacerdotio privat qui citra examen ad illud evectus fuerit, aut qui, in examine, aliquorum criminum reum se ipse detexerit, quia Catholica Ecclesia eos solum sibi ministros vult quorum vitæ ratio supra omnem censuram est.

10. Præcedentis consecutio quædam est; eos nempe deponi jubet quibus in persecutione lapsis, seu per ordinantium inscitiam, seu cum eorumdem cognitione, in clero provisum fuerit.

11. Eorum pœnitentiam qui nullam vim passi, in persecutione a Fide defecerant, statuit in hæc verba: „ Cum iis qui sine metu, sine bonorum jactura, sine „ periculo, ullave alia ejusmodi causa, quemadmo„ dum sub Licinii tyrannide contigit, nuntium chri„ stiano

„ stiano nomini remiserunt, indulgentia, quamvis „ indigni sint, uti concilio visum est. Quos igitur „ ex animo pœnituerit, hi quidem, per annos tres, „ inter Auditores, licet fideles, per annos sex, in- „ ter Prostratos consistent, & per annos duos, pre- „ cum populi, quin offerant, participes erunt. “

12. Canon de alterius generis apostatis loquitur, iis scilicet qui postquam in fide firmitatem exbibuissent, & militarem potius cingulum, quam Christum desererent, exuissent, ad munia redierant quæ in exercitu obibant, eademque non sine magnis sollicitationibus, per pecuniam quoque & munera repetierant. Quia, Licinio rerum potiente, nisi abdicata fide, id facere non poterant, cum Princeps hic suis in copiis nullum, quin sacrificaret, militem pateretur; eos concilium, per annos decem, Prostratos esse jubet, postquam, triennii spatio, Auditores fuerint; at eorumdem animi præparationem & pœnitentiæ genus expendi vult. „ Qui „ enim, inquit, in timore, lacrymis, perpessio- „ nibus, bonis operibus vivunt, suamque, non ex- „ terna specie, sed reipsa, resipiscentiam osten- „ dunt; hi sane, suo Auditorum expleto tempo- „ re, precum participes esse poterunt, integrum- „ que erit Episcopo majore indulgentia cum iisdem „ uti. At qui animum promiscue se habentem ex- „ hibuerunt, putaruntque se, specie tenus, Ec- „ clesiam frequentantes, satis firmum suæ resipi- „ scentiæ argumentum præbere; hi totum tem- „ pus explebunt quod ad pœnitentiam præscriptum „ est. “

13. „ Quoad eos qui morti proximi fuerint, ve- „ terem semper & canonicam legem servari præci- „ pit, ita scilicet, ut, si quis decedat, extre- „ mo Viatico non privetur, quod adeo necessa- „ rium est, ut, quicunque in mortis articulo „ communionem perceperit & convaluerit, cum iis „ consistere debeat, qui precum participes tantum „ sunt. Universim, Episcopus, cum examine, pe- „ tentibus omnibus morti proximis Eucharistiæ parti- „ cipationem concedet. “

Per *extremum & necessarium Viaticum* de quo in hoc canone sermo est, Albaspinæus non Eucharistiam, sed conciliationem seu absolutionem intelligit quæ sola ad pœnitentis æternam salutem necessaria satisque est. Videtur tamen vero propius Eucharistiam hoc loco, Viatici nomine, a concilio significari, ut Balsamon, Zonaras, &c. censuerunt; pronuntiat enim concilium se nihil innovare velle, sed solum statuere, ut vetus & canonica lex servetur, ex qua pœnitentibus jam jam morituris, tamquam ultimum Viaticum & pacis signum, sancta Eucharistia tribuebatur. Verum quidem est olim non Eucharistiam modo quæ morientibus præbebatur, sed etiam conciliationem, absolutionem, pœnitentiæ impositionem, & generatim quicquid ad felicem mortem comparandam conferre poterat, Viatici nomine designari consuevisse; at non minus, eodem tempore, verum est Eucharistiam sæpius *Viaticum* appellatam fuisse; id nominis ei aptius magisque ad litteram convenisse; eamdemque veluti christianæ perfectionis complementum, salutis extremum pignus, & necessarium pacis cumulatæque cum Ecclesia conciliationis signum a fidelibus spectatam fuisse.

14. Canon catechumenos spectat qui in aliquod haud levis momenti erratum prolapsi erant. Mandat concilium, ut, spatio annorum trium, inter Auditores permaneant, ac deinde precibus cum iis e catechumenis vacent, qui *Competentes* appellabantur. Hi quidem precibus intererant quæ Sacrificium antecedebant, atque ita comparati erant, ut baptisma suscipere possent. Proprie Competentes, hoc est, Christi Domini gratiam conjunctim postulantes, ut Sanctus Isidorus Hispalensis loquitur, nuncupabantur.

15. Episcoporum translationes prohibet in hæc verba: “ Ob graves turbas & seditiones quæ conti- „ gerunt, statutum fuit, ut consuetudo quæ, con- „ tra regulam, alicubi irrepsit, penitus abolere- „ tur; ita scilicet, ut nullus ab una ad aliam „ urbem, seu Episcopus, seu presbyter, seu diaco- „ nus transferatur. Quod si quis, post sancti con- „ cilii definitionem, tale quidpiam aggressus fue- „ rit, id facinoris omnino abrogabitur, & ipse red- „ detur Ecclesiæ in qua Episcopus aut presbyter or- „ dinatus fuit. “

16. Super eadem materie versatur. Vetat nempe presbyteros, diaconos, & clericos unius Ecclesiæ in aliam migrare, mandatque, ut ad suas singuli diœceses redeant, excommunicationis, si renuerint, indicta pœna. Addit, si quis forte tam audax fuerit, ut eum qui ab alio pendet, asportet, suaque in Ecclesia ordinet, sine proprii a quo clericus recessit, Episcopi consensu, ordinationem omnis omnino roboris expertem fore.

17. His verbis conceptus est; “ Quia ecclesia- „ sticorum plures avaritiæ sordidæque lucri cupi- „ ditati se dedunt, divinam Scripturam quæ ait, „ *pecuniam suam non dedit ad usuram*, oblivis- „ cuntur, & cum duodecimi denarii fœnore pro quo- „ que centesimo mutuum dant, sanctum & ma- „ gnum concilium mandavit, ut si post hanc „ sanctionem, quispiam extiterit qui ex mutuo „ usuras sumat, aliquam ejusmodi negotiationem „ edat, dimidium exigat ultra sortem, aut ali- „ quod aliud inventum, ad sordidum emolumentum „ percipiendum, adhibeat, deponatur, & extra cle- „ rum mittatur. “

18. Diaconis interdicit, ne presbyteris Eucharistiam præbeant, quia contra leges & contra consuetudinem est, ut qui Sacrificii offerendi potestate non pollent, Christi Domini Corpus iis qui offerunt, impertiantur. Præterea, eosdem prohibet Eucharistiam ante Episcopos sumere, monetque eos presbyteris inferiores ministros esse debere, post hos ipses. Eucharistiam ex Episcopi vel presbyteri manu suscipere, nec in presbyterorum gradu sedere; iis vero qui huic statuto obsecuti non fuerint, ministerii quo funguntur, privationem minatur.

Hoc in canone, hæc potissimum animadversione digna sunt; 1. concilium perspicuis præcisisque verbis testari Christi Domini Corpus in Sancta Communione vere a fidelibus percipi; 2. illud in Ecclesia offerri, & quod inde consequitur, in eadem Ecclesia verum sacrificium adesse, siquidem in novo Testamento, vocabula hæc, *offerre*, *oblatio*, sacrificium designant; 3. offerendi potestatem non nisi ad Episcopos & presbyteros pertinere, omnibus aliis clericis & diaconis ipsis exclusis, ac proinde presbyterorum majorem quam diaconorum potestatem esse; 4. in Ecclesia certam quamdam hierarchiam ex Episcopis, presbyteris & diaconis conflatam existere, quemadmodum Tridentinum concilium definiit, *sess. 23. canon. 6. de Ordine*.

19. De ratione agit qua Paulianistæ, Pauli Samosateni sectatores scilicet, recipiendi. „ Quoad „ Paulianistas qui ad Ecclesiam redeunt, inquit „ concilium, decisum est eos absolute novo Ba- „ ptismate ablui oportere. Quod si eorum aliqui „ e clero aliquando fuerunt, & a reprehensione „ liberi comperiuntur, eos iterum baptizatos Ca- „ tholicæ Ecclesiæ Episcopus ordinabit; at si in- „ digni in examine perspiciantur, deponi debent. „ Servabitur eadem regula quoad diaconissas, & „ generatim quoad eos omnes qui in clero recen- „ sentur. De diaconissis est sermo quæ habitum ge- „ stantes inveniuntur; at eum hæ nullam manuum „ impositionem acceperint, omnino inter laicos refe- „ rendæ sunt. “

Mandat concilium, ut Paulianistæ rebaptizentur, quia errabant in Trinitatis fide, atque in Baptismi forma. Christum Dominum non nisi purum putumque hominem credebant, & unam personam tantum in Deo ponebant. Ad essentialem Baptismi formam quod attinet, hanc non servabant, seu quod in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti non baptizarent, seu quod nominantes Personas tres, hæreticas quasdam explicationes adderent, quæ his verbis omnem efficacitatem vimque adimebant. Diaconissæ porro erant quædam virgines seu viduæ semel nuptæ, vel etiam mulieres quædam virtute præstantes, suis a viris sejunctæ, & per continentiæ votum Deo consecratæ, quæ ecclesiastica munia quædam obibant, in id scilicet incumbebant, ut Episcopis aut presbyteris suppetias ferrent, cum feminas baptizabant; aperirent & clauderent Ecclesiæ fores, feminas erudirent, pauperes solarentur, &c. Eas Episcopus ad munia hæc per veli traditionem, per benedictionem, per manuum impositionem instituebat; & id omne, quoad eas quidem, simplex cæremonia tantum erat quæ nullam iis partem ad sacerdotium tribuebat, efficiebatque solummodo, ut de clero esse censerentur. At quæ inter Paulianistas aderant, hoc privilegio gaudere non poterant, utpote quæ manuum impositionem ab Episcopo non acceperant; easque proinde concilium ad laicorum numerum redigit.

20. Et ultimus canon consuetudinis uniformitatem restituit

ſtituit quæ ſuperioribus ſæculis obtinuerat, ut per dominicos & quinquaginta Paſchalis temporis dies erectis, non flexis genibus oraretur: „ quia ſunt, inquit, qui Paſchatis tempore genuflectant, ut nihil „ non in omnibus diœceſibus uniforme ſit, concilium „ ſtatuit, ut preces quæ Deo debentur, erecto corpo„ re edantur. “

Flexis genibus orandi ritus Chriſti Domini & Apoſtolorum exemplo nititur, qui ita compoſiti orabant, ut in ſacris codicibus legimus. Erectis tamen pedibus, diebus dominicis & Paſchali tempore orandi mos antiquiſſimus eſt in Eccleſia. De eo Tertullianus (*De Coron. Milit. cap.* 3.) tamquam de more ſua jam ætate inſtituto loquebatur. Morem hunc eadem ubique ratione, per omnes ſaltem Orientis Eccleſias, concilium ſervari jubet; eſt enim animadvertendum in Romanæ Eccleſiæ codice hunc canonem non reperiri, dataque opera omiſſum videri, quia uſus hic in Romana & forſitan in cæteris Occidentis Eccleſiis nondum receptus erat, quamvis receptus ibidem fuerit, poſtquam Dionyſius Exiguus canonem hunc ſuo codici inſeruit.

Numerat Rufinus Nicæni concilii canones viginti duos; id autem propterea quod eorum aliquos bifariam partitur. Complura tamen decreta concilium edidit quæ allatis canonibus non continentur. Ex Julii Papæ Epiſtola perſpicitur a Nicæno concilio Eccleſiæ conſuetudinem e ſcripto firmatam fuiſſe quæ in poſteriore concilio id expendi ſinebat quod prius aliud ſtatuerat. S. Auguſtinus (*Epiſt.* 213. *part.* 790. *tit.* 2.) Nicæni concilii decretum in medium affert, quod Eccleſiæ in qua Epiſcopus adhuc viveret, alterum dari prohibebat. S. Ambroſius (*Ep.* 63. *ad Eccl. Vercell. pag.* 1037.) aliud ejuſdem concilii decretum profert quod non ſolum a ſacerdotio, verum etiam e clericali omnino ſtatu bigamos arcet. Walfridi Strabonis tempore, (*Hæret. Fabul. cap.* 1.) tribuebatur Nicæno concilio verſiculus: „ Gloria Patri, & Filio, & Spiritui „ Sancto; “ at eum Theodoretus ab Apoſtolis ipſis repetit, aitque Arium qui hæreſeos ſuæ damnationem in hac formula comperiebat, “ in ea mutationem aliquam edidiſſe, ſuoſque aſſeclas ita canere voluiſſe: „ Gloria Patri, per Filium in Spiritu Sancto. “ S. quoque Baſilius hunc verſiculum in Eccleſia, ante omnem memoriam, uſui fuiſſe tradit; hujuſque rei teſtes non modo Dianium, Cæſarienſem Epiſcopum a quo baptizatus fuerat, verum etiam antiquiores Eccleſiæ doctores, ut Sanctum Clementem Romanum, Sanctum Irenæum, Sanctum Dionyſium Romanum, aliuſque plures appellat.

Tribuitur etiam Nicæno concilio canonicorum Librorum Catalogus qui a S. Hieronymo laudatus dicitur; & nihil ejuſmodi in hujus patris ſcriptis occurrit, nullumque concilium, ante Laodicenum, agnoſcitur quod canonicorum veteris & novi Teſtamenti Librorum Catalogum contexuerit. Nec fundamenti quicquam habet id quod Nicæno concilio adſcribitur, ut formatas quaſdam, *Eccleſiaſticas* dictas, Litteras inſtituerit. Altero ſcilicet Eccleſiæ ſæculo, Chriſtifidelibus, imprimis vero presbyteris, diaconis, aliiſque miniſtris tradebantur ejuſmodi Litteræ, quarum vi a locorum fidelibus, ad quæ pergebant, reciperentur, & cum iiſdem communicarent. S. Baſilius (*Ep.* 203. *p.* 301. *tit.* 3.) de his Litteris, tamquam longe Nicæno concilio antiquioribus loquitur. Sunt alia non pauca quæ Nicæni concilii nomine circumferuntur, ſed quæ tamen vel ad Sardicenſe concilium pertinent, vel ex apocryphis monumentis deprompta ſunt.

Orientis Eccleſiæ diſciplinam ſuam quibuſdam canonibus firmant quos a Nicæno concilio editos putant. Hi canones ſunt qui *arabici* nuncupantur, in Europa prorſus ignoti, ante eorumdem verſionem quam ſub decimi ſexti ſæculi finem Turrianus perficiendam curavit; at probationibus nihil infirmius quibus hi canones fulciuntur; ea nimirum omnes ad Iſidori Mercatoris Epiſtolam quamdam, ad aliam Julio ſummo Pontifici falſo adſcriptam, & ad nonnulla poſtremæ ætatis Orientalium teſtimonia rediguntur, quibus, ad priorum ſæculorum eccleſiaſticam Hiſtoriam quod ſpectat, parum aut nihil auctoritatis ineſt. Nullus coævus auctor, atque adeo eorum nullus qui, ſubſecutis ſæculis quatuor, Nicæni concilii Hiſtoriam ſcripſerunt, arabicorum canonum meminit. Præterea, canones hi vocabula plura rituſque non paucos continent quibus uſus, non niſi poſt quartum Eccleſiæ ſæculum, fuit. Octuaginta numero ſunt, a variis priorum ſæculorum conciliis expreſſi. Nicænum concilium ſynodicam Epiſtolam ſcripſit, ad Alexandrinam Eccleſiam, & ad omnes per Ægyptum, Libyam & Pentapolin fideles datam, ad quos nempe, quicquid in eodem concilio actum fuerat, potiſſimum pertinebat.

Conſtantinus imperator duas & ipſe Epiſtolas ſcripſit quæ, ratione aliqua, pro ſynodicis haberi poſſunt, quippe quæ Eccleſiis pluribus hujus concilii definitiones ſignificant. Harum prima ad omnes generatim Eccleſias data eſt, ad Alexandrinam peculiariter altera. Typis impreſſa fuit in Conciliorum Collectione quædam Epiſtola quæ fronti inſcripta præfert *Oſii Cordubenſis, Macarii Hieroſolymitani, & Victoris, & Vincentii*, Romanæ Eccleſiæ presbyterorum, & S. Sylveſtri Papæ legatorum nomina; per quam ſummum hunc Pontificem rogant, trecentorum qui Nicæam convenerant, Epiſcoporum nomine, ut in urbe Roma concilium convocet, ad Nicænum confirmandum. Huic Epiſtolæ addita eſt S. Sylveſtri reſponſio in qua Papa hic, poſtquam Nicænæ ſynodi decreta confirmavit, iis alia & ipſe nova ſubdit, at hæc monumenta duo ſuppoſita ſunt. Eorum ſtilus barbarus eſt, adeoque implicatus, ut intelligi omnino non poſſit; in iiſdem Litteris Paulinus & Julianus *Supremi Conſules* appellantur; qui ſane titulus nunquam Conſulibus tributus fuit.

Laudantur etiam Nicæni concilii acta, quorum alia e Vaticanæ Bibliothecæ manuſcripto codice ab Alphonſo Piſani deprompta, alia a Belleforeſtio latius reddita ex græco manuſcripto codice quem Franciſcus Noviliacenſis, urbis Epiſcopus, quæ Aquæ Tarbellicæ, & Conſtantinopoli orator, a Græcis monachis inſulam, quæ Chios, incolentibus emendum curaverat; ſed acta hæc authentica non ſunt, nec alia genuina agnoſcuntur quam Symbolum, Canones & ſynodica Epiſtola. Si qua enim alia hujus concilii acta extitiſſent, ea S. Athanaſius haud ſilentio prætermiſiſſet in ſua de Nicæni concilii decretis Epiſtola in qua amicis ſignificat ea ſe quæ ibidem geſta fuere, fideliter retuliſſe.

Concilium Antiochenum, ann. 331. (*)

Conciliabulum quoddam fuit ab Arianis Epiſcopis aliiſque nonnullis habitum qui ex eorum ſecta omnino non erant, quique eorumdem pravum conſilium minime noverant. In eo S. Euſtatius, Antiochenus Epiſcopus, depoſitus fuit, tamquam adulter, ex falſa accuſatione publicæ feminæ quam Ariani pecunia devicerant. Obſtitere tam iniquæ ſententiæ Catholici Epiſcopi; ſed impedire tamen non potuerunt, quin ſanctus Præſul Philippos in Macedonia relegaretur. Baluzius, *Hard. Tom. I.* Theodoretus, *lib.* 1. *cap.* 20.

Concilium Cæſarienſe, ann. 333. *ſeu* 334.

Conciliabulum hoc quoque fuit ab Euſebianis coactum in S. Athanaſium qui ei adeſſe noluit; at eum Conſtantinus ad Tyrienſe pergere juſſit.

Concilium Tyrienſe, ann. 335.

Hoc pſeudo-concilium habitum fuit menſe Auguſto anni 335. in quem imperii Conſtantini annus triceſimus incidebat. Flaccillus, Arii aſſeclarum unus, ei præfuit, tamquam Epiſcopus Antiochiæ, totius Orientis metropolis. Ad illud Sanctus Athanaſius ſe contulit, ibique calumnias, in ipſum ab Arianis excogitatas evidenter expoſuit; quod tamen non obfuit, quin eum Euſebiani deponerent, qui ejus depoſitionem Imperatori, omnibuſque Epiſcopis per Litteras ſignificarunt. *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Hieroſolymitanum, ann. 335.

Hoc ipſum Euſebianorum conciliabulum fuit, qui in eo ad Eccleſiæ communionem Arium, ejuſque omnes aſſeclas ſuſceperunt. Synodica Epiſtola quam eo conſilio ſcripſerunt, miſſa eſt ad Eccleſiam Alexandrinam, & ad omnes Epiſcopos, presbyteros & diaconos univerſi terrarum orbis. *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Con-

(*) *P. Manſi concilium hoc ad ann.* 327. *aut circiter refert.*

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 336.

Eusebiani, in hoc conciliabulo, novam in S. Athanasium calumniam excogitarunt, eum accusantes, qui minitatus fuisset se deinceps impediturum, quin triticum Alexandria Constantinopolim exportaretur. Imperator huic calumniæ fidem addidit, & se cum S. Athanasio humaniter agere credidit, quem Treverin, tunc Galliarum metropolim, relegavit. *Reg. & Lab. Tom. II.*

Concilium Romanum, *an.* 337.

Concilium hoc a Julio I. & centum sex Catholicis Episcopis, in Nicænæ fidæi & S. Athanasii favorem, habitum fuit, si Isidori Mercatoris Collectioni acquiescimus; at concilium hoc fictitium creditur, *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Antiochenum, *an.* 339.

Eusebiani, suis ut partibus præsidium quærerent, pseudo-concilium habuere; is conciliabuli exitus fuit, ut Pistus, is presbyter Mareotidis, quem ex Ecclesia tamquam Arianum S. Alexander expulerat, Alexandriæ Episcopus in S. Athanasii locum ordinaretur; at omnes Catholici Episcopi in eum anathema pronuntiarunt; & Pistus quidem non potuit sedem conscendere ad quam ordinatus fuerat. *S. Athanasius, Apolog. contra Arianos, & Epist. encycl. ad Episcopos, pag.* 116.

Concilium Alexandrinum, *an.* 339. *seu* 340.

Concilium hoc a S. Athanasio convocatum fuit, eique centum circiter Episcopi Ægypti, Thebaidis, Libyæ & Pentapolis interfuerunt. Sui Patriarchæ defensionem summa animorum consensione omnes & singuli susceperunt, in eumque finem ejus Apologiam ediderunt in eximia Epistola quam ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos datam voluerunt, & peculiariter ad Julium Papam miserunt. *S. Athanasius, Apol. contra Arianos, pag.* 123. *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, *an.* 341. *seu* 342.

Summus Pontifex Julius concilium hoc sub Junium mensem habuit. Ad illud Episcopi quinquaginta & amplius convenerant; ei S. Athanasius adfuit; eumque innocentem concilium, postquam accusationum falsitatem ostendisset, quas in ipsum adversarii congesserant, declaravit. Marcellus Ancyræ, Asclepias Gazæ, & quod vero simile fit, cæteri omnes Episcopi qui Romam venerant, ut suis se quisque sedibus ab Arianis expulsos conquererentur, restituti & ipsi fuerunt. *Reg. & Lab. Tom. II.* (*)

Concilium Antiochenum, Dedicationis *dictum*, *an.* 341.

Cum magnifica Ecclesia quam Constantinus Imperator ad an. 331. Antiochiæ inchoaverat, ad exitum post annos decem perducta esset, Constantius Imperator ejusdem filius, dedicationem ejusdem Ecclesiæ celebrare volens, in eam urbem magnum Episcoporum numerum convocavit, congregavitque. Eos SS. Athanasius & Hilarius ad nonaginta septem protendunt, etsi Sozomenus nonaginta solum recenseat, quorum plerique Catholici erant reliquis, quadraginta numero, Arianis; qui nihil aliud quærentes quam S. Athanasium persequendi occasiones, hanc arripuerunt, ut concilium haberent, minime dubitantes, quin, si id assecuti essent, ut cum orthodoxis Episcopis communicarent, eum deinde sua sede trudere facile possent. Studium igitur eo contulerunt, ut orthodoxos se ipsi exhiberent, eoque consilio, Fidei formulam, captiosam eam quidem & subdolam ediderunt quæ fecit concilii Catholicis episcopis satis, quippe qui nec recusasse cum Arianis communione jungi, nec eorum formulam rejecisse conspiciuntur. Propositæ præterea fuere aliæ Fidei formulæ duæ, quæ non alio ex capite notandæ videntur, quam quod in iis *consubstantialis* vocabulum desideratur. Canones deinde, seu decreta viginti duo super variis disciplinæ capitibus edita sunt.

Canon primus qui decreti Nicæni concilii, super celebrandi Paschatis die, confirmatio est, excommunicationis pœnam in laicos pronuntiat qui ad illud violandum animum obfirmaverunt, Episcopos vero, presbyteros & diaconos in eadem facti specie versantes concilium deponi, suisque dignitatibus spoliari vult. Eædem in eos pœnæ qui cum reis communicaverint, conferuntur.

Perspicitur ex hoc canone diaconos hierarchicarum functionum participes fuisse, quippe qui eos ponit in Episcoporum & presbyterorum numero qui Ecclesiam administrant, his verbis: *qui præesse noscuntur Ecclesiæ.*

2. Eos damnat qui ad Ecclesiam se conferentes, ut ibidem sacras Scripturas audiant, inobedientiæ prurigine, aut aliqua alia prava de causa, renuunt orare cum populo, & Eucharistiam cum cæteris sumere. Hujus generis homines ex Ecclesia trudi jubet, quoad suum peccatum confessi fuerint, ejus veniam supplices postulaverint, & pœnitentiæ fructus ostenderint. Communionem etiam cum excommunicatis iniri vetat, ea clericis indicta pœna, ut excommunicationem & ipsi subeant; nec cœtus privatis in domibus haberi vult, ut cum iis oretur qui cum Ecclesia non orant.

Fieri sane potuisse creditur, ut huic edendo canoni occasionem præberent Audientes schismatici qui eodem atque Ariani tempore cœperant; celebrabant enim cum Judæis Pascha, quin Nicænæ sanctionis rationem haberent. (*Fleurius, lib.* 12. *pag.* 279.) Cum iis non orabant qui ex eorum secta non erant, contendebantque peccata remittere per simplicem cæremoniam, quin, ex Ecclesiæ legibus, tempus ad pœnitentiam præscriptum servarent.

3. Canon suspendit a suis functionibus ecclesiasticos qui, cum Ecclesiam suam deseruerint, ut se ad alterius servitium conferrent, a proprio potissimum Episcopo revocati redire nolunt; additque fore, ut, si in inobedientia perstiterint, sine restitutionis spe deponantur, & Episcopus qui eos receperit, tamquam violator legum Ecclesiæ a concilio puniatur.

4. Mandat, ut, si Episcopus a concilio, vel presbyter aut diaconus ab Episcopo depositi se ministerio, serviendi animo ut antea, immiscere ausi fuerint, iis nulla superesit restitutionis in alio concilio obtinendæ spes, eorumdemque defensiones non amplius audiantur, atque adeo quicunque cum ipsis communicaverint, de quorum damnatione non ignoraverint, ex Ecclesia ejiciantur.

5. „ Si presbyter aut diaconus, in Episcopi sui „ contemptum, se ab Ecclesia separat, cœtum seorsim habet, erigit altare, & Episcopo, semel & iterum revocatus, obsequi renuit, absolute deponatur, „ absque ulla restitutionis spe. Si Ecclesiam turbare „ pergat, per externam potestatem, tamquam seditiosus, reprimatur. “ (Id nimirum est quod hoc tempore, implorare subsidium brachii sæcularis, a nobis dicitur). (*Fleurius, libro* 12. *pag* 280.)

6. A proprio Episcopo excommunicatum vetat ab aliis ad communionem recipi, nisi cum eo conciliatus fuerit, aut e concilio apud quod se purgaverit, absolutionis sententiam obtinuerit; & sanctio quidem hæc, subditur, non solum laicos, verum etiam presbyteros, diaconos, omnesque generatim clericos & ministros in Ecclesiæ catalogo seu matricula inscriptos spectat; quod Dionysius Exiguus latinis his verbis exprimit: *Omnes qui sub regula esse monstrantur.*

7. Prohibet advenam ullum recipi sine pacis Litteris, iis nempe Litteris quæ eumdem ab Ecclesiæ communione separatum non esse testentur.

8. Rurales presbyteros, hoc est, parochos vetat *canonicas*, seu, *formatas Litteras* dare, quæ clericis longa itinera suscipientibus tribuebantur, ut ad suarum functionum exercitationem susciperentur. Eos tamen scribere patitur ad proximos Episcopos *Litteras simplices*, ita dictas, quia nihil aliud quam clericorum quibus concedebantur, vitæ & ordinationis simplex testimonium continebant. Denique chorepiscopis qui supra omnem exprobrationem sunt, eam veniam dat, ut pacis Litteras, generales scilicet, dent.

Recidit canon hic ad Ecclesiæ præsentem praxim quæ parochos sinit pacis testimoniales Litteras, hoc est, dimissorias clericis dare.

9. Urbis Episcopo, quæ cujusque provinciæ caput est, tribuit metropolitani jus quod explicat in hunc modum: „ Episcopi cujusque provinciæ scire debent „ metropolis Episcopum totius etiam provinciæ cu„ ram suscipere, quia quicunque habent negotia, un„ dique, ad metropolin veniunt; quamobrem judica„ tum est oportere, ut hic eos honore præcedat, ni„ hilque quod alicujus momenti sit, sine eo cæteri „ faciant, ex veteri a patribus nostris servata regu„ la. Episcopus quisque in propriam tantum diœce„ sin

(*) *Huic concilio adscribitur Indictio* 15. *Hoc primum loco invenitur apud Latinos hæc inscribendi ratio.*

„ sui potestate gaudet, eamque ex conscientia regere „ debet. Potest is quidem presbyteros & diaconos ordinare, & privatæ negotia judicare: at præterea nihil aget Episcopus, sine consensu metropolitani, „ nihilque metropolitanus aget, sine cæterorum provinciæ Episcoporum consensu. “

Ex hoc canone cujus magna ad tricesimum quartum Apostolorum canonem ratio est, licet intelligi, 1. metropolim ecclesiasticam civili metropoli addictam esse; 2. magna negotia quæ universam provinciam spectabant, inconsulto metropolitano, pertractari non consuevisse; 3. Episcopum quemque in sua diœcesi dominum esse.

10. Chorepiscopos spectat, & quamvis episcopalem ordinationem per manuum impositionem acceperint, eos tamen intra suæ potestatis limites consistere vult, & satis habere sibi demandatas Ecclesias regere; eosdem sinit ordinare lectores, subdiaconos & exorcistas, non item presbyteros aut diaconos, sine urbis a qua pendent, Episcopo. Denique chorepiscopum ait ab urbis Episcopo ordinari debere.

11. Prohibet Episcopis aliisque clericis, depositionis & privationis communionis indicta pœna, ne sine consensu & Litteris Episcoporum provinciæ, & metropolitani potissimum, ad Aulam se conferant; quod si sua eos negotia, ut Imperatorem adeant, impulerint, id e metropolitani & comprovincialium sententia, eorumque Litteris muniti facere poterunt.

12. Venia indignum declaret, privatque restitutionis spe presbyterum aut diaconum qui ab Episcopo, aut Episcopum qui e concilio depositi, ut restitutionem obtinerent, non quidem ad frequentius concilium, sed ad Imperatorem perrexerint.

Socrates & Sozomenus nos certos faciunt S. Joannem Chrysostomum, hujus canonis vi, depositum fuisse ab Episcopis apud quos eum Eudoxia, Imperatoris Arcadii conjux, in jus accitum voluerat. Eum Episcopi dixere dignum esse qui rursus deponeretur, quia semel depositus in suam Ecclesiam regressus erat, quin apud concilium eo frequentius a quo damnatus fuerat, se purgaret; nullamque rationem habuere defensionum sancti Præsulis, qui reponebat Episcopos sexaginta quinque qui cum eo communicaverant, postquam depositus fuerat, judicasse eum suam in Ecclesiam regredi posse; &, quem opponebant, non Catholicæ Ecclesiæ, sed Arianorum canonem esse qui eum in S. Athanasium ediderant quem ab eorum Tyriensi conciliabulo depositum Constantinus Junior, absque novæ synodi judicio restituerat; quod auctorum nonnullos permovit, ut crederent Antiocheni concilii canonem qui ad S. Joannem Chrysostomum deponendum adhibebatur, alium ab hoc fuisse, propterea quod, si ab Arianis editus esset, non eum Ecclesia inter suos veros canones recepisset; et multo probabilius est unum eumdemque canonem esse, qui licet, pravo consilio, ab Arianis, S. Athanasii hostibus, editus, ab Antiocheni tamen Concilii Catholicis Episcopis, quemadmodum etiam a tota deinceps Ecclesia approbatus fuit, quia nihil non ipsum per se rectum continet, ac disciplinæ caput quod statuit, cum ratione apprime cohæret.

13. Canon Episcopum vetat, sub nullitatis & depositionis pœnæ, ordinationes, aut ulla ecclesiastica negotia in aliena Diœcesi peragere, nisi eo per metropolitani, cæterorumque provinciæ Episcoporum Litteras appellatus sit.

14. Mandat, ut, si forte provinciæ Episcopi super accusati Episcopi judicio secti sint, eum aliis innocentem, aliis reum judicantibus, metropolitanus, ad judicandum finiendumque negotium, a proximæ provinciæ Episcopis aliquos convocet.

15. Mandat, ut, si Episcopum comprovinciales, una omnes voce, damnaverint, is quidem ab aliis judicari non possit, & hoc judicium suam omnem vim & robur obtineat.

Canon hic antecedentis veluti supplementum est. In eo scilicet, perinde atque in Nicænis canonibus, aliisque pluribus statutum fuerat, ut Episcopi in suæ provinciæ concilio definitive judicarentur, ac si forte suffragia secta essent, a proximæ provinciæ Episcopis aliqui convocarentur. In hoc autem decisum est, ut, si Episcopus, unanimi consensu damnatus fuit, judicio sua vis omnis roburque sit, quin vel a proximæ provinciæ Episcopis, vel a frequentiore concilio infirmari possit. Ita quidem canon hic accipi debet, nonnullorum auctorum sententia, qui utpote & ipsum, in S. Athanasii odium, ab Arianis editum, a S. Joanne Chrysostomo, & a Summo Pontifice Innocentio I. rejectum ajunt. Putant alii per hunc canonem non ad frequentius concilium appellationem, sed solum proximæ provinciæ Episcoporum, in proposita facti specie, convocationem prohiberi.

16. Episcopum qui omni prorsus episcopatu carens, vacantem sedem, sine legitimi concilii auctoritate usurpavit, ex Ecclesia cujus potitus est, expulsum vult, etiamsi totus ejus Ecclesiæ populus eum sibi episcopum deligeret. Addit canon hic legitimum, seu integrum concilium illud esse in quo provinciæ metropolitanus adest.

17. Excommunicatum declarat Episcopum qui renuit se ad Ecclesiæ servitium conferre, in cujus gratiam ordinatus fuit, quoad peruerit, aut aliter a provinciæ concilio statutum fuerit.

18. Episcopum vult, si minus ejus culpa sit, ut ne suam ipse Ecclesiam adeat, sed quia ejus Ecclesiæ populus renuit eumdem recipere, vel ob ejusmodi causam aliam, episcopatus honore & functionibus in Ecclesia gaudere, in qua versabitur, ea conditione, ut eam ne turbet, se negotiis immiscens quæ ad eam spectant, tranquilleque id expectet quod provinciæ concilio de eo decernere visum fuerit.

19. Non ordinabitur Episcopus nisi in concilio, eoram metropolitano, omnibusque provinciæ Episcopis quos metropolitanus per Litteras convocare debet. Omnes & singulos adesse præstat; at si difficile fuerit, ut saltem plerique adsint, suumve consensum per Litteras, vel aliter præbeant, ordinationi nulla vis inerit; si vero secundum hanc regulam peracta fuerit, nonnullique ex pervicacia repugnaverint, major suffragiorum numerus prævalebit.

Concinit canon hic Nicæno quarto, quod ad electionis & ordinationis Episcopi formam attinet. Unum est animadvertendum, cum declarat ordinationi quæ contra formam quam præscribit, peragatur, nullam vim nullumque valorem fore, non significari ejusmodi ordinationem fore *nullam invalidamque*, ordinatumque non suscepturum characterem episcopalem; sed id unum significari ejusmodi ordinationem fore *illicitam & illegitimam*, Episcopumque ab episcopatus functionibus suspensum fore, quippe qui illegitime, tametsi non invalide, ordinatus esset.

20. Provinciæ concilia duo, pro Ecclesiæ rationibus, & ad finienda litigia, quotannis haberi vult; primum, in hebdomada post Pascha; alterum, idibus Octobris, decima quinta scilicet hujus mensis die. Presbyteri, diaconi & quicunque aliquam sibi illatam injuriam putabant, ad hæc concilia confugere poterant, in iisque jus iisdem reddi oportebat; at peculiaria concilia cogi, sine metropolitanis, haud licebat.

21. Episcopum ab uno ad alium episcopatum migrare non vult, ita scilicet, ut vel in eum ultro ipse se ingerat, vel populi violentiæ, aut necessitati ab Episcopis impositæ cedat; sed eum, e contra, in Ecclesia permanere jubet, quam a Deo, portionis suæ loco, primam accepit.

Ex hoc canone, quemadmodum ex Nicæno decimo quinto & Sardicensi primo constat, quam olim ab uno ad alium Episcopatum transmigrationes odiosæ fuerint.

22. Vetat Episcopum in alterius diœcesi, sine ejus venia, quicque aggredi, ullamve ordinationem peragere; aliter, quicquid egerit, nec vi, nec valore pollebit.

23. Episcopum, vel in morte, sibi successorem dare prohibet, & nominationem hac ratione factam nullam declarat, eum solummodo ad episcopatum, ex Ecclesiæ regula, evectum volens qui post ultimi decessum, per Episcoporum judicium qui in concilium convenerint, dignus compertus fuerit.

24. Temporalibus Ecclesiarum servandis bonis consulit in hæc verba: „ Sua bona serventur Ecclesiæ, „ qua fieri cura & fide potest, ante Deum qui nihil „ non videt & judicat. Ea sunt administranda, Episcopi judicio & auctoritate, cui totus populus animæque concreditæ fidelium sunt. Quod ad Ecclesiam pertinet, peculiariter presbyteris & diaconis „ eum circumstantibus notum esse, eosque nihil latere debet; ut, si Episcopum decedere contigerit, „ perspectum sit id quod ad Ecclesiam spectat, ne „ quid pereat, aut dissipetur, neve peculiaria Episcopi bona, specie negotiorum Ecclesiæ, implicentur; „ justum enim apud Deum & apud homines est, iis „ Episcopi propria bona relinqui, in quorum gratiam „ is ea disposuerit, & quod Ecclesiæ est, eidem servari. Nullum ea damnum patiatur, oportet, nec „ prætexatur ejusdem ratio, ut Episcopi bona proscribantur, iis molestiæ qui ad eum pertinent, afferantur, ejusque memoria odiosa reddetur. “

Perspicitur ex hoc canone, discrimen quod a nobis inter Ecclesiæ bona & ea ponitur quæ patrimonia-lia,

lia, seu propria ecclesiasticorum sunt, ex longissimo tempore notum esse. Perspicitur etiam, ex veteri disciplina, episcopalis urbis presbyteros & diaconos qui episcopo ad latus erant, qui scilicet addicti quasique inhærentes ejus cathedræ dicebantur, repræsentasse senatum Ecclesiæ, qui eam una cum Episcopo administrabat, quique ejus curam, episcopali sede vacante, sumebat. Huic ipsi presbyterorum & diaconorum senatui successerunt cathedralium Ecclesiarum Capitula.

25. Canon regulas in usu bonorum Ecclesiæ servandas præscribit. Eorum dispositionem relinquit Episcopo, ut ea distribuat in omnes qui opus habent, ex condicto cum presbyteris & diaconis, sibique ipsi, prout indiguerit, siquidem reapse indiguerit, ex iisdem sumat, & per ea fratribus quos hospitalitate complectitur, ita consulat, ut iisdem nihil omnino desit. Addit canon, Episcopum, si eo non contentus quod ipsi necessarium est, Ecclesiæ bona, presbyteris & diaconis insciis & inconsultis, in suum privatum usum detorserit, tributa domesticis, consanguineis, fratribus, aut filiis auctoritate, ita quidem, ut Ecclesiæ negotiis detrimentum clam afferatur, provinciæ concilio rationem redditurum. Quod si cæteroquin Episcopus aut presbyteri fama laborant, tamquam trahentes ad proprium commodum Ecclesiæ bona, ut pauperes damnum sentiant, tum quoque ipsi, ex concilii judicio, corrigentur.

Videtur canon hic Episcopo, &, quod inde consequitur, aliis clericis usum bonorum Ecclesiæ tum solum concedere, cum iis opus habent, nec possunt aliunde subsistere; at satis perspicue statuit clericos non esse redditųum dominos, qui ex eorum beneficiis aut stipendiis derivantur, iisque ad pia opera uti debere, ne dum eosdem temere dissipare.

Putant auctorum aliqui (*Natal. Alex. Sæc. IV. Diss. 25. Tillem. T. 6. p.* 755. *Hermant, in vita S. Athanasii, tom.* 1. *p.* 715.) hos canones viginti quinque in Antiochenis conciliis pluribus editos, & huic an. 341. habito perperam tributos fuisse. Nituntur, 1. longe maxima canonum duorum decimi tertii & vicesimi secundi similitudine, qui scilicet in uno eodemque concilio editi non videntur, quia prorsus eamdem rem continent, nec differunt nisi verbis. Ajunt 2. vero simile omnino non esse hæreticos qui Ariani erant, canones edidisse qui tam puras tamque severas præscribunt agendi regulas, cujusmodi sunt qui Episcopos prohibent se ad Principis aulam conferre, & ab una sede ad aliam migrare. At, 1. canones duo, decimus tertius & vicesimus secundus adeo similes affinesque sunt, ut duobus conciliis tribui possint; inter eos, quæcunque tandem cognatio sit, essentiale tamen discrimen occurrit; agitur, in decimo quidem tertio, de diœcesi per mortem vacante, in vicesimo autem secundo, de diœcesi reapse repleta; ex quo fit, ut decimus tertius vetet Episcopum ullas in diœcesi, ita per mortem vacante, functiones edere, sine metropolitani & comprovincialium Litteris, quia hi sane mortui Episcopi locum tenent; cum ad episcopales functiones in diœcesi reapse repleta peragendas, ejusdem solum diœcesis Episcopi venia opus sit.

Quod attinet ad disciplinæ puritatem quæ in Antiochenis canonibus continetur, nec impossibile nec mirum est Episcopos hæreticos qui Catholici haberi volunt, de disciplinæ puritate, saltem specie tenus, sollicitudinem exhibere, ita scilicet, ut idoneas rectasque sanctiones edant ipsi, vel edi sinant, præsertim cum iis peculiares rationes suppetunt, cur ita se gerant, nec desunt speciosæ causæ, quamobrem se legibus eximant quas aliis imponunt. Ejusmodi erant in Antiocheno concilio Eusebiani. Se ibi Catholicos venditare studuerunt; eorumque intererat haud repugnare decretis quæ Catholici Episcopi qui in eo concilio, quam ipsi, numero plures aderant, ad rectam disciplinæ rationem proposuerunt. Cum id in animo haberent, ut omnino S. Athanasium opprimerent, nonne utile iisdem erat vetare Episcopos ad Aulam pergere, & mandare, ut Episcopus a concilio depositus qui, post depositionem, se in ministerium ingerere ausus esset, non amplius restitui posset? Constans firmumque habeatur, oportet, Antiochenos canones de quibus hoc loco agitur, unius ejusdemque concilii esse, ejus nempe quod Antiochiæ an. 341. habitum est; hoc enim titulo in omnibus, seu græcis, seu latinis Conciliorum Collectionibus comperiuntur, quin ullum vel levissimum vestigium detegi possit quod suspicandi locum tribuat eos ad alia concilia spectare. Conspiciuntur, hoc titulo, in Dionysii Exigui Collectione: *Incipiunt exposita apud Antiochiam in Encæniis XXV.* Hanc Dionysii Exigui Collectionem a Romana Ecclesia adoptatam esse non latet. Multo ante, Canonum codici inserti fuerant, ut Chalcedonensis concilii acta probant. Debet ergo videri portento simile notatum a Barenio Gratianum fuisse qui hoc Antiochenum concilium inter concilia a Catholicis habita retulisset, quandoquidem, multis ante Gratianum sæculis, ejusdem concilii canones orientalis & occidentalis Ecclesia receperat. Emmanuel Schelstrate super hoc concilio Commentarium dedit quod in 4. Antuerpiæ impressum fuit. Cum orthodoxi Episcopi id in ordinem redegissent, quod fidem & disciplinam spectabat, ad suas quisque Ecclesias rediere; at Eusebiani Antiochiæ perstiterunt, ibique conciliabulum tenuerunt in quo S. Athanasium rursus damnarunt, & Alexandrinæ sedi Gregorium cognomento Cappadocem imposuerunt. Canonem etiam in hoc concilio cuderunt in quo expressis verbis statuitur, „ ut Episcopus, aut presbyter, *seu juste, seu injuste* depositus qui ausus fuerit, absque *synodi* judicio, suam in Ecclesiam regredi, in perpetuum expellatur, quin amplius ad suam innocentiam probandam admitti possit. “ *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Vide etiam Ceillerium, Ecclesiasticorum Auctorum Histor. *Tom. IV. pag.* 646. & sequentibus, & Van-Espenium, *Jur. Eccles. univ. Tom. III. p.* 128. & sequentibus.

Concilium Romanum, an. 342.

Summus Pontifex Julius, una cum suis comprovincialibus, habuit concilium hoc in quo S. Athanasius iterum purgatus fuit. *Ref. & Lab. Tom. II.*

Primum Antiochenum, an. 345.

Eusebiani, quasi eos rerum pœnituisset quas hactenus gesserant, Antiochiam convenerunt, ibique novam fidei formulam ediderunt quæ *macrostica*, seu longis lineis exarata, ob longitudinem, dicta fuit. In ea fit credendi professio Christum Dominum Deum de Deo, & in rebus omnibus Patri similem esse; at ibidem nunquam de *substantia*, aut de *consubstantiali* sermo est. Formulam hanc Eusebiani in Italiam miserunt per deputatos qui Mediolani in concilium congregatos Occidentis Episcopos comperer unt. (*Concilium Mediolanense an.* 345. *seu* 346.) Imperator Constans & S. Athanasius ibidem aderant. Occidentales ei novæ formulæ subscribere recusarunt. Id unum, nihilque præterea de hoc Mediolanensi concilio innotescit quod an. 345. seu 346. habitum est (*). Ponitur sub idem tempus, an. scilicet 349. concilium in urbe Colonia, in quo fertur Euphratas, hujus urbis Episcopus Gallorum vigintiquatuor Episcoporum suffragio, quod cum Photino docuisset Christum Dominum non Deum, sed purum putumque hominem esse. (*Concilium Coloniense, an.* 346. *suppositum*) Hujus concilii acta quæ D. de Marca, P. Petavio, aliisque nonnullis superioris sæculi doctis viris authentica visa sunt, hoc jam tempore propemodum a nemine non rejiciuntur. Prima ratio nititur barbaro horum actorum stilo qui IV. sæculo parum congruit quo humaniorum litterarum decrementum non ita longe adhuc abierat. Præterea, si Euphratas, ab an. 336. ad 346. hæresin quæ eidem apponitur, venditasset, in eum S. Athanasius & S. Hilarius stilum acuere non neglexissent, quod tamen neuter præstitit. Verum quidem est hac de re, in S. Maximini Historia, (*Apud Surium, ad diem* 29. Maji, *t.* 5. *p.* 324.) a Lupo de Ferrieres mentionem fieri; at auctor hic non nisi an. 839. scribebat, annis amplius quadringentis & quinquaginta ab Euphratæ morte. Quod autem multo majoris momenti est, Euphratas qui tamquam hæreticus, & tamquam homo plurium criminum reus, an. 346. depositus fertur, non solum tamquam Catholicus, anno sequente, in Sardicensi Concilio, cum omnibus Episcopis qui eum Coloniæ damnaverant, si S. Sanctinius Verodunensis, cujus nomen in Sardicensibus subscriptionibus non legitur, excipiatur, receptus fuit; sed etiam, cum Vincentio Capuensi, ab ejusdem concilii Episcopis deputatus, ut Imperatorem Constantium adiret, S. Athanasii omniumque Episcoporum quos e suis sedibus Arianorum factio expulerat, restitutionem ab eo petiturus. Eratne tam honorificæ legationi idoneus qui ob mores & ob doctrinam damnatus fuerat? Duos Euphratas extitisse respondent qui deinceps Coloniensem sedem tenuerunt, an. 346. damnatum unum, a Sardicensi concilio ad Constantium, an. 347. legatum alterum:

(*) *P. Mansi concilium hoc sub anni 342. finem collocat, & Mediolanense ad an. 344. refert.*

ſerum; at hanc narrationem ſine probatione propoſitam evertunt monumenta ipſa quibus utuntur qui eam proponunt; in Vitis enim (*Apud Surium, ad 29. Maji, t. 5. p.* 324.) tam S. Severini, quam S. Gervaſii legimus horum ſanctorum Præſulum primum in Euphratæ depoſiti locum ſuffectum, & ab eodem Colonienſi concilio ordinatum fuiſſe. *Reg. & Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, in ſacrorum & Eccleſiaſticorum Auctorum Hiſtoria, *Tom. IV. pag.* 663. *& ſeq.*

Sardicenſe, in Illyria, Concilium, an. 347.

Cum Imperator Conſtans pro œcumenici concilii convocatione ad fratrem Conſtantium ſcripſiſſet, inter eos convenit, ut illud Sardicæ quæ Illyriæ urbs, & Daciæ metropolis, tam ex Orientis quam ex Occidentis Epiſcopis cogeretur. Concilium, Ruffino & Euſebio conſulibus, undecim poſt Conſtantini Magni mortem annis, ſcilicet an. 347. poſt Maji diem 22. initium habuit; conſtabat hoc ex provinciis amplius triginta quinque, Orientalibus haud numeratis qui receſſerunt. De numero veteres non conſentiunt; Socrates & Sozomenus trecentos circiter ex Occidente, & ſeptuaginta ſex ex Oriente recenſent; centum ſeptuaginta tam ex Oriente quam ex Occidente S. Athanaſius enumerat; at non videtur Euſebianos enumeratione complexus, qui, re quidem vera, venere Sardicam, numero viginti quatuor; at, quin concilio ſe ſiſterent, abtere, quia, ut ad illud accederent, S. Athanaſium aliosque Catholicos Epiſcopos quos ipſi depoſuerant, excluſos volebant; quod obtinere non potuerunt; adeoque haud longe abeſt a Theodoreto qui ducentos quinquaginta omnino refert, quemadmodum, inquit, ex veteribus monumentis compertum ſit. (*Hiſt. Eccl. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 558.)

Magnus Oſius, Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, tamquam hujus concilii pater, caput & præſes ſpectatus fuit. Hunc S. Athanaſius (*Hiſt. Arian. ad Monach. p.* 352. 353.) ejus modo primum, in quo eumdem ſequitur Theodoretus, modo patrem appellat; is nimirum encyclicæ, eique quam concilium ad Julium Papam dedit, Epiſtolæ primus ſubſcribit; Presbyteri Archidamus & Philoxenes, tamquam Julii Papæ nomine, cujus legati erant, ſubſcribentes, poſt eum nominantur. Erant in concilio pertractanda capita rerum tria. Fidem ſpectabat primum; ab Euſebianis accuſatos Præſules alterum; crimina & violentias tertium, de quibus Euſebiani ipſi accuſati erant. Quoad primum, renuit concilium novi quicquam agere ſuper fide, & quemque hac in re Nicæno Symbolo ſtare voluit. Quoad alterum, ad maturum examen revocata S. Athanaſii aliorumque Catholicorum Epiſcoporum cauſa, innocentes concilium eos declaravit. Denique, quoad tertium, Euſebianorum antesignanos, tot calumniarum auctores, aliorumque plurium criminum reos depoſuit & anathemate perculit. Edidit deinde ſuper diſciplina canones, numero viginti ex græco textu, ex latino autem viginti unum, qui quidem textus aliam diviſionem, adeoque ordinem alium ſecutus eſt. Non editi ſunt hujus concilii, ut aliorum canones in legis modum; Oſii & aliquot præterea Epiſcoporum propoſitiones quædam ſunt, totius concilii conſenſione firmatæ.

Primus his verbis conceptus eſt; „ Oſius Epiſcopus „ dixit: abolere pravum morem & pernicioſum abu„ ſum oportet, prohibitis Epiſcopis ab una ad aliam „ ſedem migrare, qua de cauſa conſtat ob quam ita „ ſe gerunt; & quia caret exemplo, quempiam Epi„ ſcoporum ſe magno epiſcopatu, ut parvum ſumeret, abdicaſſe, ſatis oſtendunt ejuſmodi tranſlatio„ nes eorumdem avaritiæ & ambitionis effectum eſſe, „ quamobrem, ſi vobis in votis eſt, ad hunc abuſum „ acrius puniendum, a laica communione, qui ejus „ rei fuerint, arcendi ſunt. “ Omnes ad unum PP. reſponderunt: „ ita nobis placet. “

2. Canon. Oſius ſubdidit: „ Si quis eo temeritatis „ abierit, ut ſe velit excuſare & aſſerere ſe populi „ Litteras accepiſſe, palam eſt eorum plures quorum „ haud ſincera fides eſt, pecunia corrumpi potuiſſe, „ ut ei acclamatio in Eccleſia conquæreretur, eum„ demque multitudo ſibi Epiſcopum peteret. Has igi„ tur technas omnino damnari neceſſe eſt, ita ſcili„ cet, ut qui ejuſmodi eſt, ne in mortis quidem ar„ ticulo, laicam communionem percipiat; id manda„ te, ſiquidem approbatis; “ Totum concilium reſpondit: „ approbamus. “

Ad hunc canonem intelligendum, ſciendum eſt in Epiſcoporum ſelectione magnam olim populo partem fuiſſe, eumque quem is petiiſſet, ordinari conſueviſſe; ut proinde contingeret ab Epiſcopo quem ad ditiorem epiſcopatum trahebat ambitio, nequam aliquos ejus Eccleſiæ chriſtianos homines promiſſis, aut numerata pecunia corrumpi, qui eum poſtularent, ad eumdemque invitationis Litteras mitterent. Id nempe concilium improbat, laica, vel ad mortem, communione privans Epiſcopos qui pravæ hujus machinationis rei fuerint; erat hæc ſane gravis admodum pœna, & in Oriente quidem ignota, ſed quæ tamen idololatriæ, homicidii, vel adulterii criminum reis, in aliquibus Occidentis Eccleſiis, imponebatur. (*In cap.* 2. *de Elect.*) Canonem hunc retulit S. Raymundus, ſui temporis diſciplinæ eumdem accommodans per hanc parentheſin (*niſi de hoc pœnituerit*,) quam ipſe non ſolum contra omnium græcorum latinorumque exemplarium textum, verum etiam contra conſtantem veteris Decretalium Collectionis locutionem, contraque canonis apertum ſenſum & mentem addidit. In quodam etiam hujus concilii manuſcripto exemplari quod extat in Bibliotheca D. de Thou, poſt verbum, *placet*, legitur additio hæc: *in exitu communionem laicam conſequantur*.

3. Canon vetat Epiſcopos a ſua ipſorum provincia ad aliam, in qua Epiſcopi adſunt, migrare (quod Zonaras explicat, „ ut eccleſiaſtica munia ibidem „ obeant “); niſi illuc, ait canon, a confratribus acciti fuerint; neque enim charitati januam claudere volumus. Addit, ſi inter ejuſdem provinciæ Epiſcopos duos coortum diſſidium fuerit, neutrum poſſe alterius provinciæ Epiſcopum ſibi arbitrum ſumere. Pergit, atque: „ Si Epiſcopus, poſtquam damnatus „ fuit, adeo de recto ſuo jure ſe certum putat, ut „ iterum in concilio judicari velit, honoremus, ſi„ quidem vobis videtur, S. Petri memoriam; qui „ nempe cauſam examinarunt, ad Julium, Romæ „ Epiſcopum ſcribant; judicium, ſi is renovandum „ crediderit, renovetur, & ipſe judices det: ſi minus „ ei viſum fuerit novo judicio locum eſſe, id ſerva„ bitur quod ipſe ſtatuerit. “

Hæc poſtrema canonis pars quæ ad Romanum Epiſcopum appellationem inſtituit, quartum in Iſidori verſione canonem conficit; & hoc ſane ipſum animadverſione dignius, gravius, inſigniuſque eſt Sardicenſis Concilii caput. Ut autem ejus notionem occaſionemque probe aſſequamur, in animum nobis revocemus, neceſſe eſt, Sardicenſe concilium potiſſimum in S. Athanaſii, aliorumque Catholicorum Epiſcoporum gratiam quos Ariani oppreſſerant, coactum fuiſſe. Concilii Patres qui fere omnes Occidentales erant, Catholicis Orientis Epiſcopis favere volentes, eorum cauſam, quoad fieri poſſet, in Occidentem trahere ſtatuerunt; &, quia nemo erat qui melius judicare poſſet, quandonam Epiſcoporum cauſas rurſus agi oporteret, quam Epiſcopus urbis Romæ, S. Petri ſucceſſor, Oſius, ad honorandam S. Apoſtoli memoriam, propoſuit, ut de S. Athanaſii, aliorumque Catholicorum Epiſcoporum qui, ut is, ab Arianis opprimebantur, negotio ad Papam Julium ſcriberetur; qua in re Petrus de Marca (*Lib.* 7. *de Concord. Sacerdot. & Imper. cap.* 8. §. 8.) animadvertit Oſium S. Petri memoriam honorandam propoſuiſſe, ut concilii Patres ad ſuum novo juri quod inducere volebat, aſſenſum præbendum facilius pertraheret. Oſii propoſitionem alii ad appellationem ad Julium Papam, Sardicenſis concilii tempore regnantem reſtringunt, contenduntque hujus Epiſcopi mentem non nam fuiſſe, ut novum & permanens jus inſtitueret. Ad hujus proinde reſtrictionis imaginem expungendam, Papæ Julii nomen in ſua Collectione Iſidorus omiſit; conſtat enim hanc Iſidori Collectionem eo conſilio confectam fuiſſe, ut Romanæ Sedis poteſtas amplificaretur. Utut res habeat, ſententiæ a provinciæ concilio latæ judicium haud Romanæ urbis Epiſcopo defert Sardicenſis canon; id unum vult eum conſuli, ut intelligatur, iterum, necne, ſit expendenda cauſa per hujus concilii judicium finita; ut proinde, ſi ei viſum fuerit novo examine opus eſſe, ad hoc examen ipſe judices nominet; ſecus, latum judicium ſubſiſtat.

4. Canon: „ Gaudentius Epiſcopus ait; ſi concilio „ videtur, huic canoni addendum eſſe impediri opor„ tere, ne Epiſcopus a provinciæ concilio depoſitus „ petenſque, ut ipſius cauſa ad Romanam ſedem de„ feratur, expolietur, neve alius in ejus locum, an„ tequam Papa ſuper ejus cauſa novæ diſcuſſioni ſub„ denda pronuntiaverit, ordinatur. “ Hic hujus canonis ſenſus eſt, tum ejus qui antecedit, tum ejus qui ſequitur, ratione habita.

In 5. canone, Oſius ita loquitur: „ cum Epiſcopus „ a provinciæ concilio depoſitus appellaverit confugeritque ad Epiſcopum urbis Romæ, hic ſane ſi ne„ gotium rurſus examinandum cenſuerit, ad proximæ „ provinciæ Epiſcopos ſcribet, ut ejus ipſi judices „ ſint; quod ſi Epiſcopus depoſitus perſuaſerit Epiſco-

„ po

„ po Romæ, ut presbyterum mittat qui eum comi-
„ tetur, id facere poterit, & commissarios mittere,
„ ut ejus auctoritate cum Episcopis judicent; at si
„ Episcopos ad negotium finiendum satis esse credi-
„ derit, quod sua ei sapientia suggeret, id faciet. "
Canon 6. pronuntiat, „ cum omnes provinciæ Epis-
„ copos electi Episcopi ordinationi adesse necesse sit,
„ si quis per negligentiam desit, metropolitanum de-
„ bere ad eum hac de re scribere, eumdemque expe-
„ ctare. Quod si non venerit, ac ne per litteras qui-
„ dem excusationes suas exposuerit, ad ordinationem
„ procedendum. "

7. Canon Episcoporum institui vetat in parvis urbibus, ubi presbyter sufficit, aut in locis in quibus Episcopus ab antiquis temporibus nullus fuit, nisi aliter loci postulet amplificatio.

Canon hic consectario præcedentis est, unumque cum eo conficit in græco textu quem Dionysius Exiguus & Isidorus secuti sunt.

8. Canon de longis crebrisque Episcoporum ad Aulam itineribus queritur; eumque Osius ita proposuit:
„ Importunitas nostra, nostræ assiduitates, nostræque
„ injustæ postulationes existimationem nobis adimunt
„ qua gaudere deberemus; sunt enim Episcopi, pecu-
„ liariter Africani qui ad Aulam pergere non desi-
„ stunt. Fratris nostri Grati (erat is Carthaginis Epis-
„ copus, concilio præsens), quemadmodum non igno-
„ ramus, utilia ad salutem consilia contemnunt. "
Osius prosequitur: „ Negotia quæ ad Aulam deferunt,
„ nulli utilitati sunt Ecclesiæ. Munera scilicet digni-
„ tatesque sæculares petunt in aliorum gratiam. Id de-
„ cet honestumque est, ut Episcopi pro viduis, aut
„ spoliatis orphanis intercedant; ad Ecclesiam enim
„ sæpe confugiunt qui vexationem patiuntur, aut rei
„ ad exilium aliamve pœnam damnati. Mandate ergo,
„ si vobis placet, ut Episcopi, ob has tantum causas,
„ aut tum solum cum ab Imperatore per Litteras ac-
„ citi fuerint, ad Aulam se conferant. " Una omnes
voce dixerunt; „ Ita volumus; ita mandetur. "

In 9. canone, ita Osius: „ Ut Aulæ adeundæ ansa Episcopis adimatur, satius est eos qui charitatis negotia habebunt quæ sollicitent, id facere per diaconum cujus præsentia minus odiosa erit, quique poterit responsum afferre promptius. „ Ita quidem statutum fuit,
„ additumque necesse fore, ut Episcopi cujusque pro-
„ vinciæ tum postulata, tum diaconum ipsum cui ea
„ demandaverint, ad metropolitanum mittant qui ei-
„ dem tribuat commendationis Litteras ad urbium
„ Episcopos missas, in quibus Imperator versabitur.
„ Quod si Episcopus in Aula amicos habet, non im-
„ peditur, quin per suum ipse diaconum iis honestum
„ & æquum aliquod negotium commendet. "

10. Canon ejusmodi est (*): „ Qui Romam vene-
„ rint, sibi demandatas postulationes ad Romanum Epis-
„ copum deferent, ut expendat, an justæ & honestæ
„ sint, tum vero id sibi sumat, ut easdem ad Aulam
„ mittat. " Plauserunt ad unum omnes. Episcopus Alipius addidit causæ aliquid Episcopis fore, ut ad Aulam pergerent, siquidem ad viduarum, orphanorum, &c. solatium eo se contulerint; at nullam necessitatem subesse, cur odiosa quædam & vituperabilia, ut consueverant, petituri illuc iter instituant.

11. Canon a Gaudentio, Naissensi in Mysia Episcopo propositus depositionis pœnam in Episcopos statuit qui in superioribus canonibus præscriptas regulas non servaverint.

12. Canon restrictionem continet quam Osius præcedenti canoni apposuit, ut nempe qui, antequam de hoc concilii decreto notitiam haberent, ad urbes in publicis viis sitas pervenissent, hac de re a loci Episcopo certiores fierent, qui vero ita monitus esset, suum illinc diaconum mitteret, suamque ad diœcesim reverteretur.

13. Mandat, ut causidici, quibusve aliqua administratio, aut magnæ divitiæ suppetent, si Episcopi electi fuerint, spectentur tamquam neophyti, nec ante consecrentur, quam lectoris, diaconi & presbyteri functiones obierint, diuque in horum graduum unoquoque morati fuerint, ut eorum & fides & boni mores & firmitas & suavitas innotescant.

Hujus canonis ea vis & ratio est, ut ne quis ad episcopatum, sine maturo examine longisque probationibus evehatur, præsertim si, quos evehi libuerit, divitiis affluant, aut foro vacent, aut publicis negotiis administrandis addicti sint, quia id genus homines, utpote cæterorum maxime vitiis obnoxii, quæ fere divitias, disputationes, lites, tumultuosa & distrahentia negotia consequuntur, sacerdotio & episcopatui minus idonei sunt.

14. Canon. Osius ita: „ Interdum Episcopus in
„ aliam diœcesin, in aliamve provinciam venit, ibi-
„ que ad longum tempus, per ambitionem, moratur,
„ quia loci Episcopus fortasse minus docendo est; &
„ peregrinus Episcopus pro concione crebro dicere ag-
„ greditur, ut eum in contemptum adducat, suique
„ desiderium excitet, atque ad eam se Ecclesiam trans-
„ ferendam curet. Commorationis igitur tempori mo-
„ dum statuite . . . . . Equidem memini fratres no-
„ stros haud ita pridem, in concilio, decrevisse, ut
„ laicus qui tres dominicos dies, hoc est, hebdoma-
„ das tres transegisset, quin ad urbis in qua degit,
„ cœtum accederet, communione privaretur. Si id in
„ laicos decretum est, multo sane satius fuerit a sua
„ Episcopum Ecclesia, sine gravi necessitate, diu non
„ abesse. " Sententia hæc omnibus probata fuit.

Concilium, de quo Osius loquitur, Eliberitanum est, cui ipse, ante annos quadraginta sex, interfuerat. In hujus enim concilii vicesimo primo canone decretum de quo is hoc loco, nobis occurrit. Ex hoc decreto ipso, pluries renovato, Theologi & Canonistæ concludunt parochialis audiendæ Missæ quam concilium per *cœtus* vocabulum designat, obligationem quoad laicos, antiquissimam esse.

In 15. canone, ita Osius: „ sunt Episcopi quibus
„ in sua diœcesi parum bonorum est, & alibi multum
„ quo pauperibus opitulentur. His est danda venia,
„ ut ibi, per hebdomadas tres, ubi eorum bona sita
„ sunt, ad colligendos fructus, consistant; & ejusmo-
„ di quidem Episcopus, ne ei, quin ad Ecclesiam
„ veniat, ulla dominica dies elabatur, officium pera-
„ gat in proxima Ecclesia, ubi illud presbyter pera-
„ gere consuevit; verum, ad vanitatis & ambitionis
„ suspicionem vitandam, haud sæpius urbis Ecclesiam
„ adeat, ubi Episcopus residet. "

Constat ex hoc canone eam semper Ecclesiæ mentem fuisse, ut fideles tum ecclesiastici, tum laici publicis suarum parœciarum officiis, per dies dominicos, interessent, nec satis haberent suis in oratoriis aut capellis domesticis Missam audire.

16. Vetat, ut Episcopi communionem clericis tribuant quos a suo Episcopo eadem privatos scierint, aliter apud concilium rationem reddituri.

17. Canon. Hæc Osius: „ Si Episcopus ad indigna-
„ tionem vehementius, quam par est, se abripi si-
„ nens, in suum presbyterum, suumve diaconum ex-
„ candescat, eumque excommunicet, excommunicatus
„ ad proximos Episcopos confugere poterit; ab iisque
„ audiri debet. Episcopus qui eum damnavit, æquo
„ animo ferat, oportet, negotium a pluribus examina-
„ ri; sed, ante examen hoc, eo audaciæ progredi ne-
„ mo debet, ut cum damnato communicet. Quod si
„ cœtus in clericis contemptum, quoad proprium Epis-
„ copum, & arrogantiam detexerit, iidem acriter ar-
„ guantur; quemadmodum enim debet Episcopus suis
„ clericis sinceram charitatem testari, ita clerici,
„ quod in ipsis est, vera eum observantia prosequi
„ debent. "

18. Statuit, super Januarii Episcopi significatione, ut ne quis Episcopus alterius Episcopi clericos sollicitet, eo consilio, ut eos ipse sua in diœcesi ordinet, ob discordiam quam id inter eos parit.

19. Declarat, ex Osii sententia, ordinationem clerici diœcesis alterius, absque Episcopi cui clericus subest, consensu peractam nullam fore, & Episcopum qui eam peregerit, puniendum esse.

In 20. „ Cum Aetius Episcopus concilio significasset
„ plures ex advenis diaconis presbyterisque quos
„ Thessalonicæ domicilium alliciebat, ibidem diu com-
„ morari, statuitur, ut, quod de Episcopis decretum
„ fuit, quoad diaconos quoque & presbyteros locum
„ habeat. "

In 21. super Olympii Episcopi significatione, ait Osius „ justum videri, ut Episcopus e sua Diœcesi
„ ob disciplinæ, Ecclesiæ, Fidei, aut Veritatis defen-
„ sionem expulsus, in aliena permanere possit, quoad
„ in suam restitutus fuerit, quia magna sane durities
„ esset eum non recipi qui persecutioni subest, &
„ quia, e converso, benignitatis & benevolentiæ mul-
„ tum videam exhiberi necesse est. "

Ejusmodi sunt unus & viginti Sardicensis concilii canones qui latius scripti fuere. Cum hoc concilium ab Orientis & Occidentis Imperatoribus duobus convocatum fuerit, ut utriusque Imperii Episcopi Sardicam convenirent, convocatione quidem œcumenicum, seu generale fuisse dicendum est; at, quia Orientis Episcopi eidem interesse noluerunt, & Sardica recesserunt, generale esse desiisse, & solum particulare fuisse,

quod

(*) *Hujus canonis postrema pars in græco textu non postrema est.*
Secunda pars ibi non adest.

quod ad celabrationem attinat; illud itaque Ecclasia inter particularia tantum concilia retulit. Ei Dionysius Exiguus, in sua collectione, eum Carthaginensi concilio, post generalia locum tribuit. Ejus canones non ita statim ab Orientalibus adoptati fuerunt; & quamvis ab Occidantalibus editi essent, non modo non universim in Occidente recepti, sed ne noti quidem, æque ac concilium quod eos ediderat, in quibusdam Provinciis erant. Id liquido constat, quoad Africam, S. Augustini tempore. Cum enim Cresconius Donatista, & Fortunatus ejusdem factionis Episcopus huic Patri opposuissent Sardicense concilium ad Donatum Carthaginensem scripsisse, quod de falso Sardicæ, seu Philippopolis concilio verum est; S. Augustinus per Epistolam quam ex eo proferabant, illud Arianorum concilium fuisse respondit, quin unquam dicarat Catholicorum alterum extitisse cui Gratus, Carthaginis Catholicus Episcopus interfuerat. At ast sane prodigio simile, in ipsa urbe Roma, ubi hujus concilii canones agnoscebantur & sæpenumero adhibebantur, ignoratum tamen fuisse eos Sardicenses esse, quandoquidem Romani Pontifices, ut Zosimus, in Apiarii, Africani presbyteri negotio, S. Leo aliique eos proferunt concilii Nicæni nomine, quia in Codice quo utebantur, statim & continuatione quadam post Nicænos positi fuerent, quin ab iisdem distinguerentur, innueretnrque eos Sardicensis concilii esse, quemadmodum P. Quesnellius ex Romanæ Ecclesiæ Codice demonstravit, quam reperit & in sua S. Leonis editione publici juris fecit. Sexto tantum ineunte sæculo, cum Dionysius Exiguus (*Tom. 2. pag. 15. & seq.*) Sardicenses canones, ut Sardicenses suo Codici inseruisset, iidem æque atque hic Codex in toto Occidante recepti fuere. Eos vero cum etiam Græci in Trullano concilio recepissent, universa Ecclesia adoptavit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Bevaregius, in *Pandectis Canonum*. Cellierius, in sacrorum & ecclesiasticorum Actorum Historia, *Tom. IV. pag. 665. & seq.* Van-Espen, *Jur. Eccles. univ. Tom. III. pag. 240. & seq.*

Pseudo-concilium Sardicense, seu Conciliabulum Philippopolitense, ann. 347.

Eusebiani, cum Sardica effugissent, Philippopoli, in Thracia, constitare, suumque ibi conciliabulum cui Stephanus Antiochenus præfuit, habuere. Suum sane virus in hoc conciliabulo disseminare conati sunt per Epistolam quam veluti Sardica scriptam in omnes terrarum partes miserunt; hac fictione usi, ut suæ fugæ ignominiam tegerent, atque ita legitimi Sardicensis concilii auctoritatem deterarent, quemadmodum, aliquot post annis, per suum Nicænum, in Thracia, conciliabulum, magnum Nicænum concilium delere studuerunt. Nonnulli perperam Arianorum conciliabula duo, hoc ipso ann. 347. unum in ipsa urbe Sardica, alterum Philippopoli posuerunt; alii Philippopolitanum concilium hoc cum vero Sardicensi concilio confuderunt, & hoc ipsum partim Catholicum, partim Hæreticum fuisse dixerunt. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* (*)

Concilium Mediolanense, ann. 347.

Habitum fuit concilium hoc contra Photinum: Sirmiensem Episcopum qui Sabellii & Pauli Samosateni errores ab inferis excitaverat. Personarum in Deo Trinitatem negabat, unam tantum & singularem Personam admittens, Patrem scilicet, cui suum quidem Verbum, seu sua Ratio æterna erat, prorsus ut nobis est, sine distincta & personali subsistentia; ut, eo proinde docente, Filium Deus non haberet, & purus homo qui suum a Maria initium sumpserat, Christus esset; negabat itidem personaliter Spiritum Sanctum subsistere. Mediolanense concilium Photinum hæreticum declaravit, & ab Ecclesiæ communione rescidit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, ann. 348. *seu* 349.

Concilium hoc est totius Africæ generale concilium; adeoque in vulgaribus quæ elaboratæ fuerunt ejus editionibus, per errorem *provinciale* nuncupatur. Ei primus inter Carthaginensia locus tribuitur, non quod antea, Carthagine, non alia plura, sub S. Cypriano potissimum, habita fuerint, sed quod omnium maxime quæ ibidem habita sunt, quarumque canones ad nos pervenerunt, vetus hoc, orthodoxum approbatumque concilium est. Antiquissimum etiam est eorum omnium quorum canones ad Africanæ Ecclesiæ canonum Codicem conficiendum contulerint. Habitum est Papæ Julii I. tempore, ut titulus indicat, eumque Donatistarum cum Catholica Ecclesia redintegratio quam Imperator Constans curaverat, recens omnino esset, an. scilicet 348. vel, ut serius, 349. Ei Gratus, Carthaginensis Episcopus, præfuit, in eademque quatuordecim editi canones.

1. In Trinitatis Fide baptizatos rebaptizari prohibet.

2. Martyrum dignitatem profanari vetat, iis ut ejusmodi honorandis qui se per furorem & vesaniam præcipites dederant, aliave ratione interemerant, quibusque Ecclesia non nisi miseratione quadam, sepulturam concedit, ac, potiore jure, qui se per desperationem aut malitiam occidunt.

Canon hic Donatistas impetit qui se, vel ipsi voluntaria necabant, vel ab aliis necandos curabant, ut, apud suæ sectæ socios, sibi martyrii honores & gloriam conquirarent. Contra hunc abusum populos nuper redintegratos muniri oportebat.

3. & 4. Interdictiones renovant quibus per tot jam concilia Clerici cum feminis habitare vetiti fuerant, easque ad utriusque sexus personas protendunt quæ continentiam amplexæ sunt, in viduitate ipsa; ita scilicet, ut ne cum extraneis personis habitent, ac ne eas quidem invisant. Hujus sanctionis ratio quam concilii Patres afferunt, ea est, quod omnis, inquiunt, peccati occasio fugienda est, omnis adimenda suspicio, & impedienda offendicula quibus diaboli vafrities utitur, ut simplices animas capiat quæ ipsæ sibi haud satis cavent prospiciuntque, charitatis & amoris erga proximum obtenta causa.

5. „ Episcopus Privatus significat haud dandam esse „ Episcopo veniam, ut clericum alterius episcopi, „ hoc ipso non annuente, suscipiat, aut etiam alte„ rius diœcesis laicum ordinet, quin ejus Episcopus „ assensum præbeat. " Episcopus Gratus respondit hanc veram servandæ pacis rationem esse, ac se quidem meminisse sanctionem huic geminam in Sardicensi concilio cui interfuerat, editam fuisse.

6. Rei domesticæ curam, & secularium negotiorum administrationem sibi imponere clericos vetat, e Sancti Pauli regula qui „ eum ait qui Dei servitio nomen „ dat, non debere se negotiis secularibus implica„ re. "

In 7. canone, cum alterius diœcesis populo, sine proprii Episcopi Litteris communicandi prohibitio producitur ad laicos, ad impediendas eorum technas, qui unius communionem fugientes, ad alterius communionem per deceptionem recipiebantur.

Per 8. prohibetur, ne ordinibus initientur administri, procuratores, vel etiam tutores, suam ipsi tutelam per se obeuntes, quoad confecta negotia, & rationes redditæ fuerint, ne quid dedecoris, si citius ordinati fuerint, Ecclesia subeat.

9. Vetat, ne laici sibi receptores, aut ratiocinatores clericos statuant.

10. Vetat Episcopis, ne quid eorum unus in alterum aggrediatur.

11. Clericorum qui suis superioribus subesse & obsequi renuunt, arrogantiam fastumque reprimi jubet; at, ad eos judicandos, certum Episcoporum numerum statutum vult; ut scilicet diaconum quidem Episcopi tres, presbyterum autem sex, Episcopum denique duodecim judicent.

12. Antigonum, Madaurensem Episcopum de alio Episcopo, cui nomen Optantio, conquestum refert. Suas inter se diœceses, communi consensu, partiti fuerant, ejusque conventionis extabant acta utriusque manu firmata; nihilominus Optantius Antigoni populum visitare & ad se trahere non desistebat. Mandat concilium, ut conventio subsistat serveturque.

13. Interdictionem renovat qua clerici vetabantur fœnori dare, quippe quod peccatum esset in laicis ipsis damnandum, Prophetisque & Evangelio contrarium.

14. Hæc decreta servari jubet, laicis quidem excommunicationis, clericis vero depositionis indicta pœna. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Hierosolymitanum, ann. 349.

S. Athanasius, cum, ann. 349. Alexandriam redeundi facultatem obtinuisset, & Hierosolymam pervenisset, Maximo ejus urbis Episcopo persuasit, ut [illegible] concilium cogeret; quod ille perfecit. Athanasio ecclesiasticam communionem simulque pristinam dignitatem concilium reddidit, & ad populum Alexandrinum, atque ad Syriæ & Ægypti Episcopos scripsit, ut eos de

(*) *Mansi Sardicensia concilia duo ad ann. 344. refert; at eum refellit P. Mamachius.*

re tota certiores faceret. (Socrates, *lib.* 2. *cap.* 19. Sozomenus, *lib.* 3. *cap.* 22.)

Concilium Alexandrinum, ann. 349. *seu* 350.

Concilium hoc a S. Athanasio, postquam Alexandriam pervenerat, habitum fuit. In eo Patres doctrinam quæ primum Sardicæ, tum Hierosolymis statuta fuerat, confirmarunt. (Socrates, *lib.* 2. *cap.* 26.)

Concilium Mediolanense, ann. 349.

Contra Photinum qui jam Mediolani damnatus fuerat, sed qui tamen haud se subdiderat, hoc concilium celebratum fuit; & quidem frequens, utpote e plurium Occidentis provinciarum Episcopis, & Romanæ Ecclesiæ deputatis conflatum. In eo Ursacius & Valens, S. Athanasii hostes acerrimi, palinodiam cecinerunt, & libellum in quo dicebant Anathema Ario, ejusque sectatoribus, obtulerunt. Præcipuum porro negotium, quo proposita Photini depositio erat, Constantis Imperatoris mors interrupit. S. quidem Hilarius concilium hoc Mediolani habitum fuisse non dicit; at id in dubium revocari non potest, cum huic rei fidem expressis verbis faciat Epistola ad Constantium missa, Orthodoxorum nomine qui in Ariminensi concilio versabantur. *Tom. II. Concil. Lab. pag.* 797. (*).

Concilium Sirmiense, ann. 350. & 351.

Utriusque concilii scopus unus & unicus Photinus fuit. Depositionem in primo ob populi reclamationem evitavit; at depositus in altero, expulsus deinde & in exilium actus ab Imperatore fuit. Prioris concilii, ann. 350. habiti Patres qui Orientales erant, quam ad Occidentis Episcopos scripserunt Epistolam inchoarunt per Fidei Formulam de industria contextam ad fallendum, quæque blandis & subdolis verbis abditum hæreseos venenum celabat. Hæc nimirum prima Sirmiensis Formula nuncupatur. *Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillarius, in *sacrorum & Ecclesiasticorum Auctorum Historia, Tom. IV. pag.* 715. *& seq.* (**)

Concilium Romanum, ann. 352.

Habitum fuit concilium hoc sub initium pontificatus Papæ Liberii, Litterarum occasione quas ad eum Eusebiani contra S. Athanasium miserunt. Alias quoque summus Pontifex, eodem tempore, Litteras ab Ægypti Episcopis octuaginta in sancti Præsulis favorem scriptas accepit. Singulas legit Liberius, primo quidem sua coram Ecclesia, deinde vero in hoc Episcoporum Italiæ concilio quod Sanctum Athanasium innocentem judicavit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II.*

Concilium Mediolanense, ann. 355.

Coactum fuit concilium hoc Liberii Papæ rogatu, & Constantii Imperatoris jussu. In eo Orientis quidem paucissimi, & Occidentis trecenti & amplius Episcopi adfuerunt; adstitere tamquam Papæ legati, Lucifer, Pancratius & Hilarius. Ariani, tametsi pauciores numero quam Catholici, in hoc concilio dominati sunt ob Constantii Imperatoris auctoritatem, qui adfuit ipse, qui ue Episcopos adigere voluit, ut Edicto, in Epistolæ modum, Arianæ hæreseos veneno infartum, eodemque tempore, S. Athanasii damnationi subscriberent. Episcoporum plerique, prava Arianorum consilia non assecuti, eorum se dolis decipi passi sunt; qui vero S. Athanasii damnationi subscribere noluerunt, Constantii jussu, exilio mulctati fuere. Finem hunc habuit Mediolanense concilium quod sane non minus quam Ephesinum, Latrocinii nomine dignum est. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Baluzius.

Concilium Biterrense, ann. 356.

Celebratum fuit concilium hoc, Constantii Imperatoris jussu, Saturnino, Arelatensi Episcopo sollicitante qui, tamquam Arianus, apud Constantium existimatione pollebat. Eo S. Hilarius una cum Catholicorum Episcoporum nonnullis se contulit; at Ariani in concilio primas egerunt; & cum hi quidem falsam eorum quæ in cœtu contigerant, narrationem ad Constantium misissent, Princeps hic S. Hilarium in Phrygiam, cum Rhodanio, Tolosano Episcopo, relegavit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Sirmiense, ann. 357.

Cum Constantius Sirmii versaretur, eam sibi occasionem Ariani oblatam censuerunt, ut ibidem concilium cogerent. Qui concilio adfuerunt Episcopi, ex Occidente venerant; at nobis Historia solum servavit eorum nomina qui cœtus antesignani fuere; sunt autem Ursacius Singidonis, Valens Mursiæ, Germinius Sirmii, & Potamius Olysipponis in Lusitania. Huic postremo tribuitur potissimum Fidei Formula ibidem adita quæ earum secunda est quæ in hac urbe Sirmii confectæ sunt; quemque S. Hilarius qui eam autographa lingua ad nos transmisit, (*Lib. de Synodis, p.* 1156.) *blasphemia & perfidia* titulo notat. In ea dici prohibetur Filium consubstantialem esse, ut significetur ejus aliam quam Patris substantiam esse, eumdemve, creatarum rerum instar, e nihilo eductum fuisse. Formula hæc in Galliis damnata fuit, & ab Anomæis in Antiocheno concilio, ann. 358. recepta. Id nominis tributum fuit Eudoxii, Antiocheni Episcopi asseclis, a græco vocabulo Ἀνόμοιος, quod *dissimilem* significat.

Concilium Ancyranum, ann. 358.

Concilium hoc e duodecim tantum Episcopis semiarianis, quorum signifer Basilius Ancyranus, conflatum fuit. Hi damnarunt Anomæos, scripseruntque ad suarum partium Episcopos Epistolam quæ nobis adhuc superest. Novam etiam Fidei expositionem, conclusam anathematismis octodecim, edidere in qua Filium Patri in substantia similem esse statuentes, negant esse ejusdem substantiæ, & *consubstantialis* vocabulum damnant; quod in causa fuit, ut *semi-Arianorum*, seu *demi-Arianorum* nomen iis tribueretur. Huic Fidei confessioni Liberius, Constantio mandante, subscripsit.

Concilium Sirmiense, ann. 359.

Valens, & qui ab eo erant, Anomæi scilicet, auctores fuere tertiæ expositionis seu confessionis Fidei, quam, mense Majo ann. 359. in hoc concilio contexuerunt. Ea rejiciebat *substantiæ* nomen, vetabatque, ne ulla ejus mentio deinceps fieret, cum haberetur de Deo sermo, ea obducta causa, quod ea vox in sacris Litteris non extaret; dicebat ergo Filium in rebus omnibus Patri similem. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Ariminense, ann. 359.

Ab imperatore Constantio, contra Anomæos, coactum fuit concilium hoc. In eo complurium Occidentis, Illyriæ, Italiæ, Africæ, Hispaniæ, Galliarum, Angliæ provinciarum quadringenti & amplius Episcopi adfuerunt. Restitutus, Carthaginis Episcopus, ei præfuisse credi potest, quippe qui cæterorum primus in actis qui nobis remanent, nominatur; interfuerunt Ariani numero circiter octuaginta. Arii doctrinam concilium rursus damnavit, in sola Fidei professione quam Nicænum concilium ediderat, reliquis omnibus rejectis, constitit, & decem, contra Arii, Photini, & Sabellii errores, anathemata pronuntiavit; tum ad Imperatorem Episcopos decem qui eum de re tota certiorem facerent, deputavit. Horum præcipuus erat Restitutus Carthaginensis. Hi deputati, cum eos Ariani Nicen, seu Niciam, seu Nicæam, Thraciæ parvam urbem traxissent, eo imbecillitatis devenere, ut Fidei formulæ ibidem subscriberent, quæ postremæ Sirmiensi quæ Arimini rejecta fuerat, admodum similis erat, eademque præterea pejor, prout solum ajebat Filium Patri similem esse secundum Scripturas, quin adderet *in rebus omnibus*, seu *quoad omnia*. Hæc ipsa *substantiæ* vocabulum absolute rejicit, omnibusque tam antiquis quam novis hæresibus, huic scripto contrariis anathema dicit, videlicet, Catholicam doctrinam damnare videtur. Venit id Formularis nomine quod *Nicænum*, seu *Ariminense*, quia ibidem receptum fuit, nuncupatur; id ipsum est quod, deinde, ut ubique signaretur, opera data fuit, quodque S. Hieronymum impulit, ut diceret universum terrarum orbem Arianum evasisse, quæ tamen locutio non est ad litteram accipienda, tum quia Episcopi qui Nicænæ Fidei addicti perstiterant, multo plures erant quam qui eam deseruisse videbantur, tum vero quia Formula, Arimini subscripta, solum specie tenus, Ariana erat. Hujus Concilii Patres, a nonnullis locutionibus, pro pacis bono, abstinentes sibi videbantur Catholicum sensum in tuto posuisse. Formulare hoc latino sermone, ab origine,

(*) *Sunt inter Auctores qui ann.* 347. *sunt etiam qui* 346. *collocent concilium hoc.*
(**) *P. Mansius hoc concilium ad ann.* 358. *refert.*

gine, editum creditur; quod apperet ex varia ratione qua apud Theodoretum, & apud S. Athanaſium affertur. Illud Ariminenſes Patres, periude atque eorum deputati, ſignaruut, firmeruutque. *Ibid.* & Balutius, in *nova Collect.* Fleurius, *Hiſt. Eccl. Tom. III. p.* 513. Ceillerius, *Hiſt. Auct. ſacrorum & Eccl. Tom. IV. p.* 519. *& ſeq.*

Concilium Seleucienſe, an. 359.

Concilium hoc, Conſtantii imperetoris juſſu, coactum fuit. Ei 27. Septembris dies an. 359. initium dedit. Conſtabat illud Epiſcopis centum quinquaginta, ſeu centum ſexaginta, factis in pertes tres, ſcilicet Anomæis aliis, aliis ſemi-Arianis, donique Orthodoxis aliis qui nempe a *Conſubſtantiali* ſtabant, nec plures erant quam quindecim circiter, fere omnes Ægyptii quibus S. Hilarius Pictavienſis, a Phrygia veniens, ubi tum quidem exul erat, ſe comitem addidit. Anomæi, ſeu Acaciani, ita dicti eb Acacio, Cæſareæ, in Palæſtina, Epiſcopo eorumdem ſignifero, in hoc concilio damnati fuere. *Ibid.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 360.

Concilium boc ab Acacianis & Arianis, coutre Semi-Arianos & Catholicos habitum fuit; in eoque confirmate Fidei Formula quæ Arimini recepta fuerat, cum clauſula quam Ariani Niciæ, ſeu Nicææ in Thracia, au. 359. addiderent, quæque *ſubſtantia* vocabulum rejiciebat. Concilium Formulam haoc eb omnibus Epiſcopis ſignatam voluit, & in omnes Imperii provincias miſerunt cum Imperatoris mandato, ut in exilium pellerentur quicunque ei ſubſcribere recuſaſſent. Epiſcoporum plerique, ſeu metu adacti, ſeu rebus ſuis conſulendi ſtudio permoti, ſeu in errorem tracti ſubſcripſerunt; admodum pauci, tum in Oriente, tum in Occidente, calamitatem hauc evitarunt. Inter hos poſteriores, Papa Liberius, Vincentius Capuenſis, Gregorius Eliberitanus, &c. recenſentur. Antium deinde concilium depoſuit, & ex Eccleſia expulit; depoſuit præterea plures Epiſcopos, tam Semi-Arianos, quam Catholicos, itemque eos qui Melitinenſis, in Armenia minore, concilii, quod aliquanto ante Conſtantinopolitanum, ut videtur, babitum fuerat, decreta violaverant. Ad hæc decreta quod attinet, nihil in comperto eſt. *Ibid.* & Balutius, in *nova Collectione*; Ceillerius, *Hiſt. Auct. ſacrorum & Eccl. Tom. V. p.* 556. *& ſeq.*

Concilium Pariſienſe, an. 360. *aut* 361.

Cum S. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus, in Gallias rediiſſet, ibidem concilia plura ad Nicænam Fidem reſtituendam, & Ariminenſem perfidiam damnandam celebranda curavit; a quibus tamen omnibus illud unum quod au. 360. aut 361. Pariſiis habitum eſt, innotaſcit. Hujus nobis ſupereſt ſynodica Epiſtola quæ videtur eſſe ad Epiſtolam reſponſio, quam Orientis Epiſcopi, in Conſtantinopolitano concilio per Anomæorum factionem depoſiti ad S. Hilerium ſcripſerant, ut ei techuas ſignificerent quibus iidem hæretici utebantur, ut, occaſione vocabuli *ſubſtantia*, Orientem ab Occidente dividerent. (*ibid.*)

Concilium Antiochenum, an. 360. *ſeu* 361.

Cum imperator Conſtantius Antiochiæ verſaretur, an. 360. ſeu potius 361. ut refert Theodoretus. (*Lib.* 2. *cap.* 27.) ibidem concilium coegit, eo conſilio, ut æque Conſubſtantialitatem & Subſtantiæ diverſitatem in uno damnandas curaret; ut, cum Epiſcopi congregati eidem ſignificaſſent, imprimis Antiochenæ Eccleſiæ paſtorem dari oportere, ſuffragia ad unum omnia in S. Meletii favorem conſpirarunt, qui ex urbe Beræa, ubi tunc erat, Antiochiam ſtatim ſe contulit, ut Imperatori pareret. Eum Ariani, cujus fidei firmitatem acerbe ferebant, Sabellianiſmi inſimularunt, perfeceruntque, ut Antiochia, cujus ſedem octo dies triginta conſcenderet, pelleretur. Eodem anno Acaciani iterum Antiochiam convenientes, ibidem novum Formulare ediderunt, in quo Filium ajebant omnino Patri diſſimilem eſſe, addentes etiam, cum Ario & Aetio, eum de nihilo natum eſſe. Formulare hoc, cæterorum maxime impietatem olens, ad nos non pervenit. *Ibid.*

Concilium Alexandrinum, an. 362.

Concilium hoc, poſt Conſtantii Imperatoris mortem, S. Athanaſio & S. Euſebio Vercellenſi operam dantibus, coactum fuit. Huic Epiſcopi tantum unus & viginti, ſed omnes fidei puritate & vitæ ſanctitate commendabiles, iidemque e Confeſſorum numero interfuerunt; qui decretum edidere quod mandabat, ut hæreticis venia concederetur qui errorem abjicerent, quin iis tamen locus inter clericos tribueretur; at qui ſolum violentiæ ceſſerant, ad tempus cum Arienis communicantes, quin eorum impietatem aſſererent, quique Nicænam Fidem profiterentur, ſuum in Eccleſia gradum ſervarent. Nemini non probatum fuit decretum hoc, uno excepto Lucifero Calaritano qui in ſchiſma prolepſus eſt. Decidit etiam concilium Spiritui Sancto eamdem ac Patri & Filio ſubſtantiam eamdemque divinitatem ineſſe. Tum in concilio, ſuper ſignificatione verborum *ſubſtantia* & *hypoſtaſes*, diſcuſſa quæſtio, quia voci *hypoſtaſis* aliam Græci, aliam Latini notionem tribuebant. Græci qui per *hypoſtaſin*, ut nos hoc ſeno tempore, nihil aliud quam *perſonam* intelligebant, tres Hypoſtaſes, ſeu, Perſonas in Trinitate agnoſcebant, ne in Sabellii hæreſin inciderent, qui Deum in hypoſtaſi unum eſſe dicebat. Latini, contre, qui *hypoſtaſis* & *ſubſtantia* vocabula, tamquam unum idemque ſignificantia, promiſcue ſumebant, haud dici poſſe cenſebant tres hypoſtaſes in Deo eſſe, quin in Arii impietatem inciderent. Utrique tandem, cum mentem ſuam explicuiſſent, alterque aliorum mutuo ſententiam probe aſſecuti eſſent, conſpirarunt, & conjunctis opinionibus animiſque, Arium, Sabellium, Paulum Samoſatenum, Valentinum, Baſilidem & Manetem anathemate perculerunt. Egit præterea concilium de Incarnationis myſterio, damnavitque Apollinaris, Laodiceni Epiſcopi hæreſin, qui in Chriſto Domino Filios duos eſſe garriebat, unum Dei Filium, Virginis alterum. Nobis ſuppetit, inter S. Athanaſii Opera, (*Ep. ſt. ad Antiochen. p.* 771.) hujus concilii ſynodica Epiſtola; nec dubitatur, quin eam ipſe, omnium nomine, ſcripſerit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* & Balutius in *nova collect.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 362.

P. Hardoinus, (*Tom. I.*) poſt Chronicon Alexandrinum, Macedonium, Conſtantinopolitanum Epiſcopum ait, ob ſuos ſuper Spiritu Sancto errores, in hoc concilio depoſitum fuiſſe. Dictitabat Macedonius Spiritum Sanctum non eſſe Deum, ſed Dei miniſtrum, ſervum famulumque Angelis ſimilem, & puram putamque creaturam eſſe. Coegere Macedoniani concilia plura, ut ſe tuerentur, unumque, inter alia, Zelis in Ponto, in quo S. Baſilius Euſtathium Sebaſtenum refert novam Fidem didiciſſe; & alterum Antiochiæ, in quo Aetius a ſententia abſolutus, quæ olim in eum lata fuerat. Ceillerius, in *Hiſtor. Auct. ſacror. & Eccleſiaſt. Tom. V, p.* 596.

Concilium Alexandrinum, an. 363.

S. Athanaſius, a Joviano imperatore Eccleſiæ ſuæ redditus, coegit concilium hoc quod ex Ægypti, Thebaidis & Libyæ Epiſcopis inter cæteros pietate & doctrina ſpectatiſſimis conflatum fuit. Epiſtolam, eorum omnium nomine, ad Jovianum ſcripſit, in qua, poſtquam ejus pias quoad Catholicam Fidem diſpoſitiones laudavit, & Deo gratias egit qui ei tam ſancta deſideria inſpiraſſet, nihil ſe melius quod ei proponeret, quam Nicænam Fidem, compertiſſe pronuntiat. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Antiochenum, an. 363.

S. Meletius, Epiſcopus Antiochenus, huic concilio præfuit cui alii numero viginti ſex Epiſcopi interfuerunt. In eo Acacius Cæſareæ in Palæſtina, Nicænam Fidem emplexus eſt. Hujus concilii ſynodica Epiſtola, ad Jovianum imperatorem miſſa, nihilque præterea, nobis ſupereſt. *Ibidem.*

Concilium Laodicea, in Phrigia, *Laodicenſe, ſeu Laodicenum, an.* 364.

Magni in antiquitate nominis eſt concilium hoc; ujuſque canonibus multum ſemper auctoritatis fuit. Habitum eſt Laodiceæ quæ Phrygiæ, minoris Aſiæ provinciæ metropolis. Ad hoc concilium quod attinet, nec de præſide, nec de Epiſcoporum numero, nec de celebrationis tempore conſtat. Illud Baronius & Binius an. 314. ante Nicænum concilium primum, alii ſub Papa Liberio qui non niſi an. 352. Eccleſiam regere cœpit, alii an. 360. alii an. 370. habitum putant; at an. 364. celebratum fuiſſe communis ſententia eſt; atque hunc quidem annum Juſtellus, in univerſæ Eccleſiæ Codice, ad hujus concilii marginem poſuit. Hujus concilii nobis ſuppetunt canones ſexaginta; quod

ſi Dionyſius Exiguus ſolum quinquaginta novem enumerat, id propterea factum, quia poſtremum omittit, qui canonicorum Librorum Catalogum continet.

Primus Canon ad Communionem, ſed per indulgentiam, & poſt breve aliquod pœnitentiæ tempus, in jejuniis & precibus poſitum, eos ſuſcipit qui ſecundas nuptias, libere & legitime contraxerunt, quin clandeſtinum matrimonium inirent, hoc eſt, ut explicant Balſamon, Zonaras & Ariſtenius, quin pravum ullum inter eos, antequam matrimonio jungerentur, occultum commercium extiterit, quoniam, in hac facti ſpecie, eos præterea, tamquam concubinarios, puniri neceſſe fuiſſet.

Juſtellus, poſt Jacobum Leſchaſſerium, in Opuſculo quod an. 1601. Pariſiis impreſſum fuit, hoc titulo, *Obſervation de la Bigamie*, contendit canonem hunc, perinde ac Nicænum octavum, Ancyranum decimum nonum, & octavum Neocæſareenſem intelligendos eſſe de bigamiæ peculiari ſpecie, parum nota, ſecundum quam vir conjugem repudiabat, eaque vivente, aliam ducebat. Hæc bigamiæ ſpecies, inquiunt auctores hi, quamvis Eccleſiæ legibus improbata, permiſſa tamen Imperatorum legibus erat; de hac quidem bigamiæ ſpecie, eorum judicio, memorati canones accipi debent. At fundamento caret opinio hæc; agitur enim, in his canonibus de ſecundis nuptiis legitimis, ab Eccleſia approbatis, & ſecundum eccleſiaſticas regulas initis; & præterea tamquam adulterum, per longam & aſperam pœnitentiam, eum puniebat Eccleſia, qui conjugem repudiabat, & hac in vivis agente, cum altera conjugium inibat. Vide Guillelmum Beveregium, in ſuis ſuper hoc canone Adnotationibus.

2. Canon recipit pariter ad Communionem, Dei miſericordia ſpectata, peccatores qui in prece & in pœnitentiæ exercitationibus perſeverarunt, & perfectam reſipiſcentiam exhibuerunt; iis tamen ad agendam pœnitentiam tempus quod culpæ reſpondeat, antea præſcribi vult.

Albaſpinæus, in ſuis ad hunc canonem Adnotationibus, dubitatum fuiſſe monet, concedenda, necne, eſſet iis pœnitentia qui plurium criminum rei erant, quandoquidem triginta annorum pœnitentia, tum quidem, ei qui unum & unicum perpetraverat, imponebatur. Patres nihilominus opinati ſunt oportere, divinæ miſericordiæ ratione habita, peccatores ad pœnitentiam ſuſcipi qui non ſine humili ſuorum criminum confeſſione eamdem expoſcerent. Idem auctor animadvertit per verba hæc, *oratione confeſſionis*, in hoc canone adhibita, intelligi debere non *ſacramentalem confeſſionem*, ſed generalem quam peccatores edebant, criminum confeſſionem, ad Fidelium pedes ſe proſternentes, ut ad pœnitentiam admitterentur, & per vocem *communio*, æque non euchariſticam Communionem intelligi oportere, ſed Fidelium Communionem, cum iis Communionem ſcilicet quæ cenſebatur excommunicatis conceſſa, ſtatim atque ad pœnitentiam admiſſi erant.

3. Neophytos, ſeu novos baptizatos ad ſacerdotium promoveri vetat.

4. (*) Ordinationes prohibet coram Audientibus, ſeu Auditoribus, iis nempe qui in Eccleſiis ad inſtitutiones tantum, non autem ad preces admittebantur.

5. Clericos vetat fœnori dare, præſertim vero ſortis dimidium, ultra ipſam ſortem ſumere.

6. Hæreticis pertinacibus eam veniam dari non vult, ut in Eccleſiam ingrediantur.

7. Novatianos, ſeu Quartadecimanos potiſſimum ſpectat, qui reſipiſcunt; ſtatuit ergo, ut non ante ſuſcipiantur, quam in omnes generatim hæreſes, & ſingillatim in ſuam anathema pronuntiaverint, tum vero qui *Fideles* ab iis nominantur, percepto Fidei Symbolo, ſanctique Chriſmatis unctione ſuſcepta, ſanctarum Myſteriorum participes fiant. Photinianorum nomen, in hoc canone, Novatianorum nomini additum reperitur in aliquibus exemplaribus græcis, in Dionyſii Exigui Verſione, apud Balſamonem, Zonaram & Ariſtenium, & in veteri Romanæ Eccleſiæ Codice Vendelſtinienſi, an. 1609. Pariſiis impreſſo; at nulla Photinianorum mentio in eo Codice qui in eadem urbe, an. 1675. inter S. Leonis Opera typis editus, nulla in Iſidori Verſione, nulla in Collectione compendiaria Ferrandi Diaconi, nulla in manuſcripta Bibliothecæ S. Germani Pratenſis veteri Collectione, cui anni amplius mille tribuuntur. Et ſane videtur parum credibile Laodicenos Patres mandaſſe, ut Photiniani qui eoſdem ſuper Trinitate errores docebant, quos Paulianiſtæ, quique proinde, ut hi, baptizari debebant, antequam in Eccleſiam reciperentur, mandaſſe, inquam, ut per ſolam ſancti Chriſmatis unctionem in eamdem ſuſciperentur.

8. Rejicit Cataphrygum ſeu Montaniſtarum Baptiſmum, & quamvis in Clericorum gradu ſint, vel, inter eos, *maximorum* titulo gaudeant, ſedulo tamen eos edoceri, baptizarique ab Eccleſiæ presbyteris & Epiſcopis vult.

Spiritus Sancti Divinitatem Montaniſtæ non agnoſcebant, &, quod inde conſequitur, Sanctæ Trinitatis nomine non baptizabant; eos proinde concilium rurſus baptizari vult. Qui porro ab his hæreticis *maximi* prædicabantur, erant, teſte Zonara, qui apud eos peculiari quadam ſcientiæ laude præſtabant, ac veluti primum inter ſectæ Doctores locum tenebant. Putant alii *maximos*, inter Montaniſtas, Patriarchas fuiſſe; habebant enim Patriarchas quos tamquam ſuæ hierarchiæ primos ſpectabant, & Cenones qui ſecundas agebant: Epiſcopi non niſi tertium locum apud eos occupabant.

9. Vetat, ne fideles ad cœmeteria, vel ad eccleſias hæreticorum ſe conferant, ibidem cum iis oraturi, priſtinamque valetudinem ab eorumdem jactatis martyribus petituri, eoſque qui id egerint, communione privari, ac, non niſi peracta pœnitentia, recipi jubet.

Probat canon hic, 1. jam inde a primis Eccleſiæ ſæculis, peculiaria quædam loca extitiſſe, chriſtianorum ſepulturæ addicta quæ *cœmeteria* nuncupabantur; 2. Eccleſias, ſeu ſacella, ad Martyrum memoriam, in eorumdem ſepulturæ locis extrui conſueviſſe; 3. fuiſſe etiam in more poſitum, ut hi Martyres honorarentur & invocarentur, ſiquidem fideles ad eorum Eccleſias pergebant, ut ipſos invocarent, & per eorumdem patrocinium priſtinam valetudinem obtinerent.

10. Prohibet, ne fideles, indiſcriminatim, cum hæreticis ſuos matrimonio filios jungant. Ergo, in quibuſdam caſibus, ejuſmodi matrimonia iniri licebat; ac tricelimus primus canon expreſſis verbis id fieri patitur, cum contrahentes promittebant ſe inter Catholicos nomen daturos.

11. Vetat in Eccleſia feminas ſtatui quæ *presbyteræ*, ſeniores, ſeu *præſidentes* appellabantur; eſt hæc hujus canonis notio, ex græco textu quem Zonaras & Balſamon interpretantur. In eo ſcilicet interdicitur, ne qua feminis præſidentia, vel auctoritas in Eccleſiaſticis fidelium cœtibus ſit. Quamobrem ab hujus canonis, græci textus ſenſu receſſerunt Gratianus & Iſidorus, eum ita explicantes, ut Sacerdotiſſas in Eccleſia ordinari prohibuerit: *Quod non oporteat eas quæ dicuntur presbyteræ, ſeu præſidentes, in Eccleſiis ordinari*. S. Epiphanius (*Hæreſ.* 79. *n.* 4.) diaconiſſarum gradum inter eos maximum fuiſſe teſtatur, ad quos in Eccleſia feminæ evectæ fuere; nunquam in ea ſacerdotiſſas extitiſſe, & omnino feminas in ſacerdotii partem venire non poſſe.

12. Mandat, ut per metropolitani, ejuſque comprovincialium judicium, Epiſcopi, poſt longas eorum fidei & morum probationes, inſtituantur.

13. Eos qui ad ſacerdotium promovendi ſunt, tumultuoſe a populo eligi non vult.

Iſidorus & Gratianus quos Ceillerius, aliique ſequuntur, per hunc canonem ab eorum electionibus qui ad ſacerdotium promoveri debent, omnino populum excludi contendunt; at græca vox quæ latinæ per *turbis* reddita eſt, proprie *tumultum* ſignificat, innuitque concilii Patres ſolum prohibere, ne tumultuoſarum populi electionum quæ ſeditionem quamdam præſeferunt, ratio habeatur, quin eidem ſuffragii jus adimant quod ei ſubſecutis etiam temporibus fuiſſe conſtat ex S. Gregorio Nazianzeno, (*Epiſt. ad Cæſarienſ.*) ex concilio Chalcedonenſi, Act. XI. & ex Juſtiniani Novellis, 123. *c.* 1. & 137. *c.* 2.

14. Uſum abolet mittendi, in Paſchatis Feſto, ſanctam Euchariſtiam ad alias parœcias, inſtar Eulogiæ, panis benedicti ſcilicet, qui in communionis ſignum mittebatur.

15. Ad cantores tantum, in Eccleſiæ Canone ſeu Catalogo inſcriptos pertinere vult ambonem, ſeu pulpitum conſcendere, ibique e Libro canere. Hic hujus canonis ſenſus eſt, qui proinde non vetat populum in Eccleſia concinere, quandoquidem certum eſt, penes Græcos, id moris obtinuiſſe, ut populus ibidem caneret, quod probant S. Baſilius, *Epiſt. ad Neocæſarienſes*, & S. Joannes Chryſoſtomus, *Homilia* 1. ſuper iis Iſaiæ verbis: *Vidi Dominum*.

16. Evangelium, cum Scripturis cæteris, die ſabbati, legi jubet.

Sabbatum Græci, æque ac dominicam diem, quoad divinum Officium, non item quoad ceſſationem ab operibus ſervilibus, celebrant; ob hanc cauſam concilium mandat, ut die ſabbati, perinde ac dominico, Evangelium legatur. Trahit hinc originem præſentis temporis diſciplina, ex qua Evangelium dominicis & quibuſdam

(*) *Canon hic qui apud Latinos eſt quartus, apud Græcos quintus eſt.*

dam majoribus diebus festis, non autem ferialibus, aut minoris momenti festis diebus ad divinum Officium legitur.

17. Plures continuos psalmos recitari vetat, & inter unumquemque psalmum lectionem recitari vult.

18. Anticipari vetat statum tempus ad officium dicendum quod jejunii diebus recitari consuevit; ita scilicet, ut illud ad horam nonam tantum, vel ad Vesperas finiatur, pro jejuniorum discrimine, quorum alia in horam nonam, alia in Vesperas desinebant.

19. Mandat, ut post Episcopi sermonem, separatim catechumenorum preces edantur; his egressis, edantur quæ pœnitentium sunt; denique, cum hi quoque recesserint, ea peragantur quæ ad fideles spectant, & hæ quidem vicibus tribus, ita nimirum, ut in silentio primum oretur, secundæ vero & tertiæ preces alta voce pronuntientur, ac deinde pax tribuatur; hanc autem a presbyteris Episcopo tributam laici sibi invicem conferant; tum consummatur oblatio, iisque tantum ad altare, communicandi gratia, liceat accedere, qui e clero sunt.

20. Diaconos vetat sedere coram presbytero, nisi eo annuente; itemque mandat, ut subdiaconi & clerici reliqui eodem honore diaconos prosequantur.

Hoc in canone, hierarchia e presbyteris, diaconis & clericis inferioribus, non sine mutua subordinatione, constans animadverti potest.

21. Subdiaconos vetat sibi sedem inter diaconos sumere, & sacra vasa tangere. Id erat, apud Græcos, in more positum, ut populi oblationes in Missa a presbytero consecrandas diaconus cum pompa in sacris vasibus ad altare deferret; ac de hac ipsa diaconorum functione intelligi debet allatus canon; qui proinde non generalem absolutamque sacra vasa tangendi interdictionem continet, quoad subdiaconos quibus ea tangere semper licuit, ut P. Morinus probat, (*Part. III. Exercit. XI. c.* 3.) sed eos solum vetat diaconorum munia usurpare, populi scilicet oblationes solemnem in modum, sacris in vasibus ad altare deferre; quod, ex græco ritu, diaconorum ministerium erat, &, apud eos, *magnus introitus Missæ* nuncupabatur.

22. Subdiaconis itidem prohibet, ne *orarium*, seu stolam gestent, Ecclesiæque januas, vel momento temporis, deserant.

23. Eidem interdictioni lectores & cantores subdit.

24. Iis omnibus qui in clero sunt, iisque ipsis qui continentiæ se addicunt, cauponæ aditum interdicit.

25. Subdiaconos vetat panem dare, & calicem benedicere, videlicet, obire diaconorum munia, qui panem & vinum, ad consecrationem Episcopo, seu presbytero celebrantibus exhibebant, quique post consecrationem, utrumque populo distribuebant.

26. Eos ait qui ordinem ab Episcopo non susceperunt, id sibi arrogare non debere, ut in Ecclesia, aut privatis in domibus exorcisent.

Vox *ordinatos*; quæ apud Dionysium Exiguum legitur, in græco textu, & in Isidori versione non reperitur; sed solum *promotus*, seu, *provectus* legitur; quod propius ad Græcorum disciplinam accedit qui exorcismum non in ordinum gradu ponunt, sed inter simplicia ministeria referunt quæ iis quos idoneos judicasset, Episcopus demandabat, ut P. Morinus ostendit, *De SS. Ordinat. part.* 3. *exercit.* 14. *cap.* 2.

27. Clericos & laicos ad convivia quæ *agapes* appellantur, accitos suam partem domum exportare vetat.

28. Prohibet agapes in Ecclesia peragi, ibique comedi & mensas instrui.

29. Christianos vetat judaizare, colando sabbato; qui potius eo die laborare debent, & ab opere, die dominico, quod Christifidelium est, abstinere.

30. Christianum quemlibet balneo cum feminis uti vetat, eoque magis quod id inter ethnicos ipsos damnatum est.

31. Parentes prohibet filios in matrimonium hæreticis tradere, nisi hi quidem Catholicam fidem se suscepturos promiserint.

32. Ex hæreticorum manu vetat eulogias suscipi, quæ nempe maledictiones potius quam benedictiones sunt.

33. Cum hæreticis, aut schismaticis orari vetat.

34. Pronuntiat in eos anathema, qui Christi Domini martyres deserunt, ut ad falsos hæreticorum martyres honorandos se conferant.

35. Effertur his verbis: „ Dei Ecclesiam deserere
„ Christiani non debent, ut ad Angelos invocandos,
„ vetitosque cœtus habendos pergant. Si quis ergo
„ compertus fuerit huic occultæ idololatriæ addictus,
„ anathema sit, quia Dominum nostrum Jesum Chri-
„ stum, Dei Filium reliquit, ut idololatriæ se de-
„ deret. “

Canon hic semel & iterum *idololatriæ* nomen tribuit Angelorum cultui quem damnat, in iisque penes quos in usu erat, apostasiam quamdam aperte ponit. Non igitur hoc loco de religioso cultu agitur qui Angelis exhibetur, in Catholica Ecclesia in qua invocantur, quin Christus Dominus derelinquatur, nec veluti divinitates quædam, sed tamquam intercessores nostri apud Deum honore afficiuntur. Theodoretus qui sexaginta circiter post Laodicense concilium annis scribebat, eos ait (*In cap.* 2. & 3. *ad Coloss.*) qui in hoc canone damnati sunt, judaizantes quosdam hæreticos fuisse, per Phrygiam & Pisidiam disseminatos qui Angelos, quasi per eos lex data fuisset, adorari volebant. Superstitiosus & idololatriam olens cultus quem hujusmodi homines iis cælestibus spiritibus exhibebant, in causa fuit, ut iidem *Angelici* vocarentur; atque is sane cultus, unus & unicus, hoc in canone proscriptus est. Cæterum, silentio præterire non debemus Isidorum, Merlinum, Crabbium, ipsumque Romanæ Ecclesiæ Canonum Codicem non *Angelos*, sed *Angulos* legere; ut, ex hac lectione, canonis interdictum occulta quæ idololatriæ causa fiunt, conventicula afficiat.

36. Presbyteros & clericos vetat magos, veneficos, mathematicos, aut astrologos agere; fascias, seu phylacteria conficere; hisque utentes ex Ecclesia trudi jubet.

Phylacteria de quibus hoc in canone sermo est, amuleta sunt, jactata remedia scilicet, ad sanandos vel antevertendos morbos, cum veneficiis conjuncta.

37. A Judæis vel Hæreticis dona accipi quæ suis ibi diebus festis mittebant, hosce ipsos festos dies cum iis celebrari vetat.

38. Panes absque fermento, quos suum Pascha agentes Judæi dant, accipi prohibet.

39. Interdicit, ne festi Ethnicorum dies cum iis celebrentur.

40. Mandat, ut Episcopi ad concilium vocati conveniant, nisi morbo impediti fuerint, ut vel alios edoceant, vel edoceantur ipsi super iis quæ ad Ecclesiæ cui præsunt, reformationem necessaria sunt.

41. & 42. Clericos vetat sine canonicis Litteris, & sine Episcopi nutu iter facere.

43. Prohibet, ne subdiaconi, vel momento temporis, Ecclesiæ fores deserant, orandi specie.

Græci interpretes monent canonem non prohibere, ne subdiaconi secretas privatasque, sed solum ne publicas preces recitent, quas, inter Missarum solemnia, presbyteri super populo recitabant, quia id facere non poterant, quin presbyterorum ministerium usurparent.

44. Feminas in Sanctuarium ingredi vetat.

Interdictio hæc in Latina æque atque in Græca Ecclesia sæpenumero renovata fuit; ut injuria Balsamon Latinis exprobret feminas, sine pudore, & pro ipsarum arbitratu, ad altare, apud eos, accedere. Is quidem insignis abusus est quem damnat Ecclesia, quemque Pastores impedire tenentur. Idem judicium de prava consuetudine ferendum est, in qua beguinæ & religiosæ quædam versantur, ut presbyteris ad Missam deserviant.

45. Eos, ut in Paschate baptizentur, suscipi vetat qui solum post secundam Quadragesimæ hebdomadam præsentaverint.

46. Mandat, ut catechumeni qui baptizandi sunt, ea quæ fideles credunt, ediscant, eorumdemque, feria quinta, Episcopo, seu presbyteris rationem reddant.

Canonum collectores, cujusmodi sunt Isidorus, Dionysius Exiguus, & Gratianus, canonem hunc intelligunt de Symboli recitatione quam catechumeni, feria quinta hebdomadæ sanctæ, apud Episcopum, vel apud presbyteros edere consueverant; at Zonaras & Balsamon, hoc in canone, de examine agi monent quod catechumeni, cujusque hebdomadæ feria quinta, subibant apud Episcopum, vel presbyteros, ut hi quidem de eorum progressu judicare possent; quod magis est græco textui consentaneum, in quo id unum legitur: *Quinta hebdomadæ feria*; cum laudati auctores addant: *Hebdomadæ majoris*, seu, *novissimæ*.

47. Eos qui, dum ægrotabant, baptizati fuerunt, ubi convaluerint, edoceri vult, ut doni magnitudinem cognoscant, quod perceperunt.

48. Oportere ait, ut baptizati, post Baptismum cælesti Chrismate ungantur, scilicet confirmentur, ex ejus temporis disciplina, quo Confirmationis sacramentum, statim post Baptismi sacramentum conferebatur.

49. Panem ait, Eucharistiam nempe, Quadragesimæ tempore, non nisi sabbato, dieque dominica offerri debere.

50. Je-

50. Jejunium, a feria quinta postremæ hebdomadæ Quadragesimæ, intermitti vetat, mandatque, ut per totam Quadragesimam jejunetur in *xerophagiis*, videlicet, sicca solum cibaria comedantur.

51. Non debere ait Martyrum festos dies, in Quadragesima, præterquem sabbatis, diebusque dominicis celebrari.

52. Nuptias, & ob natalem diem festa, per Quadragesimam vetat.

53. Christianos vetat, cum nuptiis intersunt, choreas agere, iisque solum licere vult, modeste prout christianum hominem decet, convivari.

54. Ecclesiasticos prohibet spectaculis interesse quæ inter nuptias & convivia peraguntur, eosque ante saltatorum ingressum egredi vult.

55. Vetat, ne clerici, atque adeo laici convivia in caupona, suam quisque symbolam solventes agitent.

56. Presbyteros ante Episcopum, nisi ægrotet, aut absit, in Sanctuarium ingredi vetat.

Olim mos obtinebat, ut Episcopo Missam celebranti omnes presbyteri adsisterent; & hac sane occasione presbyteros adsistentes jubet Episcopo non præire, sed eum, honoris ergo, cum ad Sanctuarium progreditur, comitari. Nostræ cathedrales Ecclesiæ veteris hujus disciplinæ vestigia servant, prout Canonici Episcopo occurrunt, eumque ad Ecclesiam ducunt, quibus is diebus officio fungi debet.

57. Mandat, ut in suburbiis & in vicis non Episcopi, sed solum visitatores instituantur, eosque qui ibi jam instituti sunt, æque ac presbyteros, sine urbani Episcopi nutu jussuque, nihil agere vult.

58. Prohibet Episcopis & presbyteris, ne suis in ædibus Sacrificium offerant.

59. Oportere pronuntiat, ut in Ecclesia nec peculiaria cantica seu psalmi, nec alii libri legantur quam canonicæ veteris & novi Testamenti Scripturæ; atque ut, quænam hæ canonicæ Scripturæ sint, innotescat, eas concilium in sexagesimo canone enumerat. Est hic primus veteris & novi Testamenti Librorum canon quem in concilio editum fuisse constat; is ipse qui Tridentini concilii est, nisi quod in veteris Testamenti Librorum Catalogo, omittuntur Judith, Tobias, Sapientia, Ecclesiasticus & Machabæi, & in novo, solum Apocalypsis. Ad horum canonum calcem nulla legitur Episcoporum subscriptio; quod efficit, ut qui huic concilio interfuerunt, haud nobis noti sint; id unum scimus Epistolam Canonum Adriani Papæ, in Conciliorum tomo sexto, notare Episcopos numero viginti duos Laodiceni concilii canonibus subscripsisse. (Van-Espen, *Jur. eccl. univ. Tom. III. p.* 145. *& seq.* Ceillerius, *Hist. Auctor. sacror. & eccl. Tom. IV. p.* 724. *& seq.*)

Concilium Gangrense, an. 364.

Gangrensis concilii non minus quam Laodiceni epocha incerta est. In universo Romanæ Ecclesiæ veteri Codice, & in aliis pluribus Collectionibus, concilium hoc post Nicænum, & ante Antiochenum an. 341. habitum, ponitur. Socrates qui omnium Auctorum primus de Gangrensi concilio locutus est, illud ponit post Constantinopolitanum primum quod an. 360. habitum fuit; alii post S. Basilii mortem quæ an. 379. contigit; alii post annum 362. eo fundamento nixi, quod Eusebius qui creditur fuisse Cæsariensis in Cappadocia, primus, in omnibus græcis & latinis editionibus, huic concilio subscripsisse conspicitur; jam vero Eusebius, ab an. 362. ad usque 371. Cæsareensem Ecclesiam administravit. Utcumque sit, habitum est concilium hoc in quemdam Eustathium, ejusque discipulos Eustathianos dictos qui errores plures docebant. At quis erat Eustathius hic? Isne Eustathius qui Sebastes in Armenia Episcopus fuit, an aliquis alius? Eum Socrates & Sozomenus Eustathium Sebastenum fuisse dicunt; Baronius contra stat, quia nec S. Basilius, nec auctorum ullus qui passim de Eustathio Sebasteno locuti sunt, huic ejus errores exprobravit qui in Gangres, Paphlagoniæ metropolis concilio damnatus fuit. Concilio huic Episcopi quindecim interfuere, in eoque viginti Canones edidere quibus veneratione multum semper tum apud Græcos tum apud Latinos fuit. Verum quidem est in Romanæ Ecclesiæ Codice canones tantum novendecim, apud Balsamonem autem & Zonaram, atque in novis collectionibus cæteris viginti unum enumerari; at propterea factum, quia canon quartus in Romanæ Ecclesiæ Codice omittitur, novique Collectores qui unum & viginti canones numerarunt, pro peculiari canone, omnium canonum appendicem sumpserunt. Osium Cordubensem, tamquam Papæ Sylvestri legatum huic concilio præfuisse credidit Baronius; at Osii nomen in omnibus exemplaribus græcis & in latinis plerisque desideratur.

Primus Canon anathema in eos omnes pronuntiat qui matrimonium vituperant, ajentes feminam cum marito viventem non posse salutem consequi.

Canonem hunc Gratianus (*Dist.* 3. *canon.* 12.) ad presbyterorum matrimonium redegit, contra Manichæos editum addens; at eum Romani correctores ad omnium generum matrimonia referunt, ajuntque non contra Manichæos, sed contra quemdam Eustathium qui errorem hunc cum aliis pluribus in Armenia disseminaverat, editum fuisse.

2. Eos anathemate hic quoque percellit qui dicunt carne vesci non licere, quamvis a sanguine, dapibusque suffocatis & immolatis abstineretur.

Perspicitur ex hoc canone, a sanguine, suffocatisque & immolatis carnibus abstinendi præceptum adhuc, Gangrensis concilii tempore, viguisse.

3. Pronuntiat & hic in eos anathema qui captivos docent dominos suos deserere, & e servitio recedere, pietatis specie.

4. Eos anathematizat qui se a presbytero segregant qui conjugatus fuit, ab eoque celebratæ oblationis participes esse nolunt.

Isidorus, Hervetus, Balsamon, Zonaras, Aristenius, & Latinorum collectorum plerique canonem hunc de presbytero intelligunt qui, cum matrimonium, dum laicus erat, iniisset, ac deinde ad sacerdotium promotus esset, uxorem, etiam ad conjugalem usum, retinuit; quod penes Græcos permissum erat. Quamobrem canon hic in Romanæ Ecclesiæ Codice omissus fuit, quia cum Latinorum disciplinæ adversaretur, erat timendi locus, ne quid incommodi eidem afferret.

5. & 6. Dicunt in eos anathema qui Dei domum spernunt, itemque cœtus qui ibidem habentur, & in privatas ædes convenientes, ibi ecclesiasticas functiones obeunt, quin presbyter ullus adsit, & Episcopus assentiatur.

7. & 8. Eadem in eos anathemata continent qui ea quæ Ecclesiæ oblata fuere, sibi sumunt, distribuuntve absque Episcopi eorumque consensu quibus ipse id officii demandavit.

9. & 10. „ Iis anathema qui virginitatem, aut continentiam, non virtutis pulchritudine illecti, sed matrimonii horrore adducti amplectuntur, vel conjugatis insultant quibus ipsi se præferunt. “

Virgines quidem qui conjugatis se præferunt, concilium non damnat, quasi cum virginitatis statu matrimonii statum æquare velit; at, virginitatis supra matrimonium excellentiam agnoscere, eos virgines damnat, qui, ut Eustathiani, Marcionitæ, & Encratitæ, matrimonium tamquam horribile malum vituperabant, & conjugatos tamquam ab æterius vitæ remunerationibus exclusos spectabant.

11. „ Iis anathema qui agapas, & charitatis convivia „ quæ in Dei honorem fiunt, aspernantur, eorumque „ participes esse nolunt. “

Cum Dei Filius (apud S. Lucam, *cap. XIV.*) iis qui epulas pararent, commendasset, ut pauperes ad eas convocarent, hoc verbum primis fidelibus causam præbuit, ut agapas, seu charitatis convivia instituerent. Agebantur convivia hæc in Ecclesia, post eucharisticum Sacrificium cujus conclusio veluti quædam erant; ad ea pauperes æque ac divites recipiebantur; at cum, subsecutis temporibus, intemperantia in has agapas irrepsisset, eas aboleri necesse fuit.

12. „ Iis anathema qui, asceticæ vitæ specie, singularem habitum deferunt, eosque damnant qui induti, ut cæteri, incedunt. “

Eos spectat canon hic qui student se distinguere, singularibus gestandis vestibus, perinde ac si ejusmodi indumentis sanctitas contineretur, eosque contemnunt qui vestes in more positas deferunt. Non ergo monasticum habitum damnat, singularem licet aliumque a laicorum habitu, quandoquidem monachi suo in habitu sanctitatem non ponunt, nec laicos damnant qui aliter induuntur. Addendum & illud, si monachorum habitus hoc tempore tam alius ab eo est quo laici utuntur, id propterea factum esse, quia quoad caput hoc laici mutarunt, non item monachi. Eorum laudatores habitum fere sumebant quem pauperes ea temporis ætate gestabant. Cum laici, deinceps, suarum vestium & formam & qualitatem mutaverint, & monachi mutationes has adoptare noluerint, eos aliter ac laicos indutos esse necesse fuit.

13. „ Feminis anathema, quæ, vel continentiæ facilius servandæ specie, viriles habitus induunt. “

14. „ Feminis anathema quæ viros propterea deserunt, quia matrimonium aversantur. “

15. „ Parentibus anathema qui filios deserunt, asce-

„ ticæ

„ ticæ vitæ specie, quin eorum educationis aut resipiscentiæ curam suscipiant, “

16. „ Filiis anathema qui, eadem pietatis specie, parentes deserunt, quin iis quem debent honorem exhibeant. “

17. „ Feminis anathema quæ, hujusmodi obducta causa, capillos sibi recidunt quos iis Deus in obedientiæ quam vitia debent, argumentum tribuit, & hac ratione hujus obedientiæ præceptum abolent. “

18. „ Iis anathema qui dominica die jejunant, singularitatis prurigine, contumacia, ajuiva sanctæ diei contemptu permoti. “

19. „ Iis anathema qui consueta Ecclesiæ jejunia spernunt. “

20. „ Iis anathema qui Martyrum memorias, cœtus qui apud aas habentur, quæqua ibidem celebrantur, officia vituperant. “

21. Effertur ita: „ id quidem mandamus, non ot eos ab Ecclesia abscindamus qui se ad pietatem formare volunt, ad Scripturarum normam, sed eos tantum quibus ejusmodi exercitationis occasioni sunt, ut supra simpliciorem vitam cum arrogantia afferantur, contraqua Scripturam & canones, novitates inducant. Admiramur ergo virginitatem, continentiam & a communi convictu separationem approbamus, modo aaa humilitas & modestia comitentur; at matrimonium honore afficimus, nec divitias cum justitia & liberalitate conjunctaa contemnimus. Vestium quæ ad necessarium tantummodo corporis osum sunt, simplicitatem laudamus; in iisdemqua nac mollitiem nec curiositatem approbamus. Det domos, cœtusqoa qui ibidem habentur, honoramua, quin tamen pietatem parietibus concludamus. Magnas etiam liberalitates quas fratres, per Ecclesiæ ministerium, to pauperes conferunt, commendamus. Uno verbo, nobis in votis est, ut, quicquid ex divinis Scripturis & apostolicis Traditionibus didicimus, ibidem servetur. “

Animadvertunt docti Viri, concilii Patras id dicete, oon in canonia, sed appendicia, seu epilogi modum, ad intellectionem canonum qui præcedunt, ne qua ratione, contra eorum mentem, in malam partem trahantur. Animadverti & illud posset, in hac appendice, Gangrenses Patres, tamquam morum regulam, non divinas solum Scripturas, sed apostolicas etiam Traditiones agnoscere. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillartus, *Hist. Auct. sacrorum & eccl. Tom. IV. pag.* 734. *& seq.* Van-Espen, *Juris Ecclesiastici universi, Tom. III. part.* 119. *& seq.*

Concilium Romanum, ann. 366.

Macedoniani, cum plura concilia, Lampsaci, Nicomediæ, Smyrnæ, in Pilidia, in Isauria, in Pamphylia coegissent, taodam ad imperatorem Valantinianum, ad Papam Liberium & ad alios Occidentis Episcopos deputare statuerunt, ut eorum fidem amplecterentur. Delegerunt, ad haoc deputationem, Eustathium Sebastenum, Silvanium Tarsensem & Theophilum Castabalensam, quibus in mandatis dederuot, ut cum Romana Ecclasia communicarent, & Consubstaotialitatem signarent. Eos Papa Liberius in concilio quod, ad ann. 366. Romæ habuit, in communionem recepit, eisdemque ad Episcopos qui eos deputaverant, Epistolam tradidit. Eustathius, Silvanius & Thaophilus, cum Roma discessissent, in Siciliam sa contulerunt, ubi regionis Episcopos congregarunt, iisqua præsentibus, Nicænum eidem & *consubstantialis* vocabulum approbarunt. Tum, ann. 367. in Orientem regressi, concilio quod eo ipso tempore Tyanæ in Cappadocia habebatur, tam Papæ Liberii, quam Siciliæ aliorumque Occidentis Episcoporum quibuscum in suscepto itinere communicaverant, Litteras, actumque obtulerunt quem attulerant ex urba Roma, consubstaotialitatis subscriptione quam ediderant, obsignatum. Eos Tyanenses Patres lætitia gestientes exceperuot, scripseruntque ad omnes Orientis Ecclesias, ut eas io suam communionem pertraherent. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Antiochenum, in Caria, ann. 367.

Episcopi Macedoniani, numero triginta quatoor hoc concilium coniecerunt. In eo de Ecclesiarum quidem conciliatione sollicitudinem testati sunt; sed *consubstantialis* vocabulum rejecerunt, mandaruntque, ut ne latum quidem a Fidei Dedicationis Antiochiæ confessione, Seleuciæ confirmata quam esse opus Sancti Luciani martyris asserabant, recedaretur. *Ibid.*

Concilium Romanum, ann. 368.

Concilium hoc sub Papa Damaso habitum fuit. In eo damnati Valens, Ursacius & Ariani cæteri. *Lab. Tom. II.*

Concilium Romanum, ann. 369.

Rogatus a S. Athanasio & Ægypti Episcopis summus Pontifex Damasus, ut Auxentium, Arianum Episcopum, Mediolani, deponeret, Romæ ann. 369. concilium coegit cui nonaginta Italiæ simul & Galliarum Episcopi adfuere. Hi Auxentium deposuerunt, scripseruntque ad Illyriæ Episcopos quos is magna ax parta in arrorem traxerat. Schismaticus Ursicinus hoc in concilio & ipso damnatus fuit. *Ibid.*

Concilium I. Valentiæ in Delphinatu, Valentinum, ann. 374.

Ex adscripta die constat habitum fuisse concilium hoc IV. Idus Julii, Gratiano imperatore & Equitio Consulibus, hoc est, Julii dia 12. ann. 374. Ei Episcopi viginti duo, vel etiam triginta, ax quodam manu scripto codice, iotersuara, inter quos maxime noti sunt S. Florentius Viennensis, S. Phæbadius Ageonensis, qui *Phegadius* aut *Fegadius* nominatur, Sanctus Coocordius Arelatensis, Artemius Embrodunensis, S. Vincentius, primus Episcopus Diniensis, Britton seu Brittanius Trevirensis, Eortius qui fuisse creditur S. Evortius seu Euvertius Aurelianensis, S. Justus Lugdunansis, Emilianus Valentinus, S. Paulus Augustæ Tricastinorum, Nicetius Moguntinus, & Constantius Arausicanus. Usuardus in Martyrologio, aliique nonnulli S. Paulum Tricassinum Episcopum faciunt. Similitudo nominum *Tricassinus & Tricastinus* errori locum dedit. Quibus in locis Episcopi fuerint cæteri, quis item fuerit concilii præses, haud satis constat. S. Phæbadius Agennensis qui in fronte Litterarum concilii primus est, in subscriptionibus non reperitor, in iisdemque S. Florentius Viennensis omnium primus nominatur; quod judicandi locum præbere potast eum concilio præfuisse, titulo Metropolitani Viennensis Provinciæ a qua Valentia pendebat. Concilium non alia da causa convocatum fuisse videtur, quam ut aliquod dissidium quod in Gallicana Ecclesia contigerat, componeretur; at Episcopi, rebus, ut par arat, in integrum restitutis, quatuor præterea qui sequontur, canones ediderunt.

1. Ejusmodi ast: „ ne clero dedecus afferatur, prohibetur, ne bigami, qui nempe matrimonium bis inierunt, aut viduam duxerunt, io posterum ordinentur, atiamsi matrimonia hæc, cum adhoc essent idololatræ, contraxissent. Quia tamen commonis erat abusus hic, eos turbari non libet qui hactenus in hoc statu ordinati fuere, nisi, forte alia causa subsit, quamobrem ad eorum depositionem deveniatur. “

2. Puellis quæ libera nupserunt, postquam Deo virginitatem voverunt, haud statim pœnitentia concedetur; eaque tandem concessa, communio differetur, quoad per cumulatam & congruam pœnitentiam satisfecerint. “

3. „ Qui, postquam semel sanctum Baptisma susceperunt, se dæmonum sacrificiis, aut aliquo impuro baptismate polluerunt, recipientur ad pœnitentiam, ut Nicænum concilium mandat ne in desperationem adducantur; at eam agent ad mortem usque. “

4. „ Qui cum inibi essent, ut diaconi, presbyteri, vel Episcopi ordinarentur, se alicujus lethalis criminis reos confessi fuerint, ad eos ordines nequaquam promovebuntur, quia si minus reapse horum criminum rei sunt, ei saltem culpæ subsunt, quod mentiti sunt, ut se reos exhiberent. “ Perspicitur ex hoc canone, promotionis ad ecclesiasticas dignitates timorem eo tempore tam magnum fuisse, ut sæpe ad falsa crimina sibimet ipsis imponenda fideles adduceret.

Prætar hos quatoor, alii duo tamquam hujus concilii canones a Gratiano laudati comperiuntur. (*Tom. I. Conc. Lab.*)

Horum primus Episcopum vetat Ecclesiæ bona dare, aut permutare, sine sui cleri, de scripto, consensu, & daclarationem nullam daclarat. Secundus mandat, ut presbyteri qui diœcesis Ecclesias administrant, ante Paschatis solemnia, sanctum Chrisma a proprio Episcopo, ipsi per se, vel per alium presbyterum, non autem per juniorem clericum petant. At primi Valentini concilii synodica Epistola, cujusmodi quidem

dem ad nos pervenit, quatuor tantum priores canones continet. Data est ad Episcopos Galliarum & provinciarum quinque, nempe, Viennensis, Norbonensium duorum, Alpium maritimarum & Alpium Græcarum, seu, secundum auctores aliquos, Novempopulaniæ, Alpium Græcarum loco. Per Gallias, tum quidem Lugdunensis & Belgica tantum intelligebantur. Præter hanc Epistolam, concilium aliam dedit ad clerum & populum Forojulii in Provincia, qui quemdam nomine *Acceptum* seu *Accepten*, unanimi consensu, Episcopum elegerent; qui, ut ordinationem evitaret, & humilitatis sensu quodam, se criminis accusavit; negotio ad concilium delato, Patres responderunt, se, qui ejusmodi ordinationes rejicere (in 4. canone) statuissent, Acceptum a regula dispensare non potuisse, quamvis Concordii Arelatensis qui rem detulerat, testimonium ei summopere faveret. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Auct. sacr. & eccl. Tom. V. p.* 606. *& seq. Hist. Ecclesiæ Gallic. Tom. I. pag.* 310. *& seq.*

Concilium Illyria, Illyricianum, ann. 375.

Tradit Theodoretus (*Lib.* 4. *c.* 7. *&* 8.) concilium hoc imperatoris Valentiniani jussu coactum fuisse, & hunc Principem ejus decretis auctoritatem tribuisse; quod efficit, ut credatur habitum esse ann. 375. quo Valentinianus totum æstatis & autumni tempus in Illyria transegit. Concilii convocationi id causæ fuit, ut, super doctrina, controversiæque quæ adbuc Asiam & Phrygiam turbabant, finirentur & remedium quibusdam abusibus afferretur qui in iis provinciis, Episcoporum inferiorumque ministrorum electionem inficiebant. Disputationes quidem super natura Spiritus Sancti quæ separabatur a nature Patris & Filii, potissimum versabantur; quod argumento est Macedonii hæresim in iis provinciis grassatam fuisse. Episcopi qui numero plures convenerant, declararunt, post longius examen accuratiusque, quoad divinarum trium Personarum consubstantialitatem & Verbi Incarnationem, id se profiteri quod super eo duplici capite, superiore concilia, Nicææ, Romæ, & in Galliis celebrata docuerent, credere scilicet Patris, Filii & Spiritus Sancti unam eamdemque in tribus Personis, seu tribus Hypostasibus perfectis substantiam esse, & Christum Dominum Deum esse ferentem carnem, non autem hominem ferentem divinitatem. Eos anathemate perculerunt qui asserebant Filium fuisse potestate in Patre, antequam reapse generaretur, quod creatis rebus omnibus conveniebat, & quicunque eorum communionis participes essent, qui trium Personarum consubstantialitatem nequaquam confitebantur. Decretum hoc ad Ecclesias & ad Episcopos Asiæ & Phrygiæ miserunt, cum Epistola totius concilii nomine scripta, alioque decreto ad Episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordinationes spectante, ut ex perspectæ probitatis magistratibus, aut ex cleri, non vero e civilium aut militarium officiariorum corpore sumerentur. Imperetor Valentinianus concilii decreto & Epistolæ Rescriptum ad eosdem Asiæ & Phrygiæ Episcopos missum addidit, quo mandabat, ut Trinitatis consubstantialis Fides ubique promulgaretur. Animadversione dignum est *hypostasis* nomen, in concilii synodica Epistola, tamquam *persona* synonymum adbiberi; cujus rei pauca reperiuntur in Occidentalium scriptis exempla. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Aug. sacrorum & eccl. Tom. V. p.* 609. *& seq.*

Concilium Iconii, Iconiense, ann. 377. *seu* 378.

Sanctus Amphylochius, Iconii Episcopus in Lycaonia, concilium hoc una cum suæ provinciæ Episcopis celebrevit, in eoque Spiritus Sancti divinitatem defendit. Constat id ex ejus synodica ad Episcopos plures Epistola, qui cum eo cæterisque Catholicis conjungi petierant, sed antea scire cupiebant, qua de causa, cum Nicæna Synodus nihil super Spiritus Sancti divinitate & consubstantialitate statuisset, eos adigi in præsentia liberet, ut utramque confiterentur. Sanctus Amphilochius respondet, si Nicæna synodus parum de Spiritu Sancto locuta est, id propterea fecisse, quia de Arii tantum hæresi tunc agebatur, quæ Verbi divinitatem, non autem Spiritus Sancti impugnabat; nihilo tamen secius Spiritus Sancti divinitatem satis in Nicæno Symbolo statui, quandoquidem in eo dicitur in Spiritum Sanctum, ut in Patrem & Filium credendum esse. Addit S. Præsul Christum Dominum, dum in Spiritus Sancti æque atque in Patris & Filii nomine Baptismum conferri jussit, in hunc sane modum jussisse, ut eumdem, perinde ac reliquas Personas duas, Deum nostrum agnosceremus. *Tom. II. Monumen. Cotelerii, pagina* 909. *& Tom. I. Concil. Hard. pag.* 798.

Concilium Romanum, ann. 377. *vel* 378.

Cum Orientis Episcopi, ann. 377. presbyteros Dorotheum & Sanctissimum in Occidentem misissent, qui Occidentales rogarent, ut Eustathium Sebastenum qui in Macedonianorum hæresim relapsus fuerat, itemque Apollinarium damnarent qui novam sectam conflare cœperat, inquiens in Christo Domino solum humanam carnem, & animam animalem fuisse, eam scilicet quæ efficit, ut vivamus, non autem eam per quam ratiocinamur, effutiensque divinitatem in eo hujus rationalis animæ functiones edidisse; Papa Damasus super hac re concilium celebravit in urbe Roma, labente ann. 377. vel 378. ineunte. In eo Apollinarii errores damnati, decretumque Christum Dominum simul verum hominem & verum Deum fuisse, & quicunque diceret seu ejus divinitati, seu ejus humanitati aliquid defuisse, eum Ecclesiæ hostem judicandum esse. Apollinarii quoque personam concilium damnavit, eumque deposuit cum Timotheo ejusdem discipulo qui Alexandriæ Episcopum se dicebat; & hæc sententia deinde in Antiocheno concilio, ann. 379. & in concilio æcumenico Constantinopolitano, ann. 381. confirmata fuit. Perculit etiam anathemate quemdam Magnum, & Vitalem quem Apollinaristarum Antiochenorum episcopum Apollinarius statuerat. Scripsit Damasus, concilii nomine, ad Orientales Epistolam, cujus hæc reapse vis, hic tenor est: „ omnes in concilio confessos esse, in Deo unam tantum substantiam esse, Personas vero tres; Filium suam propriam substantiam habere; verum Deum esse de vero Deo; natum esse de Virgine, perfectum hominem, ut nos redimeret; Spiritum Sanctum & ipsum increatum esse in eadem majestate & virtute ac Patrem & Dominum nostrum Jesum Christum; in clericorum ordinationibus, regulas a canonibus præscriptas servandas esse. “ Deinde vero Apollinarii errorem refellit. Extat ad hujus Epistolæ calcem decretum quod Holstenius, eumque secutus P. Labbæus hujus concilii esse crediderunt, sed quod re vera alterius concilii est, in eadem urbe, sub Papa Gelasio, habiti, ut alibi palam fiet. Sub ejusdem ann. 378. finem, Damasus ex omnibus Italiæ regionibus, concilium alterum Romæ coegit. Hujus concilii convocationi occasionem præbuit, 1. causa ipsius Papæ Damasi qui se purgare voluit e crimine de quo Judæus quidam nomine *Isa.*, ab anti-papæ Ursini vel Ursicini factione devictus eum per calumniam accusaverat; 2. plurium Episcoporum causa, qui, quamvis a conciliis depositi, se per vim in sede servabant. Suppetit nobis Epistola quam concilium ad imperatores Gratianum & Valentinianum scripsit, ut apud eos de hujusmodi malis recto ordini adversantibus conquereretur. *Tom. I. Epist. Decret. pag.* 523. *& Tom. I. Concil. Lab. pag.* 1001.

Concilium Antiochenum, ann. 379.

Concilium hoc ex centum quadraginta sex Episcopis conflatum fuit, e quorum numero erant S. Meletius, S. Gregorius Nyssenus, S. Eusebius Samosatenus, S. Pelagius Laodicenus & S. Eulogius Edessenus. Nobis hujus concilii nihil superest: id unum constat, in eo receptam fuisse firmatamque synodicam Epistolam, seu Fidei Expositionem a Romano concilio, sub Damaso, ann. 378. editam, quæ Ecclesiæ Fidem super Trinitate, & peculiariter super Spiritus Sancti divinitate roborabat, & Apollinarii errores damnabat. Confirmavit præterea hoc Antiochenum concilium dogmata quæ in ea synodica Epistola continentur, per Scriptum, seu Tomum quem concinnavit, quique laudatur in synodica Epistola concilii Constantinopolitani, ann. 382. & apud Theodoretum, *lib.* 5. *cap.* 9.

Concilium Romanum, ann. 379.

Nobis superest hujus Concilii confessio Fidei, supersunt etiam anathematismi contra Macedonii, Eunomii & Apollinarii errores in eodem editi. De hoc concilio loquitur Theodoretus in Historiæ suæ *Cap.* 2. *Lib. V.* & hanc ipsam Fidei confessionem affert; eadem confessio legitur in Epistola quam summus Pontifex Damasus, eodem anno, ad Paulinum, Antiochenum Episcopum scripsit. *Tom. I. Epist. Decret. pag.* 511. *Hard. Tom. I. Lab. Tom. II.*

Con-

Concilium Cæsar-Augustanum, an. 380.

Concilium hoc, contra Priscillianistas, Cæsar-augusta, quæ Aragoniæ Regni Metropolis, habitum fuit. Ei adfuere Aquitaniæ Episcopi cum Hispaniarum Episcopis, numero duodecim, quorum primus *Firadius*, qui S. Phæbadius Agennensis creditur, nominatur; secundus, S. Delphinus Burdegalensis. Nobis non superest nisi Fragmentum Auctorum bujus concilii, quod eorum conclusio esse videtur, datum est die 4. Octobris æræ 418. scilicet an. 380. continetque anathemata plura, plura item decreta quæ ad Priscillianistas aperte spectant.

Primus Canon feminas damnat quæ cum exteris hominibus, doctrinæ specie, eut ipsæ coetus habent, ut feminae elias edoceant;

2. Eos qui jejunant, die dominica, superstitionis ergo, quique, per Quadragesimam, ab Ecclesiie recedunt, ut in alte montium, aut in cubicula se recipiant, vel ut in quibusdam ruralibus domibus coeant;

3. Eum qui Eucharistiam quam in Ecclesia acceperit, non consumpsisse convictus fuerit.

4. Absentiam prohibet per eorum viginti dierum & unius spatium, qui e Decembris die decima septima ad Januarii sextam excurrunt, hoc est, post dies octo qui Natale præcedunt, ad Epiphaniem usque.

5. Separat Episcopos e communione, qui eos susceperint quos alii Episcopi ab Ecclesie separaverint.

6. Clericos vetar suum ministerium deserere, ea obducta causa, ut in vita monastica majori perfectioni vacent; quod si illud deseruerint, ex Ecclesia expellentur, nec in eam recipientur, nisi postquam diu pœnitentes fecerint satis.

Hoc primum loco sermo est de monastica vita, in Hispania. Eam haud quidem damnat canon hic; solum vetat, ne suum clerici ministerium deserant, ut eam amplectantur, seu clericaturæ contemptu, seu animi levitate, seu sine Episcopi venia.

7. Eos impetit qui sibi *Doctorum* nomen, absque legitime auctoritate tribuunt.

Animadvertit Albaspinæus Doctoratum fuisse Ecclesiæ dignitatem quamdam. Eum Tertullianus, in suo de præscriptionibus Libro, in ministeriorum gradum refert; & S. Cyprianus, *Epist.* 21. de doctoribus & ipse loquitur, eosque videtur in clero ponere: *Optatum cum presbyteris, doctoribus, lectoribus doctorum audientium constituimus.* Vetat igitur canon hic, ne quis Doctoris titulum sibi sumat, sine eorum permissione qui eum concedendi jus obtinent, Episcoporum videlicet qui Doctores, æque atque archidiaconos & pœnitentiarios instituebant, quique in Ecclesia Canones eos inscribebant. Universitates, subsecutis temporibus, hoc in capite, Episcopis successerunt; hæ quippe sunt quæ Doctores creant.

8. Mandat, ut virgines, non nisi quadragesimo ætatis anno, & quidem per Episcopi auctoritatem velentur.

Quoniam canones hi contra Priscillianistas editi fuerunt, & hi sane hæretici huic ipsi Cæsar-augustano concilio occasionem præbuerunt; scitu dignum proinde est Priscillianistarum hæreseos auctorem primum fuisse quemdam nomine Marcum, Memphi in Ægypto natum, magicæ artis apprime peritum, & Manichæorum secta. Hic ex Ægypto in Hispaniam venit, ubi discipulos habuit feminam nobili genere, *Agapen* nomine, & rhetorem quemdam, cui nomen *Elpidio*. Agape & Elpidius Priscillianum edocuere; qui porro Priscillianistarum sectæ nomen dedit. Quicquid in præcedentibus, peculiariter vero Manichæorum & Gnosticorum sectis ad omnem pravitatem crassius turpiusque erat, in hac secta, veluti in monstrosa quadam farragine continebatur. Docebant Priscillianistæ, cum Sabellianis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unam & unicam personam esse. Cum paulo Samosateno & Photino garriebant Christum Dominum, antequam ex Virgine nasceretur, omnino non extitisse, atque adeo hanc ipsam nativitatem non nisi apparentem fuisse; cum Marcione & Manete contendentes humanam naturam vere in Christo non fuisse. Hostes erant Crucis, & carnis resurrectionem credere nolebant. Matrimonium aversabantur, illudque, quantum in ipsis erat, dissolvebant, separantes viros ab uxoribus, uxores e viris, quantumvis partes refragerentur, obsisterentque. Tum has feminas ipsi sibi sumebant, Sororum titulo, suisque in itineribus secum ducebant. Ad Ecclesiam cum Catholicis conveniebant, ibique Eucharistiam suscipiebant quam tamen non absumebant. Jejunabant die Dominica, dieque Natalis Domini, at iis diebus, perinde ac Quadragesimali tempore, ruri & quidem per agros, sua conventicula celebrabant. *Reg. Ricard Concil.* Tom. I. *To. III. Lab. T. .. II. Hard. To. I.* Aguirræus, *Concil. Hispan. To. III. pag.* 1. *& seq.* Ceillarius, *Hist. Anil. sacror. & eccl. Tom. V. pag.* 630. *& seq.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 381.

Theodosius imperator Constantinopolitanam Ecclesiam ab Arianorum dominatione subtrahere volens, aliarumque nonnullarum Orientis Ecclesiarum malis remedium afferre, concilium hoc, mense Majo an. 381. congregavit. Ejus igitur convocatio eo demum spectavit, ut Nicæna Fides confirmaretur, Constantinopoli daretur Episcopus, & ad disciplinam spectantia decreta ederentur. Adfuere concilio Orientis Episcopi numero centum & quinquaginta, quorum præcipui S. Meletius Antiochenus, Helladius Cæsareæ, in Cappadocia, Episcopus, S. Gregorius Nissenus, S. Petrus Sebastenus, ejusdem frater; S. Amphilochius Iconiensis, S. Pelagius Laodicenus, S. Eulogius Edessenus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, Dionysius Diospoli in Palæstina, confessor; Vitus Carrarum, in Mesopotamia, Episcopus, pietate celebris; Abraham Barrensis, in Mesopotamia, confessor; aliique plures, in Veterum Scriptis, & præsertim in S. Basilii Epistolis honorifice nominati. Accessere Macedoniani etiam Episcopi numero triginta sex. Ullum a Damaso missum qui ejus vices ageret, aut cæterorum Occidentalium quempiam ad concilium profectum esse non constat; ac Theodosius ipse illud ex Oriente solum coegerat, quod tamen non obfuit, quin secundum concilium œcumenicum haberetur, ob consensum quem deinde Occidens decretis super Fide in eo editis præbuit. Timotheus, Episcopus Alexandrinus, concilio præfuit, quippe qui, post Romanum Episcopum, primum, ex Nicæno Concilio, locum tenere debebat, quemque Socrates primum nominet. Qui præsidem S. Meletium, aut Nectarium faciunt, cum duabus Arianis synodis, una quidem ante, altera vero post Constantinopoli habitis hoc generale concilium confundunt; eorum primo S. Meletius, alteri Nectarius præfuit. Examen ordinationis Maximi Cynici qui se constantinopolitanum Episcopum ordinandum curaverat, concilii initium dedit. Eum Patres nec fuisse nec esse Episcopum pronuntiarunt, ejusque magnæ urbis episcopali sedi, solemnem in modum, S. Gregorium Nazianzenum imposuerunt; et cum paulo post S. Præsul ea se dignitate abdicasset, Nectarius in ejus locum suffectus fuit. Operam deinde contulere concilii Patres, ut contra non unius generis hæreses Fidem firmarent, ac Tomum contexuere, ampliorem Fidei professionem scilicet, cujus partem Symbolum quod a nobis in Missa dicitur, conficiebat; septem etiam canones ediderunt.

Primus mandat, ut nemini liceat Nicænam Fidem rejicere, sed ei sua maneat auctoritas, omnesque & singulæ, nominatim vero Eunomæorum seu Anomæorum, Arianorum seu Eudoxianorum, Macedonianorum seu Spiritus Sancti hostium, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, Apollinaristarum hæreses anathemate percellantur.

2. Episcopos vetat ad Ecclesias pergere quæ extra eorum diœcesin sunt, Ecclesiasve confundere: ut proinde, secundum canones, Alexandrinus Episcopus administrare debeat Ægyptum solummodo, &c.
„ Episcopi a diœcesi non egrediantur, quin ad electiones, vel ad alia ecclesiastica negotia acciti fuerint; at cujusque provinciæ negotia ad Nicænos canones exiget provinciæ concilium. Ecclesiæ quæ penes barbaras nationes sunt, ex consuetudine a Patrum temporibus recepta administrabuntur. "

Diœcesis nomine, cujus hoc in canone mentio fit, veniebat magnum regimen quod plures provincias complectebatur, quarum unicuique sua metropolis erat: & quod hoc tempore *diœcesis*, hoc est, urbis quæ cum Episcopo subest, territorium a nobis dicitur, tunc *parœcia* nuncupabatur.

3. Constantinopolitanæ Ecclesiæ primum honoris gradum post Romanam tribuit, quia Constantinopolis erat nova Roma.

4. Maximum Cynicum enuntiat nec Episcopum unquam fuisse, nec modo esse, eosque quos ordinavit, in quocunque cleri gradu ordinaverit, in eo recenseri non debere, & quicquid seu pro eo, seu per eum factum fuit, effectu carere.

5. Antiochenorum Fidem, ad Occidentalium Tomum quod attinet, approbat in hæc verba: „ Recipimus etiam Antiochenorum eos qui Patris, & Filii, & Spiritus Sancti divinitatem unam & unicam confitentur. "

Hic Occidentalium Tomus fuisse creditur scriptum aliquod, in quo se in suam communionem recipere testaban-

tur Antiochenorum eos omnes qui, seu a Paulini, seu a Meletii partibus starent, trium Personarum divinitatem profitebantur.

6. Eo spectat, ut impediat, ne ad Episcopos cæterosque ecclesiasticos accusandos, indiscriminatim, omnis generis homines suscipiantur. „ Si de privato negotio, inquit, ac de personali in Episcopum querela agitur, accusatoris nec persona, nec religio spectabitur, quia suum cuique jus reddi necesse est. Sin ecclesiasticum negotium fuerit, nec ab hæretico seu schismatico, nec a laico excommunicato, vel a clerico deposito Episcopus accusari poterit. Accusatus Episcopum, aut clericum, non ante accusare poterit quam se ipse purgaverit. Qui supra omnem exprobrationem sunt, accusationem suam ad omnes provinciæ episcopos deferent. Si provinciæ concilium satis non fuerit, ad aliud majus ampliusque, nempe ad diœcesis, seu partitionis concilium se conferent. Non ante accusatio suscipietur, quam se accusator eidem pœnæ, in calumniæ casu, e scripto, subdiderit. Qui, in hujus decreti contemptum, Imperatori aut tribunalibus sæcularibus molestiam afferre, vel œcumenicum concilium turbare ausus fuerit, non tamquam accusator suscipietur, sed tamquam canonum & ordinis Ecclesiæ violator rejicietur. “

7. Rationem præscribit qua hæretici recipiendi qui ad Catholicam Ecclesiam redeunt. „ Ariani, inquit, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani qui se ipsi *Catharos* seu *Aristeros* nominant, Quartadecimani, & Apollinaristæ ea lege recipientur, ut ab errore per exhibitum actum, recedant, omnemque hæresin detestentur. Iis primo traditur sigillum seu sancti chrismatis unctio ad frontem, ad oculos, ad nares, ad os, & ad aures; ac dum peragitur hæc unctio, dicitur: *sigillum doni Spiritus sancti*. Eunomianos vero qui per unam tantum immersionem baptizati sunt, Montanistas seu Phrygios, seu Cataphryges, Sabellianos, hæreticos reliquos suscipimus tamquam ethnicos. Eos prima die Christianos, secunda catechumenos facimus; tertia exorcizamus, postquam iis ter super facie superque auribus insufflavimus; eosdemque erudimus, diu in Ecclesia ad audiendas Scripturas detinemus, denique baptizamus. “

Sabbatiani de quibus in hoc canone sermo est, erant Novatianorum secta, quos quidam presbyter, *Sabbatius* nomine, a cæteris segregaverat, ut Pascha ex Judæorum consuetudine celebrarent. Hæretici porro quos concilium baptizari jubet, ii demum erant qui Baptismum seu non omnino, seu non ex Ecclesiæ forma susceperant. Sancti chrismatis unctiones quas præscribit, eædem sunt, iisdemque verbis expressæ ac quæ apud Græcos ad Confirmationis Sacramentum statutæ sunt.

Concilii Episcopi canonis hos ad Theodosium imperatorem miserunt per Epistolam in qua postquam ea retulere quæ quoad Fidem & Disciplinam egerant, subdunt: „ Rogamus te igitur, ut concilii mandatis auctoritatem tribuas, atque ita, cum Ecclesiam per convocationis Litteras honore affeceris, nostris quoque consiliis conclusionem quasique sigillum addas. “ Concilii canones septem, postremoque loco Symbolum hujus Epistolæ suberant; et centum quinquaginta qui aderant, Episcopi subscripserunt. Quamvis autem Constantinopolitanum Concilium non nisi ex Oriente coactum fuisset, eique nemo unus, Damasi cæterorumque Occidentalium nomine interfuisset, non id tamen impediit, quin illud Orientales œcumenici Concilii titulo, sequente statim anno, insignirent, ut ex Epistola constat quam ad Papam Damasum aliosque in urbe Roma congregatos Episcopos in commune scripserunt. Cum omnes deinceps Occidentis Episcopi suum ad ea consensum contulerint quæ super Fide in eo concilio decisa fuerant, illud tamquam secundum œcumenicum, seu universale, quoad caput hoc, habitum est. Sanctus Gregorius Magnus, non semel, edicit se, veluti quatuor Evangelia, concilia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense suscipere. *Greg. lib.* 1. *epist.* 25. *pag.* 515. *To. II. Reg. Tom. II. Lab. Tom. I. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. auct. sacrorum & eccl. Tom. V. pag.* 536. *& seq.* Van-Espen, *Jur. Eccl. univers. Tom. IV. pag.* 165. *& seq.*

Concilium Aquilejense, ann. 381.

Concilium hoc quod Gratianus Imperator jam inde ab anno 379. convocaverat, Septembri tantum mense ann. 381. habitum est, ad illud Orientis quidem Episcopi non venerunt; at prope ex omnibus Occidentis provinciis, si Hispaniam exceperis, vel per se, vel per deputatos, Episcopi confluxerunt. Neque vero Papæ, aut vicariatus Romæ nemine, quispiam adfuit; S. Valerianus, Aquilejensis Episcopus præfuit; verum in omnibus quæ ibidem gesta, S. Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, primas tenuit. Huic concilio occasionem querela præbuit, quam Palladius, Illyriæ Episcopus ad imperatorem Gratianum detulit, propterea quod haberetur Arianus, etsi non nosset Arium, ajebat, ejusque errores non sequeretur. Concilium statuit æternitatem & divinitatem Filii Dei, ejus immortalitatem, sapientiam, bonitatem, potentiam, & æqualitatem cum Patre. Damnavit Palladium, Secundianum & Attalum, tamquam convictos Arianæ hæresecs, scripsitque deinde plures Epistolas quarum quatuor ad nos usque venerunt. Data est prima ad provinciarum Viennensis & Narbonensis Episcopos; reliquæ tres ad imperatores Gratianum, Valentinianum & Theodosium. *ibid.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 382.

Concilium hoc æque atque illud quod in eadem urbe Constantinopoli, anno ante, habitum fuerat, a Theodosio imperatore convocatum fuit; & Episcoporum plerique qui primo interfuerant, alteri quoque adfuere. In eo Patres Sabellium, Arium, Macedonium, & Apollinarium damnarunt. Constat id ex Epistola quam ad ejus concilii Patres scripserunt, quod, eodem tempore, Romæ habebatur, in responsionem ad eam quam ipsi ab illius concilii Patribus acceperant. *Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, ann. 382.

Ad Gratianum imperatorem spectavit maxima ex parte hujus concilii convocatio quod maximi momenti fuit, siquidem præter Papam Damasum & Occidentis metropolitanos quinque, eidem aderant ex Oriente duo, nempe S. Epiphanius Salaminæ in Cypro, & Paulinus Antiochiæ Episcopi quos S. Hieronymus comitatus erat; at hujus actorum concilii prope nulla notitia suppetit. Est conjecturæ locus Paulini communionem in eo confirmatam fuisse, statutumque, ut ne cum Flaviano communicaretur, quod Sozomeni testimonio, *lib.* 7. *cap.* 11. nixum videtur. In eo etiam cum Apollinaristis disputatum est, actumque de ratione qua qui ex iisdem redirent, in Ecclesiam reciperentur. (Rufinus, *De adulterat. Lib. Origenis, Tom. V. Oper. Hieron. p.* 253. *Lab. Tom. II.*)

Concilium Constantinopolitanum, ann. 383.

Imperator Theodosius, ratus obtineri tandem posse, ut, siquidem peculiarium omnium sectarum Episcopi inter se contulissent, in eamdem sententiam convenirent, eos, mense Junio ann. 383. Constantinopoli congregavit. Adfuerunt ergo omnium religionum, omniumque regionum Episcopi. Unius Nectarii Constantinopolitani, ex Catholicis quidem Episcopis, Historici meminerunt; interfuisse tamen concilio S. Gregorius Nyssenus creditur; ejus enim extat super Filii & Spiritus Sancti Divinitate, superque Abrahæ Sacrificio Sermo, in Episcoporum cœtu, medio circiter ann. 383. Constantinopoli pronuntiatus. Cum omnes antesignani suam Fidei professionem exhibuissent, una & unica quam Catholici ediderunt, approbata fuit; eorumque de hæreticis victoria completa fuit. De hoc concilio nihil propterea constat, nisi forte quod factum extitit super Paulini & Flaviani Antiocheni negotio, Flavianum aliis expulsum volentibus, nolentibus aliis. *Lab. Tom. II.*

Concilium Burdegalense, ann. 384. vel 385.

Maximus, post Gratiani mortem quæ sub ann. 384. Lugduni contigit, ad Imperium evectus, Imperii sui sedem Treviris statuit. Eam vix in urbem victor ingressus erat, cum Idacius, Emeritanus Episcopus, ei supplicem contra Priscillianum ejusque asseclas libellum obtulit. Burdegalæ concilium Imperator indixit, quo Instantius & Priscillianus, cum iis omnibus ex eorum discipulis qui detegi potuerunt, eo jubente, perducti, quibus accusatis se purgandi facultas data; locutus primus Instantius, & Episcopatu indignus a concilio declaratus. Priscillianus, haud is sane favorabilius se habendum prævidens, ad Imperatorem appellavit, ejusque appellationi concilium annuit. Itaque Priscillianus & qui cum eo accusati erant, ad concilium ducti, Idacio & Ithacio accusatoribus insequentibus. S. Martinus qui tunc Treviris versabatur, vehementer Ithacium, ut ab hac accusatione desisteret, hor-

hortabatur; at is Episcopus, homo ad audaciam factus, quique amans mensæ opipare instructæ tamquam Priscillianistas eos omnes notabat quos jejuniis & abstinentiæ addictos videbat, accusationem hanc in sanctum Præsulem ipsum intentare ausus est. Contempsit has calumnias S. Martinus, & Imperatorem adiens, ut reorum sanguini parceret, obsecravit. Maximus, tum quidem, S. Martini interpositionis supplicationisque rationem habuit; at, cum S. Præsul Treviris discessisset, Princeps, Priscilliani negotium rursus in examine positum voluit, & Ithacio persequente, Magnoque & Rufo Episcopis persuadentibus, morti Priscillianum, aliosque ex eadem secta non paucos addixit, cum eos, in duplici audientia, plurium turpitudinum convicisset. Episcoporum numerus, qui ex Gallia & Hispania huic concilio adfuerunt, incertus est. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Trevirense, an. 385. *seu* 386.

Coactum est concilium hoc, ut Episcopus, Britannio vita functo, Trevirorum Ecclesiæ daretur. Ithaciani Episcopi e quibus concilium conflatum erat, Felicem qui Britannio succederet, elegerunt, declaruntque Ithacium, propterea quod Priscillianistarum mortem sollicitasset, nullius culpæ reum esse. Porro Ithaciani dicti qui inter Episcopos Ithacii consilia, ad Priscillianistas quod attinet, approbarunt, ejusque defensionem susceperunt. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 386.

Ex Papæ Siricii ad Africæ Episcopos Epistola constat eum Romæ, an. 386. die sexta Januarii, frequens Episcoporum concilium habuisse, eo consilio, ut vetera nonnulla decreta quæ per negligentiam in desuetudinem abierant, redintegraret. Cujusmodi ea vetera decreta fuerint, ex iis judicari potest, quæ numero octo concilium edidit.

Decretum primum ejusmodi est: inscia apostolica Sede, Episcopum ordinari neminem posse; quod de regionibus intelligendum quæ eidem sedi peculiariter suberant; in cæteris enim provinciis, ut in Africanis, primatis tantum aut metropolitani consensu opus erat.

2. Episcopum ab uno tantum Episcopo ordinari non vult.

3. Eum non vult in clerum recipi qui post peccatorum remissionem, scilicet, ut videtur, post Baptismum, sæcularis militiæ gladium detulerit.

4. Clericum non vult cum vidua matrimonium inire.

5. Laicum non vult in clerum suscipi qui matrimonio cum vidua junctus fuerit.

6. Alterius Ecclesiæ clerico ordines conferri non vult.

7. Clericum e sua ipsius Ecclesia expulsum recipi vetat.

8. Novatianos & Montanistas, per manuum impositionem, recipi jubet, iis exceptis quos ipsi rebaptizaverint. Quod in Papæ Siricii Epistola superest, integram continentiam spectat quam presbyteri & diaconi, utpote divini Ministerii servitio quotidie addicti servare debent. Eos denique qui hæc omnia exequi renuerint, a communione segregatos & in inferis puniendos declarat. *Ibid.*

Concilium Antiochenum, an. 388. *seu* 389.

Id unum scimus, ad hoc concilium quod attinet, illud impedisse, ne in eos ageretur qui S. Marcellum, Apameensem Episcopum morti addixerant, quia idolorum templa quæ in ejus episcopali urbe existebant, diruenda curaverat. Theodoretus, *lib.* 5. *cap.* 21. Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 15. *Hard. Tom. I.*

Concilium Antiochenum, an. 390.

S. Flavianus Antiochenus Messalianorum nonnullos quos Edessæ versari noverat, Antiochiam duci jussit, ad an. 390. ubi cum Episcopis tribus & triginta presbyteris & diaconis concilium habitum, in quo Messaliani anathemate perculsi. Messalianis qui, ut S. Epiphanius memoriæ prodit, Constantio regnante, in Mesopotamia prodire cœperunt, antesignani erant Dadoes, Sabas, Adelphius, Hermas & Simeon. Id profitebantur, ut mundo nuntium remitterent, suaque ipsorum bona omnia defererent quæ reapse abdicebant, ut otiosam vagamque vitam ducerent, eleemosynam petentes, viventesque promiscue viri & feminæ, mediis in viis æstivo tempore. Haud jejunabant, manuumque laborem, tamquam malum & spiritalibus, qui ipsi erant, hominibus indignum damnabant. Sua omnia officia redigebant ad precem, dormientesque diei partem maximam transigebant; sua deinde somnia quasi revelationes quasdam & prophetias venditabant. Se corporis oculis sanctam Trinitatem videre, visibilemque & sensibilem in modum Spiritum Sanctum recipere gloriabantur. Videbantur interdum in phrenesin incidere; irruebant de repente, ajentes se dæmonibus insiliri; tum hominis arcum tendentis instar compositi se in diabolum jaculari dictitabant. Innumera alia edebant ejusmodi absona deliramenta, quæ in causa fuerunt, ut *Enthusiastarum* nomen iis inderetur. Ajebant homines, dum nascuntur, singulos accipere, cum primi patris natura, dæmonem familiarem qui ad malum extimulat; ejus expellendi rationem unam & unicam precem esse; Baptismum, Eucharistiam & cætera Sacramenta nihil utilitatis afferre; dæmone per precis fervorem ex anima expulso, Spiritum Sanctum sensibiliter & visibiliter in eam descendere, & ab omnibus cupiditatum motibus, & ab insita ad malum propensione animam liberare; at proinde jejunium aliæque voluntariæ afflictationes inutiles evaderent. Eo etiam nomine Massiliani accusantur, quod docuerint subire formas varias, ut se cum eorum animabus conjungeret, & spiritalem hominis animam in divinam naturam verti. Ad extremum docebant hominem posse ad virtutis & scientiæ perfectionem, atque ita ad Dei similitudinem & æqualitatem pervenire; ut proinde perfectionis cumulum assecutus, non amplius, cogitatione ipsa, aut ex ignorantia peccare posset. Epiphanius, Hæres. 80. *num.* 1. 2. 3. Theodoretus, *lib. IV. Hist. cap.* 11. & *lib. IV. Heret. Fabul. cap.* 12. Cotelerius, *Tom. III. Monum. pag.* 402. 403. 405. Photius, *Cod.* 52. *pag.* 37. & 40. Ceillerius, *Hist. Auct. sacror. & eccl. Tom. V. pag.* 689. & *seq.* (*).

Concilium Sidense, an. 390. *seu* 391.

Cum Messaliani quos Antiochia S. Flavianus expulerat, in Pamphiliam se recepissent, S. Amphillochius, Iconiensis Episcopus, Sidæ quæ Pamphiliæ metropolis, concilium coegit, in quo damnareutur. Adfuere concilio huic Episcopi viginti quinque. S. Amphilochius eidem præfuit; isque, ut videtur, id sibi sumpsit, ut synodicam Epistolam scriberet quam ad Flavianum Antiochiæ Episcopum concilii Patres miserunt, ut ei, quæ in cœtu gesta, significarent. Non amplius Epistola hæc aut Acta in eo concilio edita nobis suppetunt; periit etiam Epistola quam Flavianus in Antiocheni concilii consecutionem ad Osroenenses Episcopos scripsit, præter ejus fragmenta quæ Photius nobis servavit; ex quo etiam percipimus Messalienses jam in aliquo alio concilio ante Antiochenum de quo supra diximus, habito damnatos fuisse, eosdemque nihilominus in Oriente, ad ejus usque sæculum perstitisse. Subsistebant iidem etiam post Photii tempora, quandoquidem late disseminati erant, Alexio Comneno regnante qui an. 1118. e vivis excessit. Photius, *Cod.* 52. *pag.* 37. 39. Theodoretus, *lib. IV. Hist. cap.* 10. & *lib. IV. Heret. Fabul. cap.* 12. Ceillerius, *ibid. p.* 692.

Concilium Carthaginense, an. 390.

Habitum est concilium hoc in Basilica quæ *perpetua restituta* nuncupabatur; adfuere complures Episcopi quorum pauci noti sunt, quia subscriptiones in nostris exemplaribus desunt. Genethelius, seu Genedius, Carthaginensis Episcopus præfuit; in eoque editi canones tredecim.

Primus enuntiat credendam & prædicandam esse Trinitatis Fidem.

2. Sanctionem renovat in superiore concilio editam super continentia Episcopis, presbyteris & diaconis imposita. Idem statuit quoad eos omnes qui altari deserviunt.

Sciendum est, aliquanto ante concilium hoc, aliud in eadem urbe, & in Palatio habitum fuisse, in quo res de quibus in hoc agendum erat, indicabatur. In eodem edita fuerant decreta plura, & renovata quoad Episcopos, presbyteros & diaconos continentiæ lex, itemque ea quæ vetabat, ne presbyteri chrisma conficerent, virgines consecrarent, & quempiam solemniter

(*) *Editor Venetus hoc & sequens concilia ad an.* 383. *refert.*

ter conciliarent; at decreta hæc, perinde atque ejus concilii acta ad nos minima pervenerunt.

3. Presbyteros vetat chrisma conficere, virgines consecrare, & pœnitentes in Cœtu, vel Missa publica conciliare.

4. Concilio placuisse ait eam presbyteris veniam dare, ut pœnitentem ægrotantem, & in periculo positum conciliarent, absente Episcopo, cumque ejus venia, postquam eum consuluissent.

Perspicitur ex hoc canone ordinarium pœnitentiæ ministrum Episcopum fuisse, presbyterum autem, solum eo absente, in necessitatis casu, ex ejusque mandato, At, quia contingere poterat ita periculum urgere, ut ad Episcopum absentem confugere haud per tempus liceret; permissum fuisse presbytero, in hac facti specie, Balsamon ait, ut pœnitentem morti proximum, inconsultu Episcopo, conciliaret.

5. Novos Episcopatus, sine venia Episcopi loci, creari non vult.

6. Statuit eum qui de crimine præventus est, ad Episcopos aut presbyteros accusandos recipi non debere.

7. Omnibus Episcopis, presbyteris, aut clericis prohibet, ne eos recipiant qui communione ob crimina privati fuerint, quique, nedum se subderant, ad aulam confugerint, aut apud sæculares judices, vel apud alios ecclesiasticos judices sibi constituerint.

8. Mandat, ut presbyter ab Episcopo excommunicatus, si ipse non quidem apud proximos Episcopos conqueratur, sed seorsim cœtus habeat, & sanctum Sacrificium offerat, deponatur, anathematizetur, & procul ab urbe in qua degit, eliminetur, ne simplices ibidem seducat. At si quam in suum Episcopum querelam rationi consonam instituerit, eam expendi oportebit.

9. Omnem presbyterum ait qui offert, ubicunque gentium fuerit, inscio Episcopo, contra ejus honorem agere.

10. Veterum conciliorum sanctionem renovat qua statuitur, ut Episcopus accusatus judicetur ab aliis Episcopis duodecim, presbyter a sex, diaconus a tribus, in numerum relato Episcopo diœcesano.

11. Commendat Episcopis, ut intra suarum quisque diœceseon fines permaneant, neque eorum quicquam attingant quæ ad proximas diœceses pertinent, quia divina lex id quod alterius est, vel desiderari vetat.

12. Episcoporum nullum vult id sibi sumere, ut alium ordinet in concilio, quæcumque tandem sit ejusdem frequentia, sine mandato, de scripto, primatis provinciæ, additque, cum hoc mandato, tres Episcopi, in necessitatis casu, satis ad ordinationem fore,

13. Ibi dicitur Genetelius, concilii præses, eum conclusisse, data opera, ut ab Episcopis approbaretur & signaretur, hac addita clausula, „ ut quicunque „ quod promiserat & significaverat, executus non es„ set, se ipse a suorum fratrum necessitate sejunge„ ret; “ omnesque & singuli subscripserunt.

Concilium hoc appellatur *secundum Carthaginense*, non quod alia plura in eadem urbe prius habita non fuerint, sed quod eorum conciliorum nec acta nec canones ad nos pervenerunt, nisi ejus tantum quod sub Episcopo Grato celebratum fuit, quodque hac de causa nuncupatur *primum concilium Carthaginense*, hujusque quod ob eamdem causam, *secundum concilium Carthaginense* vocatur. Reperitur cum hac epigraphe, in Binii Collectione, quam P. Labbæus affert: *Concilium Carthaginense, nomine secundum, ordine temporis, inter Carthaginensia extantia vere postremum circa tempora Cœlestini Papæ*. Binius hac in re Baronium secutus est qui concilium hoc non nisi an. 425. habitum credidit, corrupte ejusdem concilii editione deceptus qui illud celebratum refert sub consulatu Valentiniani & Theodosii qui an. tantum 425. simul consules fuere. At hoc impressionis mendum est; legendumque, *Theodosii* loco, *Neoterius* qui revera cum Valentiniano consul erat, an. 390. quo concilium hoc habitum fuit, ut inter doctos viros convenit, probatque Lucas Holstenius in hujus concilii editione quam ex optimis manuscriptis codicibus nobis exhibuit. Monent etiam docti viri in his authenticis manuscriptis codicibus, perinde atque in Holstenii editione non legi Aurelii, Alipii, Epigonii, aliorumque Episcoporum interlocutorum nomina quæ in Binii editione leguntur; cui rei, ut videtur, id causæ est, quod qui secundi Carthaginensis concilii vulgarem editionem dederunt, ejus canones ex Africano Codice deprompserunt, prout adoptati renovatique fuerant a Carthaginensis quarti an. 419. habiti concilii Patribus, qui eos canones suis, non autem concilii an. 390. Patrum nominibus proposuerant; ex quo factum, ut secundi Carthaginensis concilii canones, cujusmodi in Africano Codice existunt, retinerent Aurelii aliorumque Episcoporum nomina, qui una cum eo in Carthaginensi an. 419. concilio sederant; cum in Holstenii editione legantur Genethlii aliorumque Episcoporum nomina, qui secundum an. 390. Carthaginense concilium cum eo constituebant. *Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Auct. sacrorum & eccl. Tom. V. pag.* 694. *& seq.* Van-Espen, *Jur. Eccl. univ. Tom. III. p.* 263.

Concilium Romanum, an. 390.

Jovinianus, sectæ Jovinianitarum auctor, cum Romam se contulisset, ut ibi suos errores disseminaret, a Pammachio aliisque laicis viris qui natalibus & pietate, ut ipse Pammachius, illustres erant, ad Papam Siricium denuntiatus fuit. Papa hic, suo coacto clero, ad an. 390. Jovinianum ejusque asseclas damnavit & anathemate perculit. Is hæresiarcha qui ex austero monacho homo deliciis immersus & voluptatis prædicator evaserat, docebat virginum quam conjugatarum mulierum statum haud perfectiorem esse; a diabolo non amplius eos vinci posse qui, plena fide, per Baptismum renati fuere; inter abstinentiam a carnibus, earumque cum gratiarum actione usum nihil discriminis interesse; mercedem in cælis quoad eos omnes qui Baptismi gratiam servaverint, æqualem fore; ante Baptismum, in hominis potestate esse peccare aut non peccare; at eumdem, post Baptismum, non amplius peccare posse; omnia peccata esse paria. Docebat & illud, sanctam Virginem quidem, cum Jesum Christum concepit, suam virginitatem servasse, at, cum eum in lucem edidit, virginitatis jacturam fecisse; contendens alioquin dicendum fore cum Manichæis, Christi Domini corpus phantasticum fuisse. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* S. Hieronymus, *lib.* 1. *&* 2. *advers. Jovinianum*; Ceillerius, *Hist. Auctorum sacrorum & eccles. Tom. V. p.* 899. *& seq.*

Concilium Mediolanense, an. 390.

Jovinianus, se Romæ damnatum videns, Mediolanum se contulit, ut Theodosium Imperatorem adiret qui tum ipsum, tum ejus discipulos acerbius excepit. Omnes ex urbe pulsi; Episcopique qui ibidem aderant, in concilium cum S. Ambrosio convenientes, eosdem damnarunt ex judicio quod in eos Papa pronuntiaverat, ad quem de re tota scripserunt. In hoc ipso Mediolanensi concilio, vel in alio quod ibidem Aprili circiter mense an. 390. ibidem habitum est, Galliarum Episcopi perfecisse creduntur, ut sententia quam superiore anno in Ithacianos ediderant, confirmaretur. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Capuanum, an. 391.

Paulino Antiochiæ Episcopo sub an. 388. finem, aut sequentis initium vivis erepto, cum ipse sibi Evagrium successorem dedisset, Theodosius Imperator qui a die 10. Novembris an. 391. Constantinopolim redierat, eo accitum Flavianum jussit ad concilium pergere quod Capuæ tunc habebatur, ut ibidem Antiochenæ Ecclesiæ divisio finiretur. Flaviano illuc proficisci renuente, & excusationem, cur renueret, afferente, ejus negotium Theophilo Alexandrino & Ægypti Episcopis expendendum a concilio remissum fuit. Actum etiam a concilio de Bonosi negotio, qui Sardicæ, Daciæ metropolis, Episcopus erat, ac Bonosus ipse ad proximos, præsertim Macedoniæ Episcopos, & ad Anysium Thessalonicensem, eorum metropolitanum remissus, ut hi de sectis cognoscerent, de quibus accusabatur. Denique decreta nonnulla concilium edidit; unum quidem quod bis quempiam baptizari vel ordinari vetabat; alterum vero quod Episcoporum de una in aliam sedem translationes illicitas declarabat. Africæ Episcopi laudant hæc decreta duo, tertiumque transmarini concilii, quo vetabatur, ne in ullum ecclesiastici status gradum reciperentur qui in hæresi fuerant; at hoc decretum tertium Romæ & Mediolani Ecclesiis tribuunt; Capuano autem concilio plenarii concilii titulum addunt. E S. Ambrosio sane conjicitur ei magnum Episcoporum numerum, qui ex universo, ut videtur, Occidente convenerant, adfuisse. *Ambros. Epist.* 56. *pag.* 1007. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Auct. sacror. & eccles. Tom. V. pag.* 705. *& seq.*

Concilium Carthaginense, an. 393.

Primianus in Carthaginensem Episcopum, post Parmeniani mortem, electus Maximianum diaconum a quo se læsum fuisse contendebat, excommunicavit. Maximianus proximos Episcopos adiens factionem in Primianum conflavit. Episcopi Donatistæ quos ejus vafrities devicerat, Carthaginem, numero quadraginta tres convenerunt, voluerunque integrum Primiano esse, ut in frequentiore concilio haud ita multo post celebrando se ipse purgaret. Re quidem ipsa, Cabarsussii, in provincia Bizacena concilium habitum, eodem an. 393. cui supra centum Episcopi interfuere qui Primianum, tamquam plurium criminum convictum, damnarunt. Scripsere damnationem hanc in Epistola synodica & encyclica quam *Tractoriam* nominarunt, cujusque maxima pars extat apud S. Augustinum, *Serm.* 2. *in Psalm.* 36. *num.* 19. *pag.* 276. qui tamquam Ecclesiæ utile monumentum, & ad caliginem ex Donatistarum oculis disjiciendam aptissimum, eam populo lectam voluit. Numidiæ Episcopi ad quos se Primianus contulerat, Bagajæ, Aprilis dies 24 an. 394. concilium habuerunt, cui tercenti & deceni Episcopi interfuerunt; quod in causa fuit, ut illud *plenarii concilii* nomine insigniretur, maxime licet irregulare fuerit tum convocatione, tum formis cæteris quarum in eo nulla servata est: Primianus sibi secundum inter Episcopos gradum sumpsit; superque ejus apud concilium querelis de schismate a Maximiano ejusque fautoribus excitato, Maximianum ipsum, licet absentem Episcopi, nulla interjecta mora, damnarunt. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Auct. sacror. & ecclesiast. Tom. V. pag.* 417. *& seq.*

Concilium Hipponense, an. 397.

Aurelius, Episcoporum unus qui Carthaginensi concilio interfuerant, sub Genethelio, ann. 390. cum ei, aliquanto post, in Carthaginensis Ecclesiæ regimine successisset, ad perficiendum, ut in omnibus per Africam Ecclesiis vetus disciplina reflorescеret, & ad abusus qui in eas irrepserant, reformandos se totum contulit. In hunc finem, & e S. Augustini consilio, totius Africæ generale concilium cui ipse præfuit, Hippone coegit; quod eorum primum est quæ, dum is Carthaginensem sedem tenuit, habita fuisse constat. Celebratum fuit in aula consilii Ecclesiæ Pacis, quam S. Augustinus *magnam Basilicam* nuncupat, sub consulatu Imperatoris Theodosii cum Abondantio, scilicet an. 394. Octobris die octava. Ad illud ex omnibus Africæ provinciis Episcopi confluxerunt; eique proinde *plenarii concilii* nomen inditum. S. Augustinum, tum quidem Hipponensis Ecclesiæ presbyterum, concilii Patres ipsi impulerunt, ut, coram cœtu, super Fide & Symbolo sermonem haberet; atque ex hoc sermone, deinde, amicorum rogatu, S. Doctor Librum contexuit qui extat inter ejus Opera, inscriptus, *De Fide & Symbolo*. Ad illud usque tempus inauditum erat in Africa presbyterum apud Episcopos publice loqui; primusque S. Augustinus fuit cui id privilegii concederetur. Biennio ante, Valerius, Hipponensis Episcopus, ei jam facultatem tribuerat, ut Evangelium, præsente ipso, explicaret; at id fecerat Valerius necessitate compulsus, & quia Græcus origine, non satis latinæ linguæ usu pollebat, suo ut populo congrua documenta præberet.

Edidit Hipponense concilium super disciplina canones plures quos Africæ complura deinceps concilia, non sine modificationibus tamen, detractionibus, aut additionibus adoptarunt, ex quo factum, ut nobis non amplius ejus concilii tum acta, tum genuini canones suppetant; adeoque difficulter Hipponenses canones, cujusmodi primum editi, hoc tempore discerni possint. Eorum unum & quadraginta exhibet Compendium apud Labbæum, *Tom. II.* Conciliorum, hoc titulo: *Statuta Concilii Hipponensis breviata, & quædam eorum in concilio Carthaginensi cum Bizacenis Episcopis collata, & diligentius pertractata hæc sunt*; verum, an ejusmodi sint, cujusmodi Carthaginensi Concilio ea Musonius obtulit, dubitatur. Hæ sunt hac de re dubitandi causæ, quod, in his quadraginta & uno canonibus, eorum nullus occurrit quos ex Hipponensi concilio Diaconus Ferrandus laudat, itemque eorum nullus quos Africæ posteriora concilia ex eadem Synodo proferunt, exceptis primo quod Paschalis festi celebrationem spectat, sextoque & octavo qui de conciliis unoquoque anno habendis agunt. Extat etiam ad harum Constitutionum frontem, Nicænum Symbolum, Apostolici loco, quod coram Hipponensis concilii Episcopis S. Augustinus explicuit. Easdem sanctiones sequitur super Donatistarum conciliatione decretum, quod sane gravius negotium erat, quam ut in Byzacenæ provinciæ particulari concilio componeretur. Denique occurrunt errata plura in Epistola quam ad promulgationem Compendii horum quadraginta Hipponensis concilii canonum, Musonius scripsit. Missa dicitur Aurelii, Musonii, cæterorumque Episcoporum nomine, ad omnes eorum confratres e variis Numidiæ, duplicis Mauritaniæ, Tripolitanæ, & Consularis provinciis; in ea ne verbum quidem de Byzacena cujus primas Musonius erat, quamque in Epistola sua manuscripta procul dubio non omisisset. Eadem Epistola, iterumque Acta concilii data sunt e Papæ Siricii pontificatu; quod tum quidem non erat in more positum. Allatæ difficultates horum canonum Compendium, cujusmodi saue nobis suppetunt, admodum suspectum reddunt; omnemque præbent credendi locum hoc aliud esse ab Hipponensis concilii canonum compendio quod Byzacenæ provinciæ concilium edidit.

In iis continentur omnino hæc: 1. statuit, ut, ad impediendum, ne quis in die celebrationis Paschatis decipiatur, omnes Africæ provinciæ studeant eum ex Carthaginensi Ecclesia percipere; 2. vetat, ne lectores, dum legere incipiunt, populum salutent, quia id juris Episcopis reservatum est, qui scilicet in Africa, pro concione dicere incipientes, populum, Domini nomine, salutare consueverant; 3. eos tantum e clericatura ad superiorem gradum evectos vult qui scientiis imbuti fuerint; 4. Sacramenta Catechumenis administrari vetat; 5. prohibet, ne Eucharistia mortuis præbeatur, tum quia eam recipere aut comedere nequeunt, tum etiam, ut ait Carthaginense concilium tertium, *can.* 6. ne quis imaginetur eos baptizari pariter posse; 6. mandat, ut quotannis concilium habeatur; 7. si Episcopus accusatus fuerit, de ejus negotio judicium ad primatem devolvi jubet; 8. futurum pronuntiat, ut Episcopus accusatus qui se concilio habendo non siiterit, reum se ipse declaret; 9. & 10. de presbytero accusato judicium ab Episcopis quinque, de diacono ab Episcopis duobus editum volunt; 11. & 12. nullum sensum recipiunt; 13. ecclesiasticorum filios vetat operam dare, ut spectacula exhibeantur; 14. Episcoporum filios cum hæreticis matrimonium inire non vult; 15. prohibet, ne Episcopi & clerici suos filios ejiciant, neve suorum bonorum quicpiam iis dent qui extra Ecclesiam sunt; 16. haud licere vult Episcopo, presbytero, diacono quæsturas sumere, aut clericis, universim, exteras apud se feminas detinere; 19. canon de Gradibus sacris simpliciter loquitur; 20. loquitur de Lectoribus, quin se ulterius explicet; 21. alienæ Ecclesiæ clericum retineri vetat; 22. clericum non ante ordinari vult quam de eo per editum examen certo constiterit; 23. vetat in precibus Patris & Filii nomina, promiscue, poni; in 24. prohibentur clerici quicquam ultra mutuum accipere; & in 25. quicquam altari, ad sacrificium, præter panem & vinum aqua mixtum offerri; 26. omnes indiscriminatim clericos, Episcopos ipsos, nemine comitante, ad viduas & virgines pergere; 27. primæ sedis Episcopo qualitatem Principis Presbyterorum tribui non vult; 28. prohibet, ne clerici in cauponis bibant edantve; 29. Episcopos vetat mare prætergredi, ut videtur, sine primatis venia; 30. Altarium ministris interdicit, ne aliter sacra mysteria quam jejuni celebrent; 31. Episcopo & Ecclesiasticorum cuique, ne comedant in Ecclesiis; 32. presbyteris, ne pœnitentes, Episcopo inconsulto, concilient; 33. mandat, ut feminæ prudentia & virtute præstanti demandetur virginum, quantum quidem videtur, orphanorum cura; 34. ægrotantibus Baptismum conferri jubet; 35. conciliationem resipiscentibus concedi vult; 36. declarat chrismatis consecrationem ad presbyteros non pertinere; 37. in aliena urbe commorari clericos non debere; 38. declarationem continebat Scripturarum quæ tamquam canonicæ suscipiendæ, quæque tantum legendæ in Ecclesia, earumque quæ ibidem haud legendæ, quippe quibus non eadem esset auctoritas; id sane ex hujus tricesimi octavi canonis compendio constat. 38. Episcopum ab Episcopis saltem tribus initiandum pronuntiat. 40. Iis Baptismum conferri jubet qui se baptizatos probare non possunt; & 41. Donatistas, tamquam laicos, receptos vult. Extat ad hujus postremi canonis calcem alius eidem oppositus qui proinde huic ipsi concilio tribui non potest; his nempe verbis expressus est: „ in superioribus conciliis statu- „ tum fuit, ut a nobis Donatistæ non in suum cleri „ gradum, sed in laicorum numerum reciperentur.... „ Nihilominus, ob exiguum clericorum numerum, qui „ scilicet in aliquibus Africæ Ecclesiis omnino desi- „ derantur, visum est eos excipi ab hac regula, quos „ reba-

„ rebaptizatos non fuisse constiterit, aut qui suis cum „ populis ad Catholicæ Ecclesiæ communionem migra- „ re voluerint. “

Præter primum, sextum octavumque hujus Compendii canones qui in posterioribus conciliis laudantur Hipponensis concilii nomine, huic tribui potest etiam tricesimus primus qui Ecclesiasticos vetat in Ecclesiis comedere; refertur enim sanctio hæc ad Epistolam qua S. Augustinus Aurelium hortatur, ut, per concilii auctoritatem, abusus reformet qui per Africam irrepserant in convivia quæ, ad Martyrum honorem, in Ecclesiis ipsis agitabantur. Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, inter Latinos canonum collectores antiquissimus, utpote qui Justiniano imperatore regnante scribebat, alios præterea Hipponensis concilii canones affert quos genuinos esse dubitari non potest. Primus quem Hipponensem tertium numerat, Episcopum quem Synodus excommunicaverit, a communione abstinere debere pronuntiat; alioquin ei nullam spem fore, ut in eam restituatur; alter quem Hipponensem quintum dicit, Episcopos & presbyteros vetat ea quæ in loco sunt qui eorum curæ demandatus est, alio transferre, quin prius, cur ita se gerant, causam attulerint. Addit Ferrandus, tamquam hujus concilii prosecutionem quamdam, accusatorem, si quam populi vim timeat, ubi accusatus degit, posse remotiorem locum seligere, eo testes accire, ibique actionem persequi. Tertius qui, ex Ferrando, Hipponensis octavus est, statuit Episcopos posse cui voluerint, id relinquere quod iis datum fuerit, ea tamen lege, ut quicquid suo ipsi nomine acquisierint, utpote acquisitum de Ecclesiæ bonis, cogantur Ecclesiæ reddere. Quartus quem idem Ferrandus nono inter Hipponenses canones loco ponit, matricis Ecclesiæ Episcopum, metropolitanum scilicet, non debere pronuntiat usurpare quod diœcesis, hoc est, provinciæ cui præest, aliis Ecclesiis datum fuerit; vetat præterea, ne Episcopi, Primate inconsulto, itemque presbyteri, inscio Episcopo, quicquam de suarum quisque Ecclesiarum bonis vendant. Hæc sunt quæ ex Hipponensis concilii statutis, quod primum ex tota Africa, sub Aurelii pontificatu, coactum agnoscitur, Ferrandus nobis servavit. Alterum habuit Carthaginensis Ecclesia, Junii die 16. sequentis anni 394. at hoc non nisi provinciale fuisse videtur; in eo siquidem Proconsulares Episcopi nominantur, ut, tamquam provinciæ Deputati, Adrumetano concilio interfint, cui omnium Africæ provinciarum Episcopi adfuisse creduntur. Constant hæc, nihilque præterea de his duobus conciliis quorum acta periere. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ferrandus, *Collect. apud* Justellum, *Tom. I. pag.* 450. *tit.* 54. *ibid. pag.* 449. *tit.* 34. *ibid. tit.* 198. *p.* 454. *ibid. tit.* 35. *p.* 449. *ibid. tit.* 38. *ibid. tit.* 47. *ibid. tit.* 95. *p.* 451. Ceillerius, *Hist. Auct. sacrorum & eccl. Tom. X. p.* 661. *& seq.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 394.

Rufinus, prætorii præfectus, ac totum quidem totius Orientis administrator, cum perfecisset, ut ad honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli Ecclesia in suburbio quod *Quercus* dictum, prope Chalcedonem extrueretur, dedicationis ergo, plurium provinciarum Episcopos, magnumque monachorum numerum congregavit. Eo, inter alios, accivit Evagrium e Ponto, cujus virtutem tanti faciebat, ut in Baptismate quod in ea dedicatione suscepit, eum sibi patrinum vellet; ac patrinos quidem hac primum occasione comperimus adultis datos. Absoluta cæremonia, Episcopi Constantinopolin convenerunt litigium judicaturi duos inter Episcopos, Agapium & Bagadium, coortum, qui de Bostræ, Arabiæ metropolis, episcopali sede inter se contendebant. In Constantinopolitanæ Ecclesiæ Baptisterio, urbis universo præsente clero, cœtus habitus. Nectarius qui Constantinopolitanus Episcopus erat, primus in concilii Litteris nominatur, ac secundum eum, Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, &c. Concilium, edito decreto, statuit, trium Episcoporum numerum qui ad Episcopi ordinationem satis est, ad ejus depositionem haud satis fore, sed ad hanc omnes comprovinciales convenire oportere. Balsamon qui hoc decretum affert, animadvertit illud ejus ætate non viguisse, sed Africanæ Collectionis canonem duodecimum servatum esse qui præscribit, ut Episcoporum causæ a duodecim Episcopis examinentur. Verum hi canones duo nullo prorsus ex capite invicem pugnant; Collectionis enim canon duodecim Episcoporum numerum tum solum præscribit, cum cæteri omnes provinciæ Episcopi congregari non possunt. Actorum concilii Constantinopolitani notitia nobis deest, nec constat, ex contendentibus iis duobus Episcopis utri sedes Episcopalis adjudicata fuerit.

Animadversione dignum est a concilio quod ann. 381. habitum fuit, editum canonem fuisse qui hujus urbis Ecclesiæ primum honoris gradum, post Romanam, tribuebat, eumdemque canonem in hoc ann. 394. Constantinopolitano concilio executioni mandatum esse. Nectarius scilicet primum in eo locum tenuit, quin Theophilus Alexandrinus, ullusve alius Orientis Episcopus repugnaret. Est etiam animadvertendum, Theophilum qui Flavianum pro Antiocheno Episcopo non habebat, eumque ad illud usque tempus in communionem suam non receperat, cum eo nihilominus huic concilio adfuisse. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Ceillerius, *Hist. Auct. sacrorum & Ecc. Tom. X. pag.* 669. *& seq.*

Concilia Carthaginensia, ann. 397.

Habita sunt, ann. 397. Carthagine concilia duo, unum die 26. mensis Junii, die 28. mensis Augusti alterum. Eorum proximitas in causa fuit, ut mutuo confunderentur; sed ea tamen distingui necesse est; aliud enim prorsus est tam in græco quam in latino textu adscriptum tempus; eademque in Dionysii Exigui Collectione invicem distinguuntur. Concilium diei 26. Junii non nisi provinciale concilium fuit, unumque & unicum canonem edidit qui Episcoporum nulli, sine formata Primatis Epistola ejusdemve consensu, licere vult mare prætergredi. Hujus concilii nihil aliud nobis suppetit.

Concilium alterum diei 26. Augusti, habitum est in aula concilii, vel, ex aliis, in sacristia Basilicæ Restitutæ, Cæsario Atticoque consulibus. Præluit Aurelius, & quadraginta Episcopi subscripserunt, inter alios, Victor Puppianæ, Evangelus Assuris, & S. Augustinus Hipponis, ordinatus hujus urbis Episcopus mense Decembri ann. 395. Diaconi, Carthaginensis nempe, ut videtur, Ecclesiæ adfuere concilio, sed stantes, dum Episcopi considebant; presbyterorum quempiam adfuisse non legitur. Illud inchoavit Aurelius per lectionem Compendii canonum Hipponensium, quod Episcopi Byzacenæ ad eum miserant, & Epistolæ quam Musonius, ejus provinciæ Primas, eidem addiderat. Carthaginenses Patres eos omnes canones confirmarunt, aliosque non paucos ipsi ediderunt, quorum plures reapse in Hipponensis, aliorumque, ut videtur, nonnullorum quoque conciliorum canonibus comperiuntur; quod doctos viros permovit, ut crederent eos quos habemus Carthaginensis tertii concilii nomine, nihil aliud esse quam male digestam canonum compilationem quos alia concilia plura ediderunt, censendumque eos solum canones ad Carthaginense tertium concilium spectare qui præferunt id nominis in Codice Canonum Africæ ex Dionysii Exigui Collectione. Qui porro nobis in Isidori aliorumque Collectionibus suppetunt, quinquaginta numero sunt.

1. Statuit, ut omnes Africæ Episcopi de celebrandi Paschatis die a Carthaginensi Ecclesia doceantur.

2. Mandat, ut, ne ecclesiastica negotia in populi incommodum consenescant, Africæ generale concilium quotannis cogatur; eoque omnes provinciæ quibus primæ sedes suppetunt, suorum particularium conciliorum deputatos tres, & quidem non plures mittant, ne suis hospitibus oneri sint, Episcopis nempe qui hospitalitatem cum confratribus exercebant. Excipit canon Tripolitanam provinciam quæ, ob parvum Episcoporum numerum, non nisi deputatum unum mittere debebat.

3. Episcopis aut clericis, antequam ordinentur, conciliorum decreta ab ordinantibus legi jubet, ne ignorantiæ causam prætexant. Possidius, in S. Augustini vita, *cap.* 8. hunc patrem ait voluisse tertium hunc canonem edi, ne quis culpam patraret in quam ipse inciderat, qui, per ignorantiam, ordinatus fuerat Episcopus, vivente Valerio, decessore suo, contra ac Nicænum concilium decreverat. Hæc Possidii animadversio Sanctum Augustinum huic tertio Carthaginensi concilio adfuisse probat, quamvis id alii admodum levibus rationibus ducti in dubium revocent.

4. Vetat, ne diaconus ordinetur, aut virgo consecretur, ante vicesimum quintum ætatis annum; lectoresque prohibet populum salutare. Canon hic, in antiquis aliquibus exemplaribus, eos solum, vicesimo ipso ætatis anno, ordinandos addit quos sacrarum Scripturarum scientia imbutos esse constiterit, quique, ab infantia, in Ecclesiæ doctrina alti fuerint educatique, ut Fidem docere, contraque eos a quibus impugnatur, propugnare possint.

Ad intelligendam hujus canonis partem quæ prohibet, ne populum lectores ſalutent, animadvertendum cum Albaſpinæo, Carthaginenſis tertii concilii tempore, in more poſitum fuiſſe, ut lectores Evangelium legerent quod ab Epiſcopo explicandum erat. Antequam Evangelii lectionem inchoaret, lector populum ſalutabat, inquiens elata voce, *Pax vobis*, quemadmodum hodie diaconus dicit, *Dominus vobiſcum*; & quia concilii Patres hanc cæremoniam ſpectabant tamquam divinam ſalutationem, adoptatamque ab Eccleſia ad Chriſti Domini pacem tribuendam, ut qui per eamdem formulam ſalutabatur, ad communionem & pacem Eccleſiæ ſuſceptus videretur; eam concilium tamquam graviorem altiuſque poſitam lectoribus interdicit. Eadem etiam, deinceps, Epiſcopis, ad presbyterorum diaconorumque excluſionem, reſervata fuit.

5. Vetat, ne ſacramenta, vel per ipſum Paſchatis ſolemne tempus, catechumenis tribuantur, eo ſalis excepto quod iis tribui conſuevit, quia ſi fideles per eos feſtos dies Sacramenta non mutant, ne catechumeni quidem mutare debent.

Se torquent Interpretes, ut hunc canonem explicent, determinentque, quodnam illud ſacramentum ſit, quod catechumenis per Paſchatis feſtos dies tribui prohibetur. Euchariſtia quidem eſſe non poteſt quam ſuſcipere iis nunquam licebat. Sint ergo, neceſſe eſt, publicæ eulogiæ quæ *Sacramenta* nuncupabantur, & generatim omne myſticum ſacrumque ſignum; præter quam ſalis, quod iis in Miſſa, feſtiſque diebus dabatur, ſtatim ac catechumeni erant, quo maturius ad Euchariſtiæ ſuſceptionem compararentur. Fidelium oblationes, ut panis, vinum, oleum, mel, lac, & ejuſmodi alia, ex Patrum locutione, *Sacramentorum* nomine deſignabantur, quia earumdem rerum, poſtquam benedictæ fuerant, panis & vini potiſſimum, partes aliquæ decerpebantur, & ad fideles deferebantur quibus cujuſdam communionis, ſacramenti & myſterii loco eſſent; harum rerum pars catechumenis tribuebatur. At quia ſal eorum præcipuum ſacramentum erat, & fideles, intra Paſchalia ſolemnia, non niſi panem vinumque offerebant, mandant concilii Patres, ut catechumenis, per id temporis, ſal tantummodo quod eorum conſuetum præcipuumque ſacramentum eſt, tribuatur, quandoquidem fideles ipſi, per idem temporis ſpatium, ſua ſacramenta, ſeu ſuas oblationes non mutant, ſatiſque habent panem & vinum offerre; ſi enim alia ſacramenta præter ſal, ut lac & mel, catechumenis tradita fuiſſent, ea in ipſorum omnino gratiam benedici oportuiſſet; quod non licebat, quoniam iis nunquam dabantur niſi particulæ decerptæ ex fidelium oblationibus quæ benedictionem acceperant. Quod ſi quis dicat, cum fideles ſolemnibus Paſchatis diebus ſal non offerrent, ex eo ſane æque atque ex aliis per eos ſanctos dies inuſitatis oblationibus nullas particulas decerpi potuiſſe, reſpondetur, ſal, ut docet hic canon quintus, conſuetum catechumenorum ſacramentum fuiſſe, ac proinde datam operam, ut iis ſalis aliquid quod antea benedictum fuerat, reſervaretur.

6. Prohibet, ne mortuorum corporibus Euchariſtia tribuatur; Dominus enim dixit: „ accipite & comedite. “ Cadavera porro nec ſumere ipſa, nec comedere poſſunt; timendumque erat, ne, ſi ea iiſdem concederetur, fratrum ii qui mente minus valerent, ſibi ipſi imaginarentur etiam baptizari mortuos poſſe.

7. Declarat accuſationem in Epiſcopum debere ad provinciæ Primatem deferri, accuſatumque non debere a communione ſuſpenſum eſſe, niſi cum a Primate accitus haud ſe ſiſtit intra menſem a die qua ejus Litteras accepit. Si legitima excuſatio ei præſto fuerit, alterius menſis prorogatione gaudebit, eo autem elapſo, extra communionem erit, uſque eo dum ſe purgaverit. Quod ſi ne ad annuum quidem concilium venerit, ſe ipſe damnaſſe cenſebitur. Quamdiu porro excommunicationi ſuberit, ne cum ſuo quidem populo communicabit. Si cauſæ diebus aliquot accuſator defuerit, communione privabitur, & accuſatus Epiſcopus reſtituetur. Accuſator non recipietur, niſi exprobrationis ipſe expers ſit.

8. Eamdem formam eamdemque dilationem ad judicium de presbytero aut diacono ferendum præſcribit; at ſuus hos Epiſcopus una cum finitimis Epiſcopis judicare debet. Is autem Epiſcopos quinque appellare debet, cum agitur de presbytero, & tres, cum de diacono. Perſonas cæteras ipſe unus judicat.

9. & 10. Eccleſiaſtica & ipſi judicia ſpectant. Epiſcopus, presbyter, aliuſve clericus qui perſecutionem in Eccleſia perpeſſus, ad judicem ſæcularem confugerit, ſi in criminali re, deponetur, quamvis abſolutus fuerit, ſin in civili, id amittet quod eidem adjudicatum fuit, ſiquidem ſuum in clero locum ſervare vult, ob injuriam quam attulit Eccleſiæ, teſtatus ejus ſe judicio diffidere. Nihil imputabitur eccleſiaſtico judici cujus ſententia ad appellationem abrogata fuerit ab eccleſiaſtico ſuperiore, niſi forte convincatur qui ſe paſſus fuerit odio aut favore corrumpi. A judicibus conſenſu partium electis nullus eſt appellationis locus.

11. Epiſcoporum, ſeu clericorum filios, æque prorſus ac laicos, exhibere profana ſpectacula, atque adeo iis intereſſe vetat; & 12. prohibet matrimonium cum ethnicis, hæreticis, aut ſchiſmaticis contrahi.

13. Epiſcopis & clericis interdicit, ne quid per donationem, ſeu per teſtamentum iis largiantur qui Chriſtiani Catholici non ſunt, licet eorumdem conſanguinei ſint; & 14. iis etiam prohibet, ne filios emancipent, niſi de eorum moribus certi ſint.

15. Vetat præterea, ne quis e clericis aut colonus, aut publicanus ſit, aut victum e ſordida negotiatione lucretur; ſcriptum eſt enim: „ Qui Dei ſervitio adſcriptus eſt, Deoque militat, haud ſe ſæcularibus negotiis implicat. “

16. Uſuram clericis interdicit, prohibetque, ne quid ultra mutuum accipiant.

17. „ Nulla extranea femina cum clericorum ullo commorari debet, ſed ſolum mater, avula, amitæ, ſorores, neptes, eæ demum ex ipſorum familiis, quæ ante eorumdem ordinationem ibidem degebant, itemque filiorum qui matrimonium deinde inierunt, aut captivorum conjuges. “

18. „ Clerici ordinari non debent Epiſcopi, preſbyteri, aut diaconi, quin prius Chriſtianos Catholicos eos omnes reddiderint qui in eorum domo ſunt. “

19. „ Lectores, ubi ad pubertatis ætatem pervenerint, ei legi ſuberunt, ut uxorem ducant, aut continentiæ profeſſionem edant. “ Canon hic in aliquibus manuſcriptis antiquis codicibus aliter effertur, ita ſcilicet: „ Lectores ad uſque pubertatis ætatem legent; deinceps vero non amplius, niſi aut integra pudicitia conjugem ducant, aut continentiæ profeſſionem emittant. “

20. „ Nullus Epiſcopus alienum populum uſurpare debet, aut in alicujus collegæ diœceſin manum immittere. “

21. „ Epiſcopus extraneum clericum, niſi ejus Epiſcopo annuente, ſua in Eccleſia retinere vel ad ordines promovere non poteſt. “ Comprehenduntur *clerici* nomine lectores, pſalmiſtæ, oſtiarii.

22. „ Nullus clericus ordinabitur, niſi per Epiſcopi examen, aut populi teſtimonium probatus fuit. “

23. „ In precibus, non ponetur Dei Patris nomen, in nominis Filii locum; ad altare, ſemper fundentur ad Patrem preces. Qui preces exſcribent, non ante iis utentur quam eaſdem doctioribus ſignificaverint. “

24. „ Non offeretur in altari, ad ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, niſi quod ipſe mandavit, hoc eſt, panem & vinum aqua mixtum, & ad cætera ſacrificia, ſcilicet ad primitias, niſi racemi, triticumque. “ Aliqui manuſcripti codices addunt, etſi hæ quoque primitiæ ſuper altari offerantur, perinde ac mel & lac, quæ Paſchatis ſolemniore die pro recens baptizatis offerri conſueverunt, eaſdem tamen peculiari quadam ratione benedictas fuiſſe, ut a Sacramento Corporis & Sanguinis Domini diſtinguerentur.

25. Vetat clericos, eoſque qui continentiæ votum ediderunt, ad inviſendas viduas ſeu virgines pergere, niſi prius in id veniam ab Epiſcopo, vel a presbyteris obtinuerint; iiſdem mandat, ut, non quidem ſoli pergant, ſed aliis eccleſiaſticis, iiſve comitantibus quos iis Epiſcopus aut presbyteri deſignaverint. Mandat denique, ut ipſi quidem Epiſcopi, vel presbyteri eas ſoli viſitent, ſed eccleſiaſticis, aliiſve perſpectæ probitatis Chriſtianis viris præſentibus.

26. „ Primæ ſedis Epiſcopus non Presbyterorum Princeps, aut ſupremus Presbyter appellabitur, aut alio ejuſmodi titulo inſignietur, ſed ſolum dicetur primæ ſedis Epiſcopus. “ Gratianus qui hunc canonem refert, *diſt.* 99. *can.* 3. ei de ſuo addidit: *Univerſalis autem, nec etiam Rom. Pontifex appelletur.* At hæc concilii verba non ſunt; &, ſiquidem eſſent, concilium hoc, utpote Africanæ Eccleſiæ nationale concilium, ejus quidem Eccleſiæ metropolitanos ſpectare poteſt, Papam autem & univerſam Eccleſiam ſpectare omnino non poteſt; ut proinde immerito prorſus ac temere Magdeburgenſes Centuriatores, non ſine vehementi verborum impetu, contra Papas hunc canonem proferant, quaſi vero particularis Eccleſia, cujuſmodi Africana erat, iis leges præſcribere potuerit. Cæterum hujus canonis non ea vis eſt, ut hierarchiam confundat, aut inſignium præcipuorumque Epiſcoporum poteſtatem imminuat & amputet, ſed ea tantum, ut vanam

nam inflationem, & ambitiosos titulos disjiciat & damnet; atque hinc fortassè originem traxit Primatis nomen quod in Africa primi cujusque provinciæ Episcopi sibi sumebant.

27. „ Cauponas clerici, non bibendi aut comedendi causâ, sed solum prout requiret itinerum necessitas, ingrediantur. “

28. „ Mare non transibunt Episcopi sine venia formataque Epistola Episcopi primæ sedis cujusque provinciæ, qui etiam concilii Litteras ad transmarinos Episcopos mittere debet. “

29. „ Non celebrabitur nisi jejuno altaris sacramentum, præter quam Feria quinta majoris hebdomadæ, & cum a prandio parentabitur. “ Perspicitur ex hoc canone Missam in Africa, servato jejunio, celebratam fuisse, quinta hebdomadæ sanctæ Feria tantum excepta, quæ cœnæ Domini anniversaria dies erat; at Trullani concilii Patres hanc exceptionem recipere noluerunt. Perspicitur & illud, ubi quispiam objisset, sanctum Sacrificium longe maxima adhibita sollicitudine oblatum fuisse, atque adeo vespere, cum presbyteri qui funere facere, aut defunctum Deo commendare debebant, jejuni erant.

30. „ Episcopi aut clerici non comedent in Ecclesiis, nisi transeuntes, aut itineris necessitate ita postulante, impediendumque, quoad fieri poterit, ne populus ipse ibidem comedat. “ Convivia quæ *agapes* appellabantur, in Ecclesiis perandi vetus mos toleratus cernitur ex hoc canone solum quoad clericos qui iter agebant, nec alium locum in quo comederent, inveniebant, ut explicat Zonaras. Quod ad laicos spectat, eumdem morem concilium in iis non tolerat, nisi quatenus, ob populi pervicaciam, ægre impediri posset. Docti Benedictini qui S. Augustini Opera nobis dedere, eum perfecisse putant, cum adhuc presbyter tantum esset, ut in Hipponensi concilio, ann. 393. canon hic ederetur.

31. „ Episcopi est, pro peccatorum magnitudine & varietate, pœnitentiæ tempus statuere. “

32. „ Presbyter pœnitentem, sine Episcopi nutu, conciliare non debet, nisi forte, cum Episcopus abest, necessitas urgeat. Pœnitenti, quicunque tandem sit, cujus crimen publicum, notumque per totam Ecclesiam fuerit, manus ante Absiden, ante Sanctuarium scilicet, imponentur. “

33. „ Virgines quæ consanguineos in quorum custodia erant, amiserint, ponentur, Episcopo, vel, eo absente, presbytero operam dante, in virginum monasterio, vel apud aliquas virtute præditas feminas, ne vagantes Ecclesiæ existimationem lædant. “ *Monasterii* vocabulum creditur additio quædam post monasteriorum fundationem apposita, quoniam, ante hujus Carthaginensis concilii tempus, virgines privatis in domibus adhuc vivebant, nec in monasteriis concludebantur.

34. „ Ægrotantes qui respondere non possunt, ex eorum testimonio baptizabuntur, qui apud eos aderunt. “

35. „ Histrionibus aut apostatis qui resipuerint, nec Baptismus, nec Pœnitentia negabitur. “

36. „ Presbyter, sine Episcopi jussu, virgines non consecrabit, sanctumque chrisma nunquam conficiet. “

37. „ Clerici non debent in alia quam suæ residentiæ urbe consistere, nisi ob causas a loci Episcopo, vel presbyteris approbatas. “

38. Quia rebaptizationes, reordinationes & translationes Episcoporum in plenario Capuano concilio vetitæ sunt, confugiendum ait ad Stefensis provinciæ Præsidem, obtinendi gratia, ut Cresconius expellatur qui Villeregiensem in Numidia Episcopatum deseruerat, ut Tubiensi, seu, Tubunensi in Stefensi provincia potiratur, „ facta hypothesi eum in sua usurpatione persistere. “

39. Honoratus & Urbanus, Stefensis provinciæ deputati, qui contra Cresconium querelas detulerant, querelas quoque instituerunt in Numidiæ Episcopos duos qui Episcopum ordinaverant, petieruntque, ut Episcoporum ordinationes a paucioribus quam duodecim Episcopis fieri non possent. At Aurelius, Episcopus Carthaginensis, respondit: „ Servabitur regula vetus quæ ad id officii tres saltem præscribit, ob provincias, cujusmodi sunt Arzugeriana & Tripolitana, in quibus pauci adsunt Episcopi, quæque Barbaris proximæ sunt. “

40. „ Si qua tamen contradictio in Episcopi electione suborta fuerit, Episcopi tres ad eam purgandam firmandamque satis esse non debent; tribus unus aut duo addantur, oportet; & oppositio eo ipso in loco disjici debet ad quem is ordinandus est, antequam ad ordinationem deveniatur. “

41. Statuit, ut Carthaginensis Episcopus celebrandi Paschatis diem indicet in concilio quod annis singulis habendum est, ut deputati qui eidem intererunt, indicatam diem redeuntes enuntiare possint.

42. Et 43. Ecclesiam in Episcopatum erigi vetant sine consensu Episcopi diœceseos in qua hæc ecclesia sita est, nisi forte res sit de Episcopis qui se parum sollicitos exhibent, ut cum confratribus suis communicent, atque adeo ad concilia vocati venire renuunt. Ejusmodi Episcopi, per secularem, si opus fuerit, auctoritatem, inquit Aurelius, cum omnium concilii Episcoporum approbatione, deponi & expelli debent. Ex his duobus canonibus, itemque a sequentibus perspicuum fit, cum in Africa de erigendis Episcopatibus agebatur, ad Carthaginensem Episcopum confugi consuevisse, quandoquidem testatur Aurelius se semper requisitisse, semperque requisiturum esse diœcesani Episcopi consensum, cum actum est, aut agetur de ejusdem diœcesis ecclesia aliqua in Episcopatum erigenda.

44. Sine diœcesani Episcopi consensu, alienæ diœceseos clericum sumi vetat.

45. Pronuntiat Carthaginis Episcopo semper fuisse jus Episcopos ordinandi, ubicunque postulabantur, eosque sumendi, ubicunque voluisset, etiam non consentientibus, ac refragantibus, post requisitionem, Episcopis Diœcesanis.

46. Mandat, ut qui electus fuerit Episcopus loci in quo antea Episcopus nullius extiterat, populo contentus sit in cujus gratiam ipse ordinatus fuerit, quin ullo ex capite diœcesin attingat quæ matrici ecclesiæ superest, ei scilicet e qua ejus ecclesia decerpta est.

47. Canonicorum Librorum catalogum continet, ei prorsus consonum geminumque quem hodie nos sequimur.

48. Donatistas spectat, pronuntiatque, „ eos qui ab ineunte ætate, apud Donatistas baptizati fuerint, nihilominus, post resipiscentiam, ad sancti altaris ministerium suscipi posse. “

49. „ Episcopos, presbyteros, diaconos, omnesque alios clericos qui suæ ordinationis tempore nihil habentes, suo deinde nomine fundos acquirunt, sacrorum bonorum usurpatores censeri vult, nisi eos Ecclesiæ tribuerint; ita tamen, ut, si quæ ad eos bona per donationem aut per successionem devenerint, ea pro arbitratu disponere possint. “

50. Concilii conclusionem, & Episcoporum, numero quadraginta quatuor, consensum & subscriptionem continet.

Gratianus & posteriorum Scriptorum nonnulli in medium proferunt alios, tamquam Carthaginensi cujusdam concilii canones quinque, quin enuntient, a quo peculiariter concilio, primo ne, secundo, an tertio deprompti sint. Horum canonum primus vetat, ne quid ab iis exigatur qui filios adducunt, ut baptizentur; at ab iisdem accipi patitur quod ultro obtulerint. Secundus revocari sinit Ecclesiasticorum bonorum alienationes, Precarii titulo, cum sine causa, nempe sine necessitate & sine utilitate transactæ fuerunt. Hujusmodi contractus non amplius *precarii* nuncupantur, sed *emphyteusis*, seu census annui nomine designantur. Vetat tertius, ne communio, nisi ad vitæ finem, ei tribuatur qui criminis quod probare non potuerit, Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum accusaverit. Quartus clericum, aut monachum qui scurriles & ad risum movendum accommodatos sermones habent, severe puniri vult. Quintus excommunicationis pœnam in laicum statuit qui sacros canones aspernatur, & degradationem in clericum ejusdem culpæ reum. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, *ann.* 398.

Concilium quod *Carthaginense quartum* dicitur, generale, seu, nationale Africæ concilium fuit. Habitum est 8. Novembris die ann. 398. Honorio & Eutychiano consulibus. Ei præfuit Aurelius cum Donatiano, Episcopo Trabacacensi, & Numidiæ primate; & Episcopi omnino ducenti quatuordecim, e quorum numero S. Augustinus erat, interfuerunt. Subscripsit etiam S. Augustinus tertio loco, tametsi, quoad ordinationis tempus, ex Africæ postremis esset; quod iis mirum non videbitur qui non ignorant in antiquis conciliis subscriptionum plerasque tum in gradu, tum in numero Episcoporum qui iisdem adfuerant, accuratas non esse. In hoc editi sunt canones centum & quatuor qui supersunt aliter inscripti pro aliis manuscriptis exemplaribus in quibus existunt. In aliquibus appellantur *Statuta vetera Ecclesiæ*; in aliis, *Orientis Statuta vetera*; at cum hi tituli non sint autographi, nihil inde contra eorumdem canonum authenticitatem inferri potest;

rest; nec videtur, cur inscripti essent *Orientis statuta*, quandoquidem multo melius Occidentalis quam Orientalis Ecclesiæ disciplinæ congruunt. Si quis objiciat, seu in Africana Collectione, seu in ea quam diaconus Ferrandus contexuit, seu apud Dionysium Exiguum, seu in ceteribus aliis Latinis Collectoribus eorum nullam unquam mentionem fieri, respondetur eos Collectores non omnia vidisse, & Africæ concilia de quibus nemo dubitat, non deesse quæ in eorum Collectionibus desiderentur. Fieri etiam potuit, ut hi Canones non nisi serius publici evaderent, ob id nempe quod in iisdem de Ordinis Sacramento præscribitur; erat enim in Ecclesia, per ea secula, principii loco, ut ea sedulo celarentur quæ Mysteria nostra spectabant, ne in eorum notitiam venirent, qui ad ea non recipiebantur. Hujus rei exemplum cernitur in Papa Innocentio I. qui ad Decentium, Eugubii in Umbria Episcopum scribensdum de Confirmationis sacramento loquitur: „ non possum, inquit, verba dicere (quæ Episcopus frontem ungens pronuntiat), ne videar potius Mysteria prodere quam ad consultationem respondere; rursusque: “ tibi, cum huc veneris, dicam cætera, quæ scribere non licebat. Carthaginensis concilii quarti præfatio titulo *generalis concilii*, totius Africæ scilicet, illud insignivit. Ejusmodi sane concilii auctoritate opus erat ad edenda tanti momenti decreta, quanti Carthaginensis concilii quarti decreta sunt. “

Primum, Examinari eum vult qui ad Episcopi dignitatem evehendus est, super moribus, an prudens, castus, sobrius, humilis, affabilis, misericors sit; super scientia, an Domini legem calleat, sacras Scripturas intelligat, & in Ecclesiæ dogmatum cognitione versatus sit; super fide, an omnes Symboli articulos credat; eumdem vult examini, quoad hæreses, subdi; ætatem etiam in eo requirit quam sanctorum Patrum decreta præscribunt; & siquidem has omnes qualitates ei inesse compertum fuerit, tum demum eumdem non sine consensu cleri, populi, conciliique provinciæ, nec non metropolitani auctoritate, vel eo præsente, ordinari debere pronuntiat.

2. „ Cum Episcopus ordinatur, Episcopi duo super ejus capite humerisque Evangeliorum librum tenere debent; unus benedictionem pronuntiat, eiqua cæteri omnes præsentes Episcopi caput suis manibus tangunt. “

3. „ Cum presbyter ordinatur, dum Episcopus eum benedicit, superque ejus capita manum tenet, omnes qui adsunt, presbyteri suas & ipsi manus ibidem ponunt. “

4. Diaconi ordinationem Episcopus solus peragit, „ manu ejus capiti imposita, quia is quidem non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratus est. “

5. „ Subdiaconus manuum impositionem non recipit; sed ex Episcopi manu patenam & calicem vacuus accipit; & e manu Archidiaconi urceolum cum aqua, linteolumque. “

6. „ Acolythus ab Episcopo documenta suscipit officii sui, & ab Archidiacono candelabrum cum cereo, ut suo se ministerio accendendis Ecclesiæ luminaribus addictum sciat. Accipit etiam urceolum vacuum, ut vinum ministret Eucharistiæ Sanguinis Christi Domini. “

7. „ Exorcista cum ordinatur, accipere debet e manu Episcopi Librum in quo exorcismi scripti sunt, eumque, necesse est, alloquatur Episcopus verbis his: *accipe & memoriter tene; habe potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.* “

8. „ Episcopus, antequam lectorem ordinet, populum de ejus fide, moribus, rectisque dispositionibus edocere debet; tum ei, coram populo, Librum dat in quo legere debet, eique dicit: *accipe & esto lector verbi Dei. Si officium tuum fideliter utiliterque perfeceris, partem habebis in eorum mercede qui ministri sunt verbi Dei.* “

9. „ Archidiaconus Ostiarium erudire debet, antequam eum præsentet, ut ordinetur; deinde, ad ejus precem, Episcopus eum ordinat, eique ex altari tradit Ecclesiæ claves, inquiens; *sic age, quasi rerum omnium quæ his clavibus clauduntur, rationem Deo redditurus.* “ Verba hæc quæ concilium in acolythorum, exorcistarum & lectorum ordinatione ab Episcopo dicta vult, ea ipsa sunt quæ hodie quoque dicuntur.

10. „ Psalmista, seu cantor, inconsulto Episcopo, & e solius presbyteri mandato, cantoris munus obire potest. Hoc ei presbyter tribuens: *vide*, inquit, *ut corde credas quod ore cantas, tuisque operibus id probes quod corde credis.* “

11. „ Virgines quæ præsentantur Episcopo, ut consecrentur, habitus deferre debent qui professioni & statui respondeant quem amplecti volunt, iisque similes sint, quibus deinceps utentur. “

12. „ Viduæ, seu virgines ad feminarum in Baptismo servitium electæ ea scientia pollere debent, ut rudiores edocere super iis possint quæ baptizanti respondeant, oportet, superque vitæ ratione quam, suscepto Baptismate, eas inire necesse est. “

13. „ Sponsus & sponsa debent a consanguineis, vel e paranymphis presbytero præsentari, cum ab eo matrimonii benedictionem accipere volunt; eaque accepta, observantiæ in eamdem ergo, continentiam proxime nocte servare debent. “

14. „ Episcopus suum parvum hospitium apud Ecclesiam habere debet. “

15. „ Ejus supellex debet esse vilis pretii, mensa pauper; suamque ipse dignitatem fide, rectaque vita sustinere debet. “

16. „ Non leget ethnicorum libros; hæreticorum autem libros, solum ob necessitatem leget. “

17. „ Viduarum, pupillorum advenarumque curam sumet, non quidem ipse per se, sed per archipresbyterum, vel archidiaconum. “

18. „ Haud ipse sibi testamentorum executionem imponet. “

19. „ Litem non aget ob temporalia negotia, vel provocatus. “

20. „ Domesticis negotiis animum non applicabit, lectionique, preci & prædicationi se totum dabit. “

21. „ Non ita sibi indulgebit, ut ne ad concilium se conferat, nisi gravis eum causa impedierit; atque in hac facti specie, eo deputatum mittet qui suscipiet, ejus nomine, quicquid in concilio actum fuerit, salva fidei veritate, nempe, veritatum fidei professione. “

22. „ Clericos non ordinabit sine sui cleri consilio, populique consensu. “

23. „ Non audiet, nec judicabit cujusquam causam, nisi præsente clero, sub nullitatis pœna. “

24. „ Qui ex Ecclesia egreditur, prædicationis tempore, excommunicationi suberit. “

25. „ Si discordes Episcopos non adigit Dei timor, ut se mutuo concilient, concilium eos conciliabit. “

26. „ Eos qui inter se contendunt, Episcopi ipsi hortabuntur, ut se potius componant, quam judicium subeant. “

27. Episcoporum translationem prohibet qui e parva ad magnum Episcopatum migrant, ambitione ducti; quoad eas vero quæ ob Ecclesiæ utilitatem fiunt, mandat, ut hæ quidem ad cleri & populi requisitionem, coram concilio, hujusque auctoritate peragantur; nec magis presbyteros & inferiores clericos ad aliam Ecclesiam, sine suorum Episcoporum venia, transire vult.

28. „ Injustam damnationem, ab Episcopo pronuntiatam, novo examini concilium subdet. “

29. „ Accusationem etiam in clericum, vel in laicum ab Episcopo intentatam concilium judicabit.

30. „ Ecclesiæ judices, absente parte, non pronuntiabunt; aliter sententia nulla erit, ipsique ejusdem rationem concilio reddent. “

31. Et 32. „ Ecclesiæ bona Episcopus, tamquam depositarius, non vero tamquam proprietarius accipiet; eorumque alienatio, si qua facta fuerit sine clericorum consensu & subscriptione, nulla erit. “

33. „ Episcopi & presbyteri in aliam ecclesiam venientes, suum gradum servabunt, & ad prædicandum consecrandamque oblationem invitabuntur. “

34. „ Non patietur Episcopus, sedente se, presbyterum stare, ubicunque fuerit. “

35. „ Episcopo nihilominus eminentior in Ecclesia sedes erit; at domi presbyteros habebit collegarum suorum loco. Inferiores ministros Africani Episcopi *collegas* appellare solebant, at sine suæ ipsorum in hierarchico ordine superioritatis præjudicio. “

36. „ Presbyteri qui Parœcias administrant, chrisma ante Pascha, non a quovis Episcopo, sed a diœcesano, nec per juniorem clericum, sed ipsi per se, vel per sacristam petent. “

37. „ Diaconus presbyteri, ut Episcopi minister est. “

38. „ Diaconus Eucharistiam Corporis Christi Domini populo non distribuet, coram presbytero, nisi eo mandante, in necessitatis casu. “

39. 40. Et 41. „ Diaconus non sedebit, ubicunque fuerit, nisi presbyteri jussu: non loquetur, nisi interrogatus, in presbyterorum cœtu; Albam

„ deſeret, ſolum abſolutionis, aut lectionis tem„ pore. “

42. „ Clerici qui in mediis tentationibus, ſcilicet, „ ut videtur, in mediis Donatiſtarum perſecutionibus „ aſſidui ſunt officio ſuo, ad altiores gradus promove„ ri debent. “

43. „ Habebitur etiam Chriſtianorum cura, qui ca„ tholicæ Fidei cauſa vexantur, iiſque victum diaconi „ ſuppeditabunt. “

44. „ Clerici ſibi nec capillos, nec barbam alere de„ bent. “ Addunt exemplaria nonnulla: „ ſed tonde„ re, ſeu radere debent. “ Canon hic & ſequentium nonnulli videntur editi Meſſalianorum, aliorumque hæreticorum occaſione qui bona opera, manuum laborem & matrimonium damnabant, promiſſaſque comas & magnificas veſtes, feminarum inſtar, geſtabant. Conſtat ex hoc canone nec S. Auguſtinum, nec Africæ eccleſiaſticos ac monachos ipſos barbam aluiſſe, quandoquidem ejus regionis monachi tum quidem clero aggregati erant, idemque ac clerus ipſe nomen gerebant.

45. „ Profeſſionem ſuam clerici externa ſpecie præ„ ſeferre debent, nec in veſtibus aut calceamentis or„ natum quærere. “

46. „ Cum exteris feminis commorari non de„ bent. “

47. Et 48. „ Per vias & plateas deambulare non de„ bent, niſi id poſtulet officii ratio, nec nundinis aut „ mercatui, emendi cauſa, intereſſe; ſecus gradu ſpo„ liandi. “

49. Et 50. „ Clericus qui vigiliis deeſt, quin eum „ morbus excuſet, ſuis ſtipendiis privabitur, & „ qui mediis in tentationibus ab officio recedit, vel „ eo negligenter fungitur, ſpoliabitur officio ipſo. “

51, 52. & 53. Mandant omnibus clericis qui pares labori ſunt, ut artes ediſcant, ſibique victum lucrentur, id nempe quo ſe alant & veſtiant, ſeu per artem, ſeu per agriculturam, maxime licet Dei verbum calleant, quin id tamen eorum functionibus detrimento ſit.

54. Clericos damnat qui invidia trahuntur, vetatque, ne, dum hoc vitio laborant, promoveantur.

55. Suorum fratrum delatores ab Epiſcopo excommunicari; & in communionem, ſi ſe corrigunt, non tamen in clerum recipi vult.

56. In clericos aſſentatores aut proditores degradationem ſtatuit.

57. Maledicos clericos & præſertim presbyteros ſuarum oblocutionum ſatisfactioni ſubeſſe vult, graduque privari, ſi renuant, abſque ulla unquam, ni ſatisfecerint, reſtitutionis ſpe.

58. Haud recipiendum pronuntiat, ſine maturo examine, clerici teſtimonium qui litigioſus aut præter modum garrulus eſt.

59. Epiſcopum ait debere verbis vel auctoritate clericos componere qui rixentur; eos vero qui ei parere noluerint, a concilio puniendos vult.

60. Suo clericum miniſterio privari jubet qui ſcurrilia & turpia verba pronuntiat.

61. Clericos qui per creatas res jurant, acriter arguendos, ſi pergunt, excommunicandos eſſe declarat.

62. Eadem ſeveritate in clericum qui inter convivia concinit, animadverti vult.

63. Puniri clericum vult qui jejunium, quin gravis urgeat neceſſitas, intermittit.

64. Eum qui dedito ſtudio jejunat die dominico, Catholicum haberi non vult; dubio procul, hæreticorum cauſa qui Chriſti Domini reſurrectionem negabant, idque affectabant, ut ſanctum quo reſurrexit, dominicum diem in luctu jejunioque tranſigerent.

65. „ Paſchatis ſolemne feſtum eodem tempore ea„ demque die celebrari debet. “

66. „ Clericus qui ſe durius ab Epiſcopo punitum „ crediderit, ſibi apud concilium conſulet. “

67. „ Nec ſeditioſi, nec uſurarii, nec qui acce„ ptas injurias ulciſcuntur, clerici unquam ordinari „ debent. “

68. Eos ordinari vetat qui ſunt aut fuerunt in pœnitentium gradu, quæcunque tandem eorum probitas ſit; quod ſi quis ex hoc numero, per ignorantiam, Epiſcopus ordinaverit, hi quidem deponentur, Epiſcopus autem, ſi ſciens & volens fecerit, ordinandi poteſtate privabitur.

69. Eadem pœnæ Epiſcopum ſubdit qui quempiam cum vidua, vel cum repudiata muliere, vel in ſecundis nuptiis conjugatum ordinibus initiaverit.

70. Hæreticorum & ſchiſmaticorum conviviis & cœtibus intereſſe clericos vetat.

71. „ Hæreticorum conventiculis non *Eccleſiarum*, „ ſed *conciliabulorum* nomen tribuitur. “

72. „ Cum hujuſmodi hominibus nec orandum, nec „ pſallendum. “

73. „ Qui cum excommunicato communicat aut orat, „ communione privabitur, ſeu clericus ſit ſeu lai„ cus. “

74. „ Pœnitentiam petentibus, ſine perſonarum ac„ ceptione, presbyter tribuet. “

75. „ Pœnitentes qui negligentiores fuerint, ſerius „ ſuſcipientur. “

76. „ Si ægrotus pœnitentiam petit, & antequam „ presbyter adveniat, linguæ aut rationis uſum amit„ tit, ad pœnitentiam ex eorum qui audierunt, teſti„ monio recipietur. Si morti proximus creditur, per „ manuum impoſitionem concilietur, eique Euchari„ ſtia in os ingeratur. Si ſuperſtes fuerit, ſubeat „ pœnitentiæ legibus, quoad presbytero viſum fue„ rit. “

77. „ Pœnitentes qui morbo laborant, Viaticum per„ cipient. “

78. „ Pœnitentes qui ægrotantes ita quidem Eucha„ riſtiæ viaticum ſuſceperunt, haud ſe abſolutos, ſi „ convaluerint, quoad manuum impoſitionem accepe„ rint, exiſtimabunt. “

Ut canon hic probe intelligatur, ſciendum eſt manuum impoſitiones, quoad pœnitentes, in Eccleſia uſitatas, olim in quadruplici genere fuiſſe. Eo ſpectabat prima, ut ad pœnitentiam qui petebant, reciperentur. Adhibebatur altera, quaque die, ſuper eorum ſingulis, cum ad tertium pœnitentiæ gradum pervenerant. Tertia & quarta uſui erant, cum pœnitentes, ſeu publice, ſeu privatim, conciliabantur. Sciendum præterea eſt duplicis generis viaticum exitiſſe quod morientibus tribuebatur, nempe, abſolutionis ſeu conciliationis unum, Euchariſtiæ alterum. Sciendum denique duorum quoque generum abſolutionem fuiſſe, peccatorum unam, pœnitentiæ ſeu pœnarum alteram, quæ ad peccatorum expiationem ſubeundæ. His ita ſe habentibus, evidens eſt canonem hunc, cum pœnitentes qui Euchariſtiæ viaticum morbi tempore ſuſceperunt, haud ſe abſolutos credere vult; ſi priſtinam valetudinem recuperaverint, uſque eo dum manuum impoſitionem acceperint, nec de peccatorum abſolutione, quoniam ejuſmodi ſacramentalis abſolutio peccatoribus pœnitentibus ad Euchariſtiam ſuſcipiendam neceſſaria ſemper fuit, nec de manuum impoſitione quæ ſemper hoc abſolutionis ſeu conciliationis genus comitabatur, intelligi poſſe. Eſt igitur intelligendus de canonicæ pœnitentiæ abſolutione, ac de manuum impoſitione quæ in hujus pœnitentiæ curſu, tertioque potiſſimum gradu ſuper pœnitentibus edebatur; ut hæc proinde ſit hujus canonis notio, pœnitentes qui, dum ægrotabant, Euchariſtiæ viaticum acceperunt, a canonica quæ perficienda ſupererat, pœnitentia non eximi, ſed debere eamdem repetere, & ad tertium pœnitentium gradum redire, in quo pœnitentes ad manuum impoſitionem ſuſcipiendam ſe humi ſternebant. Inter hunc autem alioſque canones qui ſuper eodem pœnitentium ægrotantium caſu ſtatuerant, id diſcriminis intercedit, quod ſuperiores quidem canones ſanxerant, ut hi pœnitentes qui abſolutionem perceperant, ſiquidem convaluiſſent, ad eum pœnitentiæ locum regredi tenerentur, in quo erant, cum eos morbus inceſſit, at de facti ſpecie in qua divinam Euchariſtiam in viatici modum ſuſcepiſſent, omnino ſiluerant; hic autem canon definit ægrotos de quibus agitur, etiamſi Euchariſtiam in viatici modum receperint, repetendæ tamen canonicæ pœnitentiæ ſemper obnoxios fore; ac ratio quæ hujus quarti Carthaginenſis concilii Patres impulit, ut ſanctionem ederent de qua loquimur, ea eſt, quia pœnitentes qui Euchariſtiam, morbi tempore, acceperant, cauſam hanc prætexebant, ne ad pœnitentiam, ubi convaluiſſent, regrederentur, ſibique præſidium ex aliquarum ejus temporis Eccleſiarum, quoad catechumenos, uſu quærebant. „ Sunt Eccleſiæ, ajebant, „ in quibus catechumenis Baptiſma confertur etſi ca„ techumenatum ſuum non perfecerint, cum forte for„ tuna, dum ſancta Myſteria celebrabantur, eos in „ templum ingredi contigit, id autem propterea quod „ ita ſolum ſors iiſdem arriſit, ut divinam Euchari„ ſtiam ſanctique Sacrificii actionem viderent. Par er„ go eſt, addebant, & quidem potiore jure, a reli„ qua pœnitentia nos eximi, qui ſatis felices fuimus, „ ut divinam Euchariſtiam non intueremur modo, ve„ rum etiam reciperemus. “ Contra ejuſmodi pœnitentes ſcilicet, contraque rationem quam aſſerebant, editus canon fuit quem explicamus.

79. „ Qui, pœnitentiæ legibus accurate ſervatis, in „ itinere, vel aliter, ſine ſubſidio, mortem occum„ bent, non proinde tamen eccleſiaſtica ſepultura, „ precumque nihilominus atque oblationum partici„ pes erunt. “

80. „ Je-

80. „ Jejunii diebus omnibus, presbyteri pœnitentibus manus imponent. “ Intelligitur canon hic de tertiæ classis pœnitentibus, de Prostratis videlicet quos, jejunii quaque die, se ad Ecclesiam conferre oportebat, ut prope januam, ubi, toto spectante populo, humi se prosternebant, impositionem manuum Episcopi vel presbyterorum acciperent. Concilium hoc loco mandat, ut hujus classis pœnitentes, jejunii diebus quibuslibet, sine exceptione, impositionem manuum presbyterorum accipiant, quia subesse poterat dubitandi locus, eam, necne, suscipere deberent, magnorum jejuniorum diebus, eorum nimirum quæ plena & integra usque ad vesperas protrahebantur, quia nulla per eos dies Missa celebrabatur, & quia manuum impositio de qua sermo est, eo temporis spatio peragebatur, quod inter catechumenorum & fidelium Missam intererat. Vult ergo concilium tertiæ classis pœnitentes in Ecclesia, magnorum jejuniorum diebus, adesse, ut impositionem manuum presbyterorum ibidem accipiant, quamvis nulla iis ipsis diebus Missa dicatur.

81. „ Pœnitentium est mortuos efferre & sepelire. “

82. „ Pœnitentes debent genua flectere, relaxationis etiam seu remissionis diebus quibus ab hac lege fideles exempti sunt. “ Appellabantur *relaxationis* seu *remissionis* dies, Festa, Dominica, & quinquaginta dies inter Paschatis & Pentecostes solemnia medii; Hi porro dies *relaxationis* seu *remissionis* nomine designabantur, propterea quod eo tempore fideles sancta quadam lætitia gestiebant, partim in memoriam resurrectionis Christi Domini, partim ob felicitatem qua gaudebant, ut sanctam Eucharistiam sumerent. Adeo perspecta erat insignisque lætitia hæc, ut ethnicis, Tertulliano referente, dicendi occasionem præberet Christianos, die dominico, in solis honorem lætari. Concilium ergo pœnitentes flexis genibus orare vult iis quoque diebus quibus fideles reliqui stantes orant, in lætitiæ argumentum, quia pœnitentes ipsi totum pœnitentiæ addictum tempus in afflictione transigere debent.

83. Pauperibus & senibus quam aliis personis plus honoris deferri vult.

84. Episcopo mandat, ut omnis generis homines, Ethnicos, Hæreticos, Judæos in Ecclesiam ingredi sinat, ad Dei audiendum verbum, ibique ad catechumenorum Missam usque, & hanc ipsam, consistere.

85. „ Baptizandi suum nomen dabunt, & per abstinentiam a vino & a carne, perque crebram manuum impositionem diu probabuntur. “ Erat hæc manuum impositio mere cæremonialis, &, perinde ac preces & crucis signa, ad catechumenos ad Baptismum comparandos, & aliqua ratione ac prout iisdem congruere poterat, adhibebatur, ut ait Sanctus Augustinus, *Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 26.*

86. „ Neophyti per aliquod tempus a conviviis, a spectaculis & ab uxoribus abstinebunt. “

87. & 88. „ Catholicus qui causam suam, seu justa, seu injusta sit, ad judicia infidelis tribunal defert, excommunicabitur, æque ac qui, solemni die, non ad Ecclesiæ officia, sed ad spectacula pergit. “

89. „ Eadem pœna imponetur ei qui auguriis, veneficiis, aut Judaicis superstitionibus se dedit. “

90. „ Exorcistæ, quotidie, super energumenos manus imponent. “

91. „ Ecclesiarum pavimentum verrent energumeni. “

92. „ Exorcistis ea cura erit, ut alant energumenos qui in Ecclesia commorantur. “

93. „ Fratrum in dissidio versantium oblationes nec in sacristia, nec in stipis cogendæ cippis accipientur. “

94. „ Rejicientur pariter eorum dona, qui pauperes opprimunt. “

95. „ Communione, tamquam pauperum homicidæ, privabuntur qui Ecclesiis pro defunctis oblationes negant, vel ægre reddunt. “

Cum Aurelius, Carthaginensis Episcopus, e S. Augustini consilio, convivia quæ super Martyrum tumulis, & in defunctorum memoriam agebantur, abolevisset, & quod in ejusmodi conviviis absumebatur, in pauperes erogari jussisset; populus pro defunctis quicquam offerre destitit; ut ejus ergo hac in re pietas excitaretur, canon hic editus fuit. Itaque oblationes quas fideles in defunctorum solatium erogabant, in pauperes distribuebantur; ut injuria effutierint hæretici usum offerendi aliquid in Ecclesia, ad defunctorum solatium, nihil aliud fuisse quam inventum quoddam quod in clericorum emolumentum vergebat.

96. „ In judiciis, sedulo inquiretur de accusatoris & accusati moribus & fide. “

97. „ Eum loci Episcopus examinabit qui religiosas regere debet. “

98. „ Laici non docebunt coram clericis, nisi ab iisdem jussi. “

99. „ Femina, quacunque tandem scientia & sanctitate præstet, haud sibi sumet, ut in cœtu viros edoceat. “

100. „ Nec magis eo devenient feminæ, ut baptizent. “

Intelligi non debet canon hic de necessitatis casu, in quo scilicet baptizare feminis licet; id unum iis interdicitur in hoc negotio, ne baptizent solemniter, vel extra necessitatis casum, vel, in necessitatis casu ipso, præsente clerico, aut laico, nisi forte melius quam hi, baptizare sciant, ac si ex baptizare renuerint, periculum, quoad sacramenti validitatem, subesse debeat.

101. „ Juniores viduæ, infirma valetudine, ex Ecclesiæ e qua pendent, fundis alendæ sunt. “

102. „ Episcopi, seu parochi culpa fit, si juniores viduas, aut religiosas adigit necessitas & inopia, ut cum clericis familiariter vivant. “

103. „ Viduæ quæ Ecclesiæ impensis aluntur, adeo in Dei servitio assiduæ esse debent, suis ut precibus & bonis operibus Ecclesiæ opitulari possint. “

104. „ Quæ viduæ relictæ, adhuc juvenes, maturaque ætate, se Deo consecrarunt, sæculari habitu deposito, ut religiosum induerent, coram Episcopo & Ecclesia, deinde vero ad sæculares nuptias migrarunt, Christianorum communione privabuntur, ac ne in cibo quidem sumendo communicare cum iisdem poterunt. Eadem pœna iis imponetur quæ nubunt, etiam postquam raptæ fuerunt, conjugium cum raptore ipso ineuntes. “ In aliquibus exemplaribus, post hos centum & quatuor canones, centesimus quintus occurrit qui falsos accusatores, quoad pœnitentiam egerint, Ecclesiæ aditu prohibet, *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense.

Sane concilium hoc quod vulgo dicitur *Carthaginense quintum*, difficultatibus obnoxium est. Baronius, & post eum, Godefriddus, quos Labbæus secutus est, illud ad an. 398. referunt. Ei Scheltratius quem Fleurius sequitur, tribuit annum 400. Idem alii in annum 401. protrahunt. Alii denique putant id quod nos *concilium quintum Carthaginis* appellamus, nihil aliud esse quam conciliorum duorum quæ hac in urbe, an. 401. habita sunt, perturbatam indigestamque congeriem. Rationum momenta quibus nituntur, ejusmodi sunt 1. Canones qui Carthaginensi concilio quinto tribuuntur, & quindecim numero sunt, a Carthaginensibus duobus an. 401. conciliis editi comperiuntur, si quartus excipiatur qui ex Hipponensi an. 393. concilio ductus videtur. 2. S. Augustinus, in Epistola quam an. 402. scripsit, (*Epist. 65. p. 154. Tom. II.*) id profert quod concilii quinti duodecimum canonem conficit, tamquam decretum recentius quam ut adhuc ne presbyteris quidem innotesceret in quorum gratiam editum fuerat. Non hac profecto loquendi ratione usus esset S. Doctor, si canon hic an. 401. vel 398. conditus fuisset. 3. Nulla fit Carthaginensis quinti concilii mentio vel in Codice Canonum Africæ, vel in ullo veteri monumento; & solum in pseudo-Isidori Collectione, primum, occurrit. 4. Huic concilio apposita præfatio ridicula est, prorsusque, ad stilum quod attinet, ab iis alia quas Carthaginensia genuina concilia præferunt. Ut ut res habeat, quæ canonibus quindecim Carthaginensi quinto concilio adscriptis continentur, hæc sunt:

Primus, Clericos in jus, ut testes sint, vocari vetat.

2. „ Clericus, quocumque gradu sit, Episcoporum judicio ob aliquod crimen damnatus, nec Ecclesiæ quam administravit, nec alterius cujusvis personæ patrocinio gaudere debet. “

3. Matrimonii usum Episcopis, presbyteris & diaconis interdicit, depositionis indicta pœna. Reliqui clerici, continentiam quod spectat, ad Ecclesiarum quibus deserviunt, consuetudinem se conformare debent.

4. „ In Episcopos interdictio, ne sine Primatis provinciæ, conciliique auctoritate, alienent Ecclesiæ bona. “

5. „ Nulli Episcopo licet suæ sedis locum mutare,

„ vel alibi in diœceſi, quam in cathedrali Eccleſia „ reſidere."

6. „ Baptizandi ſunt ſine ſcrupulo infantes de quorum Baptiſmo per teſtimonia certa non conſtat. Eadem erit Eccleſiarum ratio, de quarum conſecratione dubitabitur." Editus propterea fuit canon hic, quia deputati Mauritaniæ ſignificarunt ſæpe a Barbaris redimi infantes plures qui baptizati, necne, eſſent, nulla præſto erat certa probatio.

7. „ Paſchatis dies omnibus per formatas Litteras „ declarari debet. Africæ generale concilium habebitur VIII. Kal. Novembris, nempe 22. Octobris die; „ & monebuntur, e ſcripto, cujuſque provinciæ Primates, ne ſuum, per id temporis, provinciale concilium habeant."

8. „ Interceſſor, hoc eſt, is qui vacantis Eccleſiæ curam ſumebat, operam dare debet, ut eidem Eccleſiæ, intra annum Epiſcopus detur. Quod ſi tacere neglexerit, elapſo anno, interceſſor, aliud ibidem ſtatuetur." Ejuſmodi commiſſarii nuncupabantur etiam *interventores*.

9. „ Obſecrabitur Imperator, ut per eum liceat Epiſcopis defenſores committere qui ſibi curanda ſumant negotia pauperum, quibus gravata erat Eccleſia, quique eos a divitum oppreſſione tueantur." Poſſidius, in S. Auguſtini vita, nos certos facit Imperatores, ſupplicationis Epiſcoporum hujus concilii rationem habentes, Reſcriptum emiſiſſe, cujus vi in Africæ Eccleſiis & in aliis, pauperum defenſores inſtituerentur.

10. „ Epiſcopi debent adeſſe concilio, niſi legitimum impedimentum iiſdem ſuperveniat; ſi quid iis ſuberit impedimenti, illud de ſcripto ſignificabunt. „ Primates in duas treſve ſectiones tribuent provinciæ Epiſcopos, ut alterius vicibus ad concilium veniant. Qui, ex Epiſcopis, ſe ad concilii locum conferre non potuerint, excuſationes ſuas in publicam Epiſtolam quam provincia ad concilium mittet, inferendas curabunt. Quod ſi quo impedimento, poſt miſſam Epiſtolam, retineantur, ejus rationem Primati reddent; ſecus, cum nemine, extra propriam Eccleſiam, communicare poterunt."

11. „ Presbyteris aut diaconis criminum reis quæ depoſitionem merentur, manus imponi non debent, ut pœnitentiæ ſubdantur, laicorum inſtar; nec danda venia, ut, qui rebaptizati fuerunt, ad clericatu- „ ram evehantur."

12. „ Statuitur, ut eccleſiaſtici ob aliqua crimina communione privati, purgationem ſuam per anni ſpatium proſequi poſſint, at, elapſo tempore, non amplius ad ſe purgandos recipiantur."

13. „ Epiſcopus qui monachum ab alio Epiſcopo pendentem, clericum, ſeu monaſterii, in quo verſatur, ſuperiorem ordinaverit, ad ſuæ tantum Eccleſiæ communionem redigetur, & monachus nec clericus erit, nec ſuperior."

14. „ Ad ſuperſtitiones evitandas, Epiſcopi, quoad fieri poterit, altaria deſtruent quæ per agros, & in viis, tamquam monumenta Martyrum, erecta fuerint, niſi reapſe alicujus Martyris corpus, ejuſve reliquiæ ibidem adſint. In univerſum, nulla admittetur memoria ſeu capella, Martyris nomine, quin certo conſtet ibi ejus corpus, vel aliquam ejuſdem reliquiam exiſtere, eumve ibi moratum eſſe, vel eum locum poſſediſſe, vel paſſum ibidem eſſe; prorſuſque rejicientur altaria quæ ſine certa probatione, e ſomniis, jactatiſve revelationibus extructa fuerint."

15. „ Mandatur, ut ab Imperatoribus omnium idololatriæ veſtigiorum, in ipſis nemoribus arboribuſque, abrogatio petatur."

S. Auguſtinus refert (*Lib.* 18. *de Civit. Dei cap. ult.*) ethnicos rumorem ſparſiſſe, Chriſtianam Religionem, ex oraculis, anno a Domini Noſtri Jeſu Chriſti Paſſione 365. & ab ejus Nativitate, 398. deſituram. Hac nimirum occaſione Carthaginenſes Patres ab Imperatoribus poſtularunt, ut, quicquid idololatriæ ſupererat, iis operam dantibus, aboleretur, atque ita ethnici ſuorum oraculorum vanitatem perſpicerent. Arcadius & Honorius, poſtulationem rationi conſonam judicantes, edicta per totum Orientem & Occidentem, an. 399. ſub Manlii Theodori conſulatu, promulgata voluerunt, quæ ſacrificia, ſimulacra, nullumque non idololatriæ veſtigium penitus abolebant. *Reg. Tom. III. Lab. To. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Alexandrinum, *an.* 399.

Concilium hoc, an. 399. Origenis cauſa, habitum fuit. Ejus acta periere; nec niſi fragmenta quædam nobis ſervavit ſynodica Epiſtola quam Theophilus, Alexandrinus Patriarcha, ubique vulgandam curavit. Ibi Origenis & perſona & errores damnantur. *Ibid.*

Concilium Cyprium, *an.* 399.

Cum Theophilus Alexandrinus ſui concilii Synodicam Epiſtolam ad omnes Epiſcopos, & ſingillatim ad S. Epiphanium miſiſſet, addita peculiari ad eumdem Epiſtola qua eum rogabat, ut omnes Cypri inſulæ Epiſcopos congregaret, S. hic Præſul concilium ex ejus inſulæ Epiſcopis conflatum coegit, quod Librorum Origenis lectionem prohibuit. Epiſcopis deinde, & nominatim S. Joanni Chryſoſtomo S. Epiphanius ſui concilii decreta per Litteras ſignificavit, quibus eos hortabatur, ut & ipſi ad Origenis damnandam doctrinam concilia cogerent. Hæc omnino ſunt quæ nobis, ad hoc concilium quod attinet, innoteſcunt; ejus enim Acta ad nos uſque non pervenerunt. Ea quidem, Socrate & Sozomeno referentibus, Origenis Libros damnabant, perſonam non item. *Ibid.* & Socrates, *lib.* 6. *cap.* 12. Sozomenus, *lib.* 8. *cap.* 14.

CON-

CONCILIA
SÆCULI QUINTI.

Concilium Taurinense, an. 400.

Baronius concilium hoc ad an. 397. refert; alii ad 400. nec desunt qui serius habitum velint. Celebratum fuit in Taurinensi Ecclesia, 22. Septembris die, rogantibus Galliarum Episcopis, ut difficultates plures quæ tum quidem provinciarum quibus præerant, pacem turbabant, componerentur. Ei, præter Italiæ Episcopos adfuere nonnulli Galliarum Episcopi, videlicet, Proculus Massiliensis, Simplicius Viennensis, aliique quorum haud nota nomina.

Synodica Epistola continet articulos octo qui super difficultatibus in concilio propositis decreta totidem sunt.

Articulus primus Proculum, Massiliensem Episcopum spectat qui, licet e Viennensi provincia esset, se tamen secundæ Narbonensis metropolitanum jactabat. His autem rationibus nitebatur; quod ejus provinciæ Ecclesiæ olim erant Massiliensis pars, & quod ipse primos ejusdem Episcopos ordinaverat; regionis Episcopi contra stabant, asserentes se non debere alterius provinciæ Episcopo, tamquam metropolitano subesse. Concilium mandavit, ut Proculus primatu gauderet quam sibi vindicabat, hac tamen lege, ut ea personale privilegium esset ætati meritoque concessum, non sedis jus, ac post ejus mortem, res in communem ordinem restituerentur.

Simplicius Viennæ Allobrogum Episcopus contendebat & ipse de metropolitani, quoad Viennensem provinciam, jure cum Episcopo Arelatensi qui illud propterea sibi arrogabat, quia S. Trophimus, Arelatensis Episcopus, Fidem in iis Provinciis primus nuntiaverat. Concilium, haud spectatis rationum momentis quas Arelatensis Episcopus afferebat, expendi voluit, utra urbs quoad civile regimen metropolis esset, is autem quem metropolis Episcopum esse constitisset, primatiæ honorem in tota provincia obtineret, ejusque tum Episcopos ordinaret, tum Ecclesias visitaret; utrique tamen, ad pacis & charitatis bonum, libertate relicta, ut in sua quisque provincia, tamquam metropolitanus, Ecclesias proximas visitaret. Videntur Episcopi duo, ad hanc difficultatem finiendam, concilii sententiam secuti, & inter se provinciam partiti, prout ea se habet hoc ipso tempore. In veteribus Notitiis, Vienna tamquam metropolis ponitur, & Arelate simpliciter urbs appellatur; at postquam Arelatensi urbi suum Constantinus nomen dedit, magnis addita privilegiis, urbs hæc veluti Galliarum secunda spectata fuit, eique Imperatores ipsum Metropolis titulum concesserunt, ut constat ex Honorii Epistola an. 418.

Articuli tertii constitutio spectat Episcopos quatuor qui aderant concilio, & in ordinationibus multa peccaverant. His rem fatentibus concilium præterita condonavit, ea tamen statuta lege, ut quicumque deinceps violasset Ecclesiæ decreta vetera, excideret ordinandi jure, & voce in conciliis, qui autem contra canones ordinati essent, sacerdotii honore spoliarentur.

4. & 5. confirmant Triferii Episcopi sententias duas, unam in laicum quemdam Palladium nomine, in presbyterum Exuperantium alteram.

6. Sanctionem in eos continet qui cum Felice, Trevirensi Episcopo, communicabant, ex Ithacianorum grege, a quibus ordinationem acceperat. Concilium decrevit, ut, prout S. Siricius & S. Ambrosius egerant, iis tantum qui se a Felicis societate sejunxissent, Ecclesiæ communio concederetur.

7. Episcopis prohibet, ne suorum confratrum clericos abstrahant, quos in sua ipsorum Ecclesia ordinent, neve ubivis excommunicatos ad communionem recipiant.

8. Ad eminentiorem gradum eos evehi vetat quibus filii, dum Ecclesiæ ministri erant, nati essent, quive ordines illicite suscepissent. Canon hic, ad clericorum incontinentiam quod spectat, in Arausicano concilio, an. 441. laudatus fuit. Regiense concilium, an. 439. mandavit, ut, quemadmodum in Taurinensi decretum fuerat, Episcopi duo qui alium, secus ac postulabat canonum ratio, Embroduni ordinavarent, ordinandi jure in posterum privarentur. *Ibidem.*

Concilium Toletanum Primum, an. 400.

P. Floresius, inter Ordinis Eremitarum S. Augustini Scriptores doctus, in sua *Hispania Sacra*, hispanice scripta, satis firmis rationum momentis ostendit Toleti, totius Hispaniæ metropolis, concilium quoddam, sub an. 396. habitum fuisse; illud tamen de quo loquimur, Hispanicorum primum, dubio procul ob celebritatem, habetur. Habitum VII. Idus Septembr. æræ 438. nempe an. 400. Christi Domini, Papa Anastasio Pontifice, imperatoribus Honorio & Arcadio, & Stilicone consule, ut disciplina restitueretur, Ecclesiæque quas Priscillianistæ disciderant, redintegrarentur. Adfuerunt Episcopi undeviginti ex omnibus Hispaniæ provinciis. Patruinus Emeritanus, concilii præses, illud aperuit, proponens, ut discrepantia ad scandalum prava quæ penes Episcopos in agendi rationem, & peculiariter in ordinationes irrepserat, tolleretur, quæ discrepantia deveniebat ad schisma ipsum, & Nicæni concilii sanctionibus insisteretur. Visa est rationi consona Præsidis sententia, in qua sancitum, ut, quicunque Nicæna decreta, non ignorans, violasset, excommunicaretur, nisi id purgaret in quo defecisset; tum vero editi canones viginti numero.

Primus eam veniam dat, ut conjugatis diaconatus conferatur, dummodo casti sint & continentiam servent; at vetat, eodem tempore, ne ad presbyteratum diaconi, & ad Episcopatum presbyteri promoveantur qui continentiam suis cum uxoribus non servaverint, ex iisque filios susceperint, vel ante legem super hac re a Lusitaniæ Episcopis latam.

2. Eum ordinari non vult qui publicam pœnitentiam egit. Quod si nihilominus necessitas ita postulet, aut ejusmodi consuetudo sit, eum subdit ostiarium, vel etiam lectorem institui posse, ea tamen conditione, ut nec Evangelium, nec Epistolas legat, ac si quem ex hoc hominum genere diaconum ordinatum esse constiterit, hunc quidem inter subdiaconos tantum positum vult, quin manus imponere, aut sacra vasa tangere possit. „ Jam vero, pergit canon, eum „ *pœnitentis* nomine designamus qui, peracta, post „ Baptismum, ob homicidium, aliudve ejusmodi cri„ men, publica pœnitentia, publice, sub cilicio, ad „ divinum altare, conciliatus fuit. “

3. Lectorem qui viduam conjugem duxerit, ad subdiaconatum, ut summum, evehi posse pronuntiat.

4. „ Subdiaconus qui, post uxoris mortem, aliam „ ducit, suum gradum amittit, & ostiarius aut lector „ evadit, ea tamen lege, ut nec Epistolam, nec Evan„ gelium legat. Si tertium conjugium inierit, pœni„ tentiam aget, & a communione, per annos duos, „ segregabitur; post conciliationem vero, in laicorum „ numero semper consistet. “

Ex his canonibus duobus perspicitur subdiaconatum, eo quidem tempore, inter majores & sacros ordines recensitum non fuisse, interdictamque bigamiam clericis ipsis qui minoribus tantum ordinibus insignirentur. Perspicitur præterea subdiaconum in Ecclesia Epistolam & Evangelium legere potuisse, siquidem subdiacono bigamo id imponitur pœnæ loco, ut nec Epistolam, nec Evangelium legat. Verum animadversione oppido dignum est non Evangelii lectionem in solemni Missa fieri solitam, hoc loco, subdiaconis bigamis interdici, sed eam quæ ad sermonis initium peragebatur, quæ scilicet iisdem permissa erat; quemadmodum simplicibus lectoribus, extra Sacrificii tempus, licebat certas quasdam sacræ Scripturæ partes legere quas iis Episcopus aut presbyter designabant.

5. Ecclesiastica dignitate presbyteros aut clericos spoliat qui alicujus urbanæ vel ruralis Ecclesiæ servitio addicti non intersunt Sacrificio quod inibi quotidie fit, nisi se corrigant, suaque ab Episcopo veniam obtineant.

Probat canon hic, sæculo V. Missæ sacrificium, die-

diebus ſingulis, oblatum fuiſſe, eique omnes clericos adeſſe debuiſſe.

6. Virgines Deo conſecratas prohibet familiariter cum confeſſore & cum laico, quicunque ſit, verſari, niſi ex earum propinquis fuerit; ad convivia ſolas accedere, niſi ſeniores honeſtæque perſonæ, & perſpecta probitate viduæ ibidem extiterint; itemque in lectorum domos, niſi ſorores conſanguineæ vel uterinæ ſint, ſe conferre.

Confeſſoris nomine, de quo in hoc canone ſermo eſt, intelligi debet cantor ſeu pſalmiſta, perinde atque in canone decimo nono; ac de hujuſmodi cantoribus, ſeu pſalmiſtis explicandum eſt etiam *Confeſſorum* vocabulum quod in Orationis præfatione legitur, quæ Feria ſexta in Paraſceve pro iiſdem dicitur, & ita quidem concepta eſt: *Oremus pro omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſoribus.*

7. „ Si clerici uxorem peccare contigerit, poterit „ ipſe eam domi ligare, jejunio ſubdere, & punire, „ quin tamen in ejus vitam quicquam moliatur; at „ ei non licebit ad menſam cum ipſa ſedere, quoad „ pœnitentiam egerit, & ad Dei timorem regreſſa „ fuerit. “

Obtinebat in Hiſpania, tum quidem mos, ut viri uxores adulteras morti addicerent; ratio hæc impulit concilii Patres, ut id clericis interdicerent quibus pravæ infidæque conjuges eſſent; ac ſolum facultate iiſdem conceſſa, ut eas jejunio, carcere, aliiſque ejuſmodi pœnis punirent.

8. „ Qui militiæ nomen dedit, poſt ſuſceptum Baptiſma, quamvis in ea vitæ ratione haud graves „ culpas patraſſet, & neminem occidiſſet, ſi in clerum receptus eſt, ad diaconatum pervenire non poterit. “

9. „ Nulla religioſa vel vidua publicas domi ſuæ „ preces edere debet, ſeu cum confeſſore, cum cantore vel pſalmiſta ſcilicet, ſeu cum domeſtico, ſine „ Epiſcopi presbyterive præſentia. Veſperarum officium in Eccleſia ſolum legendum eſt; aut ſi in rurali domo legitur, id coram Epiſcopo, presbytero „ aut diacono fieri debet. “

Latina locutio, *Antiphonas facere*, quæ in canone occurrit, ſignificat *pſalmos alternis recitare*, ſeu, *canere*; & vocabulum *lucernarium*, quod in hoc ipſo canone legitur, ſignificat *Veſperarum officium* quod veſpere dicebatur, poſtquam lucernæ ſeu lampades accenſæ fuerant. Ratio propter quam concilium non vult domi publicum officium dici, niſi adſit Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ea eſt, quia ad officii, & peculiariter veſpertini finem, peragebatur ſacræ Scripturæ interpretatio quæ non niſi ad Epiſcopum, ad presbyterum, vel, iis abſentibus, ad diaconum pertinebat. Factum etiam fuerat, ut Priſcillianiſtæ in ejuſmodi privatis cœtibus in quibus nec Epiſcopus, nec presbyter, nec diaconus aderant, ſuos errores diſſeminarent; ut huic ergo incommodo occurreret, id vetuit concilium.

10. „ Eos qui ſub aliena poteſtate ſunt, clericos „ ordinari non licet, ſine dominorum conſenſu, ac „ niſi eorum vita probata ſit. “

11. Mandat, ut ſi quis præpotens clericum, aut pauperem, aut religioſum ſpoliaverit, renuatque Epiſcopo, ſui purgendi facinoris cauſa, ſe ſiſtere, communione privetur, quoad bona quæ ad eum non pertinent, reſtituerit.

12. Clericum vetat Epiſcopum ſuum deſerere, ut in alterius clerum ingrediatur. Excipitur clericus qui recedit a ſchiſmate, vel ab hæreſi, ut ſe catholicæ Eccleſiæ reddat. Excommunicati declarentur, quicunque ſe a Catholicis ſegregant, ut ſe Schiſmaticis ſocient.

13. Eos qui divino ſervitio adſunt, quin unquam communicent, monitos vult, oportere, ut vel communicent, vel ſe in pœnitentium numero ponant; ſecus fore, ut communione priventur.

14. Eum ex Eccleſia, tamquam ſacrilegum ejici jubet, qui a presbyteri manu acceptam Euchariſtiam non abſumpſerit.

Hi duo poſtremi canones impetunt Priſcillianiſtas qui Euchariſtiam a Catholicis presbyteris non accipiebant, aut ex eorum manu, pro ejus temporis conſuetudine, acceptam non abſumebant.

15. Excommunicatum, ſeu laicum, ſeu clericum vitari jubet. Si quis cum eo bibere, comedere aut colloqui compertus fuerit, excommunicationi ſubdetur; at id intelligitur de iis tantum quibus excommunicatus patefactus fuit.

16. „ Religioſa quæ peccaverit, in Eccleſiam non „ recipietur, niſi ad bonam frugem redierit, & per annos decem pœnitentiam egerit; cæterique Chriſtiani, excommunicationis indicta pœna, prohibentur „ eam, pœnitentiæ tempore, ad menſam ſuſcipere. „ Quod ſi ei nupſerit qui eam corrupit, recipi ipſe „ non poterit in pœnitentium numerum, niſi, vivente „ viro, vel poſt ejus mortem, ex caſtitatis legibus „ congruo temporis ſpatio vixerit. “

17. „ Qui, cum fideli conjuge, concubinam habet, „ excommunicatus eſt; at ſi concubina ei eſt ſponſæ „ loco, ut, titulo ſponſæ, ſeu concubinæ, pro ipſius „ optione, unius feminæ ſocietate contentus ſit, a communione non rejicietur. Secus excommunicatus ſit, „ quoad reſipuerit, & in officium per pœnitentiam redierit. “

Diſtinguebantur olim duorum generum concubinæ, erant aliæ conjuges illegitimæ, aliæ conjuges omnino legitimæ quibus obſtringebatur matrimonii fides, quin Eccleſiæ ſolemnes formæ ſingulæ ſervarentur, & quin iis dos ſtatueretur. Ita quidem, in ſacris Litteris, Agar & Cetura nuncupantur *Abrahæ concubinæ*, quamvis ejus vere & proprie conjuges eſſent; ita etiam, hoc tempore, in Germania, Principes qui conditionis multo quam ipſi ſunt, inferioris conjugem, ſervatis omnibus Eccleſiæ cæremoniis, ducere nolunt, eam clam, vel etiam publice, non ſine ſolemnibus formis quibuſdam, ducunt. Ex Romanis legibus, non omnis femina cuivis homini legitime nubere poterat; utrumque a Romanorum civium numero eſſe, & inter conditiones proportionem exiſtere neceſſe erat; non poterat Senator libertam, liber captivam ducere; & captivorum conjunctiones *matrimonia* non vocabantur. Jam vero femina quæ, ſponſæ titulo, retineri non poterat, concubina eſſe poterat; idque leges ferebant, modo vir unam tantum haberet, nec conjugatus eſſet. Filii hinc ſuſcepti, nec legitimi erant, nec ſpurii, ſed filii naturales, a parentibus agniti, & donationum capaces. In has diſtinctiones Eccleſia non deſcendebat, inſiſtenſque naturali juri, omnemque viri cum femina conjunctionem, dummodo unica & perpetua eſſet, approbabat.

18. „ Si vidua ex Epiſcopo, presbytero, diacono, „ nupſerit clerico, religioſarum nulla cum ea comedet; nec ipſe, niſi ad mortem, communionem percipiet. “ Ejuſmodi viduis propterea non licebat iterum nubere, quia, poſt virorum mortem, continentiam vovebant.

19. „ Epiſcopi, presbyteri, diaconi filia, Deo conſecrata quæ peccaverit, aut nupſerit, communionem „ non niſi poſt viri mortem ſuſcipiet, ſiquidem pœnitentiam egerit; pater autem & mater, niſi ſe ab „ ea ſejunxerint, excommunicationem ſubibunt. Huic „ ipſi feminæ, ſi a viro ſeparata fuerit, vivente ipſo, „ concedetur ad vitæ finem conciliationis gratia. “

20. Statuit, ut, „ quamvis chriſmatis abſque Epiſcopo non conſecrandi mos pene ubique ſervetur, „ quia tamen nuntiatum eſt presbyteros illud alicubi „ conſecrare, unus tantum Epiſcopus ſanctum chriſma „ deinceps conſecret, perque ſuam omnem diœceſim „ mittat; atque ut id executioni mandetur, unaquæque Eccleſia ad Epiſcopum mittet diaconum, aut „ ſubdiaconum, appropinquante Paſchatis feſto, ut ad „ eum diem chriſma ab iiſdem afferri poſſit. “ Subdit deinde: „ certum eſt Epiſcopum poſſe chriſma quovis „ tempore conſecrare; nihil ergo presbyteri ſine Epiſcopi auctoritate conſenſuque agant. Diaconi ſanctum chriſma adminiſtrare non poterunt; id presbyteris tantum licet, & quidem abſente, vel mandante, ſi adeſt, Epiſcopo. Meminerit Archidiaconus „ de hac ſanctione Epiſcopos admonere, ut eam ipſi „ ſervent, nec presbyteri violent. “

Super hujus canonis ſenſu interpretes non conſentiunt. Enim alii de ſancti chriſmatis unctione intelligunt quam presbyteri perficere poſſunt, & reapſe perficiunt in capitis vertice, cum Baptiſmum non ſine conſuetis cæremoniis adminiſtrant, non autem de unctione quæ ſuper fronte in Confirmationis ſacramento peragitur, quæ ſcilicet æque ac ſancti chriſmatis conſecratio, ſolis Epiſcopis reſervata eſt. Hugo de S. Victore, *lib. 2. de Sacram. cap. 3.* teſtatur unctionem hanc olim presbyteris interdictam fuiſſe, nec ab iis perfici ſine Epiſcopi venia potuiſſe; contendunt alii decidi per hunc canonem duo; primum, non poſſe presbyterum conficere ſanctum chriſma, vel Epiſcopi juſſu, quamvis ejus unctionem, etiam in fronte, Epiſcopo abſente, vel, ſi adeſt, permittente; alterum, diacono id facere non licere quod presbyter facit, ſanctique chriſmatis ab Epiſcopo conſecrati unctionem peragere. Secundam hanc opinionem qui propugnant, ex eo confirmant, quod presbyteri Confirmationis extra ordinem miniſtri ſunt, ut proinde Tridentinum concilium de Confirmationis miniſtro verba faciens ſatis habeat dicere ejus ex ordine miniſtrum Epiſcopum eſſe.

Hos

Hos viginti canones sequitur Confessio seu Formula Fidei contra omnes hæreses, & Priscillianistarum errores potissimum; & est veritati proximum hanc Fidei Formulam memoratis canonibus additam fuisse, editamque in aliquo Toletano concilio quod huic an. 400. posterius fuerit, & quod probabile sit, in eo quod an. 447. habitum est; hujus enim Formulæ titulus disertis verbis enuntiat, „ eam Papæ S. Leonis „ jussu editam fuisse. " Addit titulus eos ipsos Episcopos qui Fidei Confessionem ediderunt, viginti quoque canones in Toletano concilio condidisse. At hæc additio præpostera est, aut hoc loco temere posita; neque enim aliud Toletanum quod canones viginti ediderit, quam anni 400. concilium agnoscitur; & ad hoc tempus spectant Episcopi qui ei subscripserunt. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I. de Aguirre, Concil. Hispan. Tom. III.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 400.

Concilium hoc S. Joannes Chrysostomus, & Asiæ Episcopi complures qui Constantinopoli aderant, celebrarunt. Eusebius, Valentiniapolis Episcopus concilio libellum obtulit in Antoninum, Episcopum Ephesinum, metropolitanum suum quem plurium criminum, & simoniæ peculiariter accusabat. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Ephesinum, ann. 401.

Coegit concilium hoc S. Joannes Chrysostomus ex Asiæ, Lydiæ & Cariæ Episcopis. In eo Heraclides, S. Chrysostomi diaconus, Ephesinus Episcopus creatus fuit, ordinatusque a S. Præsule, & a concilii Episcopis, numero septuaginta; in eodem concilio depositi simoniaci Episcopi sex. Baluzius, Palladius, in *Dialog. pag.* 53. Socrates, *lib.* 6. *cap.* 11. Sozomenus, *lib.* 8. *cap.* 6.

Concilia Carthaginensia, an. 401.

Erat per Africam in more positum, ut ibidem, quotannis, omnium provinciarum generale concilium haberetur: at, an. 401. habita concilia duo, unum Junii die 16. die 13. Septembris alterum.

Primum in Ecclesiæ Restitutæ sacristia celebratum, in quo Aurelius qui præerat, ministrorum seu superiorum, seu inferiorum inopiam, sermone habito, significavit. Unum videbatur huic malo remedium afferri posse, ut Donatistæ in Ecclesiæ sinum redeuntes ad ecclesiasticum statum reciperentur; at quia Romæ & Mediolani Episcopi id prohibuerant, nihil super hoc capite decidi placuit, quin transmarinæ, Romana nominatim & Mediolanensis Ecclesiæ consulerentur. Aurelius deinde rogandum Imperatorem proposuit, ut omnia quæ in Africa superarant, quæque urbibus ornamento non erant, idola dirui juberet. Legem quoque peti voluit, qua vetarentur epulæ quas ethnici celebrabant, ob saltationes & alia ablona quæ iidem, ad Religionis contemptum, in iis perpetrabant. Postulata hæc & alia nonnulla plausu concilium excepit.

In concilio quod die 13. Septembris ejusdem anni 401. in Basilicæ Restitutæ sacristia, ut superius, habitum est, lectæ primum Litteræ quibus Papa Anastasius hortabatur Africæ Episcopos, ut vexationes dissimularent quas Catholica Ecclesia, in eorum provincia, ab hæreticis & schismaticis Donatistis perpetiebatur. Initum deinde consilium fuit, ut cum iis humaniter ageretur; & in hac, generatim, animorum præparatione, concilium super disciplina sanctiones quindecim edidit quarum undecim afferuntur in Carthaginensi concilio quinto; in quo ipso comperiuntur etiam nonnullæ concilii diei 16. Junii constitutiones; quod credendi locum præbet hoc concilium quintum, ut jam dictum est, nihil aliud esse quam duorum hujus anni 401. aliorumque nonnullorum Africæ conciliorum compilationem.

Sanctio 5. jubet intercessorem, seu commissarium cui concredita est vacantis Ecclesiæ cura, se sollicitum exhibere, ut ei, intra annum, Episcopum comparet, quin ipse tamen ejus Ecclesiæ Episcopus eligi possit. Quod si is electionem perficere non potuerit, alter in ejus locum commissarius, elapso anno, ponetur.

Per sanctionem 9. Episcopos viginti e quorum numero Sanctus Augustinus erat, concilium committit, qui Hippozarytem in Proconsulari se conferant, ibique, in Equitii ob crimina damnati locum, universo populo consentiente, Episcopum ordinent.

12. Sanctio Episcopum qui hæredes exteros qui ei sanguine juncti non sunt, aut, siquidem sunt, hæreticos ethnicosve Ecclesiæ prætulerit, anathemate, saltem post mortem, percelli jubet, vetatque, ne ejus nomen inter nomina sacerdotum Domini referatur, etiamsi testamentum nullum ediderit, quoniam Episcopus negotia sua debet in ordine ponere, prout ejusdem professioni congruit.

Sanctio 13. ab Imperatore peti vult, ut per eum liceat servos in Ecclesia libertate donari. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Milevitanum, an. 402.

Sub Imperatorum Arcadii & Honorii consulatu quinto, hoc est, an. 402. 17. Augusti die, Milevi, in Numidia, totius Africæ generale concilium habitum est; ei præfuit Aurelius, Carthaginensis Episcopus; in eodemque nonnulli canones editi.

Primus est consuetudinis confirmatio quæ semper in Africa servata fuerat, ut Episcoporum gradus ad promotionis antiquitatem exigeretur, adeoque juniores senioribus, priores scilicet posterioribus honorem deferrent. Ab hac tamen regula excepti fuere Numidiæ & Mauritaniæ Primates, ut hi quidem supra Primates cæteros, quamvis ordinatione antiquiores essent, locum tenere possent.

2. Mandat, ut quicunque ordinati fuerint, sumant Epistolam scriptam signatamve ordinatoris manu, quæ significet, qua die, quibusque consulibus eorum ordinatio contigerit.

3. Statuit, ut ponatur matricula seu catalogus Episcoporum Numidiæ, tam in urbe primæ sedis, nempe, cujus Episcopus Primas fuerit, quam in urbe Constantina quæ ejus provinciæ metropolis civilis erat.

In 4. spectatur. *Quod-vult-Deus*, Centuriæ in Numidia Episcopus, a persona quæ concilio aderat, accusatus; mandaturque, ut hic Episcopus, ad causæ finem usque, remaneat a suorum confratrum communione sejunctus.

5. Statuit, ut, quicunque, semel, in aliqua Ecclesia lectoris officium obierit, in alia tamquam clericus retineri non possit. *Reg. Tom. III. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Romanum, ann. 402.

Revocamus ad hunc titulum canones seu decreta tredecim quæ leguntur in Collectione Conciliorum Galliæ, quam P. Sirmondus, in ea quoque quam P. Labbæus ediderunt, quæque ad Galles Episcopos data sunt. Aetatur hæc eadem esse ad quæstiones responsa, quas hi sanctæ sedi, nempe Papæ Innocentio I. proposuerant, quemadmodum e stili similitudine judicatur, quæ inter hos canones & laudati Papæ Litteras intercedit. Eos antecedit præfatio in qua dicitur in difficultatibus quas veritatis inquisitio secum trahit, confugiendum ad precem esse, & Episcoporum non paucos in erroris tenebras incidisse, quia doctrinam mutare voluerunt quam Patrum traditio posteritati commendaverat. Quæsierant Galliarum Episcopi, qua demum ratione se gerere deberent cum virginibus quæ postquam velum & presbyteri benedictionem acceperant, & castitatis publicam professionem emiserant, se incestis polluerunt, aut vetitum matrimonium inierant.

Deciditur in primo canone, in castitate vivendi consilium mutasse, velum deseruisse, primumque obstrictam fidem violasse, totidem peccata esse, easque proinde quæ ea perpetrarunt, cum in gravem culpam lapsæ propterea sint, quod Deum dereliquerunt, ut se homini addicerent, debere eam deflere per annos plures, ejusque veniam per dignos pœnitentiæ fructus obtinere.

2. Canon eas quoque pœnitentiæ subdit quæ, postquam virgines remanere statuerunt, seu raptæ, seu sponte nubunt, tametsi nec solemnem virginitatis professionem ediderint, nec velum susceperint. Ad has ipsas quod attinet, statuitur, ut, ad certum tempus, communione destituantur, vitamque in fletu, animi demissione, jejunioque ducentes, sua crimina deleant.

In 3. monentur presbyteri & diaconi oportere eos bonis operibus vocantes populo exemplo esse, ut, quæ tradunt, documenta aliquid utilitatis afferre possint; iisdem perinde atque Episcopis, ea lex imponitur, ut cœlibatum ex Patrum sanctionibus servent. Ratio quæ in id offertur, ea est, quia, momentis singulis, sanctam Sacrificium offerre, baptizare & ministrare debent; quod ab iis animi & corporis castitatem requirit. Præterea, qua fronte auderent puellis virginitatem, & viduis castitatem prædicare, si ipsi matrimonii libertate uterentur? His ob oculos ponitur castitas iis præscripta qui in Hierosolymitano templo sacrificia offerre-

ferebant, ususque qui inter ipsos idololatras obtinebat, ut, quibus diebus suas sacrilegas cæremonias obibant, & cum dæmoni victimas offerre debebant, continentiam servarent.

4. Eos a clero arcere videtur qui sæculari militiæ, post susceptum Baptismum, addicti fuerunt, cum vix ac ne vix quidem fieri potuerit, quin, per id temporis, spectaculis interessent, & contra jus fasque aliquid, lucri animo, facerent.

Constat ex 5. in ea consuetudine Romanam Ecclesiam fuisse, ut eum in clerum reciperet qui in infantia baptizatus virginitatem servaverat, eumque ipsum qui, baptismate, cum adultus esset, suscepto, castus permanserat, vel unam tantum conjugem duxerat, dummodo alterius criminis reus non esset; non tamen eos qui baptismi sanctitatem per aliquod carnis crimen polluerent, quamvis deinde matrimonium iniissent; qui enim concedatur ei sacerdotium, qui se per longæ pœnitentiæ satisfactionem purgare debet?

Pronuntiatur in 6. quemadmodum eadem in omnibus Ecclesiis per universum terrarum orbem disseminatis Fides viget, quod in causa est, ut Ecclesia appelletur Una, ita æquum fore, ut eadem esset in his Ecclesiis omnibus disciplina.

7. Statuit, Paschali tempore, presbyterum & diaconum posse Baptisma in parœciis administrare, etiam præsente Episcopo cujus nomine illud tum quidem confert, at, cum, alio tempore, baptizandi necessitas fuerit, id ad presbyterum, non item ad diaconum pertinere, quandoquidem hanc potestatem diaconis concessam fuisse non cernitur; si tamen hanc olim usurparunt, eos necessitate quæ suberet, excusari, quin idem sacramentum deinceps tuta conscientia conferre possint.

8. Oportere ait exorcizari, continuis diebus pluribus, olea quæ ad Sacramentorum administrationem benedici libuerit.

9. Non licere declarat in nova lege, ut in veteri, cum fratris uxore conjugium iniri, aut concubinas cum conjuge detineri.

10. Vetat, ne ordinantur Episcopi qui sæculi judicaturam exercuerunt, quamvis eos populus elegisset, quia non solum ejus suffragio standum est, cum evangelicæ disciplinæ congruit, & personam sacerdotio dignam efficit; jam vero evidens fit eos qui sæcularia munia possederunt, a culpis immunes esse non posse, seu mortis pœnas indicent, seu injusta judicia pronuntient, seu reos quæstioni subdant, seu spectaculorum aliarumque publicarum oblectationum curam suscipiant, vel iisdem intersint. Idem canon id approbat quod in Nicæno primo decisum fuerat, num qui vi mutilatus fuerit, in clerum recipi posse.

11. Prohibet matrimonium viri cum fratris conjuge, itemque amitæ cum filio fratris mariti; & ejusmodi conjugia fornicationis notam inurit.

12. Eos tantum qui jam clerici erant, Episcopos eligi vult, cum minime deceat eum clero præfici qui in inferioribus officiis non deservierit, prorsus ut quempiam ad Imperium pervenisse non legitur, quin prius militiam professus fuerit; is ergo ad Episcopatum eligendus quem ætas, tempus, meritum & vita commendabilem reddunt.

13. Notatur eum Episcopatu privatum fuisse qui ab una ad aliam Ecclesiam migrabat, & spectatum fuisse, quasi propriam conjugem deseruisset, ut alterius pudori vim inferret; additurque hanc agendi rationem impunitam remanere non debere.

14. Interdictionem, jam pluries editam, renovat, ne a proprio Episcopo expulsus clericus recipiatur, eique ne laicam quidem communionem in alia Ecclesia concedi vult. Eum qui hoc in capite prævaricatus fuerit, canon hic extra Catholicorum societatem, extraque apostolicæ sedis communionem declarat.

15. Episcopos vetat extra propriam diœcesin ordinationes edere; volens, ex quarto Nicæno canone, Episcoporum ordinationem a metropolitano & ab Episcopis provinciæ peragi.

16. Mandat, ut a ministerio removeantur laicorum quidam quos a proprio Episcopo, cum causæ cognitione, excommunicatos alius Episcopus ad clericaturam susceperit. *Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, ann. 407.

In Africanæ Ecclesiæ Canonum Codice, post Canonem nonagesimum quartum, legitur habitum fuisse Carthagine concilium, die 13. Junii an. 407. Imperatoribus Honorio VII. & Theodosio II. consulibus. Ei præfuit Aurelius Carthaginensis Episcopus; in eodemque editi canones duodecim.

Primus, Carthaginensis Episcopi prudentiæ relinquit, ut Africæ generale Concilium indicat, cum e re fore non videatur, ut illud quotannis cogatur, prout in Hipponensi concilio statutum fuerat, ob laborem & perturbationem quam id Episcopis afferebat. „ Illud „ ergo non cogetur nisi ob communes causas quæ „ universam Africam spectant, cujusmodi dogmatum „ quæstiones sunt; privatæ vero causæ finientur in „ provinciis in quibus coortæ fuerint. “

Ejus qui ab ecclesiastico judicio appellat, libertati relinquit, ut sibi judices eligat de quibus ipse cum accusatore conveniet; at vult, post sententiam ab his judicibus pronuntiatam, non amplius appellationi locum esse.

3. Mandat, ut Vincentius & Fortunatianus, ad Imperatores deputati, advocatos eligendi facultatem ab iisdem petant, quibus Ecclesiæ negotia demandare possint, ut ea propugnent, quique, ut Episcopi, ad judicum tribunalia ingrediendi jure gaudeant, ut iisdem quæ crediderint utilia, proponant.

Ad hanc primam concilii postulationem respondit Imperator Honorius per Constitutionem an. 407. XVIII. *Kal. Decembr.* datam quæ legitur *lib. 38. Cod. Theod. de Episcopis & Cler.* futurum inquiens, ut Ecclesiæ negotia deinceps non per *coronatos*, clericos scilicet quos ita nuncupat a corona quam gestabant, sed per *scholasticos*, nempe sæculares advocatos defenderentur; hæc nimirum Advocatis, hoc est, patronis, defensoribus Ecclesiarum origo est, quibus successere, subsecutis temporibus, potentes viri qui nomen *Advocatorum Ecclesiarum* retinuerunt, licet eas armorum magis quam eloquentiæ & scientiæ vi tutarentur.

4. Ibi poni vetat Episcopos, ubi hactenus non fuere, sine auctoritate Metropolitani & concilii provinciæ.

Ex hoc canone compertum fit novorum Episcopatuum erectionem tum quidem sanctæ sedi reservatum non fuisse, eamdemque provincialis concilii, & Primatis, seu, Metropolitani auctoritate peragi consuevisse.

5. Populis a Donatistis qui ad Ecclesiæ sinum redeunt, conversis, quibus, dum ab Ecclesia sejuncti erant, Episcopus aderat, integrum esse vult, ut post ejus mortem, alium habeant, aut se propiori Catholico Episcopo subdant. Qui vero nullum Episcopum habuerunt, Episcopi jurisdictioni subduntur cujus opera resipuerunt, dummodo hæc resipiscentia ante Imperatoris, super Unitate, legem contigerit; quod si postea contigit, mandat canon, ut ad diœcesin spectent, a qua naturaliter pendent.

Duæ sunt hujus canonis partes. In prima, populi ab Episcopis Donatistis ad Catholicam Fidem perducti posse dicuntur Episcopos, a quibus ad Catholicam Fidem perducti sunt, sibi servare, cum utrosque in Catholicæ Ecclesiæ sinum redire contigit, quin provincialis concilii sententiam expectent, aut sane posse propiori Catholico Episcopo post ejus qui eos convertit, mortem se subdere. In altera canonis parte statuitur, ut populi ab Episcopo Donatista conversi subsint eidem Episcopo qui eos ad Catholicam Ecclesiam reduxit, quamvis etiam, ante suum ad Catholicam Ecclesiam regressum, eum sibi Episcopum non habuissent, modo tamen conversio hæc ante contigerit, quam Imperator super Unitate seu Unione legem ederet. Erat hæc Imperatoris Honorii Constitutio, ad an. 405. edita, *Edicti*, seu, *Rescripti* nomine, ad Donatistas, certis quibusdam in refractarios statutis pœnis, ad Ecclesiæ unitatem redigendos. Perspicitur ex hoc canone prudens Ecclesiæ indulgentia, quæ a disciplinæ severitate se relaxare non timet, ut regressum hæreticis seu schismaticis facilem reddat.

In 6. Judices nominantur qui Episcopi negotium expendant qui accusatus fuerat, cujusque accusatores haud Concilio se stiterant, quamvis Episcopus accusatus rogasset, ut ii se sisterent.

7. Jubet ad Papam Innocentium scribi super dissidio quod inter Romanam & Alexandrinam Ecclesias intererat, ut Ecclesiæ duæ in gratiam mutuo redirent.

Dissidium de quo concilium loquitur, illud erat cui occasionem dederat Theophili factio, data opera, ut S. Joannes Chrysostomus in exilium pelleretur quem Papa Innocentius I. propugnabat qui Theophilum excommunicare statueret, referente Palladio, in Chrysostomi Vita, *pag.* 214.

8. Jubet, ex evangelica & apostolica disciplina, nec virum quem conjux, nec conjugem quem vir dimiserit, posse alteri conjugalem fidem obstringere, sed innuptos manere, aut se invicem conciliare, sin renuerint, pœnitentiæ subdi. Additur opus fore, ut in hanc rem lex ab Imperatore petatur.

Per

Par Romanas Leges licebat viris divortium cum uxoribus facere, & alias ducere, certis quibusdam de causis. Ait proinde concilium necesse fore, ut imperialis petatur lex quæ ejus sanctionem confirmet.

9. Alias preces, alias præfationes, alias commendationes publice recitari, aliasve manuum impositiones peragi vetat quam quæ in concilio approbatæ sunt.

Balsamon vult, per preces, universam Liturgiam; per prælationes, psalmodias & lectiones sacræ Scripturæ, ad usque Evangelia; per commendationes, preces quæ super catechumenis edebantur, ut Deo commendarentur; per manuum Impositiones, benedictiones intelligi quas Episcopi pœnitentibus tribuebant post preces quæ pro iis edebantur. Canon hic est curæ probatio quam Episcopi conferre debent, ut a divino Officio rescindant, quicquid esset veritati, decentiæ, pietati contrarium.

10. Depositionem in Episcopos & clericos statuit, qui, si forte accusati fuerint, ad Imperatorem confugiunt, ut ab eo seculares judices petant; at ecclesiasticos judices ab eo peti non vetat.

11. Eos e clero trudi vult qui in Africa communione privati, transmarinas regiones, & peculiariter Romam adeunt, ubi se in communionem recipiendos curent, ut Balsamon animadvertit.

12. Mandat, ut clerici, vel Episcopi qui se ad aulam conferre voluerint, formatam clerici quidem ab Episcopo, Episcopi vero a Metropolitano Epistolam sumant, ad Papam datam, quæ rationes continent quæ eos ad aulam permovent, ut aliam iisdem Papa tribuat, ad aulam eundi gratia. Quod si qui formatam, seu dimissoriam, ad Romam adeundam, Epistolam sumpsit, ad aulam recta perrexerit, excommunicationi subderit; at si aliis de causis Romæ versantem necesse habere contigerit ad aulam pergere, id ei per unius Papæ epistolam ipsius rationes continentem licere poterit. Probat canon hic cum Ecclesiæ mente pugnare, Episcopos & presbyteros ab Ecclesiis recedere quibus adstricti sunt, ut ad Principum aulas, aut alio se conferant.

In Codice Canonum Africæ & in communibus Collectionibus comperiuntur alia contra Donatistas Carthaginensia concilia quatuor, quorum priora duo an. 408. tertium an. 409. & quartum an. 410. habita fuere; horum nulli prorsus canones extant. Habita est etiam Carthagine celebris, an. 411. Catholicos inter & Donatistas collatio, cui Catholici Episcopi ducenti octuaginta, & centum quinquaginta Donatistæ interfuerunt. Ibi Sanctus Augustinus adfuit, confuditque Donatistas quorum secta post hanc collationem aperte decrevit. *Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Bracarense, *an.* 411.

Affert Labbæus hujus concilii Acta deprompta e Lusitaniæ quadam Historia, Bernardo Britona a Bernardinis auctore, Ulyssipone an. 1609. typis edita. Eadem acta profert Harduinus, at eorum fronti apposita Adnotatione qua monet Joannem Baptistam Perezium, Canonicum Toletanum ea supposita credere, & cardinalem Aguirræum haud fere melius de iisdem sentire. Re sana ipsa speciem præseferunt supposititii monumenti excusique, postquam, in Hispaniis, animos occupevit opinio S. Jacobum, apostolum, eo venisse, Evangelii nuntiandi gratia, elapso nempe decimo secundo seculo, Eorum locutio serpit, & cum latinitatis regulis pugnat. In iisdem legitur Episcopos in Ecclesiam cui *Sancta Maria* titulus, convenisse; quod parum congruere videtur communi sententiæ quæ obtinet, primam Beatæ Virginis Ecclesiam Ephesinam fuisse in qua an. 431. concilium habitum est. Ad hanc Ecclesiam designandam, utuntur Acta vocabulo *fanum*. ethnicorum proprio ad suorum cœtuum locum significandum, & penes Christianos inusitato, quibus usui erant *Ecclesia*, *Basilica*, aut alia ejusmodi nomina, cum de locis loquebantur quæ publicis veræ Religionis exercitationibus addicta erant. Decreta quæ huic concilio tribuuntur, continentur Fidei professione quadam, in plures articulos secta, ad quorum singulos Episcopi respondebant. „ Ita credimus. “ *Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Carthaginense, *ann.* 411.

Cum Pelagius & Celestius, an. 411. Carthagine, errores suos super divini Reparatoris gratia, superque originali peccato vulgassent, Aurelius ibidem concilium coegit cui Celestius se sistere coactus fuit. Ejus Acta non pervenerunt ad nos usque; servarunt tamen eorum partem S. Augustinus & Mercator. Celestii præcipuus adversarius, hoc in cœtu, Paulinus fuit, diaconus Mediolanensis, is ipse qui a S. Augustino rogatus S. Ambrosii vitam scripsit. Celestius, hæreseos & pertinaciæ convictus, a concilio damnatus fuit, ecclesiasticaque communione privatus. De hoc primo contra Pelagianos concilio sermo est in ejus synodica Epistola quod an. 416. Carthagine habitum est; ibique coactum dicitur, prope quinquennio ante, nempe sub finem an. 411. vel sequente 412. *Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Cirthense, seu, *Zertense*, *an.* 412.

Sylvanus, Sommesiæ Episcopus, & Numidiæ Primas præfuit huic concilio Cirthæ, seu Zertæ, quæ erat, ut videtur, Sommesiæ proxima. Nobis suppetit synodica ejus Epistola cui Sylvanus, Valentinus, Aurelius, S. Augustinus, ejusdem auctor, aliique quatuor Episcopi subscripserunt. Ad eam scribendam id S. Augustinum impulit, quod Donatistæ suis asseclis persuadebant, Marcellinum tribunum, Imperatoris, in Carthaginensi collatione, commissarium non alia de causa, quam quia pecunia devictus fuerat, in eos pronuntiasse. Donatistas ergo ipsos S. Augustinus impetit in hac Epistola, Concilii nomine. In ea paucis complectitur quicquid in Carthaginensi collatione actum fuerat, & Donatistarum mendacia luculentissime exponit. *Ib.*

Concilium Hierosolymitanum, *an.* 415.

Præfuit concilio huic Joannes, Hierosolymorum Episcopus; atque adeo, præter ipsum, ei nullus alius Episcopus adfuisse videtur. Inter presbyteros e quibus hæc synodus constata fuit, noti sunt Orosius, Avitus, Vitalis & Passerius. Cum presbyter Orosius quem S. Augustinus ad S. Hieronymum miserat, id retulisset quod, super Pelagii & Celestii hæresibus, in Africa, gestum fuerat, Pelagius ingredi jussus est quem Orosius erroris accusavit. Diu disputatum, tandemque negotium ad Papam Innocentium remissum fuit. *Ibid.*

Concilium Diospolis, seu Palestinæ, *Diospolitanum*, *an.* 415.

Conflarunt Episcopi quatuordecim concilium hoc quod Diospoli, Palæstinæ urbe, *Lidda* nomine in sacris Litteris nota habitum fuit. Eulogius qui Cæsareæ archiepiscopus fuisse creditur, nominatur omnium primus, & ante Joannem Hierosolymitanum; ob eam, ut videtur, causam, quia Palestinæ metropolitanus erat. Huic Heros Arelatensis, & Lazarus Aqui-sextiensis libellum exhibendum curarunt errores continentem quos partim a Pelagii, partim e Cælestii scriptis expresserant. Libellus hic in concilio lectus fuit; ad eumque Pelagius ita respondit, ut concilio probarentur ejusdem responsa, quippe qui errores suos callide negans aut pallians, id assecutus est, ut Episcopos falleret, ore professus quod corde damnabat. Verum ergo est, si Pelagius in hoc concilio absolutus fuit, ejus doctrinam in eodem proscriptam fuisse, in quam scilicet ipse anathema pronuntiare coactus fuit, suam ut damnationem vitaret; quod S. Augustinum cujus judicium huic concilio semper fovit, impulit, ut diceret, „ Ibi „ hominem quidem qui hæresin negabat, absolutum, „ at non ibidem absolutam hæresin ipsam fuisse: “ *Tamen non hæresis est absoluta, sed homo hæresin negans.* (*Serm. contra Pelag. pag.* 1511. *Tom. V.*) (*Ibid.* & Baluzius, *in Collect.*)

Concilium Carthaginense, *an.* 416.

Concilium hoc ex Episcopis numero sexaginta octo conflatum fuit; eique Aurelius præfuit. In Africam reversus Orosius concilii Patribus Litteras obtulit quas in Pelagium & Celestium Heros & Lazarus scripserant. Id concilii concilium cepit, ut anathemate Pelagium & Celestium percelleret, & hoc negotium ad apostolicam sedem deferret. Synodicam ergo Epistolam Patres ad Papam miserunt, additis Litteris quas Heros & Lazarus scripserat, non sine concilii quod ipsi celebraverant, Actis, iisque quæ alterum an. 411. concilium edidaret. Ita desinebat synodica Epistola:
„ Quamquam Pelagius & Celestius hanc doctrinam improbant, & scripta rejiciunt quæ in eosdem prolata sunt, quin mendacii convinci possint; anathemate tamen percellendus universim est, quicunque docet humanam naturam ad peccatum vitandum, & Dei jussa perficienda posse sibi sufficere, se ejus gratiæ adeo evidenter per Sanctorum preces significatæ hostem ostendens, & quicunque negat, per Jesu Christi Baptismum, pueros a perditione liberari, æternamque salutem consequi. “ *Ibidem*,

Concilium Milevitanum, an. 416.

Concilium, hac in urbe ſecundum, uno & ſexaginta Epiſcopis e Numidiæ provincia conſtabat. Hujus concilii Patres damnationem errorum Pelagii ab Innocentio ſummo Pontifice per Epiſtolam petierunt, cui hujus Hæreſiarchæ Librum quem Sanctus Auguſtinus cum ſuo ad eumdem reſponſo per Timatium & Jacobum miſerat, addiderunt. Sanctus hic Doctor Epiſtolam quoque ad Papam miſit quam ad Pelagium ſcribebat, ut ad ea reſponderet quæ ſuper Dioſpolitano concilio Pelagius ei propoſuerat; periit Epiſtola hæc. Tribuunt nonnulli Milevitano concilio huic canones viginti ſeptem qui ejus nomine inſcripti in communibus Collectionibus reperiuntur. At, ſi viceſimum tertium excipias qui alibi non legitur, reliqui vel Milevitani primi, vel Carthaginenſis, an. 418. vel aliorum conciliorum ſunt; & hic ipſe viceſimus tertius canon multo ante an. 416. in Africa ſervabatur; is autem canon eo ſpectat, ut ſi quis hæreticos deſerens, Donatiſtas ſcilicet, ſe ab iis in pœnitentia poſitum fateatur, Catholicus Epiſcopus de pœnitentiæ cauſa diligenter inquirat, ut, ea probe perſpecta, videat, quandiu is in eo ſtatu morari debeat, & quandonam eum conciliari neceſſe fuerit. Viceſimus ſextus, Milevitani concilii nomine, a Turonenſi concilio ſecundo laudatur; at, in Africana Collectione, tribuitur concilio Carthaginenſi diei 1. Maji an. 418. *Ibid.*

Concilium Carthaginenſe, an. 417.

Cum Papa Innocentius I. qui Pelagium & Celeſtium damnaverat, menſe Februario, ſeu Martio an. 417. ſupremum diem obiiſſet, convolavit Romam Celeſtius, & Papæ *Zoſimo*, Innocentii ſucceſſori ſe ſiſtit, eo animo, ut appellationem quam quinquennio ante interjecerat, proſequeretur. Supplicem, in hunc finem, libellum obtulit, qui ejus fidei expoſitionem continebat. Ei ſummus Pontifex, qui ab excommunicatione qua obſtrictus erat, eumdem abſolverat, duorum menſium prorogationem conceſſit, eaque de re ad Africæ Epiſcopos ſcripſit, quibus notior erat hominis cauſa. Ejus acceptis Litteris, Aurelius Carthaginis Epiſcopus, ea in urbe, ad Novembrem menſem, ducentorum quatuordecim Epiſcoporum ſynodum congregavit. In eo edita decreta & ſtatuta plura quæ deinde probavit Roma, univerſuſque terrarum orbis. Creduntur hæc ſubſecuti concilii ſanctionibus materiem ſuppeditaſſe; at non eadem erant, ut ex eo uno perſpicitur qui nobis ſupereſt, quemque S. Proſper in ſynodicæ horum quatuordecim, ſupra ducentos, Epiſcoporum Epiſtolæ fragmento nobis ſervavit, in hæc verba: „ Nos „ quidem ſtatuimus ſententiam contra Pelagium & Ce- „ leſtium a venerabili Epiſcopo Innocentio pronuntia- „ tam ſubſiſtere, quoad hi candide confiteantur Chriſti „ Domini gratiam non ſolum ad cognoſcendam, verum „ etiam perficiendam in quoque opere juſtitiam nobis „ adjumento eſſe; ut, ſine ea, nihil habere, cogitare, „ dicere, aut facere quod ad veram pietatem perti- „ neat, valeamus. “ Confirmavit Papa concilii decreta, Pelagiumque & Celeſtium, e ſui deceſſoris Sancti Innocentii I. judicio, damnavit; tum ſatis longam ad omnes Epiſcopos Epiſtolam ſcripſit, in qua errorum Pelagii & Celeſtii rationem reddebat, Eccleſiæque ſuper gratia, originali peccato, Baptiſmique quoad infantes neceſſitate fidem ſtatuebat. Imperator, acceptis concilii Actis, edidit in Pelagianos Reſcriptum, Ravennæ datum, Aprilis die 30. an. 418. miſſumque ad Palladium, Præfectum prætorii Italiæ, quod exilii pœnam contra Pelagium, Celeſtium, eorumque aſſeclas, cum bonorum proſcriptione enuntiabat. *Ibidem*,

Concilium Carthaginenſe, ann. 418.

Tanti momenti viſum eſt Africæ Epiſcopis Pelagianorum negotium, ut concilium e ſuis omnibus provinciis cogendum cenſerent, quo Carthagine, ad Kalendas Majas an. 418. Imperatoribus Honorio XII. & Theodoſio VIII. conſulibus indixerunt. Ducenti, & amplius, eo confluxere; cœtui locum aula ſecreta Baſilicæ Fauſtæ ſuppeditavit; ei Aurelius Carthaginenſis, & Donatianus Teleptenſis Epiſcopi præfuere. Photius cui notum erat concilium hoc, in eo viginti quinque ſupra ducentos Epiſcopos numerat; alii ducentos quatuordecim, pluresque, pauciores alii. Edidit concilium hoc in Pelagianos canones novem quibus hic tenor eſt.

Primus „ Quicunque dixerit Adam conditum fuiſſe „ mortalem hominem, ut, ſeu peccaſſet, ſeu non „ peccaſſet, mori deberet, egredi ſcilicet e corpore, „ non ſui quidem peccati merito, ſed ſuæ ipſius na- „ turæ neceſſitate, anathema ſit. “

2. „ Quicunque dixerit pueros recens natos baptizandos non eſſe, eoſve, quamvis ad peccatorum „ remiſſionem baptizentur, nullum ex Adamo origi- „ nale peccatum trahere quod per regenerationem ex- „ piari neceſſe ſit, ex quo ſequitur Baptiſmi formam, „ ob peccatorum remiſſionem, quoad ipſos, falſam „ eſſe, anathema ſit. “

3. „ Si quis dixerit, Chriſtum Dominum, cum ita „ locutus eſt: *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, „ ſignificare voluiſſe, in cælorum regno, medium „ quemdam, aliumve locum eſſe in quo felices vi- „ vunt pueri qui migrant ex hac vita ſine Baptiſmo, „ ſine quo in cælorum regnum ingredi nequeunt, „ quæ vita æterna eſt, anathema ſit; cum enim Do- „ minus dixerit: *Quicunque renatus non fuerit ex aqua „ & Spiritu Sancto, in cælorum regnum introire non po- „ teſt*; quis dubitare poteſt, quin is qui Chriſti co- „ hæres eſſe non meruerit, ſuam cum diabolo partem „ habeat? Qui non eſt ad dexteram, dubio procul ad „ ſiniſtram erit. “

Canon hic in præſentia nec in Africana Collectione, nec apud Dionyſium Exiguum legitur; ſed exiſtit in veteri Codice Canonum Romanæ Eccleſiæ, & apud Photium, *Biblioth. cap.* 58. Eſt prorſus e cæterorum canonum ſtilo, eumdemque S. Auguſtinus teſtatur in opere, (*Lib.* 2. *de Anima & ejus origine, cap.* 12.) ſub an. 419. finem elucubrato, ubi concilia & Papam ait damnaſſe Pelagianorum errorem, qui pueris non baptizatis ſalutis & quietis locum, extra cælorum regnum, concedere audebant. Si ergo canon hic hodie nec in Africana Collectione, nec apud Dionyſium Exiguum reperitur, non eſt quod dubitetur, quin olim ibidem extiterit, & qui hujus Carthaginenſis concilii octo tantum canones numerant, e ſecundo & tertio unum fecerint.

4. „ Quicunque dixerit Dei gratiam quæ nos per „ Chriſtum juſtificat, ſolum ad peccatorum præterito- „ rum remiſſionem conferre, non autem ad opem nobis „ ferendam, ne amplius peccemus, anathema ſit. “

5. „ Si quis dixerit eamdem per Chriſtum Dei gra- „ tiam nobis adjumento eſſe, ne peccemus, propterea „ ſolum quia nobis Præceptorum intellectionem ape- „ rit, ut ſciamus, quid quærere & proſequi, quid- „ que evitare & averſari debeamus, at nobis non da- „ re, ut amemus etiam & poſſimus id quod nos face- „ re debere cognoſcimus, anathema ſit. Cum enim di- „ cat Apoſtolus *ſcientiam inflare*, &, *charitatem ædifi- „ care*; magnæ impietatis eſt credere nos habere Chri- „ ſti Domini gratiam propter eam quæ inflat, non „ propter eam quæ ædificat, quoniam utrumque Dei „ donum eſt, ſcire quod agere debemus, & amare id „ agere, ne ſcientia inflare poſſit, dum charitas ædi- „ ficat; & quemadmodum ſcriptum eſt *Deum docere ho- „ minem* ſcientiam, ita ſcriptum quoque eſt *charitatem „ a Deo eſſe*. “

6. „ Quicunque dixerit juſtificationis gratiam da- „ tam nobis eſſe, ut facilius per gratiam id perficere „ poſſimus quod jubemur per liberum arbitrium face- „ re, perinde ac ſi, quin gratiam accipiamus, Dei „ Præcepta, quamvis difficulter, exequi poſſimus, ana- „ thema ſit. Dominus enim de præceptorum fructibus „ loquebatur, cum dixit: *ſine me nihil poteſtis facere*, „ non autem: *difficilius poteſtis*. “

7. „ Quod S. Joannes apoſtolus ait, *ſi dicimus, quia „ peccatum non habemus, ipſi nos fallimus, & veritas in „ nobis non eſt*, quicunque putat intelligendum eſſe, „ quaſi, ex humilitate, dicere non debeamus nos om- „ nis omnino peccati expertes eſſe, non quia vere ita „ eſt, anathema ſit. “

8. „ Quicunque dixerit ſanctos in dominicâ Oratio- „ ne dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra*, non id pro „ ſe ipſis dicere, quia hæc petitio non amplius iis ne- „ ceſſaria eſt, ſed pro aliis qui peccatores ſunt in eo- „ rum ſocietate, & hac de cauſa, ſanctorum unum- „ quemque non dicere, *Dimitte mihi debita mea*, ſed „ *Dimitte nobis debita noſtra*, & intelligatur juſtum pro „ aliis potius quam pro ſe petere, anathema ſit. Apo- „ ſtolus enim S. Jacobus erat ſanctus & juſtus, cum „ dicebat: *in multis deficimus omnes*. “

9. „ Qui hæc eadem dominicæ Orationis verba, *Di- „ mitte nobis debita noſtra*, ſolum humilitatis ergo, non „ cum veritate a ſanctis dici volunt, anathemata ſint. „ Quis enim eum ferre poteſt qui, dum orat, non ho- „ minibus mentitur, ſed Deo ipſi, qui labiis dicit ſe „ velle ſibi remitti, & corde dicit ſe nullum habere „ debitum quod ſibi remitti poſſit? “

Præter hos novem canones qui Pelagianos peculiariter ſpectant, decem alios ſuper Donatiſtarum redintegratione concilium edidit.

Pri-

Primus, Mandat, ut, ubivis Donatistæ resipiscentes ex Episcopi diœcesi sint, quem ejus loci Catholici agnoscunt.

2. Vult, ut, cum in eadem diœcesi fuerint Episcopi duo, nempe senior Catholicus, & Donatista ad fidem reversus, parœciæ quæ sub utroque pendebant, æque inter eos dividantur, ea lege, ut senior partiatur, & alter eligat.

3. Statuit, post possessionis annos tres, Ecclesiam non amplius ex iis repeti posse, qui ejus populum ad fidem reduxerint, seu ante seu post Honorii legem.

4. Eum impetit, qui, facto ipso, confratris possessionem turbaverit, haud data prius opera, ut a proximis amicis delectis Episcopis, vel ab iis quos Primas contendentibus judices dederit, consultatio judicaretur.

5. Episcopis vigilantiam & sollicitudinem, ad extinguendum Donatistarum schisma, commendat.

6. A judicum sententia, qui communi consensu delecti fuerint, appellari vetat.

7. Cujus magna est ad quintum ratio, „ Episcopum „ nit qui monitus, ut ad Donatistarum reductionem „ incumberet, per sex deinceps menses, nihil egerit, „ cum nemine communicare posse, quoad eos redu„ xerit. “

8. Addit „ Episcopum hunc, si eos ad fidem re„ diisse declaraverit, & id falsum compertum fuerit, „ Episcopatus sui jacturam subiturum. “

9. Mandat, ut „ presbyteri, cæterive clerici qui „ de sui Episcopi judicio conquesti fuerint, sibi apud „ proximos Episcopos consulant, ex Episcopi sui con„ sensu; quodsi ab eo sibi appellandum crediderint, „ appellationem suam ad Africæ concilium, vel ad „ suarum provinciarum Primates deferant; qui vero „ ad transmarinos judices appellare voluerit, eum ne„ mo unus in Africa ad communionem suscipiat. “

10. Exceptionem continet interdictionis quam Carthaginense, seu, Hipponense, an. 397. concilium ediderat, ne qua virgo, ante vicesimum quintum ætatis annum, consecreretur & velaretur. Canon hic, ante ejusmodi ætatem, id fieri patitur, cum virginis castitas ob eorum potentiam qui eam in matrimonium postulant, pericula subest, aut cum hanc ipsa gratiam ad mortem petit, modo hanc ii a quibus ea pendet, cum ipsa petant.

Sua in Pelagianos Acta suaque Decreta ad Papam Zosimum concilium misit, addita synodica Epistola in qua quicquid in Celestii negotio, sive præsente ipso, seu absente, gestum fuerat, ei exponebat. Atque ea quidem decreta, tamquam Ecclesiæ doctrinam summus Pontifex approbavit. Ejusmodi fuit Carthaginense an. 418. concilium cui hoc jam tempore docti viri tribuendos consentiunt celebres contra Pelagianam hæresin canones qui, per errorem, secundo Milevitano concilio tribuebantur; qui quidem error extat adhuc apud Gratianum, *Dist. 4. de Consecr.* quod Baronius, &, post eum, Labbæus animadverterunt. Hi canones ex ipsis S. Augustini contra Pelagianos & Semi-pelagianos operibus decerpti sunt, nihilque sunt aliud quam ipsius expressa doctrina quam super hac re adoptavit Ecclesia, teste summo Pontifice Joanne II. cujus Epist. 3. hæc verba sunt; *S. Augustinus cujus doctrinam, secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.* (*Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*

Concilium Tellense, seu, *Teleptense*, *an.* 418.

Habitum fuit concilium hoc, Februarii die 24. in Apostolorum Ecclesia. Ei triginta tres Episcopi adfuere, Donatiano præside qui, in Actis, primæ sedis, & urbis Teleptæ Episcopus dicitur. In eo lectæ Papæ Siricii Epistolæ duæ; nonnullæque sanctiones editæ quarum pleræque ex iisdem Papæ Epistolis ductæ.

Prima, Eum vetat in clerum recipi, qui, post Baptismum, in sæcularem militiam conscriptus fuerit.

2. Jubet Episcopum a tribus Episcopis ordinari, in cæterorum, de scripto, & metropolitani seu primatis consensu.

3. Unum tantum Episcopum non posse alium, præter quam in Romana Ecclesia, ordinare.

4. Episcopos, presbyteros & diaconos e continentiæ legibus vivere.

5. Episcopos, ad negotium aliquod dijudicandum nominatos, cœtus locum determinare.

6. Episcopum qui bis terve accitus, ut concilio se sistat, id facere neglexerit, a reliquorum Episcoporum communione suspendi.

7. Clericum vetat viduam sibi conjugem sumere, *Ricard Concil.* Tom. I.

eumque qui, cum laicus esset, viduam duxerit, a clero arcet.

8. Prohibet, ne qua Ecclesia clericum ab alia expulsum recipiat.

9. Mandat, ut, qui a Novatianorum aut Montanistarum hæresi redierint, per manuum impositionem, recipiantur.

10. Præcipit, ut nemo non veterum conciliorum decreta servet.

Non aliunde quam ex Teleptensis concilii præfatione nobis innotescit concilium aliud habitum Tusdræ, coloniæ Byzacenæ, sub an. 411. Ei Vincentius & Fortunatianus, ambo Proconsularis Provinciæ Episcopi, adfuere; in eodemque editi canones duo quorum primus eos, ex Episcoporum numero, qui moniti, ut se ad concilium conferrent, venire renuerint, communione privatos vult; huic tamen legi senes qui non amplius egredi iterque facere possunt, & infirmos eximit; vetat alter, ne Episcopi, ad universale concilium deputati, Episcopum recipiant qui deputatus non fuerit.

Sub idem tempus, habita sunt in Africa concilia plura quorum anni ignorantur, videlicet, *Suffetulense*, *Macrianense*, *Septimunicense*, *Thenitanum*, *Marazanense*, & *Hipponense*. Balutius nobis dedit Septimunicensis concilii canones sex.

Primus, Statuit matricis urbis judicium ad Episcopi electionem satis fore, ut cæterarum diœcesis Ecclesiarum nec clerum nec populum ad eam appellari necesse sit.

2. Episcopos ad aliquod negotium dijudicandum nominatos, intra statum tempus, de eo cognoscere vult.

3. Idem est ac Tusdrensis primus.

4. Vetat, ne populus clericum excommunicet, seu adsit, seu absit Episcopus. Id non alia ratione accipi potest, quam si populus renuat cum hoc clerico communicare.

5. Oblationem, Feria quinta majoris hebdomadæ, bis fieri jubet.

6. Jejunium, per quinquaginta Paschalis temporis dies, interdicit.

Idem auctor dat Thenesii, seu Thenisiæ, in Byzacena, concilii, Themitani dicti canones tres.

Primus, Statuit, ut, si a judicibus appellatum fuerit, quas Primas nominaverit, major eorum numerus nominetur, sin appellatio nihilominus interjecta fuerit, negotium deferetur ad concilium, ut in eo judicetur.

2. Idem est ac Tusdrensis primus.

3. Eum qui criminum reus est, accusatoris personam agere non posse vult.

Exhibentur etiam Marazenensis concilii canones tres.

Primus, Eam Episcopis facultatem concedit, ut ad civiles judices confugiant, cum id agitur, ut ab iis quicpiam contra hæreticos obtineatur, quamvis Carthaginense, an. 407. concilium iisdem vetuerit, dignitatis qua gaudent, privationis indicta pœna, ne ejusmodi judices ab Imperatore peterent.

2. Clericos vetat, absque Episcopi consensione, formataque epistola, se aliis populis immiscere.

3. Mandat, ut Byzacena universa unam eamdemque in Sacramentorum celebratione disciplinam servet.

Hipponense quoque concilium mandavit, 1. ut Episcopus a concilio excommunicatus, si hanc censuram contempsisset, omni spe redintegrationis excideret; 2. ut nec Episcopus, nec presbyter ea quæ in locis existunt, in quibus ordinati fuere, alio transferre possent, nisi prius causas, cur ita se gererent, attulissent; 3. ut Episcopi id quod suo ipsi nomine acquisiissent, in Ecclesiæ emolumentum conferrent, at quod iis datum fuerit, cui maluerint, largiri possent; 4. ut ne Episcopus, in matricis seu metropolitanæ Ecclesiæ favorem, id usurparet quod aliis ejus diœcesis Ecclesiis tributum fuerit, nec, inconsulto Primate, res venderet quæ ad ejus Ecclesiam pertinent, itemque presbyteris non liceret Ecclesiæ bona, inconsulto Episcopo, vendere. *Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Balutius.

Concilia Carthaginensia, *ann.* 418. & 419.

Apiarius, Sicquensis, in Proconsulari, presbyter, cum plurium gravium criminum reus evasisset, ab Urbano Episcopo, qui olim S. Augustini discipulus fuerat, depositus & communione privatus fuit. Ab Episcopi sui sententia ad Papam Zosimum appellavit, quamvis id Africæ plura concilia vetuissent, Nicænumque mandasset, ut ecclesiastica negotia in suis quæque provin-

ciis finirentur. Zosimus humaniter & ad favorem apposite Apiarium excepit; nec satis habens eum ab excommunicatione absolvere & in gradum pristinum restituere, in Africam misit legatos tres, Faustinum, Potentiæ in Marchia Anconitana Episcopum, Philippum & Asellum Romæ presbyteros quibus ad Africæ Episcopos Litteras tradidit. Aurelius, Carthaginis Episcopus, ut eos audiret, concilium coegit, cujus nihil nobis superest, at de quo tamen in alio quod sequenti anno, Maji die 25. habitum, sermo est. In commissione Legatorum Zosimi, quæ lecta in concilio, continebantur hæc quatuor; primum Episcoporum ad Papam appellationes spectabat; alterum eorumdem Episcoporum crebra ad aulam itinera; tertium presbyterorum & diaconorum apud proximos Episcopos causas, si forte suus eos Episcopus temere communione privasset; quartum excommunicationem quam Urbanus inflixerat. Id proponebatur, ut ipse anathemati subderetur, aut etiam Romam in jus vocaretur, nisi corrigeret quod præpostere fecisse videbatur. Africæ Episcopi non acquievere Papæ contentionibus super primo capite quod appellationes ad sanctam sedem firmabat; nec super tertio quod presbyteros & diaconos operam dare posse volebat, ut eorum causa apud proximos Episcopos in examine poneretur. At, quia Papa Sardicensis concilii canonibus nitebatur quos laudabat *Nicæni concilii* nomine, Africani Episcopi dixere se quidem in suis exemplaribus eos canones non invenire, qua tamen observantia Nicænum concilium prosequebantur, ad eos servandos canones consentire, quoad vera Nicææ decreta melius pleniusque cognoscerent. Scripsere super hac re ad Zosimum Papam Epistolam quæ haud usque ad nos pervenit.

Zosimus, die 26. Decembris an. 418. mortem occubuit; quod tamen non impediit ejus Legatos, quin Carthagine permanerent, ubi adfuere concilio quod Maji die 25. an. 419. in aula Basilicæ Faustæ celebratum fuit. Ei præfuit Aurelius cum Valentino, Numidiæ Primate; his proximus sedit Faustinus Potentiensis, Papæ legatus; plurium infra Africæ provinciarum deputatis Episcopis, numero ducentis septendecim, omniumque postremis aliis duobus Papæ legatis, Philippo & Asello, qui presbyteri tantum erant, considentibus. Astabant erecti diaconi. Lecta voluit Aurelius Legatorum documenta quibus erat insertus canon per quem licet Episcopo quem provinciæ concilium deposuit, ad Romanum Pontificem appellare, suæque causæ novum examen apud proximæ provinciæ Episcopos & Papæ legatum petere. Laudatus erat canon hic *Nicæni concilii* nomine, quamvis esset Sardicensis quintus. Cum S. Alypius monuisset canonem hunc in Nicæni concilii græcis exemplaribus non reperiri, una omnium sententia fuit, ut ad Papam Bonifacium de re scriberetur; tum lectus secundus canon quem ipsum Papa Zosimus, tamquam Nicænum proferebat, sed qui tamen Sardicensis decimus quartus est, quique presbyterum, seu diaconum a proprio Episcopo excommunicatum ad proximos Episcopos confugere patitur. Eum S. Augustinus servandum recepit, quoad emendatiora Nicæni concilii exemplaria suppeterent. Captum denique, prout S. Alypius proposuerat, ut Aurelius ad Antiochiæ, Alexandriæ & Constantinopolis Episcopos scriberet, qui genuinos Nicænos canones traderent, ut, si qui a Faustino proferebantur, inter eos extitissent, omnino servarentur, si minus, concilium cogeretur in quo, quid facto opus esset, deliberaretur. Lectis Nicæni concilii canonibus & symbolo, in id consensere Patres, ut canones triginta tres super continentia clericorum, usura, sancti chrismatis consecratione, pœnitentium publica conciliatione, &c. in superioribus conciliis editi in Carthaginensis concilii acta insererentur; hos inutile fuerit hoc loco repeti. Lecti deinde, in eadem sessione, antecedentium septendecim conciliorum, quorum primum Hipponense, an. 393. & postremum est Carthaginense, Kal. Maji an. 418. habitum, canones centum & quinque.

Sequente anno 419. ejusdem mensis Maji die tricesima, Episcopi in Basilicæ, nomine, *Restitutæ* sacristiam convenerunt. Hoc in cœtu finita negotia plura, nominatique commissarii viginti duo, ad finienda cætera, quos inter S. Augustinus, S. Alypius & Possidius. Eadem die, visum est concilii Patribus sex canones iis addere qui lecti fuerant, ad designandas personas quæ recipi ad ecclesiasticum accusandum non poterant.

Primus, Accusatorem suscipi eum vetat qui excommunicatione jam obstrictus, nondum ab hac censura solutus est, sive sit clericus, sive laicus.

2. Non vult accusatores recipi captivos, libertos, & personas infames, ut mimos, comœdos, itemque Hæreticos, Ethnicos & Judæos. Subditur tamen hæc ipso in canone omnes hujus generis homines posse in causa propria, cumque eorum res agitur, accusare.

3. Pronuntiat, si accusatio complectatur capita plura, accusatorem qui caput primum probare non poterit, ad proponenda cætera suscipi non debere.

4. Declarat eos qui accusare non possunt, ne testes quidem esse posse; accusatorem non posse domesticos testes, vel annis quatuordecim minores proferre.

5. Addit, si quis Episcopus quempiam sibi soli crimen confessum dicat, negante altero, eum non debere ægro animo ferre sibi soli non credi, ac si dicat sibi per conscientiam suam non licere cum accusato communicare, cæteros Episcopos cum hoc Episcopo communicare non debere, ut nullus non Episcopus caveat, ne cui exprobrare audeat quod pervincere deinde non possit. Postremus canon hic in Africana Collectione tribuitur in duos; quod in causa est, ut sex numerentur; quinque tantum Labbæus recenset.

Sua concilium Acta cum synodica Epistola ad Papam Bonifacium, per ejus Legatos, misit. S. etiam Cyrillum, Alexandriæ, & Atticum Constantinopolis Episcopos, datis ad utrumque Litteris, rogavit, ut authentica exempla canonum Nicæni concilii mitterent, quod præstiterunt.

Non desunt auctores qui primum concilium in quod Zosimi Papæ Legati recepti fuere, non Carthagine, sed in Mauritania Cæsariensi, atque adeo Cæsareæ habitum putent. Nituntur hi quidem S. Augustini textibus pluribus qui iisdem favent. Ita sane loquitur S. Doctor in sua ad Optatum Epistola quæ 190. est: *Quamvis Tuæ Sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim Litteras, tamen, quia illæ quas ad Mauritaniam Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream præsente, venerunt, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zosimo, apostolicæ sedis Episcopo, ecclesiastica necessitas traxerat.* In Epistola 139. ad Marium Mercatorem, *n.* 1. sibi ipse concinit. Possidius, in vita S. Augustini, *cap.* 14. testatur se una cum pluribus aliis Episcopis adfuisse concilio quod Cæsareæ in Mauritania, ad Ecclesiæ negotia quædam finienda, sanctæ sedis jussu, habitum fuit. (Vide Van-Espeuium, *Jur. Eccl. univ. Tom. III. p.* 273. *& seq. Reg. Tom. IV. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.*)

Concilium Ravenatense, an. 419.

Coegit imperator Honorius concilium hoc ad schisma tollendum quod, papa Zosimo vita functo, in Romana Ecclesia coortum fuerat; in ejus enim locum alii presbyterum Bonifacium, alii archidiaconum Eulalium elegerant. Balutius.

Concilium Carthaginense, an. 426.

Apiarius qui ea solum conditione, ut Sicquensem Ecclesiam desereret, in sacerdotium restitutus fuerat, cum Fiabracam, Proconsularis urbem, ut creditur, recessisset, ibi se novis criminibus polluit quæ incolas, ut in eum jure agerent, impulerunt. Ergo communione privatus fuit; ac nedum se purgavit, sed appellationem ad Papam simulans, Romam abiit. Cælestinus qui tunc sanctam sedem tenebat, eum cujus verbis fidem addiderat, in communionem restituit, & in Africam cum Episcopo Faustino remisit qui jam, tamquam Papæ Zosimi legatus, ibidem fuerat. Ad eorum adventum, Africæ Episcopi Carthaginem convenerunt, ibique universale concilium celebrarunt, Aurelio Carthaginensi Episcopo, & Valentino Numidiæ Primate, præsidibus. Cum Faustinus & Apiarius se se stitissent, suæ hic conscientiæ stimulis permotus, crimina quorum accusabatur, non fateri non potuit, prorsusque ab Ecclesiæ corpore sectus fuit. Miserunt ad summum Pontificem Cælestinum Patres Acta concilii, cum synodica Epistola in qua eum obtestantur, ut ne amplius ad suam eos communionem suscipiat quos ipsi communione privassent, quippe quod facere non poterat, quin Nicæno concilio adversaretur. „ Si id, subdunt, quoad „ minores clericos, seu laicos, vetitum in eo est, quanto „ magis illud, quoad Episcopos idem servari voluit? „ Qui ergo suis in provinciis a communione amoti „ sunt, a Tua Sanctitate, præmature, contraque regulas, „ restitui non debent. Tu quidem presbyteros „ aliosque clericos rejicere debes qui eo temeritatis „ deveniunt, ut ad te confugiant; id enim præjudicii „ nulla Africanæ Ecclesiæ attulit patrum nostrorum „ sanctio, & Nicæna decreta Metropolitano ipsos Episcopos „ subdiderunt. Nempe, cum magna prudentiæ „ & justitiæ laude, mandarunt, ut, ubi originem duxerant, „ ibi omnia negotia finirentur, nec credidere „ Spiritus Sancti gratiam cuique provinciæ deesse debere, „ quin scilicet Episcopis lumen & vim, quibus „ ad judicia opus esset, impertiretur; præsertim cum

„ qui-

„ quicunque se læsum crediderit, ad provinciæ, vel „ etiam universale concilium appellare possit, nisi for- „ te putetur Deum posse justitiam privato seorsim ho- „ mini afflare, ac longe plurimis conjunctim Episco- „ pis eamdem negare. Qui tutum esse certumque po- „ terit transmarinum judicium ad quod quin necessa- „ rii testes mittantur, sexus aut provectæ ætatis infir- „ mitas, aut aliquid aliud impediet? Nullum enim „ nobis concilium occurrit quod jusserit, ut quispiam „ a Sanctitate tua mitteretur. “ *Reg. Tom. II. Lab. Tom. II. Hard. Tom.* ..

Nonnunquam in conciliorum numero ponitur cœtus in quo S. Augustinus sibi successorem dedit. Cœtus hic, Hippone, die 26. Septembris an. 426. habitus est in Pacis Ecclesia, præsentibus cum eo duobus Episcopis, Religiano, Martiniano, & presbyteris septem; adfuit etiam frequens populus Hipponensis. Tum S. Augustinus significavit se sibi successorem Heraclium, e septem qui aderant, presbyteris unum velle. Electionem hanc populus non sine magnis acclamationibus approbavit, Ecclesiæque notarii in Acta retulerunt. At S. Augustinus, ne Nicænum concilium violaret quod ipse violaverat, patiens se, Valerio decessore in vivis agente, Episcopum consecrari, Heraclium in presbyteratus ordine manere voluit, omni tamen ei demandato suarum sollicitudinum pondere, rogatoque populo, ut, quicquid negotii contigisset, ad Heraclium conferret. (Sanctus Augustinus, *Epist.* 213. Balutius, in *Collect.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 426.

Attico, Constantinopolitano Episcopo, die 10. Octobris an. 425. e vivis sublato Sisinnius, pietate, calliditate & in pauperes charitate celebris, successor electus fuit, die tamen solum 28. Februarii sequentis an. 426. ab Episcopis numero pluribus ordinatus quos Theodosius imperator in id congregaverat. Sisinnius, eo ipso momento temporis, Epistolam, una cum iis omnibus Episcopis, scripsit ad Berinianum, Perges in secunda Pamphylia, & Amphilochium Sides in prima Pamphylia Metropolitanos, & ad cæteros ejusdem provinciæ Episcopos, contra Messalianorum hæresin quæ se per eas regiones a quarti sæculi fine disseminaverat. Id unum constat de hoc concilio cujus Acta in Ephesino lecta, approbata & confirmata fuere. (Balutius.)

Concilium Constantinopolitanum, ann. 428. *seu* 429.

Cum Sisinnius, Constantinopolitanus Episcopus, Decembris die 24. an. 427. e vita migrasset, ut ei successorem darent, provinciæ Episcopi convenerunt. Prensationis multum fuit, Philippum aliis numero pluribus, Proclum aliis, presbyteros duos qui cum Sisinnio de sede contenderant, Episcopos sibi petentibus. Theodosius imperator qui Constantinopolitanum episcopatum nemini qui ex eadem Ecclesia esset, conferre statuisset, exterum hominem cui Germanicia ortum dederat, nomine Nestorium, accitum nominatumque Episcopum voluit, eum ipsum qui deinde Nestorianorum hæreticorum caput extitit. (Balutius.)

Concilium Alexandrinum, an. 430.

Concilium hoc ex Ægypti Episcopis conflatum fuit, quibus, ut convenirant, Nestorii, Constantinopolitani Episcopi, errores causam præbuerunt. Statis concilio sententia ad Papam scribi oportere, ut quam late serperent Nestorii deliramente, quamque eorum consecutiones anteverti necesse esset, eidem significaretur; erat etiam Patribus ea mens, ut ex Papa quæreretur, communicandum ne cum Nestorio, an aperte ab ejus communione recedendum esset. S. Cyrillus Alexandrinus sibi, super his tribus capitibus, ad Papam scribendum sumpsit; atque ut S. Cælestino Nestorii doctrinam ob oculos poneret, suas ad eum Homilias, suas Epistolas, Tomosque in capita tributos misit qui Patrum sensa super Incarnatione complectebantur. (*Concilium Romanum.*) Romæ coegit, ineunte Augusto mense ejusdem anni 430. Papa concilium in quo, post examen Litterarum, aliorumque Scriptorum Nestorii, statutum fuit, ut, si minus, intra decem ab Epistolæ Papæ significatione dies, perspicue & sine ulla verborum ambiguitate, Nestorius declararet se Fidem recipere quam Ecclesiæ Romana & Alexandrina, ac tota Catholice Ecclesia docebat, esset jam tum ab Ecclesiæ communione sejunctus, omnique potestate spoliatus quæ ad sacerdotii dignitatem pertinet. Eamdem pœnam concilium iis omnibus minitatum est qui Nestorium in errore secuti fuerant, &, a converso, quoscunque hic Episcopus deposuerat, in ministerio servavit. Summus Pontifex S. Cyrillo demandavit executionem decretorum concilii, adeoque ipse, quicquid in eo gestum fuerat, per Epistolas plures, Episcopis significavit. In concilio etiam sermonem habuit quo ostendit, auctoritate Patrum, sanctam Virginem Dei matrem esse; Litteras quoque ad Nestorium & ad S. Cyrillum dedit; ac Cyrillus quidem, (*Concilium Alexandrinum.*) eodem an. 430. Ægypti Episcopos Alexandriæ coegit, scripsitque, concilii nomine, synodicam ad Nestorium Epistolam quæ tertiæ postremæque monitionis loco esset; ei futurum declarans, ut „ si minus, intra temporis spatium a Papa S. Cælesti- „ no designatum, suis repudiatis erroribus, resipuis- „ set, non amplius ab iis Episcopus haberetur. “ Fuse deinde, super Incarnatione, Cyrillus Ecclesiæ Fidem exponit; ad præcipua Nestorii objecta respondet, finemque scribendi facit per anathematismos duodecim quibus eidem errores explicat quos damnare debet, siquidem Catholicus haberi vult. *Reg. Tom. IV, Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* & Balutius, in *Collect.*

Concilium Ephesinum, an. 431.

Concilium hoc quod generale tertium est, Imperator Theodosius II. Catholicis, Nestorio ipso itemque ejusdem fautoribus sollicitantibus, convocavit. Data est die 19. Novembris an. 430 & adhuc superest convocationis Epistola cujus fronti unius S. Cyrilli nomen inscriptum legitur, etsi, encyclica Epistola sit, ad cujusque provinciæ Metropolitanum missa. Scripta est, e consueta forma, duorum Imperatorum Theodosii & Valentiniani nomine; nihilque in eadem occurrit quod in hac convocatione ullam Papæ partem fuisse significet; immo vero Papa ipse, in sua ad Theodosium Epistola, concilium hujus Principis jussu coactum fatetur; id anuntiat rotundis verbis concilium totum, & Legati pariter profitentur; addit etiam Firmus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus concilium hoc, Imperatoris decreto, convocatum fuisse. Contraria opinio quæ in ejus convocatione suam Papæ S. Cælestino partem fuisse vult, apocryphis tantum monumentis quibusdam nititur, cujusmodi sunt Theodosii ad S. Augustinum Epistola, & S. Petronii, Bononiensis Episcopi, Acta.

Summus Pontifex Cælestinus, haud e re judicans, ut ad concilium se ipse conferret, eo misit legatos tres, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Romanæ Ecclesiæ, titulo Apostolorum, presbyterum. His perferendas dedit Epistolas tres, ad S. Cyrillum unam, ad concilium alteram, & ad Imperatorem tertiam. Eo Asiæ Episcopos quadraginta circiter, Ephesi Episcopus Memnon acciverat; eodemque, aliis quinquaginta comitantibus, S. Cyrillus advenit; adfuere universim Episcopi prope ducenti, iidemque, dimidia ex parte, Metropolitani sapientia præcipui. Apertum est concilium die lunæ 22. Junii an. 431. a Pentecostes festo decima sexta, die scilicet ad ejus inchoationem indicta, in Ecclesia sanctæ Virginis. Centum & nonaginta octo Episcopi huic primæ sessioni interfuere, cum Vesulario, Carthaginensi Diacono quem Africa delegaverat. S. Cyrillus primas tenebat, utpote Papæ S. Cælestini locum occupans; hunc ordine sequebantur Juvenalis Hierosolymitanus, Memnon Ephesinus, &c. Perfecit concilium, ut Nestorius canonicis monitionibus tribus acciretur ad cœtum in quo se defenderet super erroribus quorum accusabatur, videlicet, „ duas in Christo Personas esse, divinam huma- „ namque, ac proinde, Filios duos, Deum unum, „ hominem alterum, & Mariam non esse matrem Dei, „ sed Christi tantum. “ Recusavit id Nestorius, ad ejusque recusationem, lectum est Nicænum Symbolum, itemque secunda S. Cyrilli ad Nestorium Epistola quæ Nicænæ doctrinæ consentanea comperta est; lecta deinde Nestorii ad Cyrillum ipsum responsio quæ generatim cum auctore damnata fuit, Episcopis unanimi voce clamantibus: „ Qui Nestorium non ana- „ thematizat, anathema sit. “ Epistolæ quoque Papæ S. Cælestini, nec non ejus quam, nomine concilii Ægypti, S. Cyrillus ad Nestorium scripserat, peracta lectio. Lecta sunt etiam plura Patrum testimonia eademque Actis inserta, ut, quænam eorum doctrina fuisset, ostenderetur. Lecti pariter Actisque inserti articuli numero viginti ex Nestorii Homiliis aliisque scriptis deprompti, itemque Capreoli, Carthaginensis Episcopi, Epistola; quibus actis, concilium damnationis sententiam contra Nestorium pronuntiavit in hæc verba: „ Cum Nestorius, inter alia, a nobis in jus „ accitus obsequi, Episcoposque nomine nostro ad eum „ missos suscipere recusavarit, non potuimus, quin

„ ejus

„ ejus impietatum examen aggrederemur; cumque ex
„ ejus tam Litteris quam Scriptis aliis, sermonibus-
„ que quos paulo ante ea in urbe habuit, per testes
„ probatis ipsum convicerimus, qui impia cogitaret
„ doceretque; Canonibus, nostrique sanctissimi patres
„ & collegæ Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, Lit-
„ teris ad hanc necessitatem redacti, postquam sæpe
„ lacrymas fudimus, ad hanc tristem sententiam de-
„ venimus. Jesus Christus Dominus noster in quem
„ is blasphemias evomuit, eum omni episcopali di-
„ gnitate spoliatum & ab omni ecclesiastico cœtu ab-
„ scissum, per hoc sanctum concilium, declaravit. "
Omnes qui aderant, Episcopi, numero centum nonaginta octo, quique ad concilium, post 22. Junii diem, pervenerant, huic sententiæ subscripserunt, quam populus lætitia gestiens, unaque voce plaudens excepit. Ita prima concilii sessio finem habuit.

Postridie, 23. Junii die, concilium depositionis sententiam Nestorio significatam voluit, statimque de ea Constantinopolitanum clerum certiorem fecit; concilii quoque Acta, per synodicam Epistolam, ad imperatorem Theodosium misit. Scripsit & ipse ad Imperatorem Nestorius, se a S. Cyrillo & a Memnone quos tamquam seditiosos notabat, male habitum conquerens. Comes Candidianus, excubiarum imperatoris dux qui Ephesum missus fuerat, ut concilio suppetias ferret, Nestorii partes suscepit, promulgandumque edictum curavit quo sententiæ qua deponebatur, eum nullam rationem habiturum declarabat. Joannes Antiochenus, cum una cum Orientis Episcopis qui eum comitabantur, Ephesum pervenisset, qua ipsa hora urbem ingressus est, atque in hospitio ad quod diverterat, suum & ipse concilium habuit; & absque ulla juris forma, S. Cyrillum & Memnonem, tamquam turbarum auctores, & ob anathematismorum hæreticum sensum, sua dignitate spoliatos, cæterosque omnes earumdem partium Episcopos a communione separatos pronuntiavit, quoad anathematizassent anathematismos duodecim, seque Orientalibus addidissent ad controversias conjunctim discutiendas quæ Ecclesiam turbabant. Cum porro Papæ legati, Arcadius, Projectus & Philippus, decima die Julii an. 431. Ephesum pervenissent, eadem die, secunda concilii sessio in Memnonis episcopalibus ædibus habita est. Sanctus Cyrillus, utpote Papæ locum tenens, concilio præesse non destitit, in quo lecta est S. Cælestini Epistola quæ testabatur Christum Dominum ipsum Episcopos, suæ Ecclesiæ doctores, in Apostolorum persona, instituisse, eosque debere, conjunctis viribus, ad apostolicæ doctrinæ depositum sartum tectumque servandum incumbere. Postridie, 11. Julii die, concilium in Memnonis episcopalem domum, tertio, convenit; & legati qui, antequam eo se conferrent, Nestorii depositionis Acta perceperant, nihil non, e canonum ordine, gestum fuisse declararunt. Ad Imperatorem deinde scripsere concilii Patres, ut ei Legatorum adventum, consensumque, quem iidem, etiam de scripto, Nestorii depositioni præstiterant, quæ proinde totius terrarum orbis commune judicium credebat, significarent.

Habita est quarta sessio, die 16. Julii, in Ecclesia sanctæ Mariæ. In hac S. Cyrillus & Memnon suum in querelam supplicem libellum contra Joannem ejusque conciliabulum obtulerunt, a quibus, sine potestate & sine formis, depositi fuerant. Eam depositionem adeo præposteram, absonam, irregularem concilium nullam prorsus & irritam declaravit. In sessione quinta quæ ejusdem mensis sequente die 17. habita est, concilium Joannem Antiochenum omnesque Episcopos qui ejus conciliabulum constituebant, ab ecclesiastica communione amputatos declaravit.

In Julii diem 22. an. 431. incidit sexta sessio. In hac Fidei definitio quæ a Nicæno symbolo incipiebat, lecta & Actis inserta est; damnata est etiam Nestorianæ fidei professio; vetitumque, depositionis in Episcopos & clericos, atque anathematis in laicos indicta pœna, ne qua alia Fidei professio quam Nicæna proponeretur aut scriberetur.

Sessionem septimam, eamque postremam Augusti dies 31. in Actis designat; at legendum esse contenditur Julii 31. diem, quia concilium non amplius convenit post Comitis Joannis adventum, qui Ephesi erat, Augusto ineunte mense. Sessio hæc in magna Ecclesia sanctæ Virginis habita est; in eademque expedita fuere peculiaria negotia plura, editique canones sex quos synodica Epistola, ad omnes Ecclesias missa præcedit.

Primus Canon declarat Metropolitanos, quicunque œcumenicum concilium deseruerint, ut se schismatico conciliabulo addicerent, aut Celestii sensa susceperint, nihil, utpote excommunicatos & interdictos, in provinciæ Episcopos agere posse; sed, e converso, Episcopis ipsis proximisque Metropolitanis subesse qui eos omnino ab episcopatu deponere poterunt.

2. Pronuntiat Episcopus qui schisma, vel initio statim, vel postquam contra Nestorium subscripserunt, amplexi fuerint, a sacerdotio prorsus abscissos & ab Episcopatu depositos fore.

3. Clericos qui a Nestorio, vel ab ejus asseclis interdicti aut depositi fuerint, propterea quod recte sentiebant, restitui jubet.

4. Clericos qui œcumenico concilio adhærent, schismaticis Episcopis, nulla ratione, subesse vult.

5. Clericos qui schisma erroresve Nestorii aut Celestii amplexi fuerint, deponi præcipit.

6. Statuit, ut nemo non qui ob crimina a concilio, vel ab Episcopo suo damnatus, a Nestorio vel ab ejus fautoribus restitutus fuerit, de canonicis servandis regulis parum sollicitus, pronuntiatæ in ipsum sententiæ obnoxius remaneat; quicunque vero iis obsistere, utcunque voluerit, quæ a sancto Ephesino concilio statuta fuere; si Episcopus est aut clericus, deponatur, aut si laicus, communione privetur. His canonibus sex subscripsere Episcopi ad unum omnes. In aliquibus editionibus occurrunt præterea septimus, octavusque canon qui nihil sunt aliud quam concilii interdictio, ne quid addatur Nicænæ Formulæ, decretumque super servandis Cypriensis Ecclesiæ juribus. Zonaras & Balsamon commentati sunt hos canones octo qui in Justelli Collectione totidem reperiuntur. At eorum nullum affert Dionysius Exiguus in Latinæ Ecclesiæ veteri codice, ob eam, ut videtur, causam, quia nihil continent super Ecclesiæ publica disciplina, sed ea solum quæ Nestorii ejusque fautorum peculiare negotium spectant. *Reg. Tom. V. Lab. Tom. III. Hard. Tom. I.* & Baluzius.

Concilium Constantinopolitanum, ann. 431.

Cum Theodosius imperator Nestorii depositionem approbasset, Episcopi idem qui ad Ephesinum concilium delegati fuerant, tum qui Constantinopoli versabantur, ibidem concilium coegerunt, ut ad ejus magnæ urbis Episcopi electionem procederent. Maximianus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, & S. Joannis Chrysostomi discipulus, electus fuit, Octobris die 25. unanimi Imperatoris, Cleri Populique consensu, triduo supra menses quatuor a Nestorii depositione. Summum Pontificem Cælestinum Imperator & Concilium de hac re tota certiorem fecerunt. *Ibidem.*

Concilium Tarsense, ann. 431. *vel* 432.

Conciliabulum fuit quod cum Alexandro Hierapolitano aliisque nonnullis suarum partium Episcopis Joannes Antiochenus coegit, cum Tarsum, ab Ephesino concilio redeuntes, prætergrederentur. Id iterum sibi sumpsit, ut S. Cyrillum & cum eo Episcopos septem deponeret quos Ephesinum concilium ad imperatorem Theodosium delegaverat, quique ad Maximiani ordinationem, Constantinopolim acciti fuerant. Theodoretus & Orientales cæteri qui huic conciliabulo adfuere, se nunquam in Nestorii depositionem consensuros receperunt. Hanc obstrictam fidem in frequenti concilio firmarunt quod Antiochiæ, vix regressus, Joannes habuit, & in S. Cyrillum tertiam depositionis sententiam pronuntiarunt; at inter eos tandem inita pax, cum Joannes Antiochenus Nestorii doctrinam damnasset, & S. Cirillus Fidei confessionem quam Orientales ediderant, communi consensu, in concilio quod Antiochiæ Joannes coegerat, approbasset.

Inter Theodoretum & Alexandrum Hierapolitanum qui paci subscribere nolebant, ex una parte, & Andream Samosatenum ex alia convenit, ut Zeugmæ concilium cogerent. In eo lecta est S. Cyrilli Epistola quæ omnino Catholica comperta est; se huic sancto Præsuli Andreas in communionem addidit; at Episcopi secundæ Ciliciæ, & Maximinus Anazarbensis, eorum metropolitanus, Nestorio addicti permanserunt, coactoque Anazarbæ, an. 433. concilio, quicquid Ephesi in S. Cyrillum actum fuerat, cum Maximino confirmarunt. Cum autem Theodoretus qui magna existimatione gaudebat, cum Joanne Antiocheno in gratiam rediisset, secundæ Ciliciæ Episcopi Tarsum, an. 434. in concilium convenerunt, seque & ipsi cum eo conciliarunt; tum suam synodicam Epistolam ad Theodoretum miserunt, ut eam ipse Joanni exhiberet. Fere omnes etiam primæ Ciliciæ & Isauriæ Episcopi ejus communionem amplexi sunt. Depositi fuere actique in exilium, perinde ac Nestorius, quicunque ex Episcopis in ejus erroribus animum obfirmarunt. Emisso Theodosius edicto, mandavit, ut hujus hæresiarchæ

secta-

ſe&tatores *Simoniani* nuncuparentur, neminique liceret ejus ſuper Religione Scripta retinere aut legere, ſed eadem, poſt accuratam perquiſitionem, flammis darentur. *Vide* Collectionem quæ *Synodici* titulum præſert, quæque Lovanii, an. 1682. & Pariſiis, an. 1683. in tomo primo Conciliorum Balutii, typis edita prodiit.

Concilium Regii in Provincia, Regienſe, an. 439.

Habendo concilio huic, Novembris die 29. an. 439. occaſionem præbuit gradu præſtans adoleſcens, *Armentarius* nomine, qui Embreduni Epiſcopus, contra canones, ordinatus fuerat, cujuſque ordinatio e tribus capitibus nulla erat; 1. quia provinciæ Epiſcopi in eam non conſenſerant; 2. quia peracta fuerat a duobus Epiſcopis tantum; 3. denique quia ei deerat metropolitani qui S. Hilarius erat, Arelatenſis Epiſcopus, approbatio. Apparet hinc Embrodunum, maritimarum licet Alpium provinciæ, quoad civilia, capitalem ſeu metropolitanam urbem, eccleſiasticæ metropolis jura, eo nondum tempore, obtinuiſſe, quandoquidem Epiſcopis qui Armentarium ordinarunt, crimini vertitur, quod egerint ſine Metropolitani auctoritate; niſi forte dici lubeat S. Hilarium Arelatenſem, ob papæ Zoſimi privilegia, ſuæque ipſius ſedis prærogativas, veluti primum earum provinciarum metropolitam ſpectatum fuiſſe, ſine cujus conſenſu ordinatio quam alius Metropolita peragiſſet, illegitima cenſeretur. Summus Pontifex Hilarius, triceſimo quarto poſt hoc concilium anno, Ingenuum Embrodunenſem Epiſcopum ait ſemper Metropolitani gradu potitum eſſe; Ingenuus porro hic in Armentarii locum electus fuit. Interfuere concilio huic Arelatenſis proximarumque provinciarum Epiſcopi duodecim, cum Vincentio presbytero quem Conſtantinus delegaverat, quique ipſe Vapinci Epiſcopus fuiſſe creditur. Epiſcopi quorum ſedes innoteſcunt, hi demum ſunt: Hilarius Arelatenſis qui præfuit, Auſpicius Vaſionenſis, Valerianus Cemelienſis, Maximus Regienſis, Theodorus Forojulienſis, in Gallia, Nectarius Dinienſis. Concilii Patres edidere canones octo.

Primus, Epiſcopos duos qui Armentarium ordinaverant, veniamque petebant, nulli amplius concilio, aut ordinationi deinceps adeſſe vult. Sanctio hæc edita fuerat in Taurinenſi concilio, *can.* 3.

2. Armentarii ordinationem nullam declaret, ad aliumque procedi vult.

3. Armentario quem pœnituiſſe reputat, Chorepiſcopi qualitatem concedit, cujus munia ruri tantum obire poterit, & in Eccleſia quam Epiſcoporum aliquis ei cedere poterit, miſerationis ergo, vel ut eam regat vel ut ibidem ſancti miniſterii particeps ſit, tamquam extraneus Epiſcopus, modo tamen extra maritimarum Alpium provinciam; eumdem prohibet in ea Eccleſia ullam ordinationem peragere, unquamque in urbibus, vel abſente Epiſcopo, Sacrificium offerre. Epiſcopales functiones quarum ei facultas conceditur, hæ ſunt, ut ſua in Eccleſia neophytos confirmet, ante presbyteros offerat, populo publice benedicat & virgines conſecret: „ ut proinde, concilii verba ſunt, „ infra Epiſcopum, ſupraque presbyterum ſit. “ Ait concilium ſe nihil aliud hac in re facere quam quod octavus Nicænus canon, quoad Novatianos, mandaverat.

4. Quoad clericos ab Armentario ordinatos, ſtatuit, ut, ſi quos ordinavit qui excommunicati eſſent, ut contenditur, hi quidem deponantur, qui vero exprobrationis expertes fuerint, eos Embrodunenſis qui eligetur, Epiſcopus retinere poſſit, vel ad Armentarium, quæcunque tandem Eccleſia ei deſignata fuerit, remittere.

5. Simplicibus presbyteris facultatem tribuit qua jam, inquit, in aliquibus provinciis gaudebant, ut in familiis, in agris, ut privatis in domibus, pro fidelium votis, non autem in Ecleſia benedictionem impertiantur. Eam quoque facultatem Armentario concedit, ut in rurali Eccleſia quæ eidem obtigerit, ſolemnem benedictionem populo conferat, ibidem virgines conſecret, neophytoſque confirmet.

Perſpicitur ex hoc canone, 1. in Galliarum provinciis, ab hoc concilio pendentibus, id juris ſimplicibus presbyteris non fuiſſe, ut vel ſecretas minimeque ſolemnes benedictiones tribuerent, quamvis in aliis provinciis eo jure gauderent; 2. eos prohibitos fuiſſe publicas benedictiones in Eccleſia conferre, quod iiſdem deinde vetuit Agathenſe concilium, an. 506. *can.* 44. 3. ad Armentarium a ſimplicibus presbyteris diſtinguendum, eidem concedi, ut ſua in Eccleſia publicas & ſolemnes benedictiones conferat, ibi virgines conſecret, & neophytos ibidem confirmet; quod ſimplicibus presbyteris non licebat. Orientales a Latinis, ſuper benedictionum articulo, diſcrepabant, ſiquidem in Oriente ſimplices presbyteri etiam publice benedicebant.

6. Mandat, ut, poſt Epiſcopi mortem, Epiſcoporum tantum proximus veniat funera celebraturus, quæque ad Eccleſiæ regimen & pacem neceſſaria fuerint, præſcripturus; & 7. addit eumdem, elapſis diebus ſeptem, recedere debere, ut, cæterorum Epiſcoporum inſtar, Metropolitani mandatum expectet, ſine quo nemini liberum erit ad vacantem Eccleſiam accedere, ne ſe a populo coactum ſimulet ejus epiſcopatum accipere.

8. Ex veteri Nicæni concilii conſtitutione, (*Can.* 5.) provincialia concilia duo quotannis haberi jubet, ſiquidem pacifica ſatiſque tranquilla tempora ad ejuſmodi cœtus fuerint.

Hujus octavi canonis loco, vetus Collectionis Iſidori manuſcriptus codex alios duos ponit quorum primus excommunicationis, atque adeo exilii pœnam in eos ſtatuit qui ſeditiones in Eccleſiam ejuſque Epiſcopos excitaverint; iiſdem tamen, ſi pœnitentiam egerint, communionem concedi vult; at eos in clerum recipi vetat. Pronuntiatur in ſecundo ſatis fore provincialia, ſingulis annis, haberi, quibus presbyteri, diaconi, judices, aut urbis corpora, ipſique privati homines adeſſe debebunt, & in quibus qui ſe læſos contenderint, ſe defendere poterunt, ſuumque ſuper negotio, concilii Deciſionem expectare. Balutius qui duos hos canones nobis dedit, nullum de iiſdem judicium profert; ſatis habet animadvertere eorum ſecundum ex Antiocheno concilio, ſub Papæ Julii pontificatu, an. 341. habito depromptum eſſe. Is reapſe hujus concilii, non ſine aliqua mutatione, viceſimus canon. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. III. Hard. Tom. I.* Sirmondus, *Tom. I.*

Concilium Arauſicanum primum, an. 441.

Celebratum fuit concilium hoc, 5. vel 8. Novembris die an. 441. conſule Cyro, Imperatore Valentiniano III. regnante, ſummoque Pontifice S. Leone I. in Eccleſia Juſtiniana, ſeu Juſtiana, ex Arauſionis Diœceſi. Ei præfuit S. Hilarius, aliique præterea Epiſcopi ſexdecim adfuere, quorum nonnulli Regienſi concilio interfuerant, ſcilicet, Auſpicius Vaſionenſis, Conſtantinus Vapincenſis, Maximus Regienſis. Novus Epiſcopus Embrodunenſis, nomine *Ingenuus*, adſuit & ipſe cum S. Eutherio, Lugdunenſi Epiſcopo, qui in ſubſcriptione declaravit ſe ſuorum comprovincialium, ſuique filii Salonii conſenſum expectare. Superventor ſubſcripſit Epiſcopi Claudii, ſui patris nomine. Hujus concilii quæ cauſa fuerit, haud conſtat; adeoque habitum creditur in executionem octavi canonis concilii Regienſis, qui concilia duo quotannis haberi jubet. Ut ergo ſuam huic ſanctioni vim roburque ſervaret, damnata prius Epiſcoporum qui non advenerant, agendi ratione, ſtatuit Arauſicana ſynodus, ut unumquodque concilium in poſterum ſequentis concilii diem locumque deſignet. Indicit ad 18. Octobris diem, in alio ejuſdem Arauſionenſis Diœceſis loco cui nomen *Luciano*, concilium ſequentis an. 442. abſentes Epiſcopos de re monendi cura S. Hilario relicta. Arauſicanum concilium primum triginta canones edidit.

Primus, pronuntiat presbyteros, ſi deſit Epiſcopus, poſſe, per ſancti chriſmatis unctionem & benedictionem, hæreticos conciliare qui in mortis periculo verſantes, reſipuerint, & ſe Catholicæ Eccleſiæ redintegrare voluerint.

Conciliatio qua de agitur in hoc canone, Confirmationis Sacramentum eſt, quod hæreticis ad Fidem redeuntibus conferebatur, ſed quod iiſdem non niſi ab Epiſcopis adminiſtrari poterat, præter quam in mortis periculo, cumque nullus Epiſcopus aderat qui eos confirmaret; tunc enim ſimplici presbyteri poterant id facere; quodque canon hic eos agere ſinit quoad hæreticos graviter ad mortem ægrotantes qui ad Eccleſiam regredi volunt, id jam S. Sylveſter quoad omnes neophytos qui in iiſdem circumſtantiis verſarentur, iiſdem licere voluerat. (Vide *Geſta Summ. Pontific.*)

2. „ Miniſtrorum nullus, qui baptizandi munus ſuſceperunt, pergere debet ſine chriſmate, quia ſtatutum eſt inter nos, ut ejus unctio ſemel in Baptiſmate peragatur. Si quis, caſu aliquo, hanc unctionem in Baptiſmate non recepit, Epiſcopus in Confirmatione de re monebitur; una eſt enim apud nos, & unica chriſmatis benedictio; non quod iterata unctio præjudicii quicquam afferat, ſed *ut non neceſſaria habeatur.* “

Sunt

Sunt manuscripti codices in quibus legitur: *ut necessaria habeatur*; sunt & critices periti viri qui ita legendum asserunt, absque negante particula; nec latet, quam acriter, super hoc capite, digladiati fuerint Pater Sirmondus, Jesuita, qui a negatione stabat, & Abbas Sancti-Cyrani, sub *Petri Aurelii* nomine delitescens qui negationem impugnabat. Hoc ergo Abbate judice, ea est hujus canonis notio, ut necessariæ chrismationes duæ sint, Baptismatis una, Confirmationis altera; adeoque, cum prima quæ in Baptismate peragi debet, casu aliquo omissa fuerit, Episcopus confirmaturus monendus sit, ut chrismationem hanc quæ in Baptismate omissa fuit, in Confirmatione perficiat, absque ejus præjudicio quam præterea in confirmatione edera debet; *Ut necessaria habeatur rechrismatio*, seu, *chrismatio repetita*. Patris Sirmondi sententia, canonis sensus est, unam tantum sancti Chrismatis unctionem esse debere, eam nempe quæ fit in Baptismate; hanc non esse repetendam, nec novam in Confirmatione peragendam; sed, cum in Baptismate, casu aliquo, aut necessitate quadam, omissa fuerit, in Confirmatione tribuendam esse; *Ut non necessaria habeatur rechrismatio*.

Hæc posterior lectio potioribus manuscriptis codicibus nititur, & plures quam altera fautores habet. Ut igitur hic canon intelligatur, sciendum est, duobus tribusve primis Ecclesiæ seculis, Sacramenta tria, Baptismatis, Confirmationis & Eucharistiæ, uno eodemque tempore, etiam infantibus conferri ab Episcopo consuevisse. Tum quidem una tantum erat chrismatio, seu sancti chrismatis unctio quam Episcopus, statim a Baptismate, & ante Confirmationem, super baptizati capite peragebat. Deinceps, Confirmationis Sacramentum, seu manuum impositio e Baptismate sejungi cœpit; quod in causa fuit, ut consuetudo multiplex in Ecclesiam, quoad unctionem sancti chrismatis induceretur; eam aliis Baptismati, aliis Confirmationi addentibus; aliis denique eamdem tum in Baptismate, tum in Confirmatione peragentibus. Ex hoc igitur canone in Galliarum Ecclesiis id moris obtinuisse videtur, ut una tantum unctio, & quidem in Baptismate, adhiberetur, nec in Confirmatione repeteretur, sed, cum in Baptismate, ob aliquam necessitatem, omissa fuerat, in Confirmatione conferretur. Contra, Romana Ecclesia duabus unctionibus utebatur, ad Baptismum una, ad Confirmationem altera; primam simplices presbyteri peragere poterant, alteram Episcopi tantum; quemadmodum ex Papæ S. Innocentii I. ad Decentium, Eugubinum Episcopum Epistola compertum fit.

3. „ Qui, in ipso pœnitentiæ cursu, mortem obeunt, „ manuum impositionem quæ reconciliatoria dicitur, „ non suscipient, sed Communionem tantum; quod „ sufficit ad morientium solatium, ex Patrum definitionibus, qui communionem hanc *viaticam* nuncuparunt. Quod si mortui non fuerint, in pœnitentium „ gradu consistent, &, postquam dignos pœnitentiæ „ fructus ediderint, legitimam Communionem cum re- „ conciliatoria manuum impositione percipient. “

Communio, seu Viaticum de quo in hujus canonis exordio sermo est, absolutio sacramentalis est a solemni absolutione, a reconciliatione scilicet manuum impositione distincta; legitima vero Communio de qua ad canonis calcem mentio fit, nihil est aliud quam communio quæ pœnitentibus conceditur qui totam pœnitentiam per Ecclesiæ leges præscriptam peregerunt. Non desunt qui contendant communionem per hunc canonem iis concessam qui, nondum absoluta pœnitentia, moriuntur, de communione tantum seu participatione suffragiorum Ecclesiæ, non autem divinæ Eucharistiæ intelligi debere; at alii, & potiore quidem, ut nobis videtur, ratione asserunt hoc in canone de Ecclesiastica Communione agi, eumdemque explicandum esse ex Nicæno decimotertio qui morientibus etiam Eucharistiæ Communionem concedit, ea lege, suam ut pœnitentiam absolvant, si convaluerint. Idem præcipitur in Carthaginensi concilio quarto, *canonib.* 76. 77. & 78.

4. „ Clericis petentibus pœnitentia negari non debet. “

Sunt qui canonem hunc de publica pœnitentia tantum intelligant, quia, ut probabile fit, sanctiones aderant quæ vetabant, ne publicæ pœnitentiæ clerici subderentur; cum alii de occulta quoque pœnitentia accipiunt, ut in S. Leonis ad Rusticum Epistola. Ut ut res habeat, certum est concilium non pati clericos ad aliam pœnitentiam suscipi quam ad eam quæ nullam infamiæ notam secum trahit, quæque cum officio quod obeunt, graduque quem occupant, stare potest. Hæc etiam est dispositio canonis decimi concilii Toletani decimi tertii.

5. „ Tradendi non sunt qui ad Ecclesiam confugiunt; sed ob loci reverentiam defendendi, & pro „ iisdem intercedendum. “

6. „ Si quis clericorum servos seu captivos sumpserit, in suorum locum qui ad Ecclesiam confugerunt, „ in omnibus Ecclesiis communione privetur. “

7. „ Sunt etiam ecclesiasticis censuris reprimendi „ qui aliquo servitutis genere sibi volunt servos subdere qui in Ecclesia libertate donati, vel Ecclesiæ „ ipsi testamento commendati sunt. “

Imperator Constantinus eam dominis facultatem concesserat, ut servos in Ecclesiis libertate donarent, duabus editis legibus quæ extant in Codice, hoc titulo: *De his qui in Ecclesiis manumittuntur*. Alii, morientes, suos libertos Ecclesiæ commendabant; & hujus quidem generis liberti sunt quos concilium vexari vetat, quia sub Ecclesiæ patrocinio esse censebantur, propterea quod domini, ut Manumissionis actum magis solemnem redderent, eos servos in Ecclesia, coram fidelibus, libertate donaverant.

8. „ Si quis clericum ordinare vult, qui alibi degit, perficiat imprimis, ut apud se commoretur; „ cumque non ordinet quem suus Episcopus ordinare „ distulit, quin prius eumdem Episcopum consuluerit. “

9. „ Si quis alterius diœcesis clericos ordinavit, „ eos ad se vocet, si integri vitæ moribusque puri „ sunt, suisve cum Episcopis eos conciliet. “

10. „ Ecclesiæ quam in aliena diœcesi construit, „ dedicationem Episcopus celebrare non potest. Clericos tamen qui eidem deserviant, præsentare poterit; eos tamen ordinare, aut, si ordinati sunt, ap- „ probare ad diœcesanum Episcopum spectat; hujus „ Ecclesiæ regimen ad eumdem pertinet. Si laicus qui „ Ecclesiam erigit, alium quam Diœcesanum Episcopum ad ejus peragendam dedicationem accersit, nec „ qui accersitus est, nec ullus alius Episcopus cœtui „ interesse debet. “

Cernitur hoc loco jurispatronatus origo, juris scilicet ad eum pertinentis qui Ecclesiam fundavit, ut clericos præsentet qui eidem deserviant, prout Episcopus fundator clericos quos in suæ Ecclesiæ gratiam petit, diœcesano præsentare potest; et quoad eos qui in Episcopatu succedunt, aut qui e familia sunt, huic juri locum esse debuisse non cernitur. Perspicitur etiam Litterarum quæ *Visa* dicuntur, seu approbationis Episcopi diœcesani necessitas.

11. „ Nullus Episcopus excommunicatum ad communionem suscipere debet, antequam qui excommunicationem pronuntiavit Episcopus, eam sustulerit. „ Proximi concilii erit de excommunicationis æquitate vel injustitia judicare. “

Ejusmodi semper fuit Ecclesiæ disciplina quam confirmavit primæ Nicænæ synodi canon quintus; ex quo factum, ut Episcopi, si quos e diœcesanis communione privassent, sollicite diligenterque, per litteras, proximos Episcopos de ea tota certiores facerent.

12. „ Qui subito linguæ usum amittit, Baptismum „ aut Pœnitentiam suscipere potest, si ita ei in votis „ esse per testes aut per aliquod ab ipso exhibitum „ signum constet. “ Idem pronuntiaverat, *can.* 34. Carthaginense concilium tertium.

13. „ Hominibus sensus expertibus concedendum „ quicquid pietatis est, cujusmodi sunt Ecclesiæ preces, piæ cæremoniæ, Sacramenta quæ rationis usu „ carentibus conferri possunt, ut Baptismus, Extrema „ unctio & Eucharistia ipsa, tum solum tamen, cum „ ad mortis articulum redacti, id ante petierunt, quam „ in hunc insaniæ statum inciderent. “

14. „ Energumeni baptizati qui sibi liberationem „ expetunt, quique in clericorum manus se tradunt, „ si eorum monitis se dociles exhibuerint, Eucharistiam quoque percipient, ut sacramenti virtus contra dæmonis vexationes iis robur afferat, ipsosve „ etiam prorsus ab iisdem liberet. “

Sunt qui putent solum in mortis articulo licere per canonem hunc energumenis Communionem tribui, at falluntur; hic enim canon universim absoluteque intelligi debet æque atque Eliberitani concilii tricesimus septimus; quamobrem cum abbas Germanus in Cassiani Collectione septima, *cap.* 29. dixisset in quibusdam provinciis energumenos nunquam communicare, Abbas Serenus respondit veteres Patres iis nunquam Communionem negasse, sed potius iisdem quotidie, si fieri posset, concedendam existimasse.

15. „ Energumeni qui solum catechumeni sunt, „ quam citissime poterit, baptizari debent. “

16. Qui a dæmone possessi fuere, ad nullum cleri „ ordinem suscipi debent, iis interdicenda sunt collati „ ministerii munia. “

17. „ Calix cum capsa afferatur, oportet, & consecretur, Eucharistia eidem admixta. “

Perobscurus est canon hic. Sunt exemplaria in quibus pro *afferatur* calix, legitur *offeratur* calix; at prior

lectio

lectio quæ manuscriptis pluribus codicibus nititur, potior videtur. Interpretum nonnulli putant hujus canonis eam significationem esse, ut, cum calicem aut ciborium consecrari lubet, in iisdem vasibus Eucharistiam celebrari necesse sit. Sentiunt alii id unum sibi canonem velle duarum specierum mixtionem in Missa fieri oportere, Eucharistiæ, seu consecrati panis portione in calice posita, & hanc quidem mixtionem appellari minus proprie *consecrationem*, secundum eam locutionem quæ legitur in Missæ Canone: *Hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis*, &c. Ceillerius ita canonem explicat: „ Ex aliquibus, inquit doctus hic „ Benedictinus, veteribus monumentis perspicitur eum „ Gallicanæ Ecclesiæ morem fuisse, ut in solemnibus „ Missis, ante consecrationem, Diaconus, in vase turris instar efficto, Eucharistiam, uno seu pluribus „ ante diebus consecratam ad altare deferret, ac tum „ demum sacerdos Sacrificium offerret; " id porro per hunc canonem præcipi vero simile fit; cuique subditur in eodem canone „ calicem, Eucharistia admixta, „ consecratum fuisse " id innui videtur e ciborio eductas fuisse veteres species iis admiscendas quæ novæ consecrabantur.

18. „ In omnibus provinciarum nostrarum ecclesiis „ deinceps catechumenis Evangelium legatur. "

Ex Romano ordine constat id fuisse in more positum, ut tertii scrutinii catechumenis explicarentur quatuor Evangeliorum initia; ex quo factum, ut, qui Missæ Fidelium intererant, non nisi post Evangelium dimitterentur. Probat canon hic contrarium in provinciis de quibus loquitur, usum viguisse quem scilicet deinceps corrigi vult. Diaconus etiam Amalarius nos docet eamdem Evangelii catechumenis non legendi consuetudinem, quam tamen ipse non approbat, in Metensi Ecclesia, ejus temporibus, obtinuisse. Amalarius, *Lib. III. de ecclesiastic. Offic. cap.* 36.

19. „ Nunquam est catechumenis danda venia, ut „ in Baptisterium ingrediantur. "

20. „ Iidem ne in privatis quidem precibus quæ „ domi fiunt, benedicendi sunt cum fidelibus, sed manendi, ut benedictionem seorsim suscepturi recedant. "

21. „ Cum Episcopi duo quempiam, per vim, ejusque ingratiis, Episcopum ordinant, si ita ordinatus „ Episcopatu dignus est, in alterutrius locum substituetur, utroque deposito; sin a duobus tantum Episcopis ordinatus, in suam ordinationem consenserit, „ pariter & ipse damnabitur. "

22. „ Decretum etiam, ne amplius diaconi conjugati ordinentur, nisi prius castitatis votum ediderint. "

23. „ Si quis diaconus, ordinatione suscepta, deinceps cum conjuge rem habuerit, arceatur a ministerio. "

24. „ Excipiuntur ab hac lege diaconi qui prius „ ordinati fuere; eique tantum pœnæ subduntur, ut „ ne ad superiorem ordinem, prout Taurinense concilium statuit, promoveri possint. "

25. „ Eos qui bis matrimonium inierint, ultra subdiaconatum promoveri vetat. "

26. „ Prohibet, ne, in posterum, diaconissæ ordinentur, & jam ordinatas benedictionem cum simplicibus laicis recipere vult. "

Episcopus primum clero, tum populo benedictionem impertiebatur; ac proinde concilium quod diaconissas tamquam ex clero non spectat, eas jubet cum laicis benedictionem suscipere. Non desunt docti viri in quorum numero P. Morinus est, qui putent hunc canonem diaconissarum usum in Ecclesia non abrogare, sed solum vetare, ne absque examine, ne intra quadraginta annorum ætatem, ne sine aliis quas concilia postulant, conditionibus suscipiantur. Alii a quibus P. Sirmondus stat, concilium censent non penitus diaconissas abrogare, quoad nomen, gradum, officiumve, sed quoad ordinationem tantum, prohibere scilicet, ne amplius ordinentur per impositionem manuum Episcopi, quod efficiebat, ut eædem e clero esse censerentur; jamque ordinatas ad simplicium laicorum classem redigere. Cæteri omnes interpretes asserunt diaconissas omnino per hunc canonem abrogari.

27. „ Viduæ quæ viduitatem servare voluerint, ejus „ professionem edent apud Episcopum, in sanctuario, „ vel in secreta Ecclesiæ aula, ab eoque viduitatis habitum accipient; quæ si professionem suam deseruerint, damnabuntur, æque ac qui easdem subtulerint. "

Vidua quæ viduitatis professionem edere volebat, suam imprimis professionem Episcopo dabat e scripto, vel in loco, ubi presbyteri ad altaris tergum sedebant, vel in sacristia, vel denique in aulis ad Ecclesiam attinentibus; vox enim, *secretarium*, quæ in canone legitur, triplicem hanc significationem suscipere potest. Promittebat vidua, in sua professione, se in perpetua castitate victuram; accipiebat deinde ex Episcopi manu viduarum habitum qui niger erat, & velum seu pallium. Ex Ordine Romano, vidua velum ex altari sumebat, sibique ipsa imponebat, sine Episcopi ministerio. Quoad viduarum pœnam quæ editum votum violabant, eas Carthaginense concilium quartum, *can.* 104. æque atque earumdem raptores excommunicationi subdebat.

28. „ Virgines & monachi, si editam servandæ castitatis professionem deseruerint, tamquam prævaricatores habebuntur, iisque congrua pœnitentia imponetur. "

29. Antecedentia omnia decreta confirmat, mandatque, ut nullum concilium, quin aliud proxime habendum indicaverit, absolvatur; ac sequentis quidem anni 443. concilium, Luciani, seu, Lucianæ, in eadem Arausicana diœcesi, designat.

Perspicitur ex hoc canone Episcopos singulos qui concilio adsuerant, Actorum quæ in eo edita fuerant, exemplum secum asportasse, & S. Hilario, Præsidis titulo, in mandatis datum, ut eorumdem exemplum ad absentes Episcopos mitteret.

30. Statuit, ut Episcopus, si, ex infirmitate, sensus expers evaserit, aut linguæ usum amiserit, non quidem presbyteris, præsente ipso, obeunda munia demandet quæ non nisi ad Episcopos pertinent, sed Episcopum alium arcessat qui in ejus Ecclesia munia hæc exequatur.

Ad horum canonum calcem occurrunt decreta nonnulla quæ Gratianus, aliique huic ipsi concilio tribuerunt. Spectant hæc excommunicationis rationem formamque, & quod in excommunicatorum conciliatione servabatur. His additæ Orationes tres quas Ecclesia super pœnitente recitabat, itemque decretum quod vetat, ne quis, exceptis pueris & ægrotantibus, Feria sexta majoris hebdomadæ, & in Paschatis vigilia, jejunium, ante noctis initium, intermittat; pariterque, ne, iis duobus diebus, divina Mysteria celebrentur, cum prohibitum canonibus sit, ne per eosdem dies Sacramenta pœnitentibus conferantur. Verum his omnibus decretis hodie nulla amplius auctoritas inest. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. III. Hard. Tom. I.* Sirmondus, *Tom. I.*

Concilium Vasionense, seu, *Vasense*, *an.* 442.

Concilium quod ad Octobris diem 18. an. 442. Lucianæ in Arausicana diœcesi, indictum fuerat, habitum est die 13. Novembris ejusdem anni, non in Arausicana diœcesi, sed in Vasionensi, & in urbe ipsa Vasiene, apud Auspicium Episcopum Catholicæ Ecclesiæ ejusdem urbis, quemadmodum in hujus concilii titulo notatum legitur. Ejus convocationis aliæ causæ non innotescunt, quam consilium in superioribus conciliis initum, ut una quotannis aut altera synodus haberetur; latent pariter Episcoporum & nomen & numerus qui ei adfuerunt, quia scilicet eorum subscriptiones nobis non suppetunt. Ado, Viennensis Episcopus, qui de hoc concilio sub anni 337. finem loquitur, Nectarium, ex ejus decessoribus unum ait huic concilio præfuisse, ibique publice in Ecclesia prædicasse, Patris, Filii & Spiritus Sancti unam tantum naturam, potestatem unam, unam divinitatem unamque virtutem esse. In eo editi canones decem.

Primus, „ Galliarum Episcopi, ab una ad aliam provinciam intra regnum migrantes, testimonio non indigebunt, nempe, ut videtur, formatis Litteris, dummodo excommunicati non sint, quippe quos vicinitas „ satis indicat. "

Liquet ex hoc canone, formatas, seu commendatitias, seu commendationis Litteras Episcopis necessarias tum solum fuisse, cum per exteras regiones iter habebant.

2. Mandat, ut pro iis oretur qui subito, &, quin Communionem perceperint, in pœnitentiæ quam fideliter perficiunt, cursu ipso moriuntur. Eorumdem & oblationem suscipi, & commemorationem fieri ad altare vult; ratio quam in id affert, ea est, quod, si vixissent, iis Eucharistia negata non fuisset.

Idem statutum fuerat in Carthaginensi concilio quarto, *can.* 79. & in Toletano undecimo, *can.* 12.

3. „ Presbyteri & diaconi non ad alium confugient „ quam ad Episcopum diœcesanum obtinendi chrismatis causa; quod facient sub Paschatis Festum ipsi per „ se, aut saltem per subdiaconum, cum ipsi non poterunt, cum tanti momenti rem minoribus ministris „ demandari dedeceat. "

Occurrit eadem sanctio in Toletano concilio primo,

mo, *can.* 20. in secundo Bracarensi, *can.* 11. & in Carthaginensi, *can.* 36.

4. „ Qui defunctorum oblationes retinent, easve Ec-„ clesiæ tribuere differunt, tamquam homicidæ & pau-„ perum interfectores excommunicationi subdentur. “ Affert in id a S. Hieronymi ad Nepotianum Epistola locum, ubi ait S. Pater, „ aliquid amico tollere, „ furtum esse, at Ecclesiæ tollere, sacrilegium. “

Eadem constitutio legitur in conciliis Aralatensi secundo, *can.* 47. Agathensi, *can.* 4. Aurelianensi tertio, *can.* 22. & quinto, *can.* 16. & Matiskonensi primo, *can.* 4.

5. Cum qui Episcopi sui sententiæ acquiescere non vult, ab ea ad concilium appellare sinit.

Idem statuitur in Carthaginensi concilio quarto, *can.* 66. & Aurelianensi tertio, *can.* 20.

6. Ex prima S. Clementis ad Sanctum Jacobum Epistola ostendit non eos solum vitandos esse quos Episcopus nominatim anathemate perculit, sed eos quoque quos ipse, quin dicat, sibi non probari significat.

Convenit inter critices peritos viros duas S. Clementis ad S. Jacobum, Domini fratrem Epistolas suppositas esse.

7. Ad cohibendam leviter accusandi seu excommunicandi facilitatem, mandat Episcopis, ut ob errata levia se facile flecti patiantur; additque eos, quoad cætera crimina, tamquam accusatores in forma debere se gerere.

8. Pronuntiat Episcopum, si solus alterius crimen novit, quin illud per testes probare possit, illud avulgare non debere, sed clam dare operam, ut reum corrigat, eumque tam in sua quam in aliorum communione relinquere, quamdiu ei probationes in ipsum non suppetunt; at si reus animum obfirmaverit, ut ne se corrigat, poterit eum Episcopus a sua ipsius, non autem ab aliorum quibus ejusdem crimen notum non est, communione segregare.

Ceillerius animadvertit canonem hunc pugnare cum quinto Carthaginensis concilii septimi, an. 419. qui a suorum contratrum communione Episcopum segregat qui ita se gesserit.

Sequentes canones duo eo spectant, ut impediant, quominus eos qui charitate permoti expositorum inventorumque puerorum curam susceperunt, ab hoc recto opere timor avocet, ne sibi lis inferatur, quod sæpius accidit, accusenturque, quasi eos ipsi rapuerint. Concilium igitur, ex Honorii lege mandat, ut qui expositos pueros invenerint, id Ecclesiæ significent, proximoque Dominico die, enuntietur ad altare expositum puerum inventum esse, atque ita, si intra decem a pueri expositione dies, quispiam extiterit qui suum fateatur, ei puer reddatur, hoc autem elapso tempore, nemo amplius ad eum petendum suscipiatur, alioquin ecclesiasticæ censuræ pœna, tamquam homicida, plectendus.

Imperator Constantinus, an. 331. mandaverat, ut infantes expositi ad eos tamquam filii aut tamquam captivi pertinerent, qui eos aluissent aut educassent. Honorius, an. 412. addiderat eum qui ita expositum puerum tolleret, debere, quo se in tuto poneret, testium assertionem ab Episcopo firmatam sumere. His legibus non obstantibus, turbabantur persæpe qui charitate ducti eos pueros collegerant, sibique sumpserant, educatosque reddere cogebantur; quod in causa erat, ut nemo amplius eorum curam suscipere auderet, iidemque potius canibus, inquit concilium, expositi essent, quam eorum miseratione qui invenios excipere vellent. Mandat ergo concilium, ut Imperatorum leges serventur. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. II. Hard. Tom. I.* Sirmundus, *Tom. I.*

II. Arelatense Concilium, an. 443.

Quo potissimum anno concilium hoc habitum fuerit, non convenit inter auctores. Illud alii ad an. 443. referunt, ad an. 451. seu 452. alii. Qui an. 443. celebratum volunt, eo nituntur quod in S. Hilarii Arelatensis Vita legitur, Celidonium, seu Quelidonium, an. 444. ab Episcopatu depositum fuisse, quia, contra canonum interdictionem, ad episcopalem dignitatem, postquam cum vidua matrimonium inierat, evectus fuerat; jam vero non alii canones noti sunt qui eos deponi jubeant qui Episcopi, conjugio cum vidua inito, creati fuerint, quam secundi Arelatensis concilii quadragesimus quintus; ut hic proinde canon sit cujus in Actis contra Celidonium editis facta mentio. Concilium hoc non ex Episcopis ab Arelatensi concilio pendentibus solum coaluit; ei adfuere plurium provinciarum Episcopi, quemadmodum in decretis perspicitur quæ Metropolitanos afficiunt. Ob hanc, ut videtur, causam concilium hoc, simplicium conciliorum provincialium ratione habita, sibi *magni* nomen imponit. In eo Vasionense concilium an. 442. nominatim laudatur. Qui ei interfuerunt Episcopi noti non sunt. Ad canones in eo editos quod spectat, sunt exemplaria, ut Pithoeanum & Vaticanum, quæ tantum viginti quinque continent, sunt alia quæ triginta tres, cujusmodi sunt Corbiense, Lugdunense, &c. Denique Remense refert ejus canones quinquaginta sex, fere omnes ex Niceno, Arelatensi primo, Vasionensi, & Arausicano conciliis excerptos.

Primus declarat neophytum eligi non debere, qui diaconus aut presbyter ordinetur.

2. Conjugatum quempiam vetat ad sacerdotium evehi, nisi a matrimonii usu recesserit, seque continentiam servaturum promiserit; quod canon conversionem appellat: *Nisi præmissa fuerit conversio.*

3. Vetat, excommunicationis indicta pœna, diaconis, presbyteris & Episcopis, ne suis in domibus alias feminas habeant quam aviæ, matres, sorores, filias, neptes, suasque proprias conjuges *conversas*, quæ nempe se continentiam servaturas receperint.

4. Diaconos, presbyteros, Episcopos prohibet adolescentulas liberas seu captivas in sua cubicula inducere.

5. Renovat Niceni concilii, super Episcoporum ordinatione, canonem quartum.

6. Episcopum, inconsulto Metropolitano, ordinatum pronuntiat censeri Episcopum non debere, ex magno concilio (est hoc Nicænum, *can.* 6.)

7. Cleri ingressu eos interdicit qui se mutilabant prætexentes se carnis tentationibus obluctari non posse.

8. Eum qui excommunicatum recipit, concilio rationem reddere jubet.

9. Novatianum ad communionem recipi vetat, nisi errorem abjuret, & pœnitentiæ specimina exhibeat.

10. Eos qui in persecutione voluntarie lapsi sunt, & a Fide defecerunt, pœnitentiæ annorum septem, ex undecimo Nicæni concilii canone, subesse vult.

Undecimus hic Nicæni concilii canon qui hoc loco laudatur, pœnitentiam annorum duodecim iis imponit qui persecutionis tempore voluntarie lapsi fuerint. Cur ergo Arelatensis secundi concilii Patres non nisi pœnitentiæ annos septem præscribunt, nisi tamen undecimo Niceno canone qui duodecim statuit? Id ab iis propterea factum, quia Rufini versionem (*Lib. 2. Hist. cap. 6.*) secuti sunt, qui Nicæni concilii undecimum canonem vertit, prout in secundi Arelatensis concilii decimo legitur.

11. Eos addicit pœnitentiæ annis tantum quinque, quos supplicia, ut Fidem desererent, impulerunt.

Id his canonibus locum præbebat, quod Occidens universus scatebat Barbaris, partim Arianis, & partim Ethnicis qui Imperium vastabant.

12. Eos qui, dum pœnitentiam agerent, mortui sunt, ad communionem admitti, eorumdemque, post mortem, oblationem accipi vult.

Communio qua de agitur in hoc canone, est conjunctio cum fidelium corpore, seu cum fidelibus perfecta societas quæ efficiebat, ut Ecclesia eorum oblationes reciperet qui eas eidem aut ipsi per se præsentabant, easque Deo, suo nomine, offerret. Hujus generis communio pluris æstimabatur quam simplex communio, seu conciliatio; eam Ecclesia mortuis reddere poterat; & ipsa quidem erat iisdem utilis; frustra enim iis reddita esset, si nihil emolumenti ex ea percepissent.

13. Ecclesiasticis vetat, ne Ecclesias suas deserant, quamcunque demum causam prætexant; ac si constiterit quempiam in aliena Ecclesia versantem, ab hujus Ecclesiæ Episcopo, proprii Episcopi ingratiis, ordinatum fuisse, hæc ordinatio nulla erit. Est hæc decimi quinti & decimi sexti Nicæni canonis dispositio.

14. Renovat hic quoque decimum septimum Nicæni concilii canonem, & Chalcedonensis concilii canonem tertium, qui clericos, imposita depositionis aut excommunicationis pœna, usuram aut negotiationem exercere, & se villicos reddere vetat.

15. Vetat, ne diaconi, depositionis indicta pœna, in sanctuario, seu aula secreta Ecclesiæ inter presbyteros sedeant, & Christi Domini Corpus, iis præsentibus, administrent.

Canon hic est decimus octavus Niceni concilii, non quidem cujusmodi extat in ejus concilii græco textu, sed cujusmodi legitur in Rufini Versione. Nicænum concilium haud sane diaconis vetat Eucharistiam populo tribuere coram presbyteris; iis solum prohibet, ne eam presbyteris ipsis tribuant. E S. Justini Apologia secunda perspicimus diaconorum officium fuisse

Eucha-

Eucharistiam inter præsentes in Ecclesiæ cœtibus distribuere, eamque ad absentes deferre. Subsecutis temporibus, Carthaginense concilium quartum, *can.* 38. hanc diaconorum potestatem ita restrinxit, ut ab iis Eucharistiam populo tribui nollet coram presbytero, nisi eo mandante, vel ita re postulante.

16. Et 17. „ Photiniani quidem aut Paulianistæ, e „ Patrum statutis baptizandi sunt; at Bonosiaci, seu „ Bonosiani per Chrismatis unctionem & manuum im„ positionem recipiendi, quia baptizati sunt æque at„ que Ariani, in Trinitatis nomine. “

Hæc statuta Patrum sunt undevicesimus Nicæni concilii canon e quo hic, at ex falsa Rufini interpretatione, ductus est; de Photinianis enim non loquitur, nec loqui poterat Nicæna Synodus cujus tempore nondum prodierant, sed solum Paulianistas, Pauli nempe Samosateni discipulos, nominat, qui tamquam purum putumque hominem Christum spectabant. Cum autem, subsecutis temporibus, Photinus, Sirmiensis Episcopus Paulianistarum errorem amplexus esset, hi quidem sæpius *Photiniani* dicti sunt. S. Gregorius, *Epist.* 63. Bonosianos quoque baptizandos ait; suis ergo hi Photinianorum errores addiderint necesse est; quod nondum fecerant hujus concilii tempore, quod eorum Baptismum validum judicat.

18. Et 19. „ Ad Arelatensem Episcopum spectat „ concilium cogere, prout ei videbitur expedire. Qui „ aliqua infirmitate impediti fuerint, quominus ad „ concilium accedant, eo deputatos mittere debent; „ cæteri vero conveniant, oportet, sub excommuni„ cationis pœna. “

Mandaverat Arausicana synodus postremo canone, ut ab unoquoque concilio futurum indiceretur; hic autem præcipitur, ut Arelatensis Episcopus pro suo ipsius arbitratu concilia indicat.

20. Excommunicationem quam primi Arelatensis Concilii quartus & quintus canones tulerant, contra comædos & curruum in publicis ludis ductores renovat.

21. Pœnitentes quoque a communione segregat qui matrimonium ineunt, aut suspecta commercia detinent.

Intelligi debet canon hic de viris & feminis in publica pœnitentia versantibus, qui post alterutrius partis mortem, ad novas nuptias migrabant.

22. „ Non imponetur personis conjugatis publica „ pœnitentia, nisi ex earum mutuo consensu. “ (Quia scilicet ea continentiæ subdebat.)

23. „ Episcopus qui, per negligentiam, patitur in„ fideles in ejus territorio faces accendere, & arbores, „ fontes, aut lapides venerari, sacrilegii reus est. Lo„ ci dominus, seu qui ejusmodi superstitiones man„ dat, ni se moniti corrigant, a communione abscin„ dentur. “

24. Eos qui falso capitalium criminum fratres accusant, communione privatos vult, ad vitæ finem usque, nisi pœnitentiam peccati magnitudini respondentem egerint, pro ut in magno concilio (scilicet, Arelatensi primo, *can.* 14.) statutum fuit.

25. Monachos apostatas qui pœnitentiæ se subdere nolunt, communionem non suscepturos pronuntiat, nisi eam perfecerint, nunquamque in clerum recipi vult.

26. „ Hæreticos, in mortis periculo, qui ad Catho„ licam fidem redire volunt, presbyter, unctione chris„ matis, si Episcopus absit, conciliabit. “

Canon hic & sequentes novendecim iidem atque Arausicani primi concilii canones sunt. Id unum differt inter hæc concilia duo, quoad quadragesimum quintum canonem, quod, cum Arausicanum concilium eos tantum supra subdiaconatum evehi prohibuerit, qui duas conjuges habuissent, Arelatense eos addidit qui viduam duxissent, Valentiense concilium, an. 474. eos quoque deponi voluit qui ita ordinati essent.

47. 48. Et 51. sunt Vasionensis concilii quartus, quintus & decimus.

49. Si quis, per sacerdotalem, scilicet, episcopalem auctoritatem, communione spoliatus fuerit, eum populi, æque ac cleri commercio & frequentatione privandum pronuntiat, quemadmodum veteres decreverunt.

50. „ Iis inter quos inimicitiæ publicæ sunt, non „ est danda venia, ut in Ecclesia cum fidelibus ad„ sint, quoad in gratiam redierint. “

52. Puellas quæ, cum suam Deo virginitatem voverint, post ætatis annum vicesimum quintum nubunt, excommunicationi cum viris subdit; iisdem tamen, utrisque petentibus, pœnitentiam concedi vult.

53. Si captivus ipse se occiderit, facti rationem dominum non redditurum ait.

54. Ut venalitas & ambitus ab electionibus arceantur, nominari jubet ab Episcopis personas tres, e quibus urbis clerus & populus suum sibi Episcopum deligere poterunt.

Ex hac nova ratione procedendi ad electionem Episcopi, perspicuum fit Ecclesiam, quinto jam sæculo, coactam fuisse electionum jus, ut abusibus occurreret, coarctare. Idem deinde statuit Justinianus imperator (*Cod. de Episc. & Cleric. leg.* 42.), cum hoc tamen discrimine, quod Imperator personas tres a populo designari vult, e quibus deinde meliorem, ad Episcopatum, eligat.

55. Pronuntiat laicum qui, Religionis officia percipiendi gratia, apud alterius diœcesis Episcopum se receperit, ad eum pertinere a quo edoctus fuerit, & ab ipso ordinationem suscipere posse.

56. „ Metropolitani contra magnum concilium nihil „ aggredientur. “

Ita nuncupatur, in sexto canone, Nicænum concilium; & in vicesimo quarto, Arelatense primum. At hoc in canone, secundum Arelatense concilium ipsum sibi *magni* titulum tribuit, quia nationalis erat, aut saltem e pluribus provinciis constabat. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. I.* Sirmundus, *Tom. I.*

Concilium Romanum, *an.* 443. *seu* 444.

Summus Pontifex S. Leo, ad Ecclesiæ publicam utilitatem spectare judicans, ut abominationes quas inter Manichæos Romæ versantes ipse detexerat; horrori essent, numero plures Episcopos presbyterosque cum iis qui primas Imperii dignitates tenebant, magnamque Senatus atque adeo populi partem coegit. Ejus sectæ electos, eos nempe qui Manichæorum mysteria participabant, in omnium conspectum adduci jussit; qui, cum plures suorum dogmatum impietates, multasque suorum festorum superstitiones fassi essent, detexere crimina quæ silentio tegere jubet pudor. Eas omnes abominationes fassus est ipse eorum Episcopus. Omnes eorum libri flammis addicti; atque ut in eo cœtu gestarum rerum monumentum posteritati relinqueret S. Leo, cœtus Acta & verbalia Judicia edenda curavit, & sedulo quoque misit. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. III. Hard. Tom. I.*

Concilium Asturicense, *an.* 445. *seu* 446.

Cum Acta quæ S. Leo contra Manichæos edenda curaverat, ad Hispaniam usque pervenissent, ejus exemplum secuti Episcopi dedere operam, ut ejusdem sectæ homines ibidem delitescentes detegerent. Eorum plures Asturicæ inventi, & ad Idacium Bracarensem, & Turibium Asturicensem Episcopos delati. Idacius, in suo Chronico, *pag.* 26. appellat *Gesta episcopalia contra Manichæos*, id quod in eos Asturicæ actum fuit; quod conjecturæ locum præbuit concilium tunc hac in urbe habitum esse.

In Galliis, sub S. Germani Antissiodunensis Episcopatu, quoddam concilium ponitur; at quod de ejus tempore locoque dicitur, infirmis tantum conjecturis nititur. Convocandi concilii causa fuit Catholicorum Angliæ ad Galliarum Episcopos deputatio, subsidii petendi gratia contra Pelagii hæresin quæ Angliam inficiebat. Ergo super hac re concilium in Galliis habitum creditur, in quæ S. Germanus Antissiodunensis, & S. Lupus Trecensis ut se conferrent orthodoxæ Fidei defensionem super Christi Domini Gratia suscepturi, rogati fuerint. Huic missioni S. Cælestinus Papa vim & robur addidit; Galliæque Episcopi duo cum in Angliam pervenissent, ibi frequens concilium Verloncastriæ, seu in Fano S. Albani, urbe ob S. viri cujus nomen gerit, martyrium celebri, coegerunt. In eo Episcopi Pelagium & Agricolam, ex ejus discipulis unum qui magistri sui erroribus Anglorum fidem fœdaverat, unanimi voce damnarunt. Est hoc Anglicanum concilium primum. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. III. Hard. Tom. I.* Wilkins, *Tom. I.*

Concilium Toletanum, *an.* 447.

Cum Priscillianistæ Hispaniam, præsertim vero Gallæciam, inficere pergerent, eos S. Turibius, Asturicensis Episcopus Scripto impugnavit quod ad Idacium deinde ac Ceponium Episcopos misit. Papæ quoque Sancto Leoni suum opus obtulit, ad eumdem missis capitulis sexdecim quæ errorum in iis hæreticis jam damnatorum capita plura complectebantur. Habendum sensit S. Leo Concilium omnium Episcoporum Hispaniæ, aut saltem provinciale Gallæciæ, si minus haberi poterat generale ob dominorum varietatem qui tunc in Hispania regnabant. Gallæciam cum Lusitaniæ parte Suevi occupabant; quod reliquum erat, partim ad

Gothos, partim ad Romanos spectabat. Habitum est ergo Toleti, an. 447. plurium provinciarum concilium in quo primum omnium id ponderatum quod in an. 400. concilio contra Priscillianistas statutum fuerat; atque adeo videtur Actorum ejus concilii exceptum editum; certum saltem est in dubium vocari non posse, quin Toletano an. 447. concilio tribuenda sit Fidei Confessio quæ inter Acta concilii an. 400. legitur; hujus enim Confessionis titulus expressis verbis enuntiat eam a Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitaniæ & Beticæ Episcopis editam, & Papæ S. Leonis jussu, ad Balconium, Bracarensem Episcopum, missam fuisse; quod confirmatur testimonio Lucretii, ejusdem urbis Episcopi, in concilio an. 563. ibidem habito; qui missa etiam ad Balconium fuisse subdit octodecim anathemata eidem Fidei Professioni addita. Eadem aliquando S. Augustino tributa fuit, cujus nomine laudatur a Sententiarum Magistro, *Sentent. 3. dist. 21.* at hoc nomine inscripta in nullo manuscripto codice legitur; ut eam proinde nova S. Doctoris Operum editio inter Sermones posuerit qui eidem suppositi sunt. Quæ potissimum animadversione digna continent octodecim anathemata, sunt, oportere nos credere „ mundum a Deo creatum „ esse; Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tres di„ stinctas Personas esse; Filium, cum se hominem fe„ cit, humanum corpus, humanamque animam susce„ pisse; leges duas, veterem & novam unius ejusdem„ que Dei esse; non alias canonicas Scripturas existe„ re quam quæ ab Ecclesia receptæ sunt; astrologiam „ judiciariam scientiam vanam esse; matrimonia quæ „ secundum Dei legem sunt, licita & legitima esse; „ & quamvis, voluntariæ afflictationis ergo, ab esu „ carnis avium & animalium quæ grandiora sunt, ab„ stinere possit, eam tamen execrationi esse non debe„ re. "

Loquitur etiam Lucretius de quodam Gallæciæ concilio, sub an. 447. ab ejusdem provinciæ Episcopis habito, ad quod sua Scripta S. Leo, suam scilicet, ut videtur, ad Turibium Epistolam misit. *Tom. II. Concil. pag.* 1229. Idacius, *in Chron. ad an.* 446. Lucretius, *in Concil. Bracar.*

Concilia Constantinopolitana, ann. 448. & 449.

Coactum esse horum conciliorum duorum primum, die 8. Novembris an. 448. in aula consilii Constantinopolitanæ cathedralis Ecclesiæ, occasione dissidii quod inter Florentium, Sardicensem Episcopum, Lydiæ metropolitanum, duosque ejusdem provinciæ Episcopos coortum fuerat; at, eo dissidio composito, Eusebius Dorylex, unus Episcoporum concilii, supplicem libellum in Eutychen obtulit, in quo enuntiabat eum non desistere in Christum Dominum blasphemias proferre. Eutychen ad proximam sessionem quæ die 12. Novembris habita, concilium acciri jussit; in ea lecta est secunda Sancti Cyrilli ad Nestorium Epistola, & alia quam idem Pater, an. 433. ad Joannem Antiochenum, super conciliatione, scripsit; in iis, super Incarnationis mysterio, vera Ecclesiæ Fides perspecta est. Eutyches, canonice licet accitus, nec ad sessionem tertiam quæ 15. Novembris die, nec ad quartam quæ postridie, nec ad quintam quæ ejusdem mensis die 17. habitæ fuere, accedere voluit. In sexta quæ habita die 20. auditi Theophilus & Mennas qui, ob primam in jus vocationem, ad Eutychen missi retulerunt se quidem eum dicentem audisse: „ Absit, ut „ dicam Christum Dominum duarum naturarum esse, „ aut de mei Dei natura loquar. " Sessioni septimæ quæ 22. Novembris die habita est, & cui viginti novem Episcopi, seu triginta duo, atque adeo, ex Theophane, plures adsuere, se sistit Eutyches; cumque duas in Christo naturas, post unionem seu incarnationem, fateri noluisset, damnationis in eum sententiam Flavianus pronuntiavit, his verbis: „ Eutyches, jam „ presbyter & archimandrita, est plene convictus per „ ea quæ & in antecessum egit, & in præsentia signi„ ficavit, in Valentini & Apollinarii errore versari, „ eorumque blasphemias pertinaciter sequi, eo magis „ quod ne monitorum quidem documentorumque no„ strorum rationem habuit, ut sanam doctrinam susci„ peret. Quamobrem, plorantes gementesque super „ ejus extrema pernicie, declaramus, Christi Domini „ nomine, in quem blasphemias evomuit, eum omni „ sacerdotali gradu, communione nostra, suique mo„ nasterii regimine spoliatum esse; significantes omni„ bus qui deinceps eum alloquentur, aut frequenta„ bunt, eos ipsos excommunicationi obnoxios fo„ re. "

Appellavit Eutyches ab hac sententia, & generalis concilii convocationem ab Imperatore Theodosio petiit, qui annuens, concilium Ephesi convocavit. Martii dies 30. an. 449. convocationis ad Dioscorum, Alexandrinum Episcopum, Epistola adscripta est. Eutyches, Constantinopolitani concilii Acta, post sententiam in eum pronuntiatam, corrupta fuisse contendens, mutata scilicet in iisdem plura, & abrasa quæ ad ejus fidei puritatem probandam facerent, Imperatori supplicem libellum obtulit, in quo petebat, ut Episcopi & testes qui ejus damnationis participes fuerant, itemque Notarii qui ejus Acta in scripta redegerant, ad Thalassium, Cesareæ Episcopum, detegendæ veritatis ergo, accirentur. Decretum est ex ejus votis, & Aprilis die 13. quæ in feriam quartam an. 449. incidebat, Episcopi numero triginta, e quibus quindecim superiori concilio adsuerant, in Constantinopolitanæ Ecclesiæ Baptisterium convenerunt. Thalassius huic cœtui præerat. Eo Eutyches Eleusinium & Constantium, ambos diaconos & monachos sui monasterii misit a quibus defenderetur. Ab Eutychis defensoribus nihil non ex altercationibus actum est; ac Sanctum Flavianum Imperator adegit, ut suam Fidei Confessionem exhiberet quæ omnino fuit Nicæni, Constantinopolitani, & Ephesini conciliorum doctrinæ consentanea. *Reg. Tom. VII. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. I.*

Concilium Ephesinum, an. 449.

Cum Fidei Professio quam Sanctus Flavianus exhibuerat, tristia præjudicia non disjecisset quæ in eum Eutychiani Theodosio Imperatori inspiraverant; Princeps hic, Dioscori, Alexandrini Episcopi, rogatu, qui per Eudoxium, & eunuchum Chrysaphium, acerrimum Flaviani adversarium, sibi gratiam comparaverat, concilium Ephesi convocavit. Convocationis Epistola quæ die 30. Martii an. 449. mandat, ut exarcha seu patriarcha, secum sumptis metropolitanis decem a se pendentibus, aliisque decem Episcopis, adsit Ephesi, Augusti proximi prima die. Jussus est etiam ab Imperatore Abbas Barsumas Ephesum se conferre, omnium Orientis Abbatum seu Archimandritarum nomine, ut ibi sedem cum Episcopis sumeret. Hoc primum Abbatis exemplum est, qui judicis gradum in generali concilio obtinuerit. Papam quoque S. Leonem Imperator ad concilium invitavit; & cum Romam die solum 13. Maji convocationis Epistola pervenisset, vix ei per tempus licuit legatos mittere. Selegit Pontifex ad id officii Julium, Puteoli in Campania Episcopum, Renatum, tituli S. Clementis presbyterum, qui in itinere mortem occubuit, & Hilarium diaconum, cum Dulcitio notario. Voluit Theodosius Episcopos qui Eutychen damnaverant, adesse concilio, non tamen ut judices, quia id agebatur, ut eorum sententia ad examen revocaretur. Ut tumultum impediret, Ephesum misit Elpidium, consistorii comitem, regium scilicet consiliarium, & Eulogium tribunum & notarium, cum ea facultate, ut, ad jussa perficienda, Proconsulis Asiæ sagittarios sumeret, iisque Imperii copias adderet. Apertum est concilium, *Kal.* Augusti, in Ecclesia cui *Mariæ* nomen, ubi Ephesinum concilium primum habitum fuerat. Adfuere centum triginta circiter, aut centum triginta quinque Episcopi provinciarum Ægypti, Orientis, Asiæ, Ponti & Thraciæ. Dioscorus Alexandrinus primam in concilio sedem tenuit; secundam Julius Puteolanus, S. Leonis legatorum primus; tum ordine sedentibus Juvenali Hierosolymitano, Domno Antiocheno, & Flaviano Constantinopolitano, cui non nisi quintus utpote recentiori locus. Præsto erant Episcoporum plerisque notarii qui scriberent quæ dicebantur; at eos omnes Dioscorus expulit, præter suos eosque qui Juvenali & Erasistrato, Corinthi Episcopo, aderant, de quorum animo sibi videbatur dubitare non posse. Joannes presbyter & primicerius notariorum Alexandriæ obiit promotoris munia, proposuitque, paucis, rationes quæ Imperatorem ad concilium cogendum impulerunt; lecta est deinde convocationis Epistola. Se in conspectum dedit Eutyches, Episcopos sibi voluit Fidei testes pro qua in primo Ephesino concilio cum iis pugnaverat, iisque suæ fidei libellum obtulit quem ut legi juberent, petiit. Tum lecta Constantinopolitani concilii Acta, duæque S. Cyrilli Epistolæ in quibus super distinctione duarum naturarum insistit. Nihil censoria virga notandum in iis compertum quæ ad suæ fidei expositionem Flavianus dixerat. At cum ventum est ad postremæ sessionis locum, ubi Eusebius Dorileensis ab Eutyche requirebat, ut fateretur naturas duas, ediceretque Christum Dominum nobis, secundum carnem, consubstantialem esse, concilium exclamavit: „ Tollite de medio, comburite Eusebium! „ Vivus flammis detur! Secetur bipartito! Ut divisit, „ dividatur? " Dioscorus, his clamoribus haud contentus, petiit, ut, quicunque duas post incarnationem

natu-

naturas diceret, anathemate percelleretur. Confestim, unusquisque manum extollens: „ Si quis admittit naturas duas, anathema sit. " Eutyches tam in presbyteri dignitatem, quam in monasterii regimen restitutus; S. Flavianus Constantinopolitanus & Eusebius Dorileensis depositi; omnique episcopali ac sacerdotali dignitate spoliati, ope comitum Elpidii & Eulogii qui perfecerunt, ut Proconsul, magna hominum comitante caterva, qui vinculis, baculisque & gladiis instructi erant, in cœtus locum ingrederetur. Fregit omnes Episcopos metus, qui Flaviani & Eusebii depositioni subscripserunt; Papæ solum legati injustitiæ & violentiæ obstiterunt. Præter Flavianum Eusebinmque, alii quoque Episcopi in hoc concilio depositi de quibus haud in Actis mentio, nempe Theodoretus, Ibas Edessenus, Sabinianus Perrhensis, Domnus Antiochenus, Daniel Carrhensis, Ireneus Tyrius, & Aquilinus Bibloliensis in Phænicia. S. Flavianus ita pedibus tritus, aliisque rationibus male habitus, tum a Dioscoro ipso, tum a Barsuma ejusve monachis, ut, post aliquot a concilio dies, Hypopii in Lydia mortem occumberet. Ejus memoria venerationi est in Ecclesia. Ejusmodi fuit hujus pseudo-concilii Ephesini exitus, quod Ecclesia tantopere aversatur & respuit, quodque, tam justo titulo, Conciliabuli detestabilis, & *Latrocinii Ephesini* nomine dignum fuit, quia Dioscorus ejusque asseclæ in eo potius ut latrones, quam ut Episcopi se gesserunt. *ibidem.*

Concilium Romanum, ann. 449.

S. Leo, a suo diacono Hilario qui clam Epheso evaserat, ut Romam rediret, de Pseudo-concilii, cui tamquam Papæ legatus adfuerat, tristi successu certior factus, acerbo mœrore correptus fuit, coegitque frequens concilium ex Occidentis Episcopis quibuscum Epistolas plures, Octobris diebus 13. & 15. datas scripsit, quarum aliæ ejus tantum, aliæ Romani concilii nomen præferunt. Quam ad Imperatorem Theodosium scripsit, violentiæ Dioscori, & irregularitatis Ephesini concilii amara querela est, Ab eo S. Pontifex generale concilium petit. (*)

Concilium Constantinopolitanum, ann. 450.

Imperator Theodosius, in suo ad synodicam S. Leonis Epistolam responso, eum rogabat, ut Anatolii, Constantinopolitani Episcopi, in Flaviani locum, ordinationem approbaret. Legatos ad Theodosium misit S. Leo, data ad eumdem Epistola qua se Anatolii ordinationem confirmaturum dicebat, si publicam is, apud clerum populumque Constantinopolitanum, doctrinæ professionem ederet quæ in ipsius Leonis ad Flavianum Epistola, in secunda S. Cyrilli ad Nestorium, & in Patrum testimoniis continebatur quæ Ephesini concilii Actis inserta erant, suaque manu signatam declarationem daret quæ in omnibus Ecclesiis vulgari posset. Legati Abundius & Asterius, Episcopi, Basilius & Senator, presbyteri, cum, solum post Theodosii mortem, Constantinopolim pervenissent, ab ejus successore Marciano humaniter excepti fuere. Anatolius statim Episcoporum concilium, qui ea in urbe versabantur, una cum abbatibus, presbyteris & diaconis, congregavit. Exhibuit Abundius S. Leonis ad Flavianum Epistolam cum Græcorum Latinorumque Patrum textibus qui ejus doctrinam firmabant. Lecta est publice, compertaque consentanea Patrum sententiis, quorum etiam testimonia lecta sunt; tum vero, Anatholius ei subscripsit, pronuntians in Nestorium & Eutychen, itemque in utriusque dogmata & sectatores anathema; subscripsere pariter, quotquot aderant, Episcopi, presbyteri, abbates, diaconi, nonnullis Eutychianis exceptis qui lecti non potuerunt. Harum subscriptionum actus editus, coram legatis, qui cum, addita rerum quas gesserant, narratione, ad Papam miserunt. *ibid.*

Concilium Mediolanense, ann. 451.

Cum Abundius, Comensis Episcopus, & Senator, presbyter Mediolanensis, uterque Papæ legati, ei suæ legationis exitum significassent, ad Ecclesias suas redeuntibus Pontifex ad Eusebium, Mediolanensem Episcopum Epistolam tradidit qua eum rogabat, ut a sua metropoli pendentes Episcopos cogeret, iisque præsentibus, ejus ad Flavianum Epistolam lectam vellet, qui suam eidem approbationem adderent, hæresibusque quibus Incarnationis mysterium impetebatur, anathema dicerent. Perfecit Eusebius quod optabat S. Leo; Episcopisque, numero viginti, Mediolani, ut creditur, congregatis, lecta est, in cœtu, S. Leonis ad Eusebium Epistola, tum ea quam idem Pontifex ad Flavianum scripserat, quæ unanimi consensu approbata fuit, utpote Evangelii, sanctorumque Patrum doctrinæ consentanea, Episcopi deinde eos omnes qui impiam super Incarnatione doctrinam sequebantur, anathemate perculerunt. Synodica Epistola quam ad S. Leonem scripserunt, inter hujus Patris Epistolas extat; præfert ea quidem Eusebii unius nomen; at ei omnes Episcopi subscripserunt. *ibid.*

Ingenuus Embrodunensis eam attulit quam Galliarum Episcopi ad S. Leonem miserunt, ut, quam ejus ad Flavianum Epistolæ addebant, approbationem ostenderent. Eam firmant Episcopi quadraginta quatuor quorum primus Ravennus Arelatensis, S. Hilarii successor; quod credendi locum præbet Arelaten eos convenisse. Viennensis quoque provinciæ Episcoporum cœtus, ad Ravenni electionem, in Sancti Hilarii locum, habitus fuit. *Tom. I. Oper. Leon. post Epist.* 76.

Concilium Chalcedonense, an. 451.

Generalis concilii celebrationem, tamquam verum germanumque malorum Ecclesiæ remedium spectans S. Pontifex Leo, illud per Legatos ab imperatore Theodosio qui interim obiit, postulaverat. Marcianus, ejus successor, qui e S. Leonis mente sentiebat, duas ad eum Epistolas scripsit, hortatus, ut ipse in Orientem veniat, concilii ibidem habendi gratia, aut, si minus id ei commodum est, eum de re moneat, ut ipse ejus Litteras per totum Orientem, Thraciam & Illyricum mittat, quarum vi omnes Episcopi in certum quemdam locum, prout ei placuerit, convocentur. Cum porro S. Leo Imperatori respondisset se quoque petiisse concilium hoc, at bella quæ Occidentem vastabant, non sinere Episcopos convenire; Princeps hic convocavit ipse concilium Niceæ in Bithynia, ad primam Septembris diem an. 451. per Epistolam ad Anatolium Constantinopolitanum omnesque metropolitanos missam. S. Leo ad quem ipsum Epistolam convocationis concilii Imperator misit, ad eum rescripsit se, præter Lucentium Asculi Episcopum, & Basilium presbyterum quos paulo ante ad conciliationem & pacem cum Anatolio curandam miserat, deligere alios præterea legatos qui in indicto concilio ejus locum tenerent, scilicet Paschasinum, Lilybæi in Sicilia Episcopum, & Bonifacium Romanæ Ecclesiæ presbyterum quibus etiam addidit Julianum Coosensem qui in Oriente jampridem erat. Extant super hac re S. Leonis Epistolæ quatuor; ad imperatorem Marcianum duæ, ad Anatolium una & ad concilium quarta. In Epistolarum ad imperatorem Marcianum una congruere ait S. Leo quos misit legatos, peculiariter Paschasinum, ejus nomine præesse concilio, quia, *quidam*, inquit, *de fratribus contra turbines falsitatis non valuere Catholicam tenere constantiam,*

Cum Episcopi Nicæam convenirent, Imperator qui concilio interesse volebat, & ob turbas in Imperio subortas in eam urbem se conferre non poterat, eos invitavit, ut Chalcedonem quam ab urbe Constantinopoli non nisi Bosphorum dividit, se transferrent. Ergo Episcopi Nicæa Chalcedonem perrexerunt, ubi 8. Octobris die an. 451. in sanctæ Euphemiæ martyris Ecclesia, centum quinquaginta a Bosphoro passibus, extra Chalcedonem urbem sita, concilium aperuerunt. De eorum numero non convenit. Solum trecentorum quinquaginta circiter, in concilii Actis, occurrunt nomina; at ex concilii tamen ad S. Leonem Epistola, viginti supra quingentos erant. Lucentius, in concilio ipso, sexcentos adfuisse pronuntiat; eumdemque S. Leo in sua ad Galliarum Episcopos Epistola numerum ponit. Eos diaconus Liberatus, in *Breviar. cap.* 13. sexcentos triginta numerat, & Nicephorus Gregoras, *lib.* 15. *cap.* 26. sexcentos triginta sex. Erant omnes concilii Episcopi ex Orientis Imperio, exceptis sanctæ Sedis legatis, & Africæ Episcopis duobus, Aurelio Adrumeti, & Rusticano, seu, Rufino cujus episcopalis sedes notata non est. Primæ quidem sessionis exordio Imperator interfuisse non dicitur; at ipse deliberationibus adfuit quæ eam præcesserunt, quandoquidem memoriæ proditur Theodoretum super vi quam contra jus fasque perpessus fuerat ei supplicem libellum exhibuisse, & hunc Principem mandasse, ut is concilio interesset. Undeviginti e primis Imperii Officiariis, in media Ecclesia collocati, ante altaris clathratum septum, quibus ad levam quæ nobilior apud Græcos, Papæ legati Paschasinus, Lucentius & presby-
ter

(*) *Sunt Auctores qui aliud concilium, sequenti an.* 450. *super eodem negotio, a S. Leone, Italiæque Episcopis numero plurimis habitum ponant.*

ter Bonifacius, tum Anatolius Constantinopolis, Maximus Antiochiæ, cæterique deinceps Episcopi diœceseon Orientis, Ponti, &c. Sedebant ad dexteram Dioscorus Alexandriuus, Juvenalis Hierosolymitanus, & Episcopi reliqui Ægypti, Palæstinæ, &c. In cœtu medio expositum Evangelium; quod non semper tamen factum videtur, quia, in quadam sessione, magistratibus petentibus, allatum fuit.

Cum omnes Episcopi consedissent, Paschasinus, Papæ legatus, & concilii præses se in pedes erexit, in mediumque progressus Magistratibus dixit sibi cæterisque legatis beatum Episcopum urbis Romæ, omnium Ecclesiarum capitis, in mandatis dedisse, ne in concilio remanerent, nisi ex eo Dioscorus egredi jussus esset. Magistratus, post contentionis non nihil, Dioscoro mandarunt, ut medius, tamquam accusatus, sederet. Tum vero Eusebius Dorylеensis, procedens, petiit, ut libellus quem ipse Imperatori contra Dioscorum obtulerat, legeretur; quod ei cessit ex voto. Lecta deinde Pseudo-concilii Ephesini, itemque Constantinopolitani concilii Acta. Omnes ad unum Patres, Dioscoro excepto, tum ei qui dicit naturam unam, ut Christi Domini carnem nobis esse consubstantialem neget, tum ei qui dicit personas duas, ut Dei Filium dividat, anathema dixerunt, hoc est, æque damnarunt Eutychen qui unam tantum naturam in Christo post Incarnationem admittebat, & Nestorium qui in eodem admittebat personas duas. S. Flavianus purgatus fuit, ejusque adoptata sensa; omnesque & singuli Dioscorum deseruerunt; & ita quidem se habuit prima sessio.

Habita sessio altera, Octobris die 10. quæ incidit in feriam quartam. In ea actum de Fide; lecta fuere symbola duo, Nicænum & Constantinopolitanum scilicet, itemque sanctorum PP. Athanasii, Cyrilli, Cælestini, Hilarii, Basilii, Gregorii scripta, & S. Leonis ad Flavianum Epistola. Episcopi, post uniuscujusque ex his monumentis lectionem, elata voce, se ita credere testati sunt. Solum qui e Palæstina & Illyrico erant, super Epistolæ S. Leonis locis tribus difficultatis aliquid nacti sunt; at cum Aetius & Theodoretus ea loca singula per S. Cyrilli omnino similes locutiones purgassent, iis hac in re factum satis; adeoque omnes Episcopi conclamarunt. „ Est hæc Patrum & „ Apostolorum fides; nos ita credimus. Qui non ita „ credit, anathema sit. Petrus ita per Leonem locu- „ tus est; Apostoli ita docuerunt. “ Cum autem Aetius Nicopolitanus sibi temporis satis petiisset, ut S. Cyrilli Epistolam tertiam in qua duodecim anathematismi continentur, expenderet; Magistratus ad dies quinque remisere sessionem tertiam quæ tamen sabbato, 13. Octobris die, triduo ante terminum a Magistratibus enuntiatum habita. Dioscorus in ea depositus ob crimina, & quia ter accitus, concilii jussu, parere aperte renuerat. Eum Imperator Gangren in Paphlagonia relegavit, ubi an. 454. vivere desiit.

Magistratus qui sessioni tertiæ non interfuerant, adfuere quartæ, die 17. Octobris habitæ. In hujus initio lecta est secundæ sessionis conclusio, in qua iidem dierum quinque spatium concesserant ad examen quæstionis Fidei super qua universum concilium, unanimi voce, declaravit se Nicæni & Constantinopolitani conciliorum Symbola sequi, cum Fidei expositione a S. Cyrillo Ephesi edita, sanctique Leonis contra Nestorii & Eutychis hæreses Scriptis, hoc est, ejus ad Flavianum Epistola, quin iis adimere aut addere quicquam vellet. Jussi deinde ingredi Ægypti Episcopi tredecim qui in id quidem consenserunt, ut Eutychi anathema dicerent, sed pati non potuere se adduci, ut S. Leonis Epistolæ subscriberent, afferentes rationis loco, id sibi, absque Alexandrini Patriarchæ consensu, per concilium non licere, quod pro se, quin intelligerent, appellabant. Magistratus obtinuerunt, ut, prout se habebant Constantinopoli, quoad Alexandriæ Episcopus ordinatus esset, relinquerentur; & sane non ante in Ægyptum rediere, quam S. Proterius, in Dioscori locum, ordinaretur. Ægypti quoque monachi quorum aliqui Abbates erant, qui Eutychen damnare, & S. Leonis ad Flavianum Epistolæ subscribere recusarunt; his concessa mensis prorogatio, ut concilio se subderent.

In sessione quinta quæ die 22. Octobris habita, lecta est Fidei Definitio a concilii præcipuis Episcopis habita. Patiebatur hæc difficultatis aliquid ex legatorum parte, quia solum dicebat Christum *ex duabus naturis*, *in duabus naturis* esse, quemadmodum S. Leo in sua ad Flavianum Epistola dixerat. Ut ejusmodi difficultatibus fieret satis, electi sunt inter concilii Episcopos commissarii viginti duo qui Fidei Decreto formam in qua nobis in præsentia suppetit, tribuerunt. In eo confitentur unum eumdemque Jesum Christum, vere Deum & vere Hominem, Filium unicum, Dominum in duabus naturis, sine confusione, & in una tantum persona, unaque tantum hypostasi. In græco textu non dicitur esse Christus Dominus *in duabus naturis*, sed legitur, *ex duabus naturis*; at dubitari non potest, quin id mendum sit, quin tamen dici possit, qua demum ratione in textum irrepserit. Evagrius qui textum integrum affert, *lib. 2. cap. 4.* legit, *in duabus naturis*. In disputatione Catholicos inter & Severianos, an. 533. agitata convenit, concilium posuisse *in duabus naturis*. Idem legitur apud Euthymium, *Analect. Græc. p. 56. & 57.* idem apud Leonem Byzantinum, *Tom. II. Biblioth. Patr. p. 511. & 529.* Veteres etiam latinæ versionis, citra variationem, legunt, *in duabus naturis*.

Habita est Octobris die 25. sexta sessio. In hac Imperator ad Episcopos græce & latine pro concione dixit; lectaque est, eo jubente, Fidei Definitio quæ pridie edita fuerat; huic Episcopi quinquaginta supra tercentos, omniumque primi legati subscripserunt. Declaravit deinde Imperator se habere nonnullos articulos quos proponeret, eosque potius Ecclesiæ quam sua ipsius auctoritate decidi velle; primum esse, ut nemo, sine consensu Episcopi loci, monasterium ædificaret, & monachi subessent Episcopo ipsi; alterum, ut clerici vetarentur prædia conducere, ullamve sibi, nisi bonorum Ecclesiæ, & quidem ex Episcopi mandato, administrationem & exactionem sumere; tertium, ut clerici qui certæ alicui Ecclesiæ deserviunt, ad alterius urbis Ecclesiam mitti non possent, sed ea contenti essent cui primo addicti fuere, iis exceptis qui e regionibus suis expulsi, in aliam Ecclesiam necessitate adacti migrarunt. Ex his articulis tribus confecti tertius, quartus, quintus & vicesimus canones, non sine mutatione tamen aliqua. Marcianus, concilio approbante, mandavit, ut Chalcedonensis urbs, tam sanctæ Euphemiæ, quam concilii ratione habita, deinceps metropolis privilegiis gauderet, at quoad nomen tantummodo, salva Nicomediensis metropolis dignitate. Ita finis impositus sessioni sextæ quam nonnulli tamquam concilii postremam spectarunt, quia in ea super fide, superque communibus Ecclesiæ negotiis dispositio finem habuit. Animadvertitur in plurium Ecclesiarum exemplaribus non extitisse nisi sessiones sex cum canonibus quos Papa Pelagius, in Epistola ad Episcopos Istriæ, tamquam sextæ sessionis partem spectabat. Evagrius qui fuse de prioribus sex sessionibus agit, leviter obiterque posteriores attingit; quod tamen non impedit, quin in iis acta, tamquam ad concilium pertinentia spectari debeant.

Sessiones septima, octava & nona datæ sunt Octobris die 26. quia omnes hac die habitæ. In septima, concilium conventionem inter Maximum Antiochenum & Juvenalem Hierosolymitanum initam confirmavit, ut nempe Phœnicia & Arabia sub Antiochenæ, & Palæstinæ tres sub Hierosolymitanæ Ecclesiæ jurisdictione remanerent. Actum est in octava de Theodoreti negotio, qui Cyrensis, sub Antiochiæ patriarchatu, Episcopus erat; depositus sede fuerat a falso Ephesino concilio; in eam restitutus fuit, cum in Nestorium & in Nestorianismum anathema pronuntiasset, & Fidei Definitioni a Chalcedonensi concilio editæ subscripsisset. Ibæ, Edesseni Episcopi, negotium in nona discussum fuit; & in decima, orthodoxus habitus est, suæque Ecclesiæ redditus a qua injuste expulsus fuerat.

Sessiones undecima & duodecima, aliis licet diebus habitæ, una quidem Octobris 29. altera vero ejusdem mensis 30. super uno tantum, Bassiani nempe & Stephani Ephesini negotio versatæ sunt, qui ea de Ecclesia inter se contendebant, quique ambo depositi fuere, quia ambo per machinationes & vim Episcopi creati erant. Utrique tamen concessum, ut Episcopi dignitatem servarent; iisque, ex Ephesinæ Ecclesiæ redditibus, per annuos ducentos nummos aureos, statuta pensio. Est hoc primum ecclesiasticarum pensionum vestigium, quæ solum ob eorum paupertatem quibus statuuntur, concedi debent.

Sessio decima tertia eodem die habita quo præcedens. In ea decisum, ut, ex Nicæno canone quarto qui unum tantum in unaquaque provincia Metropolitanum volebat, Nicomediensis Episcopus qui, ab omni antiquitate, in Bithynia Metropolitanus erat, talis haberetur ab Episcopo Basilinopolis, & a Nicææ Episcopo ipso, qui tamen, solum honoris ergo, Metropolitani titulum retineret. In sessione decima quarta, quæ habita est 31. Octobris die, pronuntiatum, ut Sabinianus, Perrhæ in Syria Episcopus in suæ Ecclesiæ possessione permaneret, de qua Athanasius ob crimina ejectus cum eo contendebat. In sessione decima quinta, eadem 31. Octobris die habita, cum Papæ Legati

gati & Magistratus recessissent, Orientis Episcopi qui, quod concilii supererat, conficiebant, canonem ediderunt in Constantinopolitanæ Ecclesiæ gratiam, ut nempe Episcopus ejus urbis, dictæ *novæ Romæ*, supra cæteros omnes Episcopos, post veteris Romæ Episcopum, honoris prælatione gauderet. Canon hic censetur vicesimus octavus inter Chalcedonensis concilii canones quorum hic tenor est:

Primus, Confirmat omnes canones in præcedentibus conciliis editos eosdemque servari jubet.

Intelligendus est canon hic de omnibus conciliis; tam generalibus quam particularibus quæ Chalcedonense præcesserunt, adeoque de Græcæ Ecclesiæ Codice, a Justello in lucem edito, qui centum septuaginta canones ex Nicæno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodiceno, & Constantinopolitano conciliis depromptos complectitur; Canonum enim aderat jam tum Collectio, quemadmodum ostendunt non uno in loco Chalcedonensis concilii Acta. Stephano Ephesino, in veteri codice manuscripto tribuitur Collectio hæc; at is ei fortasse non nisi Ephesini & Chalcedonensis Conciliorum canones addidit.

2. Mandat, ut, si quis Episcopus in commercio Gratiam posuit quæ venalis non est, & ob pecuniam Episcopum, chorepiscopum, presbyterum, diaconum, aut aliquem alium clericum ordinavit, vel ob pecuniam statuit œconomum, defensorem, custodem clavium, seu eorum aliquem qui in canone designantur, ordinator sui gradus amittendi periculum subeat, ordinatusque, seu provisus officio ac munere quod emere voluerit, non utatur; & hujus infamis negotiationis intercessor ipse, si clericus est, deponatur, si laicus aut monachus, communione privetur.

Canon hic simoniæ genus omne damnat & punit, non in ordinatione solum, sed etiam in nominatione Officiariorum Ecclesiæ, quicunque fuerint, cujusmodi sunt œconomi, defensores seu advocati, custodes, &c. Extat idem canon in Constantinopolitani concilii, an. 459. encyclica Epistola, & in Parisiensis, an. 829. concilii Actis; legitur etiam in Actis cœtus cleri Gallicani, an. 1655. atque hujus cœtus Præsules eo usi sunt contra Episcoporum secretarios qui immodica salaria pro sigillo & cæteris Episcopi juribus exigunt; hinc factum, ut Michael Amelotius, Episcopus Turonensis, per Mandatum an. 1675. prohiberet, ut quid ob ordinum Litteras aut quamvis aliam expeditionem daretur aut reciperetur.

3. Canon prohibet Episcopis, clericis, monachis, ne prædia conducant, aut temporalia negotia sibi sumant, nisi eos ad tutelam cui se subducere nequeant, leges appellent, iisdemve Episcopus Ecclesiæ, miserarumve personarum, ut viduarum & orphanorum, negotia demandet.

Tutelæ & curatelæ clericis, jam inde Sancti Cypriani temporibus, vetitæ erant. Imperatores deinceps clericos & monachos ab earum onere liberarunt. *Justinian. in lib. 51. Cod. de Episcopis & Clericis.*

4. Declarat, etsi honore afficiendi sint qui vitam vere solitariam ducunt, nihilominus, quia non desunt qui, monasticæ professionis suscipiendæ specie, Ecclesiam & Imperium turbant, percurrentes urbes, ut monasteria sibi construant, prohibitum fore, sine consensu Episcopi urbis, & proprietarii terræ, monasterium aut oratorium, nempe capellam, seu parvum monasterium ædificari. Vult etiam tam urbium quam ruris monachos Episcopo subesse, & quiete vivere, ad jejunium tantum precemque incumbentes, quin se sæcularibus negotiis impliceat, nisi iis ab Episcopo, ob necessitatem aliquam, addicantur. Eos vetat, eodem tempore, captivos in sua monasteria, sine dominorum voluntate, recipere.

5. Veteres canones, quoad Episcopos & clericos qui ab una ad aliam Ecclesiam migrant, servari jubet.

6. Prohibet, ne quis ecclesiasticus ordinetur, seu presbyter, seu diaconus, quin alicui urbis aut ruris Ecclesiæ, vel monasterio applicetur, nullasque declarat ordinationes absolutas, vetans, ne, qui eas susceperunt, ullam earumdem functionem peragant, in eorum dedecus qui eos ordinaverint.

Animadversione digna sunt, hoc in canone, potissimum duo; primum est, ordinari consuevisse presbyteros monasteriis quæ fere e laicis tantum constabant, addicendos, ut ibi Missam dicerent, & cætera sacerdotalia munia ibidem obirent; & hos presbyteros ab eorumdem monasteriorum superioribus discrepasse, quemadmodum e Sancti Augustini Regula & Epistolis compertum fit; alterum est, ordinationes per hunc canonem reprobatas non solum illicitas, verum etiam nullas & invalidas fuisse, ex veterum Scholasticorum pluribus a P. Morino laudatis, *de SS. Ordinat. Part. III. Exercit. 5. cap. 49.*

7. Eos qui semel in clerum, aut in monasticum statum ingressi sunt, sub anathematis pœna, vetat, quem Dei causa e duobus amplexi sunt, statum deserere, ut militiæ nomen dent, aut sæcularem aliquam dignitatem suscipiant.

Ut probe intelligatur, quid sibi velit canon hic, animo reputetur, oportet, tametsi matrimonium nunquam inferioribus clericis interdictum fuerit, veteres tamen persuasum habuisse nec clericos, quicunque demum essent, nec monachos posse, sine apostasia quadam, clericalem aut monasticam vitam deserere, ut militiæ aut sæculari dignitati se addicerent, quia ejusmodi status ab iis spectabantur tamquam essentialiter clericali & monasticæ vitæ contrarii; hæc scilicet hujus canonis notio est, quem decimo tertio christiani nominis sæculo adhuc viguisse testatur P. Thomasinus, *De Disciplin. Eccl. Part. IV. lib. 2. cap. 4.*

8. Mandat, ut clerici Hospitalium, Monasteriorum Ecclesiarumque aut capellarum Martyrum, itemque quicunque his in locis degunt, sub Episcopi cujusque urbis potestate sint, ex Patrum traditione, canonicæ correctionis quoad clericos, & excommunicationis quoad monachos & laicos indicta pœna.

Erant olim clericorum & monachorum quidam hospitalium Ecclesiarumque martyrum servitio addicti qui a diœcesani Episcopi jurisdictione exemptos se contendebant; hos Chalcedonense concilium, ex Patrum & Canonum traditione, Episcopo subdit.

9. Vetat, ne clerici quibus cum aliis clericis litigia sunt, Episcopum suum deserant, ut ad sæcularia tribunalia se conferant, eosque jubet suas causas persequi, primo quidem apud proprium Episcopum, deinde vero, ex ejus mandato, apud eum de quo inter partes convenerit; omnino, canonicis indictis pœnis. Addit canon oportere, ut clericorum cum illis Episcopis dissidia a provinciæ concilio judicentur, at si Episcopo, aut clerico lis cum Metropolitano sit, hæc a partitionis Exarcha, vel a regiæ urbis Constantinopolis sede dijudicetur.

Canon hic qui de judice agit, a quo clericorum causæ finiendæ sunt, triplicem facti speciem complectitur; aut scilicet clerico cum alio pariter clerico, aut suo cum Episcopo, aut denique suo cum Metropolitano negotium est. In prima facti specie, negotium, seu civile, seu ecclesiasticum, in prima quidem instantia, ad Episcopi tribunal deferri debet; quod Novellæ Justiniani 123. capite 21. non solum ob causas inter clericos, sed ob eas quoque quas laici clericis intentant, confirmatur; in altera, quæ clerici est cui suo cum Episcopo lis, negotium deferetur ad provinciæ concilium; in tertia spectante ad clericum vel Episcopum, quibus suo cum Metropolitano dissidium, ad partitionis Exarcham, vel ad Constantinopolitanam sedem perfugiendum. Per partitionis Exarcham, non simplex provinciæ Metropolitanus, ut Balsamon animadvertit, sed is intelligitur qui toti alicui diœcesi, secundum veterem hujus vocabuli significationem, præerat, hoc est, districtum seu partitionem ecclesiasticam plures provincias complectentem administrabat, quam *diœcesin*, quod ipsum notat Balsamon, veteres appellabant. Diœceseos igitur Exarchæ, vel, ut Dionysius Exiguus vertit, Primates erant quibus provinciarum plures Metropolitani suberant. Ita quidem, in ipsis Chalcedonensis concilii Actis, Domnus, Episcopus Antiochenus, dicitur *orientalis Diœceseos Exarcha*. Imperator Justinianus canonem hunc in suæ 123. Novellæ capite 22. confirmans, Exarchæ vocabulo *Patriarchæ* nomen substituit; at eadem utrique subjecta notio. Denique canon vult, in tertia facti specie, ad Constantinopolis Episcopum recta confugi posse, per privilegium quod ejus regiæ urbis sedi concilium concedit, præ Patriarchis cæteris, cum solus Constantinopolitanus Metropolitanum qui alteri Patriarchæ subest, judicare possit.

10. Canon ejusmodi est: „ Non licet clerico inscribi eodem tempore & numerari in clero duarum „ urbium, ejus scilicet in qua primum ordinatus est, „ ejusque ad quam, utpote majorem, per ambitionem migravit; qui id egerint, reddentur Ecclesiæ primæ, quod si quis jam ad aliam Ecclesiam „ translatus est, nulla amplius ei pars erit ad primæ, seu oratoriorum aut hospitalium ab eadem pendentium negotia; omnino, sub dispositionis pœna „ quoad eos qui in eamdem culpam, in posterum, „ recident. “

11. Pacis & communionis Litteras pauperibus iter agentibus tribui vult, quos quidem reapse Catholicos esse constiterit, ut iis per ejusmodi Litteras subsidia qui-

quibus indigent, comparentur. Iis quorum eminentior conditio, reservet commendationis Litteras, quippe quibus fere addebantur aliqua eorum pietatis & virtutis elogia qui eas afferebant.

Pacis Litteras quæ quondam pauperibus iter facientibus tribuebantur, effabre describit Sozomenus, Historiæ Ecclesiasticæ *Lib. VI. cap.* 16. ubi Julianum Apostatem refert admirari consuevisse pacis Litteras quas pauperibus ad subsidium, quocunque pergerent, comparandum Episcopi suppeditabant. Ad commendationis Litteras quod spectat, de quibus hoc in canone sermo est, Balsamon, Zonaras, Aristhenus, Græcique cæteri quos Gentianus Hervetus sequitur, eas personis tantum suspectis tributas dicunt, leguntque ita postrema canonis verba: *Quoniam litteras commendatitias iis solis personis quæ sunt suspectæ, præberi oportet.* Personæ suspectæ, inquiunt interpretes hi, quia censura aliqua obstricti fuerant, opus habebant commendationis, seu commendatitiis litteris quæ probarent eas ab ejusmodi censuris solutas fuisse, quia locus Episcopi per quorum diœceseos ab eis iter agi debebat, easdem ad pacem & communionem recipere noluissent. At hanc Græcorum Interpretum explicationem solide refellit Albaspinæus, ostenditque *pacificas* Litteras a commendatitiis in eo discrepasse, quod priores quidem vulgaribus pauperibus, posteriores vero eminentioris conditionis personis, seu clericis, seu laicis, tribuebantur.

12. Canon editus occasione dissidii quod inter Tyri & Beryti, interque Nicomediæ & Nicææ Episcopos ortum fuerat, Pronuntiat Episcopos, depositionis indicta pœna, non posse ad Potestates confugere, aut a Principe litteras obtinere, ut provinciam bifariam dividant, duosque Metropolitanos ibidem instituant; urbes porro quæ *metropoleos* nomine decoratæ jam fuerunt, eo, solum honoris ergo, gaudere vult, sine præjudicio jurium veræ metropolis.

13. Vetat exteros ignotosque clericos ullam in aliena urbe functionem obire, sine commendatitiis Episcopi sui litteris quæ de eorum ordinibus, deque eorumdem moribus fidem faciant.

Lectorum vox quæ apud Isidorum, apud Dionysium Exiguum, & in ipso Romanæ Ecclesiæ Codice occurrit, hunc canonem obscurum reddit; at græca lectio quæ habet *ignotos*, *lectorum* loco, quæque est potior, difficultatem de medio tollit. Disciplinam quæ hoc in canone continetur, instauravit Tridentina synodus, *sess.* 22.

14. Declarat, quandoquidem, in aliquibus provinciis, lectoribus & cantoribus concessum est, ut matrimonium ineant, iisdem tamen non licere uxores ducere quæ Catholicæ non sint, aut permittere, ut eorum filii apud Hæreticos baptizentur; nec magis eos operam dare vult, ut iidem filii conjugium cum Hæreticis, Judæis aut Ethnicis contrahant, nisi resipiscentiam promiserint; eos vero qui apud Hæreticos Baptisma susceperint, a parentibus ad Ecclesiæ communionem reductos vult.

Ex hoc canone licet intelligi, Ecclesiæ disciplinam, ad ejus ministrorum continentiam quod attinet, non eamdem ubique fuisse. In aliquibus Orientis provinciis, lectoribus & cantoribus matrimonium inire licebat; & mos hic nullibi non hoc tempore, tam in Oriente quam in Occidente, receptus est. Idem canon horrorem exhibet quo Ecclesia, nullo non tempore, Catholicorum cum Hæreticis matrimonia rejecit, ob seductionis periculum, tam quoad Catholicam partem, quam quoad prolem.

15. Diaconissam, per manuum impositionem, ordinari vetat, quin quadragesimum ætatis annum attigerit, & magnopere probata sit. Quod si, post manuum impositionem, ac postquam aliquod temporis spatium in servitio transegit, eam nubere contingat, in divinæ gratiæ contemptum, anathemati cum viro subeat.

16. Virgines etiam Deo consecratas nubere vetat, idemque monachis præcipit; quibus, nisi paruerint, communionis privationem, quoad Episcopo placuerit, minitatur.

Constat ex hoc canone, Chalcedonensis concilii tempore, virginum quæ se Deo consecrabant, perinde ac monachorum vota nondum tamquam matrimonii impedimenta dirimentia spectata fuisse, quandoquidem concilium non quidem separari virgines, seu monachos qui post emissa vota matrimonium iniissent, sed solum communione privari jubet, hoc est, excommunicari, quoad Episcopo visum esset. Gratianus qui canonem affert, *caus.* 27. *quæst.* 1. *can.* 22. ex Isidori Versione, quique eum jam attulerat, *ibid. can.* 12. ex Versione Dionysii Exigui, a Tiburiensi concilio editum vult, atque ita quidem, quemadmodum pluribus aliis in locis ostendit, quam parum accurate veros canonum quos profert, fontes indicet.

17. Episcopis rurales parœcias adjudicat, quarum pacifica possessione, ex annis triginta, gaudent; subdit tamen, si intra annos triginta suborta fuerit aliqua difficultas, hanc ad provinciæ concilium deferri posse, atque porro, ut, si Metropolitanus contendentium partium una fuerit, adeatur partitionis Exarcha, seu Constantinopolitanus Episcopus, ac si quam novam urbem Imperatoris potestas statuerit, ecclesiasticarum parœciarum ordo politici regiminis formam sequatur.

Perspicitur ex hoc canone, cum Princeps novam urbem aliquam erigebat, urbis jam erectæ statum mutatum fuisse; ea nimirum urbs statim acquirebat privilegia tam civilia quam Ecclesiastica: quorum erat, ut cathedralem Ecclesiam & Episcopalem clerum haberet.

18. Depositione & excommunicatione ecclesiasticos & monachos punit qui conjurationes & machinationes in suos Episcopos suosve confratres conflant, cum crimen hoc civilibus quoque legibus vetitum sit.

19. Mandat, ut, quo occurratur incommodis quæ Ecclesiæ negotiis conciliorum raritas affert, habeantur quotannis concilia duo, prout Nicæna decreta postulant, eo in loco quem Metropolitanus elegerit, qui vero ex Episcopis citra legitimum impedimentum convenire neglexerint, a confratribus arguentur.

20. Si Episcopus alienæ diœcesis clericum susceperit, eum & clericum a communione separatos vult, quoad clericus ad Episcopum suum redierit, nisi forte clericus hic, ob suæ regionis excidium, Ecclesiam mutare coactus fuerit.

A communione separatio de qua hoc in canone sermo est, non de anathemate seu de excommunicatione, sed solum de communionis cum cæteris Episcopis privatione, aut de suspensione ab ordinum functionibus accipi debet; eamque hac postrema notione Romanæ Ecclesiæ Codex, & posteriora concilia, nominatim Tridentinum intellexerunt, cum suspensionis pœnam in Episcopum qui alienum subditum, sine proprii Episcopi venia, ordinaverit, in eumque qui ita ordinatus fuerit, pronuntiarunt.

21. Clericos, aut laicos, permissive, ad accusandos Episcopos aut clericos recipi vetat, quin prius super accusatorum fama examen initum fuerit.

22. Depositionis indicta pœna, prout veteres canones jam statuerant, clericos vetat Episcopi sui bona, post ejus mortem, diripere.

23. Constantinopolitanæ Ecclesiæ defensori mandat, ut ejiciat ex urbe exteros clericos monachosque qui eo veniebant, quin ab Episcopo missi essent, ibique Ecclesiæ, & peculiarium familiarum tranquillitatem sæpe turbabant.

24. Monasteria, semel Episcopi auctoritate consecrata, & bona ad eadem spectantia statum mutare posse non vult; ut proinde non amplius liceat in sæculares habitationes ea verti, aut bona quæ ad ea pertinent, usurpari.

25. Episcoporum ordinationes intra tres menses peragi, nisi absoluta necessitas Metropolitanum adigat, ut differat, & vacantis Ecclesiæ redditus ab œconomo servari jubet.

26. Suum cuique cathedrali Ecclesiæ œconomum esse vult ex ejus cleri corpore sumptum qui ejusdem Ecclesiæ bona, ex Episcopi mandato, administret, ut, quæ sit hujus administrationis ratio, perspiciatur, ac ne Ecclesiæ bona dissipentur, aut sacerdotii fama deteratur.

Canonem hunc, eo spectantem, ut impediat, ne Episcopi in ecclesiasticorum bonorum administratione infidelitatis accusentur, renovavit Hispalensis prima synodus, *can.* 5.

27. In eum qui feminam rapit, etiam matrimonii specie, in ejusque complices & fautores anathema, quod si clericus fuerit, depositionem pronuntiat.

28. Gradum secundum Constantinopolitanæ Ecclesiæ concedit iis hæc verba: „ Jure Patres ac merito sua
„ veteris Romæ sedi privilegia contulerunt, quia erat
„ regnans urbs; eademque de causa, Constantinopolitani
„ concilii Episcopi centum quinquaginta judicarunt no-
„ vam Romam cui suppetit Imperii & Senatus honos,
„ iisdem privilegiis in ecclesiastico ordine gaudere debe-
„ re & ab antiqua Roma secundam esse; ut proinde Me-
„ tropolitani partitionum trium, Ponti, Asiæ & Thra-
„ ciæ, ab iisque pendentes Episcopi qui apud Barbaros
„ sunt, a Constantinopolitano Episcopo ordinentur,
„ postquam in suis ecclesiis canonice electi fuerint.
„ At hi Metropolitani, assistentibus eorum suffraga-
„ neis, secundum canones, suæ quisque provinciæ
„ Episcopos ordinabunt. “

Canon hic nec in Dionysii Exigui Collectione, nec penes

penes Latinos Collectores cæteros invenitur. Editus est in concilii sessione decima quinta, magnoque dissidio argumentum suppeditavit inter concilii Patres & Papæ legatos qui de eo conquesti in sessione decima sexta, die prima Novembris habita quæ postrema fuit. Eum approbare nunquam voluit S. Leo. Præter hos canones viginti octo, alios duos exhibent Balsamon, Zonaras, Aristhenius, aliique interpretes Græci; at recentiore manu exarati videntur.

Primus, Episcopos ad presbyterorum gradum nunquam redigi debere declarat.

2. Prorogationem Ægypti Episcopis, ut S. Leonis ad Flavianum Epistolæ subscribant, ad usque Alexandrini, in Dioscori locum, Episcopi electionem concedit.

Inter varia Chalcedonensis concilii exemplaria discriminis multum occurrit. Vulgares Collectiones numerant sessiones sexdecim; at sex tantum cum canonibus aderant in Ecclesiis pluribus. Quæ tamquam postrema notatur sessio, in iis Collectionibus decima sexta est. Hæc Liberato duodecima est, aliis decima tertia. Doctus P. Mansi, hodie Lucensis Episcopus, se nactum ait in quodam nongentorum annorum manuscripto codice, ad eamdem urbem Lucam spectante, vetustissimam Chalcedonensium canonum versionem quæ nondum lucem aspexit, quæque adeo fidelis est, ut nulli, quoad caput hoc, veteri Versioni cedat. Ea viginti septem tantum canones continet, & Chalcedonense concilium ad an. 450. refert, quamvis non nisi an. 451. habitum fuerit, idque ex veteri usu qui, supputandis annis, religiosam diligentiam, in gratiam rotundi numeri negligebat. Hæc exemplarium varietas ex eo derivatur, quod, in generalibus conciliis, magnarum sedium Episcopi suos quisque notarios habebant, per quos redigenda seu exscribenda, prout iis opus erat, Acta curabant. Ea erat omnium sollicitudo, ut Fidei Definitiones & Canones secum deferrent, suisque in Provinciis vulgarent; at quoad Acta super peculiaribus negotiis versantia, quorum non intererat, cura non eadem erat. Ea omnino alii negligebant; alii eorum partem tantummodo colligebant; & hi quidem aliter ea collocabant, pro adscripti temporis ordine, aut pro rerum ipsarum merito, *Reg. Tom. VIII. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.* Balutius, in *Collect.* Mansi, Supplem. *Tom. I.*

Concilia S. Patricii, an. 451. seu 456.

Data nobis sunt, S. Patricii nomine, concilia duo, quorum primum reapse videtur habitum in Irlandia, quo tempore sanctus hic vir ejus insulæ Episcopus erat; coactum enim cernitur extra Romanum Imperium, Britones prope, quo tempore, quaque in regione nondum ethnica superstitio penitus eversa erat; quod S. Patricio congruit qui Irlandiam ethnicis infartam comperit, cum eo, Evangelium nuntiaturus, se contulit. Extat in Benedictinorum Cantabrigiensium Bibliotheca antiquissimum hujus concilii manuscriptum exemplar; ejusque canonum plerosque, S. Patricii nomine, laudat Arbedocius, octavi sæculi scriptor. Ponitur concilium hoc ad ann. circiter 451. aut 456. Ejus canones sunt numero triginta quatuor, quorum plerique agendi rationem in clericis moderantur.

3. Clericis vetat, ne cursitantes, animumque dissipantes inter populum, sui temporis jacturam faciant.

4. Eos patitur stipem cogere qua ipsi sibi suppetias ferant; & 5. iisdem mandat, ut, quæ præter quam opus habent, collegerint, super Episcopi altari ponant in alium pauperem eroganda.

6. Clericos qui non modeste induti incesserint, nec breves capillos, Romanorum more, gestaverint, ab Ecclesia separari jubet. Eadem pœna statuitur in Ostiariorum, aliorumque inferiorum clericorum conjuges quæ haud velatæ prodierint.

7. Omnes ad unum clericos, captivis tantum exceptis, matutino & vespertino officio interesse vult.

8. Præcipit, ut clericus qui se summæ quæcunque fuerit, pro ethnico sponsorem dedit, si hic ethnicus habens quo solvat, sua bona celet, ne faciat suo ipse debito satis, summam det de qua spopondit; quod si, ut se solutioni subducat, singulare cum hoc ethnico certamen ineat, ab Ecclesia arceatur.

9. Suspectam omnem monachos inter & virgines frequentationem prohibet, nolens eos simul in eodem hospitio versari, aut in eodem curru per agros excurrere.

10. Clericos in divino Officio obeundo negligentes, itemque comam alentes impetit, amovetque ab Ecclesia, ni resipuerint.

11. Eum punit excommunicatione qui excommunicatum clericum recipit.

12. Christiani excommunicati eleemosynam accipi vetat. Idem statuitur in canone 13. quoad ethnicos qui aliquid Ecclesiæ offerre vellent.

14. Statuit anni pœnitentiam ob homicidii & fornicationis crimina, itemque quoad eos qui aruspices consuluerint.

15. Furem subdit pœnitentiæ mensium sex quorum dies viginti, non nisi panem comedens, jejunare debebat.

16. Christianum qui se veneficum putat, aut ejusmodi videri studet, anathemate plecti vult, &, quoad pœnitentiam egerit, in Ecclesiam recipi vetat.

17. Communione virgines privat quæ nupserunt, postquam Deo virginitatis votum edidissent; at iisdem pœnitentiam concedit, ea conditione, ut se ab adultero separent, nec amplius in posterum in eadem domo, vel in eadem villa cum eo commorentur.

18. Excommunicato, usque eo dum ad pœnitentiam receptus fuerit, etiam Paschatis nocte, Ecclesiæ ingressum negat.

19. & 22. Excommunicatam declarat feminam quæ virum deserit, ut alteri nubat, & patrem ipsum, si in hoc adulterium consenserit.

20. Communione Christianum hominem privat qui renuit solvere quod debet, quoad satisfecerit.

21. Christianum cui cum alio Christiano lis est, ad civiles judices eam deferentem, qui, suæ causæ examen Ecclesiæ relinquat, a communione separatum vult.

23. Presbyterum qui Ecclesiam erexit, ibi Sacrificium offerre non posse pronuntiat, nisi postquam Episcopum, ut eam consecret, appellaverit.

24. Advenam qui sibi alicubi domicilium statuit, baptizare, offerre, consecrare, atque adeo Ecclesiam erigere vetat, quamvis ethnicus Princeps annuat, quin prius ab Episcopo facultatem acceperit.

25. Notat Episcopum consuevisse per aliquod tempus in Ecclesiis singulis commorari; mandat propterea, ut quod eo temporis spatio fideles dederint, ad Episcopum, ex veteri usu, pertineat ab eo impendendum, vel ut suis, vel ut pauperum rationibus consulat, prout congruere judicaverit.

26. Clericum, si id sibi sumpserit, tamquam sordidi lucri amatorem ab Ecclesia segregandum addit.

27. Clericum vetat, communione alioquin privandum, ullam, ubi sibi domicilium statuit, functionem edere, quin prius in id veniam ab Episcopo obtinuerit.

28. Clericos qui ab Ecclesia segregati fuerint, domi suæ privatim, non autem cum aliis orare vult, nec vel offerre vel consecrare posse, quoad per pœnitentiam satisfecerint.

29. Omnibus Baptismum petentibus quadraginta dierum jejunium præscribit, illudque ante hoc tempus iis administrari non vult.

30. Episcopum finit, die dominica, Sacrificium offerre, si forte ea die extra Diœcesin versatus fuerit, at eum vetat, sine diœcesani venia, ullam ordinationem peragere.

31. Tamquam homicidam, ac tamquam excommunicatum spectari clericum vult qui utitur alterius opera, suum ut adversarium occidat.

32. Mandat, ut Ecclesiasticus, si captivos redimere voluerit, id sua ipsius pecunia faciat, nec eos tollat effugii causa; id enim clericis furum notam, & Ecclesiæ dedecus afferebat.

33. Eos qui e Magna-Britannia venerint, sine sui Episcopi Epistola, in regione domicilium ponere, suasque functiones obire vetat.

34. Statuit, ut Diaconus, si Abbatem suum deserat, ut ad aliam Parœciam se conferat, ibi altari deservire non possit, sed suus eum Parochus seu Abbas (videtur enim id unum & idem esse) adigat, ut ad Ecclesiam suam redeat. Eadem ratione monachum haberi vult qui, sine Abbatis venia, e monasterio egressus fuerit. Hujus concilii canones ad presbyteros, ad diaconos & ad universum clerum referuntur. Non præferunt nisi S. Patricii, aliorumque duorum Episcoporum nomina, quorum unus Auxilius dicitur, Jeserninus alter.

Concilio alteri quod S. Patricio tribuitur, nec ejus, nec ullius Episcopi nomen adscriptum est. Extat etiam in eo canon, cujus Præscriptum cum agendi ratione pugnat quam sanctus hic Præsul cum puellis servabat quæ suam Deo virginitatem consecrare volebant. Eas Patricius, invitis etiam parentibus, recipiebat; contra, canon qui vicesimus septimus est, ut virgo suscipiatur, patris consensum postulat. Jacobus Warreus affert præterea canones novem e S. Patricii Opusculis

ductos quorum quintus adulteræ feminæ virum vetat aliam ducere, vivente prima; quod vicesimo sexto & vicesimo octavo concilii secundi S. Patricio adscripti canonibus ex diametro adversatur. Nihil ergo super hujus concilii seu loco seu tempore statui potest; et dubitari non potest, quin antiquissimum sit, siquidem passim adhuc ethnici regionem occupabant, ut ex canone secundo liquet. Hi porro canones unus omnino & triginta sunt. Plerique videntur esse responsa super variis difficultatibus quæ Episcopis in concilium congregatis propositæ fuerant.

Primus, Omne cum peccatoribus commercium prohibet, cum iis scilicet, ut videtur, qui ob crimina excommunicati erant.

2. Haud pugnandum ait, in necessitate, quin victus vestitusque ab ethnicis accipiatur; quemadmodum lampadis elichnium non recipit oleum, nisi quatenus eo indiget, ut foveatur.

3. Abbatem ait debere diligenter expendere cui ligandi & solvendi potestatem tribuat. Pœnitentiam minus longam, sed cum sinceræ resipiscentiæ notis conjunctam longiori, sed quæ remissior fuerit, languidiorque, præponit.

4. Excommunicatum non eum quidem execrationibus impetendum, sed a Communione, a Mensa, a Missa & a pacis osculo removendum, &, post correctionem, si hæreticus est, evitandum pronuntiat.

5. Judæ qui damnatus, postquam ad divini Reparatoris mensam receptus esset, bonique Latronis qui post crucis supplicium in Paradisum susceptus fuit, exempla proponit, ut, ante judicii diem, de nemine judicandum ostendat.

7. Eos iterum baptizari vetat qui symbolum acceperunt, a quocunque tandem illud acceperint, prorsus ut semen haud ejus qui serit, impuritate polluitur. At declarat per hujus Sacramenti collectionem eos non restitui, eum hoc symbolum non acceperunt; Apostatas autem per manuum impositionem recipiendos esse. Canon hic veteres Ecclesiæ, quod ad hanc rem attinet, functiones instauret.

8. Monet Ecclesiam quidem institutam non esse, ut reos defendat, e re tamen esse magistratibus persuaderi, ut fas habeant per pœnitentiæ gladium eos morti tradere qui in Ecclesiæ sinum confugiunt.

9. Ecclesiæ ministros qui in canonicum aliquod peccatum lapsi sunt, veniam sperare sinens, iis omnem sui ministerii functiones in posterum obeundi spem adimit; et non pugnat, quin ejus titulum servent. Cæterorum canonum textus adeo amanuensium oscitantia corruptus est, ut vix eorum sensus attingi possit.

11. Tamquam a pœnitentiæ ratione spectat, ut a peccati amore desistatur.

12. Eos qui, dum viverent, se dignos non reddidere qui sacrificii participes essent, subsidium, post mortem, invenire non posse declarat.

14. Novatianos ait per totum annum abstinuisse, Christianos vero statis solum temporibus jejunasse.

15. Edocendum, a Servatoris exemplo, populum ait ad quem missus fuerit; ut deserendum, si inutilis eidem evadas; licere enim, in hac facti specie, tacere & e conspectu abire. E contra, si quid fructus percipi possit, prodeundum est, & populus erudiendus, quodcunque tandem periculum subsit.

16. Episcoporum ordinationes quæ non, prout super hac re præscribit Apostolus, editæ sunt, nullas declarat.

17. Mandat, ut monachi vivant in solitudine, sine temporalibus divitiis, sub Episcopi seu Abbatis potestate, evitentque in rebus omnibus id quod ultra necessarium est, utpote qui appellati sint, ut frigus, nuditatem, famem, sitim, vigilias, jejunia perferant. Videtur ætatis anno vicesimo professionem addicere, ut perfectæ vitæ ratio, cum ætas perfecta est, ineatur. In textu legitur: *A viginti annis debet* unusquisque constringi; at Wilkins legendum putat: *A virginis annis*.

18. In clericis, in monachis, in virginibus, in viduis, in laicis fidelibus meriti graduum discrimen statuit.

19. Dies octo ad catechumenatum præscribit, quibus elapsis, Baptisma in Paschatis, Pentecostes & Epiphaniæ solemnitatibus suscipiendum.

22. Eum ait qui Paschatis nocte non communicat, tamquam fidelem spectari non posse.

23. Jusjurandum per aliud quam Dei nomen prohibere videtur.

25. Vetat, ne quis fratris uxorem ducat; ratio quam affert, ea est, quia femina hæc utpote una caro cum viro, est soror fratris ejusdem viri.

26. & 28. Videtur secundum matrimonium personis adulterii causa separatis permittere, & spectare primum matrimonium per hoc crimen solutum, quemadmodum per mortem solvitur. *Lab. Tom. III.* Wilkius, *Concil. Angl. Tom. I.*

Concilium Andegavense, an. 453.

Habitum fuit, Octobris die 4. concilium hoc ab Episcopis septem qui, ad Thalasii, seu, Thalassii ordinationem, in hanc urbem convenerant. Eustochii Turonensis erat huic cœtui præesse; at is id honoris Leoni Bituricensi detulit, quem, ut eo se conferret, hortatus fuerat. Thalasius nominatur omnium postremus, utpote junior, ut videtur. Edidit concilium disciplinæ canones duodecim.

Primus, Clericos prohibet judicio quod Episcopi pronuntiaverint, obluctari; ad sæculares judices, sine suorum Episcoporum approbatione, confugere; sine eorum venia, ab uno ad alium locum transire, aut sine eorumdem Episcoporum commendatitiis Litteris iter facere.

2. Diaconos monet, ut presbyteris cum omni prorsus humilitate observantiam exhibeant.

3. Violentias & membrorum mutilationes prohibet.

4. Sub interdicti pœna, ecclesiasticos vetat, exteras feminas frequentare, eas scilicet omnes, ut explicat canon ipse, quæ infra amitas sunt. Excommunicati declarantur ibidem clerici qui ad tradendas aut capiendas urbes operam contulerint; ut proinde nec sacramenta participare, ac ne in communibus quidem mensis ad cibum cum aliis fidelibus sumendum admitti possint.

5. Eidem pœnæ subdit tum pœnitentes qui pœnitentiam deserunt, tum virgines Deo consecratas quæ in crimen voluntarie lapsæ sunt.

6. 7. & 8. Eos excommunicant qui feminas sibi conjuges sumunt quarum viri adhuc in vivis sunt; item clericos qui clerum deserunt, ut sæculari militiæ nomen dent, & in laicorum albo se ponant; denique vagantes monachos qui sine commendatitiis Litteris, aut absque necessitate itinera instituunt.

9. Episcopos vetat alienæ diœcesis clericos, sine diœcesani Episcopi consensu, ordinare.

10. Omnes clericos communione privat qui sui ordinis functiones exequi renuunt, nisi se ab eo cui jus non erat, ordinatos probent.

Summopere obscurus est canon hic. Ejus postremam partem P. Sirmondus ita accipiendam putat, ut ne quis communione spoliari debeat, quin criminis excommunicatione digni probe convictus fuerit.

11. Mandat, ut ex conjugatis qui ad presbyter[illegible], vel ad diaconatum suscipiuntur, ii tantum [illegible], qui unam tantum uxorem habuerunt, eamque [illegible] experti sunt.

12. Omnibus qui errata sua fassi fuerint, & in viam redierint, pœnitentiam & veniam concedit; hanc tamen veniam Episcopi prudentiæ remittens, qui eam, peracta pœnitentia, iisdem concedet. Addit concilium eam sibi mentem esse, ut, qui hæc statuta neglexerint, puniantur, liceatque confratribus in eos insurgere. *Reg. Tom. VIII. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Arelatense, an. 455. *seu* 461.

Concilium hoc, Decembris die 30. in Arelatensis Ecclesiæ choro, an. 455. vel, ut serius, 461. habitum est, Raveno, seu Ravennio, ejus urbis Episcopo qui illud coegerat, præside, tametsi S. Rusticus Narbonensis qui e concilii patribus unus fuit, metropolitanus eo senior esset. Adfuere omnino Episcopi tredecim quorum plerique Lirini monachi fuerant. Episcoporum reliqui quorum sedes innotescunt, sunt Nectarius Diniensis, Florus Augustæ Tricastinorum, Constantius Uticensis, Asclepius Aptensis; Maximus qui fortasse Regiensis aut Avenionensis Maximus est; Chrysantus seu Chrysaphius Siltaricensis esse creditur. Hujus concilii convocationi causam præbuit dissidium quod Theodorum, Forojuliensem Episcopum inter, & Faustum, Abbatem Lirinensem, super jurisdictione, coortum fuerat. Cum Theodorus super Abbatia Lirinensi quæ ex ejus diœcesi erat, quæque nunc ex Grassiensi est, longius quam ejus decessor Leontius, sua jura protendere voluisset, Abbas Faustus acriter obstitit, suisque functionibus a Theodoro interdictus fuit; quod grave scandalum attulit. Mandarunt Episcopi, ut Theodorus rogaretur officia quæ ei Abbas Faustus exhiberet, accipere, eumque ad sui monasterii regimen quamprimum remittere, ea tamen lege, ut hic Episcopus non alia super monasterio sibi jura arrogaret quam quæ Leontius, ejus decessor sibi tribuerat, clerici, nempe, & altaris ministri ab ipso tantum, vel ab eo cui ipse id muneris demandasset, ordinarentur; ejus esset sanctum

chrisma

chrisma monasterio tribuere, ibique neophytos confirmare; nec in monasterio exteri clerici, sine Episcopi mandato, ad communionem sanctumque ministerium susciperentur, ac solum monachi quicunque ordinibus initiati non erent, Abbati subessent cui eorum cura commissa erat. Sanctio hæc, deinceps, exempli veluti loco fuit quoad privilegia quæ Monachis Episcopi concesserunt. Ita quidem Arelatense concilium controversiam finiit quæ Lirinensis monasterii pacem turbabat. Nobis adhuc Epistola præsto est qua Raveonius ad eum cœtum collegas accivit. Eam sequitur, in Conciliorum Collectione, synodica Epistola in qua discutiendum negotium paucis refertur. *Reg. Tom. VIII. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 459.

Gennadius, Constantinopolitanus Patriarcha, unius & octoginta e provinciis pluribus Episcoporum concilium, Constantinopoli, ad an. 459. habuit. Ad hujus concilii acta quod attinet, una nobis superest Gennadii contra simoniam encyclica Epistole cui omnes Episcopi subscribentes Chelcedonensis concilii contra simoniam canonem renovent, adduntque depositionis anathema in clericos aut laicos quicunque Ecclesiasticum ministerium emere aut vendere voluerint. Epistolem hanc Belsemon in ecclesiasticarum legum corpore collocavit. *Ibid.* & Baluzius, in *Collect.*

Concilium Turonense, an. 461.

Huic concilio quod 18. Novembris die an. 461. Turoni habitum est, S. Martini solemne Festum occasionem præbuit. Adfuere Episcopi numero novem, videlicet, S. Perpetuus Turonensis, S. Victorius Cœnomanensis, Leo Bituricensis, Eusebius Nannetensis, Amandinus Catalaunensis, Germanus Rotbomagensis, Athenius Rednnensis, Mansuetus Britonum Episcopus, & Venerandus de quo id unum constat, cum cœcus esset, eum, Jucundini presbyteri sui manu, concilii decretis subscripsisse. Tredecim sunt decreta hæc.

Primum est ad presbyteros, Ecclesiæque ministros cohortatio, ut in sanctitate corporisque & animi puritate vivant, prout eorum dignitas & sacræ functiones postulant. „ Si continentia, decreti verba sunt, „ laicis præscripta est, ut orationi vacare possint, & „ assequi, ut a Deo exaudiantur, quanto magis eadem „ presbyteris & diaconis necessaria est qui nullo non „ tempore, parati esse debent Sacrificium offerre, aut „ baptizare, si opus fuerit? “

2. Veterum canonum severitatem moderatur, qui presbyteros & Levitas quibus adhuc cum uxoribus commercium erat, a communione abscindebant. Satis habet suis eos functionibus interdicere, & a superioribus ordinibus arcere. Eos, & generatim, ecclesiasticos omnes hortatur, ut ebrietatem evitent quem *omnium vitiorum focum* appellat; mandatque, ut ebriosus clericus, pro arbitratu, puniatur.

Levitarum vocabulum quo canon hic utitur, omnes altaris ministros, nempe, non diaconos solum, sed etiam subdiaconos significare potest. Inter alteris ministros qui continentiæ legi subsunt, S. Leo subdiaconos complectebatur.

Decretum 3. exterarum feminarum, tamquam incontinentiæ fontium frequentationem clericis prohibet, eosque, nisi, ab Episcopo moniti, se corrigant, communione privat.

4. Inter ostierios rejicit inferiores clericos quibus matrimonium permissum est, si viduas duxerint.

5. Clericos excommunicationi subdit, qui militiam amplectendi, aut laicorum more vivendi animo, ministerium suum deserunt.

6. Eamdem pœnam in eos statuit qui religiosam professionem derelinquunt, aut virgines Deo consecratas sibi conjuges sumunt, quoad pœnitentiam egerint, & a præcipitio recesserint in quod eos dæmon jecit.

7. Omne cum homicidis commercium vetat, quoad crimen per pœnitentiam deleverint.

8. Cibum sumi cum iis prohibet qui susceptæ pœnitentiæ exercitationes deserunt, ut se rursus dedent sæculi voluptatibus, iisque potissimum quæ pœnitentibus vetabantur.

9. Confratrum suorum communione Episcopos privat qui alienæ diœceseos clericos seu ecclesiasticos sibi tribuerint.

10. & 11. versantur in eadem re. Segregant ab Ecclesiæ communione clericos qui Episcopum suum deserebant, ut se alteri dederent; voluntque, si is alienus Episcopus eos ad superiorem gradum evexerit, eorum ordinationem nullam esse, nisi legitimus eorum Episcopus suum eidem assensum præbeat.

12. Clericos prohibet, sine commendatitiis Episcopi sui Litteris, iter, extra propriam diœcesin, aggredi.

13. Clericos sinit negotiationis aliquid agere, dummodo sine usura, quippe quam divina Præcepta prohibent.

Thalasius, Andegavensis Episcopus, ad quem missa decreta hæc, ita subscripsit in hæc verba: „ THALASIUS, peccator: legi, subscripsi & approbavi „ Dominorum Episcoporum sanctiones has quas ipsi „ ad me miserunt.

Omnium primus Thalasius, inter Galliarum Episcopos, in conciliorum subscriptionibus, suo nomini *peccatoris* titulum addidit. Usus hic deinceps admodum frequens evasit. *Ibid.*

Concilium Venetense, in minori Britannia, an. 465.

Occasione ordinationis Episcopi Venetensis, coegit S. Perpetuus concilium hoc, cui, præter ipsum Perpetuum, adfuere Episcopi quinque, scilicet, Paternus qui concilii actis secundus subscripsit, Athenius Redonensis, Nunechius Nannetensis, Albinus & Liberalis de quorum sedibus ignoratur. Ediderunt hi Præsules canones sexdecim quorum aliqui magnopere Turonensibus similes sunt.

Primus, Homicidas falsosque testes ab ecclesiastica communione separat, quoad sua crimina per pœnitentiam deleverint.

2. Eamdem pœnam in eos pronuntiat qui conjuges tamquam adulteras repudiantes, quin eas ejusmodi esse proberent, alias ducebant.

3. Non Sacramentorum solum communione, sed etiam communi fidelium mensa eos privat, qui postquam pœnitentiæ se subdiderunt, ejus exercitationes intermittunt, ut se rursus suis veteribus consuetudinibus, omninoque sæculari vitæ se dedant.

4. Eas a communione separat, & inter adulteras rejicit quæ, postquam virginitatis professionem ediderunt, & proinde benedictionem per manuum impositionem susceperunt, adulterii reæ comperiuntur. Statuit eamdem in eos pœnam quibuscum id criminis eæ patraverint.

5. Eidem pœnæ clericos addicit qui, sine commendatitiis Episcopi sui Litteris, provincias percurrunt.

6. Hanc ipsam pœnam ad monachos protrahit qui, absque ejusmodi Litteris, iter egerint, mandatque, ut corporali punitioni subdantur, nisi ad eos corrigendos verba sufficiant.

7. Iis privatas cellulas, præterquam intra monasterii ambitum, & Abbate annuente, interdicit; atque hanc ipsam Abbatis veniam concilium ad eos restringit quos longa experientia majori solitudini idoneos ostendit, aut qui, ob infirmitates, consuetam regulam servare non possunt.

8. Abbatem vetat habere monasteria plura, seu domicilia, præter quam in urbibus recessus quosdam, ubi se ab hostium incursionibus in tuto ponat.

9. Clericos prohibet, excommunicationis indicta pœna, ad sæcularia tribunalia, absque Episcopi venia, confugere; at si Episcopus iis fuerit suspectæ fidei, iisdemve fuerit cum ipso res, oportere subdit, ut ad Episcopos alios confugiant.

10. Ad fraternam charitatem fovendam, Episcopo licere non vult clericum ab alio Episcopo ordinatum, sine hujus venia, ad superiorem gradum provehere.

11. Pronuntiat clericos quibus matrimonium interdictum est, videlicet, presbyteros, diaconos & subdiaconos nuptiarum conviviis aut cœtibus in quibus inhonestis cantionibus aut choreis locus, interesse non posse, ne oculos auresque sacris mysteriis addictas inquinent.

12. Eos vetat apud Judæos vesci, vel ad mensam hos invitare, quia non omnibus iis cibis utuntur, quos nos licitos credimus.

13. Ebrietatem impetit. Clericus qui ebrius fuerit, e communione segregandus, vel corporali pœnæ subdendus est. Notatur in hoc canone ebrium hominem, si quid agat mali, quin sciat, non proinde reum non esse, quia ejus inscitiam creat mentis voluntaria alienatio.

14. Clericum qui in urbe versans, nec ægrotans, Laudum officio, nempe, matutinis precibus adesse neglexerit, communione, ad dies septem privandum ait.

15. Sacrarum cæremoniarum ordinem, usumque psalmodiæ vult in tota Ecclesiastica Turonensi provincia, nempe Lugdunensi tertia eumdem esse.

16. Claricis, sub excommunicationis pœne, divinationem prohibet, cui nomen, *Sanctorum sortes*. Ita nuncupabatur superstitiosus futura divinandi mos ex textibus qui forte fortuna, aperto aliquo sacræ Scripturæ Libro, primum occurrerent. Erant clerici vanæ huic superstitioni vehementer addicti, quam iis concilium, utpote pietati & fidei peculiariter oppositam interdicit. P. Sirmondus, & post eum Cellierius opinati sunt Paternum qui concilii Actis secundus subscripsit, Sanctum Paternum Venetensem esse, ejusque ordinationis occasione concilium hoc habitum fuisse. At Sancti Paterni Venetensis vita, a Bollandistis exhibita, nos docet Sanctum Paternum, sæculo post Venetense concilium vixisse. *Reg. Tom. IX. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Romanum, ann. 465.

Summus Pontifex S. Hilarius, occasione anniversarii ordinationis suæ, concilium hoc, die 19. Novembris, in Basilica Sanctæ Mariæ, celebravit. Adfuere Episcopi quadraginta octo quorum duo erant e Galliis, Ingenuus Ebredunensis, & Saturnus Avenionensis. S. Maximus Taurinensis nominatur post Papam primus. Edita sunt in hoc concilio decreta aliqua quæ Sanctus Hilarius pronuntiavit, quæque cæterorum Episcoporum acclamationibus approbata fuere.

In primo ait Papa suo se principalis Episcopi titulo adigi, ut de Ecclesiæ disciplina sollicitudinis plus quam quivis alius, suscipiat, eoque magis, ni ita se gesserit, reum fore, quo magis dignitate evectus erat.

Monet in altero eos omnes extolli ad sacros Ordines non debere quibus aliæ quam virgines conjuges fuerint, aut qui bis matrimonium inierint.

Addit in tertio eos quoque ab his Ordinibus arcendos esse qui litteras non callerent, aut quibus membrum aliquod amputatum esset, aut qui publicam pœnitentiam egissent.

In quarto, Episcopum ait id ipsum per se damnare debere quod ipse, vel ejus decessores contra Ecclesiæ regulas egerint; secus, fore, ut propterea puniatur.

In decreto quinto, eoque postremo, vetat, ne morientes Episcopi sibi successores designent. *Reg. Tom. IX. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Cabillonense, an. 470.

Cum Pauli, Cabillonensis Episcopi mors quæ in an. 470. incidit, pluribus in ea Ecclesia incommodis, ob trium competentium machinationes, occasionem præbuisset, S. Patiens, Lugdunensis Archiepiscopus ad quem pertinebat, Metropolitani titulo, de successore providere, in eam se urbem cum S. Euphronio, Augustodunensi Episcopo, & provinciæ Episcopis cæteris contulit. Hi Præsules Episcopum elegerunt sanctum presbyterum, *Joannem* nomine, cujus animo nihil munus obversabatur, cujusque in agendo sapientia cumulatissime electioni respondit. Ei, sue in Ecclesia, die 30. Aprilis, publicus defertur honos. *Lab.* unus, *Tom. IV.*

Concilium Bituricense, an. 472.

Habuere concilium hoc Agrecius Senonensis, proximæ provinciæ metropolitanus, S. Sidonius Claromontensis, & aliquot alii Præsules, eligendi Bituricensis Episcopi gratia. Cum populus suum electionis jus in unum S. Sidonium contulisset, S. Præsul Simplicium nominavit qui & ipse tamquam sanctus a Bituricensi Ecclesia colitur, Kal. Martii. *Lab.* unus, *Tom. IV.*

Concilium Arelatense, an. 475.

Hujus concilii occasio fuit quidem presbyter, nomine *Lucidus*, qui errores plures super Prædestinatione superque Gratia disseminabat. Leontius Arelatensis coegit ibidem in hanc rem concilium quod fere ad an. 475. refertur. Adfuere cœtui Episcopi triginta, quos inter, S. Euphronius Augustodunensis, Sanctus Patiens Lugdunensis, Faustus Regiensis, Sanctus Mamertus Viennensis. Perfecit Faustus Regiensis, ut acta concilii, contra Lucidum, suspenderentur, & nihil omisit, ut eum ad veritatem reduceret, seu per colloquia suavitatis plena, seu per scriptum quod ad eum misit, & in quo, paucis, quid in Prædestinationis & Gratiæ negotiis credendum, quid rejiciendum, notabat. Fausto cessit ex voto res, & Lucidus palinodiam cecinit libello ad concilii Patres misso; de quo quidem concilio id unum in comperto est in eo de Prædestinatione fuse actum, erroresque quos Lucidus super hac re proposuerat, damnatos fuisse. Propositiones quas Lucidus damnat, haud prorsus eædem sunt ac quarum damnationem Faustus ab eo postulaverat; at perspicitur, doctrinam cui se adhæsurum promittit, eo demum spectare, ut credat Christum Dominum pro omnibus hominibus mortuum esse; a Deo neminem ad damnationem prædestinari; liberum arbitrium in Adamo non periisse, hominisque cooperationem per Dei gratiam non excludi. Leontius Arelatensis Fausto colligenda mandaverat quæ super Prædestinationis & Gratiæ negotiis in concilio dicta fuerant; at opus suum Faustus in publicum nondum emiserat, cum iis quædam addere jussus fuit, per novum concilium quod Lugduni habitum ob errores quosdam qui adhuc, ut videtur, super iisdem negotiis serpebant. Id unum de hoc Lugdunensi concilio constat, quod sub S. Patiente, qui ad annum usque 480. circiter, Lugduni Episcopus fuit, celebratum esse vero simile fit. Porro Arelatensis concilii, contra Prædestinatianismum, Acta perierunt, facta quidem hypothesi ea unquam extitisse; docti enim viri super Prædestinatianismum, seu Prædestinatianorum hæresi, perinde ac super hoc Arelatensi concilio, superque presbyteri Lucidi persona admodum secti sunt. Contendunt nimirum alii cum P. Sirmondo, Jesuita, extitisse Prædestinatianorum sectam; presbyterum Lucidum ejus auctorem fuisse; hujus errores in Arelatensi concilio damnatos esse, eumque in hoc ipso concilio palinodiam cecinisse. Asserunt alii cum præsidente Mauguino, Prædestinatianorum hæresin imaginariam hæresim esse; nihil eam aliud esse quam nomen quod S. Augustini Discipulis Semi-Pelagiani tribuebant; a Fausto Regiensi Arelatense concilium, æque ac Lucidi palinodiam supposita fuisse. Consuli possunt in hanc rem P. Sirmondus, in Opere quod edidit, *Prædestinati* titulo; P. Duchesne, in sua *Prædestinatianismi* Historia; præsidens Mauguinus in Refutatione quam edidit, *Prædestinati* P. Sirmondi, & Cardinalis Norisius, in sua Pelagianorum Historia, *lib.* II. *cap.* 15.

Concilium Romanum, an. 487.

Felix Papa III. die 14. Martii, sub Boetii consulatu, coegit concilium hoc in Constantini Basilica. Ei Episcopi Italiæ quadraginta, Africæ quatuor interfuerunt, & præterea presbyteri septuaginta sex qui in concilii Actis omnes & singuli nominantur. In eo summus Pontifex initio statim significavit, quem sibi mœrorem afferret excidium Ecclesiarum Africæ, ubi non e vulgo solum homines & inferiores clerici, sed diaconi, presbyteri & Episcopi ipsi se rebaptizari passi fuerant. Cum synodus id statuisset quod tanti momenti res postulabat, Epistolam summus Pontifex quæ concilii exitum continet, ad omnes peculiarium provinciarum Episcopos dedit. Ea quæ nobis superest, data est die 15. Martii, anno post quam concilium habitum fuerat. Episcopos monet Papa iis qui in persecutione lapsi sunt, afferenda esse remedia eorum ulceribus accommodata, ne, si immature cicatrix obduci libuerit, non id hominibus lethali contagione laborantibus inutile solum sit, sed medici quoque rei æque atque ægrotantes evadant, qui adeo perniciosum malum nimis superficie tenus attigerint. Tum descendens ad singula, mandat, ut Episcopi, presbyteri & diaconi qui in baptisma sibi iterandum consenserint, aut vi tormentorum adacti fuerint, pœnitentiæ ad mortem usque subdantur, quin fidelium non solum, sed etiam catechumenorum precibus ipsis intersint. Iis tamen omnibus, quorum prius animum idoneus vir exploraverit, communionem laicam in morte concedit. Ecclesiasticos vero, monachos, religiosas & sæculares qui lapsi, quin coacti essent, verum se erigendi desiderium testati fuerint, per annos tres inter Catechumenos, per annos septem inter Prostratos seu Pœnitentes, & per annos duos cum fidelibus laicis Orationi Adsistentes, quin ullam tamen oblationem exhibeant, ex regula in Nicæno concilio statuta, consistere vult. Futurum addit, ut iidem, siquidem ob tormentorum vim lapsi sunt, post annorum trium pœnitentiam, per manuum impositionem, ad Sacramenti participationem suscipiantur. Quoad pueros clericos seu laicos, mandat, ut per aliquod temporis spatium sub manuum impositione detineantur, iisque deinde communio reddatur, ne in nova errata, ipso pœnitentiæ tempore, incidant; at nec iidem, nec eorum quispiam, qui, extra Catholicam Ecclesiam, baptizati aut rebaptizati fuerint, unquam ad ecclesiasticum ministerium admittantur, quique dolo promoti fuerint, deponantur; Ecclesiæ denique catechumeni qui ab Arianis Baptisma susceperint, triennium inter Auditores permaneant, tum in Catechume-

chumenorum numero sint, inter quos iis orare licebit, quoad cum iis Catholicæ Communionis gratiam, per manuum impositionem, percipiant. Mandat, ut, si quis eorum qui pœnitentiæ addicti fuerunt, in extremo vitæ discrimine versetur, viaticum vel ab Episcopo ipso qui ei pœnitentiam imposuerit, vel a quovis alio, atque adeo a quolibet presbytero accipiat, cum tamen eum ad pœnitentiam admissum fuisse certo constiterit. Episcopis & presbyteris vetat Papa, ne suas in urbes alterius Episcopi pœnitentem recipiant, sine ejus e scripto significatione, seu pœnitens ipse se ligatum fateatur, seu se solutum esse contendat. Oportere subdit, ut, si quid improvisi contigerit, rei solutio a sancta sede petatur. Ad extremum, Papa, ex Nicæni concilii mente, vult eos quibus, in mortis articulo, ante pœnitentiæ finem, communio concessa est, si convalescant, precis solum participes fore, quoad tempus ad pœnitentiam præscriptum absolverint. *Reg. Tom. IX. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Constantinopolitanum, ann. 492.

Euphemius, Constantinopolitanus Patriarcha, Anastasii imperatoris, Chalcedonensis concilii hostibus omnino mancipiti technas antevertere volens, Episcopos qui Constantinopoli versabantur, coegit, ejusque concilii decreta cum iis confirmavit. Anastasius concilium, & ipse, an. 496. convocavit, in quo per Episcoporum ministerium quos Constantinopoli comperit, id assecutus est, ut Euphemius deponeretur, & Zenonis Henoticon confirmaretur. Eodem anno, Macedonius Chalcedonensis concilii decreta, concilio habito, confirmavit; at in eo de Zenonis Henotico alte siluit, Anastasii metu; hæc legimus in Synodico; cum e converso Victor Tunetanus, in *Chro. pag.* 5. memoriæ prodiderit Macedonium, in quodam concilio damnationem in eos pronuntiasse qui Chalcedonensia decreta reciperent, itemque in eos qui Nestorii & Eutychis errores assererent; verum irrepsisse mendum in hunc locum perspicuum est, & pro *suscipiunt*, legendum esse *despiciunt*, quandoquidem Victor idem fatetur, paulo post, imperatorem Anastasium perfecisse, ut Macedonius, Constantinopolitanus Patriarcha, deponeretur, &, una cum ecclesiasticorum pluribus, in exilium pelleretur, quia Chalcedonense concilium damnare nolebat. *Ibidem*, & Balutius, in *Collect.*

CONCILIA
SÆCULI SEXTI.

Concilia Romana, ann. 494. 495. 499. 501. 502. 503. & 504.

HOrum Conciliorum primum ex Episcopis septuaginta conflatum fuit, quibuscum Papa Gelasius, super Libris apocryphis, iisque quos Sancta & Catholica Ecclesia Romana cum veneratione recipit, decretum edidit. Ita quidem in Conciliorum Collectionibus legitur, quamquam, quoad caput hoc, varietas occurrit in antiquis aliquibus exemplaribus quæ decretum hoc non Romanorum conciliorum alicui, sed uni Gelasio tribuunt. Continet hoc decretum primo canonicorum veteris & novi Testamenti Librorum Catalogum, Tridentino similem, nisi quod Gelasianum Machabæorum librum unum & unicum numerat, cum a nobis duo numerentur; at nostri duo, in veterum exemplarium plerisque, unum tantum conficiunt. Post veteris & novi Testamenti Scripturas, Gelasius recipit etiam concilia quatuor, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, & quæcumque concilia Patres auctoritate donarunt. Recipit etiam Patrum Opera quorum Romana Ecclesia auctoritatem admittit. Ex hoc numero sunt Scripta S. Cypriani, S. Gregorii Nazianzeni, S. Basilii Cappadocis, S. Athanasii, S. Cyrilli, S. Joannis Chrysostomi, Theophili Alexandrini, S. Hilarii Pictaviensis, S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, S. Prosperi; S. Leonis ad Flavianum Epistola; cæterorum omnium Patrum Opera qui in Romanæ Ecclesiæ communione mortui sunt; Romanorum Pontificum Decretales Epistolæ, & Martyrum Acta. Declarat deinde Pontifex a Catholica Ecclesia Libros non recipi quos Hæretici, aut Schismatici, aut ipsi Catholici contexuerunt, qui quidem, aliquo in capite, a Catholicæ ipsius Ecclesiæ sententia recesserunt; videlicet, Tertullianus, Eusebius Cæsariensis, Lactantius, Africanus, Posthumianus, &c. Abgari ad Christum Epistola, ea quoque quæ Christi ad Abgarum dicitur, itemque Itinerarium S. Petri, S. Clementis nomine, Acta S. Andreæ, S. Thomæ, S. Petri, S. Philippi; Evangelia S. Thadæi, S. Matthiæ, S. Petri, S. Jacobi, S. Barnabæ, S. Bartholomæi, S. Andreæ, &c. inter apocrypha rejiciuntur. Denique Gelasius damnat omnes characteres, seu schedulas, antidoti loco, quibus Angelorum nomen inditum est, &, generatim, omnia hæreticorum & schismaticorum, eorumdemve assectarum Scripta, quorum nomina a Simone Mago, ad usque Acacium Constantinopolitanum notat, iisque omnibus anathema dicit. Ex Operum indice quæ in hoc concilio inter apocrypha recensentur, facile intellectu est non æque omnia, atque adeo nonnulla quoad certas quasdam rationes tantum damnari ac respui; ita rejiciuntur hæc, ut aliquod exemplum afferam: Eusebii Historia, ob laudes quas in Origenem congerit; S. Clementis Alexandrin. Scripta, ob errores quibus Hæretici Hypotiposeon Libros inspersérant; Scripta Cassiani, quia, in Collatione decima tertia, Semi-Pelagianis favet; denique S. Cypriani Scripta, quia rebaptizationis contra S. Stephanum Papam defensionem in iisdem suscipit.

Idem Papa Gelasius, Maji die 13. an. 495. alterum Romæ concilium habuit, cui adfuere Episcopi quadraginta quinque, presbyteri quinquaginta octo, sæculares Magistratus duo, diaconique plures quorum numerus haud scripto traditus. Misenius, Episcoporum legatorum unus, qui, Constantinopoli, an. 483. Ecclesiæ causam prodiderant, cum libellum supplicem obtulisset in quo suam resipiscentiam significabat, ad Ecclesiæ communionem & sacerdotalem dignitatem rediit; idemque, sub Symmachi pontificatu, Cumani Episcopi titulo, Romano concilio interfuit.

Concilium hoc habitum est Kal. Martii an. 499. in Basilica S. Petri. Papa Symmachus qui illud convocaverat, ut popularibus emotionibus, cujusmodi in ejus ordinatione contigerant, remedium offerret, eidem præfuit. Adfuere presbyteri sexaginta septem & diaconi quinque. Canones, seu sanctiones tres edidit concilium hoc.

Primus Canon presbyterum, diaconum aut clericum, quicunque, vivente Papa, eoque inconsulto, suffragium suum ad Papatum alicui dedisse aut promisisse convictus fuerit, deponendum pronuntiat, seu per schedulam, seu per jusjurandum, suam fidem obstrinxerit. Eadem in eos pœna decernitur qui, super eadem re, in privatis aliquibus cœtibus deliberaverint. Præter depositionem, canon etiam excommunicationem iis minitatur.

2. Statuit, ut, si Papa subita morte sublatus fuerit, quin sui successoris electioni consulere posset, is Episcopus consecretur cui totius cleri suffragia præsto fuerint; quod si qua partitio in suffragiis extiterit, majoris numeri ratio habeatur.

3. Mandat, ut, si quis edita molimina detexerit, & detecta probaverit, non solum absolvatur ipse, si conscius fuerit, sed etiam congrue compensetur. Subscripsit his decretis Papa omnium primus; tum Episcopi, presbyteri & diaconi qui aderant, subscripserunt; archipresbytero Laurentio, inter presbyteros, primas tenente.

Archipresbyter hic Laurentius, eadem qua Symmachus die, Papa a patricii Festi assectis electus fuerat. Theodoricus Rex in Symmachi favorem decidit, quia prior ordinatus fuerat, & suffragia plura retulerat. At, cum, aliquot post annis, qui a Laurentio stabant, atroces in Papam Symmachum accusationes conflassent, in eumque finem, alios testes quos ad regem Theodoricum miserunt, subornassent, Princeps hic, non sine Papæ Symmachi consensu, concilium coegit, in quo de accusationibus in eumdem editis judicaretur. Hujus concilii prima sessio quæ ex Italiæ Episcopis constitit, habita est in Julii Basilica, mense Julio an. 501. Habita est sessio altera, *Kal.* Septembris, in Ecclesia San-

Sanctæ Crucis, *Hierosolyma* nuncupata, aliter *Basilica palatii Sessorii*. Papam, ea die ad concilium pergentem aggressa per iter hostium cohors presbyterorum eum comitantium plures saxorum jactu sauciavit, occidissetque, nisi Regis officiarii tres præsto fuissent, qui Papam ad ædes S. Petri, unde venerat, reduxerunt. In tertia postremaque sessione quæ in Octobris diem 23. incidit, pronuntiata est a concilio sententia quæ Papam ab affictis accusationibus liberabat. Huic sententiæ septuaginta sex Episcopi subscripserunt.

An. 502. die 6. Novembris, habitum est Romæ, in Basilica S. Petri, concilium aliud cui Papa Symmachus præfuit. Huic interfuerunt Episcopi octoginta, presbyteri triginta septem, & diaconi quatuor quorum unus Hormisda qui summus deinde Pontifex fuit. In eo revocatum est ad examen Statutum quoddam quod, sub S. Simplicii Pontificatu, Basilius, prætorii præfectus ediderat, qui etiam Odoacren, Italiæ Regem repræsentabat. Eo spectabat Statutum hoc, ut ne quis Romanæ urbis Episcopus renuntiaretur, quin Italiæ Rex consuleretur assensumque præberet, ut Romani episcopi, sub anathematis pœna, quicquam ex Ecclesiæ bonis alienare prohiberentur, ac si qua forte alienatio fieret, nullius omnino valoris esset, Ecclesiarum pretiosa supellex & ornamenta, quæ quidem supervacanea essent, venderentur, eorumque pretium in pauperes distribueretur. Universum concilium opinatum est hujus Statuti nullam rationem habendam esse, & Papa Symmachus, abusibus in posterum occurrere volens quos idem Statutum reformare contenderat, nulli Papæ licere statuit ullum ruralem fundum, quæcunque ejus amplitudo fuerit, in perpetuum alienare, aut permutare, vel in usufructu positum, præter quam clericis, captivis, exterisque donare; urbium domos quæ non nisi gravibus impensis sustentari possent, in annui census locatione relinqui posse; eadem lege presbyteros titulorum urbis Romæ, æque ac reliquos omnes clericos obligari; neque enim jure dici posse eum qui non nisi secundum in Ecclesia gradum tenet, haud legi subesse, ad quam summus Pontifex, per Christi Domini charitatem, se ipse redegit. Pœna in eos lata qui Ecclesiæ bona vendunt, aut alienant, aut donant, depositio est; at anathemate plectuntur qui rem alienatam accipiunt, itemque qui alienationis aut donationis contractui subscribunt. Ecclesiasticorum cuique concilium eam veniam dat, ut res alienatas cum fructibus repetat; at declarat sanctionem hanc ad sanctam solum sedem spectare, integrum relinquens Episcopis singulis, in provinciis, ut suæ quisque Ecclesiæ consuetudinem, pro sua ipsorum conscientia, sequantur.

Aliud præterea concilium Symmachus, an. 403. Romæ habuit, cui Episcopi octodecim supra ducentos, ut e subscriptionibus apparet, interfuerunt; at earum pleræque censentur additæ vel ad alia concilia pertinere, quia in iis comperiuntur Episcopi plures qui, ante annos quinquaginta duos, Chalcedonensi concilio adfuerant, quorumque, in Historia, post annos decem quam illud concilium habitum fuit, nulla amplius occurrit mentio. Cum ad Sancti Petri Confessionem Episcopi consedissent, jussit Papa Scriptum proferri quod in eos qui concilium impugnabant, in quo Papa Symmachus innocens declaratus fuerat, Ennodius elucubraverat; adhuc nobis suppetit Apologia hæc; illud Ennodius elaboravit, ut ad Scriptum responderet quod in publicum Schismatici emiserant, hoc titulo: *Contra irregularis Absolutionis Synodum*. Ennodii Opus communi omnium voce approbatum inter apostolica decreta relatum fuit. Renovata decreta vetera quæ prohibent, ne suum oves pastorem accusent, nisi cum is contra fidem errat, easve peculiariter læsit, quia licet pastorum res gestæ reprehensione dignæ videantur, iidem tamen dicteriis impetendi non sunt. Statutum præterea, ut Episcopus suis bonis spoliatus, aut sua sede pulsus redintegraretur, & omnia in integrum restituerentur, antequam in judicium acciri posset. Hæc omnia concilium servari voluit, sub pœna depositionis quoad clericos, & privationis communionis quoad monachos & laicos, cum anathematis comminatione, in pertinaciæ casu; quod argumento est excommunicationis pœnam quam anathematis minorem fuisse. Satis perspicue ostendit Ennodius Papam Symmachum a Schismaticis adulterii accusatum fuisse; crediturque calumnia hæc ei per peculiarem sanctionem jubendi occasionem præbuisse, ut Episcopi, presbyteri & diaconi semper apud se perspectæ probitatis virum, rerum ab ipsis gestarum testem haberent, & qui non satis haberent in bonis, ut huic impensæ pares essent, aliis ipsi se socios adderent, quo clericorum vita non solum a malo, verum etiam a suspicione in tuto esset. Ejusmodi socii *Syncelli* nuncupabantur.

Romanorum conciliorum, Symmacho quidem pontifice, postremum *Kal. Octobr. an.* 504. in S. Petri Ecclesia habitum est; ut nempe compeiretur malis remedium, quibus Ecclesiæ per eos subierant qui temporalia bona sibi usurpabant quæ iis fideles, ad suorum peccatorum remissionem, donaverant, aut testamento reliquerant. Instauratæ sanctiones quas ediderant in hanc rem superiora concilia; decretumque, ut eorum bonorum usurpatores tamquam aperti hæretici haberentur, communione scilicet, quoad omnino restituissent, privarentur. Eos quoque concilium excommunicationi subdidit qui bonorum Ecclesiæ possessionem misissent, prætexentes ea sibi liberalitate aut mandato Principum donata fuisse, seu quod ea ipsi invasissent; eisque prohibet bona hæc filiis, aut hæredibus, successionis in modum, relinquere. Subscripsere concilio huic Episcopi centum & quatuor; at eorum majorem numerum Justellus assert quam Labbæus qui varietatis tam multum, seu quoad Episcoporum, seu quoad Ecclesiarum eorumdem nomina, in subscriptionibus occurrere animadvertit, ut vix ac ne vix quidem restitui possint. *Reg. Tom. IX. & X. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Agathense, in Occitania, an. 506.

Alaricus, Visigothorum in Hispania rex, licet Arianus, Catholicis suarum ditionum Episcopis in Agatham urbem conveniendi facultatem concessit. Octoginta quatuor e provinciis pluribus quæ sub ejus Principis dominatione erant, adfuisse tradit Ceillerius; P. Longueval, in sua *Gallicana Ecclesiæ Historia*, viginti quatuor tantum recenset; & Hermantius, in sua *Conciliorum Historia*, triginta quinque. S. Cæsarius, Arelatensis Episcopus, huic cœtui præfuit. Notiores Episcopi cæteri sunt S. Cyprianus Burdegalensis, Tetradius Bituricensis, Heraclianus Tolosanus, S. Quintianus Redonensis, S. Galactorius Bearniensis, seu Lescariensis, qua in urbe ut Martyr colitur, utpote morte ab Arianis affectus; Gratus Oleronensis, cui tribuitur Beati titulus, S. Glicerius, seu Luzerius Consorannensis cujus festum Augusti die 7. celebratur; Sophronius Agathensis, Petrus qui Episcopi Palatii titulum sumit, ob eam, ut videtur, causam, quia in Alarici regis palatio, cum aulici partim Catholici, partim Ariani essent, suus utrisque Episcopus erat, quod vero similius videtur quam quod ait Valesius qui conjicit Petrum, Palatii Episcopum, eumdem ac Lemovicensem Episcopum esse qui *Episcopi Palatii* nomen sumit, quia Palatii, qui locus Lemovico proximus, degebat, quemadmodum Sagienses Episcopi interdum Oximenses, & Carnatenses interdum Dunenses appellabantur. At, præterquamquod Episcopus hic in Lemovicensium Episcoporum Catalogis non reperitur, tum quidem eam sedem occupabat Ruricius, ut constat ex ejus Epistolarum una, ad S. Cæsarium Arelatensem missa, in qua se excusat, qui senectutis infirmitatibus impeditus Agathensi concilio, an. 506. interesse non posset. Episcopi decem, cum eo se ipsi conferre non potuissent, deputatos miserunt quorum alii presbyteri erant, diaconi alii. Coivere, 11. Septembris die, an. 506. in Ecclesiam S. Andreæ, ubi quædam hujus Apostoli exuviæ servabantur. Fusis pro Alarico rege precibus, qui, licet Arianus, *piissimus Princeps*, quæ Ristis locutio est, nominatur, facta est veterum canonum confirmatio; & quadraginta septem quidem canones editi.

Primus, mandat, ut bigami, seu qui viduas conjuges duxerint, seu presbyteri seu diaconi sint, suscepti ordinis nomen servent, quin ejus munia tamen obire possint, placet enim concilio, miseratione quadam, sinere eos honoris gradu frui quo tunc gaudebant, contrariisque, quæcunque tandem super hac re ab aliis conciliis editæ fuerint, sanctionibus derogat.

2. Mandat, ut clerici refractarii ab Episcopo puniantur, ac si quis, ex eorum numero, superbia tumens, communionem contempserit, Ecclesiæque adesse, ac suas ibidem functiones peragere neglexerit, e matricula deleatur, & ad exteram communionem redigatur, ad exterorum clericorum communionem scilicet quibus gradus supra laicos concedebatur, at infra ecclesiæ clericos quibus idem erat atque his gradus. Addidere Patres fore, ut, si resipuissent, & erratı pœnitentiam egissent, in Ecclesiæ matricula reponerentur, in suosque gradus restituerentur. (Matricula dicebatur catalogus cui inscripta erant tum clericorum qui de Ecclesiæ retributionibus participabant, tum pauperum nomina quos alebat Ecclesia ipsa.)

3. Mandat, ut Episcopi qui, nulla moderatione servata, innocentes, aut levium solum culparum reos communione privaverint, eosque, vel efflagitantes suscipere noluerint, moneantur, ut id faciant, a proximis Episcopis qui, iis renuentibus, obtineant auctorita-

rita-

ritatis ſatis, ut excommunicatis communionem, ad concilii celebrationem uſque, concedant, ne forte morientes ejus peccatum augeant qui eos a communione removerat.

4. Clericos, ſeu laicos qui pia legata retinent, tamquam pauperum homicidas, excommunicationi ſubdit, prout a concilio ſtatutum eſt. (Eſt hoc Vaſionenſe concilium, an. 442.)

5. Clericus qui Eccleſiam diripuerit, ad communionem exteram redigetur, ſcilicet, ut paulo ante explicatum eſt, non amplius ex ejus Eccleſiæ clero cenſebitur.

6. Declarat oblationes ab exteris Epiſcopo factas tamquam ad Eccleſiam pertinentes ſpectari debere, tum quia ſtat præſumptio eos qui donant, id ad ſuæ ipſorum animæ ſalutem facere, tum quia juſtitiæ conſonum eſt, ut, quemadmodum iis Epiſcopus fruitur quæ Eccleſiæ donantur, ita quod Epiſcopo datur, ad Eccleſiam pertineat. Ex hoc rerum genere eas excipit quæ in fidei commiſſis, ſeu Epiſcopo, ſeu Eccleſiæ donatæ ſunt.

7. Epiſcopos vetat eccleſiæ domos, captivos & vaſa alienare, niſi Eccleſiæ neceſſitas vel utilitas poſtulet, ut hæc vendantur, vel ad uſum dentur; quod coram duobus tribuſve proximis Epiſcopis probabitur, eorumque ſubſcriptione firmabitur; iiſdem tamen licere vult captivos qui Eccleſiæ bene deſervierunt, libertate donare, quin a ſucceſſoribus ad captivitatem redigi poſſint, iiſdemque, dum libertate donantur, aliquid dare, ſeu terram, ſeu vineam, ſeu domum, dummodo, quod datur, aureorum viginti ſolidorum ſummam non ſuperet. Quæ vero in tenui proventu ſunt, & Eccleſiæ parum utilia, hæc in exterorum aut clericorum favorem diſponendi facultatem Epiſcopo concilium relinquit.

8. Mandat, ut, ſi clericus ſua munia deſerat, & apud ſæcularem judicem ſe recipiat, ut diſciplinæ ſeveritatem evitet, excommunicatione cum eo plectatur qui ſuum eidem præſidium conceſſerit.

9. Decretorum executionem commendat quæ ſummi Pontifices Innocentius & Siricius in presbyteros & diaconos ediderunt qui poſt ordinationem, cum uxoribus continentiam non ſervant. Affert, hac occaſione, Epiſtolarum utriuſque Pontificis loca quæ altaris miniſtrorum cælibatum ſpectant.

10. Et 11. Vetat, ne quis e clericis alias apud ſe feminas quam matrem, ſororem, filias aut neptes detineant, famulaſve aut libertas habeant quæ in eadem domo degant.

12. Rotundis verbis jubet omnes fideles, dominicis diebus exceptis, per totam Quadrageſimam, atque adeo Sabbatis jejunare. (Scilicet, in Orientis Eccleſiis, ſabbatum a jejunio liberum erat; & is quidem Gothorum qui ab Oriente venerant, mos fuiſſe videtur.)

13. „Explicabitur publico Symbolum Competentibus, in omnibus Eccleſiis, eadem die, nempe diebus octo ante Paſcha.“ (*Competentes* nuncupabantur catechumeni qui Baptiſmati ſuſcipiendo idonei judicabantur.)

14. „In altarium conſecratione non ſufficit chriſmatis unctio; ſacerdotali præterea, videlicet, Epiſcopali benedictione opus eſt.“

15. Præſcribit pœnitentibus, ut, dum pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum Epiſcopi, itemque ex ejus manu cilicium ſuper capite, ex communi conſuetudine, accipiant. Addit lore, ut, ſi capillos amputare, veſtem mutare, dignoſque pœnitentiæ fructus edere pœnitentes renuerint, ex pœnitentium albo explodantur. Adoleſcentibus porro, ob ætatis imbecillitatem, haud facile pænitentiam concedi vult; eorum tamen omnibus qui verſantur in mortis periculo, viaticum vult, hoc eſt, abſolutionem concedi.

Publicæ pœnitentiæ uſus hoc loco perſpicitur. Vulgo imponebatur, in Quadrageſimæ initio; &, Feria quinta majoris hebdomadæ, iis abſolutio tribuebatur qui eadem digni putabantur. Regino qui, nono labente ſæculo, & decimo ineunte, vivebat, cæremonias quæ, ejus ætate, ad publicam pœnitentiam imponendam ſervabantur, ita deſcribit: „Quadrageſimæ prima die, quicunque pœnitentiam acceperunt, vel accepturi ſunt, ſe ſiſtunt Epiſcopo, ad Eccleſiæ januam, nudis pedibus, ſacco induti, proſtrataque in terram facie. Epiſcopus, decanis, parœciarum archipresbyteris, & teſtibus, hoc eſt, pœnitentium presbyteris qui eos ſedulo examinare debent, comitantibus, pœnitentiam peccatis reſpondentem iiſdem imponit; tum eos in Eccleſiam inducit; humique cum clero ſtratus, pœnitentiales pſalmos ſeptem pro iiſdem recitat. Deinde, ſecundum canones, iis manus imponit; eos aqua benedicta aſpergit; ſuper eorum capite cineres ponit, illudque cilicio involvunt. Iis denique declarat, oportere, ut, quemadmodum Adam e paradiſo ejectus fuit, ita & ipſi ex Eccleſia ejiciantur, ſuiſque miniſtris mandat, ut eos ejiciant. Eos clerus extra Eccleſiam ponit, concinens triſte illud: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.*“ Regino, *De Diſcipl. Eccl. Edit.* Balutii, *p.* 135. Cineres qui etiamnum, Quadrageſimæ prima die, cilicii loco, ſuſcipiuntur, ſolemniſque & publica abſolutio quæ Feria quinta hebdomadæ Sanctæ peragitur, hujus diſciplinæ veſtigia ſunt.

16. Et 17. „Non eſt diaconatu inſigniendus qui non annorum viginti quinque, nec presbyteratu aut epiſcopatu, qui non annorum triginta ætatem attigit; & antequam ordinentur qui conjugati ſunt, eorum conjuges aſſenſum præbeant, neceſſe eſt; nec ordinandi ſunt, niſi poſtquam quoad domicilium ſe ab uxoribus ſeparaverint, &, perinde atque ipſæ, pœnitentiam promiſerint.“

18. „Laici qui Natalis Dominici, Paſchatis & Pentecoſtes ſolemnibus diebus non communicant, Catholici cenſeri non debent.“

19. „Velum religioſis feminis tribui non debet, ante quadrageſimum ætatis annum, quantumvis earum mores probati ſint.“

20. „Archidiaconus clericos qui longos capillos deferunt, vel invitos tondere debet. Iidem clerici non niſi veſtes & calceamenta quæ eorum ſtatus ſanctitati congruant, geſtare debent.“

21. „Si quis in ſua terra privatum oratorium habere voluerit, ei permittitur, ut in eo Miſſam, ad ſuæ familiæ commodum, dicendam curet; at Paſchatis, Natalis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, cæteroſque ſolemnes dies in urbibus vel in parœciis celebrari neceſſe eſt; quique iis ſolemnibus diebus, ſine Epiſcopi venia, in ejuſmodi privatis oratoriis Miſſam dicerent, aut Officium peragerent, excommunicationi ſubeſſent.“

22. Renovantur veteres canones qui clericos prohibent Eccleſiæ bona, utcunque, alienare, quorum iis uſusfructus conceditur. Eorum venditio aut donatio, ſi quam ediderint, nulla declaratur; jubenturque Eccleſiam, de ſuo, ſi ſatis in bonis habent, indemnem reddere; & communione privantur. (Eccleſiaſtica bona hæc quorum uſusfructus clericis cedebatur, id erant quod, ſubſecutis temporibus, *beneficiorum* nomine deſignatum eſt.)

23. Epiſcopum vetat, quoad eccleſiaſticas dignitates, juniores clericos ſenioribus anteferre, niſi forte horum quiſpiam, ob violata Epiſcopi juſſa, dignus eſſet qui ad humilitatem redigeretur. Ei tamen facultas relinquitur, ut archidiaconum eligat quem aptiorem compererit, ſiquidem qui inter clericos ſenior eſt, huic officio obeundo non ſit.

24. Vaſionenſis concilii, an. 442. ſuper pueris expoſitis, nonum & decimum canones renovat.

25. Excommunicatione conjugatos plectit qui ſe ſepararunt, antequam, apud provinciæ Epiſcopum, matrimonii diſſolvendi legitimas cauſas ſibi ſubeſſe probaverint.

26. Eidem pœnæ clericos ſubdit qui titulos bonorum Eccleſiæ ſupprimunt aut tradunt, itemque eos qui clericos ipſos ad ejuſmodi titulos tradendos ſollicitarunt.

27. Vetat nova monaſteria, ſine Epiſcopi venia, ædificari, vagoſque monachos ordinari, in urbibus aut in ruris parœciis, iis exceptis quibus Abbas favorabile teſtimonium reddiderit; vetat etiam, ne quis Abbas alterius monaſterii monachum, quin ejus ſuperior annuat, recipiat; eumque monachum ad monaſterium e quo egreſſus eſt, remiſſum vult. Addit Epiſcopum, ſi monachum ad clericaturam evehi neceſſe fuerit, id facere non poſſe, niſi ex Abbatis conſenſu.

28. Mandat, ut, ad dæmonis tentationes, pravoſque hominum ſermones vitandos, puellarum & virorum monaſteria invicem diſtent.

29. Eccleſiam vult eorum, ſi opus fuerit, defenſionem ſuſcipere quos domini legitime manumiſerunt.

30. Statuit, ut, quia in divini Officii celebratione, unam eamdemque rationem ſervari par eſt, poſt Antiphonas, presbyteri & Epiſcopi Collectas dicant; matutini & veſpertini temporis Hymni, diebus ſingulis, concinantur; ad Officiorum finem, poſt Hymnos, Capitula e Pſalmis ducta recitentur, & poſt Collectam, ſeu veſpertini temporis Precem, cum Epiſcopi benedictione populus dimittatur. (Perſpicitur hinc divinum Officium jam tum ex Antiphonis, Collectis ſeu Orationibus, Hymnis & Capitulis confectum fuiſſe.) Initio quidem quicunque Pſalmi ſeu Hymni alternis, ſeu e duplici choro concinebantur, *Antiphonæ* dicti ſunt; redactum deinde eſt vocabulum hoc ad verſiculum

sum qui ante Psalmum carebatur, eumque fere ex eodem Psalmo ductum significandum.

31. „ Qui inimicitias invicem fovent, & conciliari „ renuunt, primum a presbyteris monendi sunt; si eorum monitis obsecuti non fuerint, excommunicatio„ ni suberunt. “

32. „ Clericus, sine Episcopi nutu, neminem potest „ apud laicum judicem in jus vocare; ipso in jus apud „ eumdem accitus, respondere potest; at accusatio„ nem intentare in re criminali non debet. Lai„ cus qui injuste & per calumniam, clericum adigit, „ ut apud laicum judicem litiget, communione priva„ bitur. “

33. „ Si Episcopus cui nec filius nec nepos est, „ aliam suorum bonorum heredem quam Ecclesiam „ instituit, quicquid bonorum ex Ecclesia provenien„ tium dederit, repetetur; sin ei filii sunt, hi quidem „ Ecclesiæ illatam injuriam ex bonis ab eo sibi reli„ ctis compensabunt. “

34. „ Judæi, ad menses octo, inter Catechumenos, „ probationi suberunt, antequam baptizentur; at, si „ forte mortis periculum adsit, ante id temporis ba„ ptizabuntur. “

35. „ Episcopi qui a metropolitano ad concilium, „ vel ad Episcopi ordinationem vocati adesse renue„ rint, quin morbo, vel aliquo Regis mandato impe„ diti fuerint, Ecclesiæ communione privabuntur, ad „ primum concilium usque. “

36. „ Quicunque e clericis fideliter deserviunt, la„ borum suorum salarium, seu stipendium, secundum „ canones, ab Episcopis recipere debent. “

Qui sequuntur canones quinque, iisdem propemodum verbis ex Vanetensi concilio ducti sunt. In iis homicidæ, falsique testes communione spoliantur; renovantur interdictiones in clericos & monachos, ne quod iter, sine suorum Episcoporum venia & Litteris, peragent; in presbyteros, diaconos & subdiaconos, ne nuptiarum conviviis intersint; in omnes demum clericos & laicos, ne cum Judæis comedant. Ecclesiasticis summopere commendatur, ut ebrietatem evitent, secus, corporali punitione, aut triginta dierum excommunicationa plectendi.

42. Clericos & laicos vetat auguriis, & *sanctorum sortibus*, quas vocant, se dedere. *Vide* Vanetensis concilii, an. 465. canonem sextum.

43. Prohibet, ne pœnitentes ordinibus initientur; presbyteros autem, aut diaconos qui ita per ignorantiam ordinati fuerint, sui ministerii munia obire non vult.

44. „ Presbytero omnino non licet benedictionem, „ in Ecclesia, populo, aut pœnitenti tribuere. “ De solemni benedictione Episcopo reservata hoc loco agitur.

45. & 46. „ Licet Episcopis, ob validas causas, & „ quidem absque aliorum Episcoporum consensu, ter„ rulas, parvas vineas, suarumque ecclesiarum alia „ minoris momenti bona alienare. Poterunt iidem de „ prodigis captivis disponere. “

47. „ Hisce verbis jubentur omnes ad unum lai„ ci, die dominica, integræ Missæ interesse, nec ante „ egredi quam Episcopus populo benedixerit. Qui de„ fuerint, ab Episcopo publice arguentur. “ (Presbyteri nondum in Missa benedictionem tribuebant. Benedictio hæc intelligi debet de solemni quæ, majoribus festis diebus, adhuc in nonnullis Ecclesiis ante Communionem tribuitur. Leguntur hæc: *Totas missas tenere*; quæ quidam locutio sæpe pro omnibus divinorum Officiorum generibus, at peculiariter pro ipsius Missæ officio sumitur.)

Alii præterea viginti quatuor, tamquam Agathensis concilii canones a Gratiano laudantur; verum pene omnes deprompti sunt ex Epaonensi concilio, nec in antiquioribus manuscriptis codicibus, cum Agathensibus comperiuntur. Impressi sunt inter Hispaniæ concilia, post Toletanum concilium septimum. Eos igitur hoc loco referri inutile fuerit. P. Antonius Pagius, ad an. 406. P. Sirmondum ait quadraginta octo canones in Agathensis concilii manuscriptis codicibus nactum esse; at P. Sirmondus se tantum quadraginta septem nactum testatur. *R g. Tom. X. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Primum Concilium Aurelianense, an. 511.

Clodoveus Rex, e S. Remigii Remensis, & S. Melaniæ Redonensis consilio, Julii die 10. an. 511. concilium hoc habendum curavit. Ei adfuere Metropolitani quinque, videlicet, Cyprianus Burdegalensis, Tetradius Bituricensis, Licinius Turonensis, Leontius Eausiensis, & S. Gildardus, seu Godardus Rothomagensis, cum Episcopis numero pluribus; omnino triginta duo quorum nonnulli Agathensi concilio interfuerant, quia, ut videtur, eorum diœceses ab Alarici dominatione, post victoriam ex hoc Visigothorum rege reportatam, in Clodovei potestatem devenerant. Articulos super quibus sanctiones edi oportebat, Clodovæus ipsis Præsulibus indicavit. Hinc confecti canones triginta & unus quos antevertit brevis Præfatio in qua Episcopi profitentur Clodovæi auctoritate se convenisse; & Epistola in qua, postquam ejus Principis pietatem & de catholica Fide sollicitudinem commendarunt, eumdem rogant, ut decreta quæ in responsionem ad articulos plures ab eo sibi propositos ediderant, confirmet, seu potius iis sua ipsius auctoritate vim & robur afferat.

Primus, Canon eo spectat, ut asyli jus servet quod Canones Romanæque Leges Ecclesiis & Episcoporum ædibus ipsis concesserant. Prohibet ergo, ne homicidæ, adulteri & fures non ex Ecclesia solum, sed ex Episcopi atrio domoque tollantur, reddanturve, nisi obstricta jurisjurandi fide fore, ut nec mutilatione, nec alia pœna plectantur, sed ea quoque conditione, ut reus faciat læsæ parti satis, & qui jusjurandum violaverit, excommunicationi subsit. Quod si pars cujus interest, compositioni stare noluerit, & reus effugerit, metus causa, hunc e clericis repeti non licebit.

2. Modum adhibet huic primo canoni, quoad raptores qui una cum puellis quas rapuerint, in Ecclesia se in tuto ponunt. Si puella per vim, & repugnans rapta fuerit, ac de re constet, ea quidem in libertate ponetur, & raptor captivus fiet, aut jubebitur se ipse redimere. At si puella in raptum consensit, atque pater adhuc superstit, hæc ei reddetur, quin ullam ipse satisfactionem e raptore exigere possit.

3. Mandat, ut captivus, si quarum culparum reus ad Ecclesiam confugerit, domino reddatur qui jurejurando recipere jubeatur ei se, ob affugium, nil mali illaturum; at si, contra obstrictam fidem, eum male habuisse convictus fuerit, a communione & a Catholicorum mensa arceatur; quod si captivus extrahi renuat, tametsi dominus, petentibus clericis, ei se nil mali allaturum jurejurando promiserit, ex Ecclesia per vim extrahi poterit.

4. Vetat, ne quis sæcularis, citra Regis jussum, consensumve judicis ordinetur; iis tamen exceptis quorum parentes & majores e clero fuerant, quia sub Episcoporum potestate remanere debebant. (Ea hujus canonis ratio est, quia liberæ conditionis laici, cum militare servitium Regi deberent, clericaturæ quæ eos ejusmodi muneribus eximebat, haud, absque ejus approbatione, addicebantur.)

5. Mandat, ut agrorum fructus quos Ecclesiæ, per Regis donationem, cum exemptione a muneribus, tenent, in Ecclesiarum reparationes, presbyterorum ac pauperum sustentationem, captivorumque redemptionem impendantur, jussis Episcopis in id incumbere, additisque comminationibus fere, ut negligentes suorum fratrum communione priventur.

6. Eos excommunicatione percelli vetat qui sua se contra Episcopum aut contra Ecclesiam jura prosequi posse arbitrantur, dummodo suis ipsi prosecutionibus contumeliosas exprobrationes aut criminosas accusationes non addant.

7. Abbates, Presbyteros, clericos, & religiosos excommunicationi subdit, suorumque qualitatum honore spoliatos vult qui gratiam petituri ad Principem se contulerint, sine Episcopi venia, qui tamen eos poterit restituere, siquidem plene cumulateque suo satis errato fecerint.

8. Mandat, ut si captivum Episcopus, inscio domino, et ejus servitutis ipse probe conscius, diaconum aut presbyterum ordinaverit, captivus quidem clericus permaneat, Episcopus vero, seu qui eum ordinandum curavit, duplum pretium solvet; sin Episcopus id ignoravit, erit in eum actio qui eum ad ordinationem præsentaverit.

9. Presbytero, seu diacono qui capitalis criminis rei fuerint, depositionis & excommunicationis pœnam imponit.

10. Assentitur, ut clerici hæretici, qui quidem ex animo resipuerint, ad munia suscipiantur quibus eos dignos Episcopus judicabit, ea tamen lege, ut iisdem ipse prius manuum impositionem impertiatur. Assentitur etiam, ut Gothorum Ecclesiæ per easdem cæremonias atque Ecclesiæ Catholicæ concilientur.

11. Communionem & Catholicorum mensam pœnitentibus interdicit qui, ut ad acta redeant quæ sæculi sunt, suo ipsorum statui nuntium remittunt, vetans, ne quis, post interdictum, cum iisdem comedat, ea indicta pœna, ut, qui secus egerit, communione ac ipse privetur.

12. Præs-

12. Presbyteris aut diaconis qui ab altari, ut alicujus culpæ pœnitentiam agerent, recesserunt, eam veniam dat, ut Baptismum conferant, si necessitas urgeat, nec alius Ecclesiæ minister qui eum conferat, comperiatur.

13. Si presbyteri aut diaconi vidua iterum nupserit, & posteriorem virum relinquere noluerit, ambos excommunicationi obnoxios fore pronuntiat.

Canones tres qui sequuntur, proventuum Ecclesiæ dispensationem spectant. In iis statuitur, ut omnium quidem fundorum ad Ecclesiam pertinentium administratio, seu matrici Ecclesiæ, seu parœciis donati fuerint, penes Episcopum sit, oblationum vero quæ in cathedrali Ecclesia ad altare fiunt, dimidia pars Episcopi sit, & cleri altera; at in parœciis, pars solum tertia; Episcopus porro pauperibus & invalidis qui laborare non possunt, victum & vestitum, pro viribus, tribuat.

17. Declarat, ex jure veteri, Episcopo jurisdictionem fore in novas omnes Ecclesias quæ per ejus diœcesin extructæ fuerint.

18. Cum consobrina, seu fratris vidua, seu defunctæ uxoris sorore conjugium iniri vetat.

19. Abbates subdit Episcopis qui eos corrigere, si regulæ desint, & semel in anno convocare debent. Pareant, oportet, monachi abbatibus qui iis adiment quicquid proprietatis titulo habuerint; vagantes in carcerem trudent, cum Episcopi subsidio, ut eos ex regula puniant. (Quæ regula fuerit de qua fit hoc loco mentio, non constat; nec in comperto est ullam, tum quidem, omnibus monasteriis communem in Galliis extitisse.)

20. Prohibentur monachi orario uti, in monasterio, & calceamenta gestare.

P. Longueval, in sua *Gallicanæ Ecclesiæ Historia*, tomo secundo, vocabulum *orarium* per *stolam* vertit, at male vertit.

„ Vox *orarium*, inquit Hermantius (in suæ *Conci-*
„ *liorum Historiæ Tom. II.*) proprie significat subtile
„ linteum quo facies abstergebatur; & id quidem Mo-
„ nachis prohibet synodus, &, post eam, S. Isidorus,
„ in Regula quam pro monachis edidit, *cap.* 12. “
Ceillerius quoque vocem *orarium*, per lintei quo facies detergitur, vocabulum reddit. Ad calceamenta quod attinet, latinus textus habet *tzangas*, quo nomine *calcei* significantur. Id P. Longueval ita intelligit, ut fuerit calceamentum quoddam ex corio confectum, cothurno, & fortasse levioribus ocreis admodum simile.

21. Monachum qui monasterium deserit & uxorem ducit, in ecclesiasticum statum ingredi nunquam posse pronuntiat.

22. Monachum qui ambitione ductus a monasterio recesserit, non posse, sine Episcopi aut abbatis venia, cellulam alibi, ut seorsim vivat, extruere.

23. Si Episcopus, beneficentia quadam, Ecclesiæ terras clericis aut monachis dederit, quas colerent, quibusve ad statum tempus fruerentur, eos non posse cum Ecclesiæ detrimento easdem retinere, aut contra Ecclesiam ipsam, civilium legum vi, ullam præscriptionem acquirere.

24. Mandat, ut Quadragesima diebus quadraginta, non autem quinquaginta constet. (Ut nimirum in omnibus Galliarum Ecclesiis consensionem statuerent, sanctionem hanc ediderunt Episcopi, quia in earum aliquibus non pauci jejunium, singulis Quadragesimæ Sabbatis, intermittebant; quod in causa erat, ut iidem a Quinquagesima jejunium inchoarent.)

25. Declarat civium nullum, nisi ob infirmitatem, posse ruri Paschatis, Natalis Dominici, & Pentecostes festos dies celebrare.

26. Addit licere nemini e Missa egredi, antequam ad exitum perducta fuerit, & antequam Episcopus benedictionem tribuerit. (Benedictio Missam finiebat; nullum enim tunc ultimum Evangelium dicebatur.) Est hæc institutio admodum recens, inquit P. Longueval; suam ea originem fidelium pietati debet, qui sæpe initium Evangelii S. Joannis, ad Missæ finem, sibi recitatum volebant.

27. Mandat, ut omnes Ecclesiæ Rogationes seu Litanias celebrent; ut jejunium quod per eos tres dies servabitur, ad Ascensionis festum desinat; ut in ejus tridui jejunio, Quadragesimales cibi usui sint; & ut, eorumdem trium dierum spatio, servi ancillæque ab opere exempti sint.

28. Clericos qui tam sanctum opus participare neglexerint, ex Episcopi voluntate puniendos pronuntiat. (In latino textu legitur; *Suscipiant disciplinam*.) Id verti potest: virgis cædantor. *Disciplina* vocabulum primo quidem pro cujusque generis correctionibus sumitur; sed quia in monasteriis, ad disciplinam

sartam tectamque servandam, flagellatio peculiariter usui erat, ideo correctio hæc *disciplina* nomine designata fuit.

29. Veteres canones renovat qui omnem cum exteris feminis familiaritatem tam Episcopis quam presbyteris & diaconis interdicunt.

30. Eos Ecclesiæ communione privat qui divinationes, auguria, vel sortes, falso *Sanctorum* dictas observant.

31. Episcopum, die dominico, adsistere vult Officio ejus Ecclesiæ quæ a loco in quo ipse versabitur, propius aberit, nisi eum aliqua infirmitas impedierit. *Reg. Tom. X, Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Agaunense, an. 515.

Cum S. Sigismundus, regis Gondebaudi filius, Arianam hæresin abjurasset quam Burgundiones profitebantur, ut aliquod suæ pietatis specimen exhiberet, Agauni, seu in Fano S. Mauritii in Vallesia, templum eo magnificentius in quo SS. Martyrum Agaunensium reliquiæ jam quiescebant, erigendum curavit. Monasterium quoque auxit, eo consilio, ut majorem monachorum numerum ibidem poneret. Cum Ecclesia, an. 515. ad exitum perducta esset, Princeps hic, ad ejus celebrandam Dedicationem, Episcopos sexaginta, tam ex Burgundiæ regno, quam ex finitimis provinciis, & totidem comites seu magnos dominos qui eidem dedicationi adsisterent, congregavit. Quamvis porro S. Aviti Viennensis nomen in rerum in concilio gestarum narratione non reperiatur, certum tamen est sanctum hunc Præsulem in eo Sermonem cujus unus nobis titulus superest, pronuntiasse. Ex Episcopis cæteris qui adfuere, non alios quam S. Viventiolum Lugdunensem, Maximum Genevensem, Theodorum Sionensem, & Victorem Gratianopolitanum agnoscimus. Dies sexdecim occupavit cœtus, ab Aprilis 30. ad Maji 15. quo temporis spatio decreta plura ad monasterii dispositionem edita; quorum præcipuum fuit, ut in eo vigeret perpetua nunquamque intermissa psalmodia, in eumque finem, monachorum cohortes novem, ad Officia diu noctuque concinenda, sibi mutuo succederent; quamobrem eximuntur labori manuum cujus usus in monasteriis cæteris obtinebat. Qui Actus seu Relationis eorum quæ in hoc concilio contigerunt, authenticitatem impugnant, ad ejus falsitatem probandam id offerunt quod de hac perpetua psalmodia ibidem dicitur, contendentes ejus usum in Occidente institutum non fuisse, & solum in Oriente, in Acœmetarum monasteriis scilicet, locum habuisse. Verum ex veteribus monumentis pluribus potius evincitur perpetuam psalmodiam in Occidente, per Agaunense monasterium, initium sumpsisse; ad consuetudinis quæ ibidem quoad caput hoc obtinebat, imitationem, sanctam Salabergam mandasse, ut in virginum monasterio quod ipsa Lauduni fundavit, adessent religiosæ tercentæ circiter quæ per agmina distributæ, noctu & interdiu, Dei laudes canerent; sanctum Amerium qui ex Agaunensi monasterio eductus fuerat, statuisse & ipsum, in S. Romarici monasterio, virginum ordinis septem quæ sine intermissione divinum Officium concinerent, diu noctuque; eumdemque morem a Dagoberto in S. Dionysii basilica institutum fuisse, idque ad Agaunensis monasterii exemplum, ut refert Fredegarius. In eodem cœtu, Hymnemundus Agauni abbas electus fuit; decretumque, ut ipse ejusque successores se sanctorum Librorum scientia sedulo imbuerent, eorumque exempla ad monachos erudiendos edenda curarent, pronontiatum est etiam, si quis deinceps cœtus sanctiones impetere conaretur, Abbatem posse sibi apud sanctam sedem consulere. Ad calcem Actorum hujus concilii, quæ exhibentur in Galliæ Christianæ tomo quarto, in Conciliis P. Labbæi, & in Scripto cui titulus, *Les Masures de l'Isle-Barbe*, occurrit donatio qua Rex Sigismundus Agaunense monasterium ad monachos sustentandos, ad fovenda luminaria, & ad cætera quibus ecclesia domusque opus haberent, locupletavit. Agaunensibus monachis unum idemque triclinium erat, unum idemque dormitorium, unus idemque focus. Eorum vestimenta alimentaque abbatis inspectioni ac prudentiæ relicta erant.

Concilium Tarraconense, in Hispania, an. 516.

Concilium hoc, ex Episcopis decem constans quorum primus Joannes Tarraconensis, Metropolitanus, habitum est die 6. Novembris an. 516. In eo editi canones tredecim, tam ut vetus disciplina custodiretur, quam ut quidam abusus anteverterentur.

Primus, Mandat, ut ecclesiastici, aut monachi quibus ea venia datur, ut suis consanguineis opitulentur,

iisdem necessaria suppeditent; eos invisere possint; ita tamen, ut apud eos haud diutius consistant, secumque provectæ ætatis perspectæque probitatis virum, suorum actorum testem ducant; quod si quis hanc sanctionem violaverit, si clericus, sua dignitate spolietur; si monachus, in monasterii cellulam conjiciatur, & in pœnitentia ex pane & aqua ponatur, prout Abbas jusserit.

2. Clericos vetat emere viliore pretio, aut carius vendere; statuens, ut qui se hujusmodi commercio implicuerint, a clero impediantur.

3. Clericum ait qui pecuniam cuipiam eo necessitate versanti mutuam dederit, posse, pro data pecunia, vinum aut triticum sumere, quo tempore, quaque ratione voluerit; at si is cui mutuam pecuniam dedit, harum specierum neutram præ manibus habuerit, clericum satis habere vult eamdem ab eo summam, absque ullo prorsus augmento, recipere.

4. Vetat Episcopis, cæterisque omnibus clericis nullum die dominico judicium peragere, quippe qui dies omnino in Dei servitio ponendus est. Eos tamen ait edere posse judicia, diebus reliquis, at in re criminali nunquam.

5. Pronuntiat Episcopum qui a Metropolitano ipso ordinatus non fuit, etsi non sine ejus venia, se Metropolitano, intra bimestre spatium, præsentare debere, ut ab eo documenta & monita necessaria suscipiat. Si qua eum infirmitas impedierit, Metropolitanum de re per Litteras certiorem faciet. At si neglexerit id facere, eum arguent Episcopi cæteri in synodo quæ prima habebitur.

6. Suorum fratrum, ad futurum concilium usque, privat Episcopum qui ei quod indictum fuerat, non interfuit, quin ullus eum morbus retinuerit.

7. Est pro ruralibus parœciis constitutio. Compresbyter & diaconus iis deserviebant, hi quidem, alternis, per suam uterque hebdomadam, ibi degebant. Sabbato, earum ecclesiarum clerus omnis in promptu erat, ut die dominica Officium ibidem perageret; at, quotidie, in iisdem parœciis Matutinum & Vesperæ dicebantur. Qui Officiis deerant, ex summo canonum jure puniri debebant.

8. Mandat, ut Episcopi suarum Diœceseon ecclesias, quotannis, visitent, ibique necessarias reparationes edant ex tertia omnium fructuum parte, qui iis attributi sunt, prout in veteri traditione est.

9. Lectorem, seu ostiarium e clero expulsum vult, qui novum conjugium inire, aut cum conjuge adultera morari voluerit.

10. Vetat, ne quid salarii sumant clerici, in sæcularium judicum modum, quod operam dederint, ut jus redderetur, nisi forte gratuitæ oblationes, in ecclesia, iisdem fiant, nulla servitii quod præstiterint, ratione habita. Qui contra fecerint, gradu dejici, usurariorum instar, debent.

11. Monachos prohibet, qui ad externa loca se conferunt, ad ecclesiasticum ministerium incumbere, nisi ex abbatis mandato, sine quo nec sæcularibus negotiis se se immiscere debent, siquidem monasterii utilitas non ita postulet, atque ita quidem, ut, imprimis, Gallicanarum Ecclesiarum canones, quoad monachos, servent.

12. Mandat, ut, post Episcopi mortem qui nullum testamentum ediderit, presbyteri & diaconi omnium bonorum inventarium conficiant, ac si quem ex iisdem bonis aliquid sumpsisse constiterit, ad restituendum adigatur.

13. Metropolitani esse ait non solum cathedralis Ecclesiæ presbyteros, sed rurales quoque, cum sæcularium aliquibus, ex numero puerorum ecclesiæ, ad concilium vocare. Videtur porro canon hic de concilio tantum loqui, quod fere ad Episcoporum ordinationem habebatur. Gratianus Tarraconensis concilii fragmentum affert, in quo dicitur, quemadmodum Baptisma iterari non licet, ita Confirmationem quoque semel tantum conferri debere. *Reg. Tom. X. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Gerundense, in Hispania, an. 517.

Habitum est concilium hoc, Junii die 18. an. 517. conflatumque ex metropolitano Tarraconensi qui eidem præfuit, ejusdemque provinciæ Episcopis sex. In eo editi canones decem.

Primus, Mandat, ut in Missæ, divinique Officii celebratione, Metropolis ritum sequatur provincia universa.

2. Ut Litaniæ seu Rogationes duæ, trium dierum utraque, intermisso carnis & vini usu, annis singulis, peragantur; prima quidem, per hebdomadam quæ dies Pentecostes proxime sequitur, a Feria quinta ad Sabbatum, & hoc ipsum.

3. Altera vero Litania edatur prima Novembris die, ea conditione, ut, si dominica fuerit, remittatur hæc Litania in sequentem feriam quintam, ut ei sabbatum finem imponat.

4. Ut solemne Baptisma, Paschatis tantum & Pentecostes festis diebus administretur, reliquis autem per annum festis, solum ægrotantes baptizentur, quibus, nullo unquam tempore, Baptisma negari licet.

5. Ut infantes, quia fere, cum lucem aspiciunt, ægroti sunt, quamprimum baptizentur, præsertim si reapse morbo laborent, perspiciunturque ubera non petere.

6. Ut clerici qui ordinati fuere, dum ægrotarent, ab Episcopis ad subdiaconos usque, seorsim ab uxoribus suis habitent, aut, si minus separatim degunt, apud se detineant confratrum unum, eorum vitæ futurum testem.

7. Ut clerici qui in cælibatu ordinati fuere, nullam feminam, ad rei domesticæ procurationem, habeant, nisi mater aut soror fuerit.

8. Ut ne suscipiantur in clerum laici qui, post conjugis mortem, cum altera rem habuerint.

9. Ut in clerum recipi possit qui morbo correptus petiit percepitque pœnitentiæ benedictionem, *viaticam* dictam, quæque per communionem tribuitur, dummodo, postquam convaluit, publicæ pœnitentiæ addictus non fuerit, criminumve convictus quæ eidem obnoxia sunt.

10. Ut Episcopus, seu presbyter, quotidie, post Matutinum & Vesperas, dominicam Orationem pronuntiet. *Ibid.*

Concilium Epaonense, an. 517.

Ubinam gentium extiterit Epaonensis locus in quo habitum concilium hoc, acriter disputatum est; pauca sunt ecclesiasticæ Historiæ capita quæ magis in controversiam vocata fuerint. Chorerius hujus concilii locum statuit *Pona*, cujus existentia vix innotescit. Vetus inscriptio Yene ad Bellicensem diœcesin spectante inventa, quæque Deæ Epaonæ mentionem faciebat, doctorum virorum pluribus, &, inter alios, Fleurio, *Historia Ecclesiastica Tom. VII.* Yenen fuisse concilii de quo agitur, locum. Occurrit in *Ephemeride ecclesiastica, ad mensem Februarium an.* 1763. super Epaonensis loci situ, D. Vapincensis Episcopi Monumentum. Probat illustris auctor veterem Epaonem, ubi concilium quod ejus nomen præfert, habitum est, eum locum esse qui hodie *Albon* dicitur, & Viennensis diœceseos parœcia est, Viennam Allobrogum inter & Romansium, ab utraque urbe quinque circiter leucis distans, & a Rhodano parum dissita. Epaonis terra quondam e Viennensi Ecclesia pendebat; quod non impedivit, quin eam comiti *Abbo*, feudi titulo, daret Ludovicus Pius, per Diploma Aquisgrano datum, regni ejus anno decimo octavo quem esse christiani nominis 831. nihil vetat, si ab eo tempore ducatur ipsius regni initium, quo eum Carolus Magnus in Imperii societatem suscepit. Alia Charta quæ distinctius Epaonis situm statuit, legitur in *folio* 43. *Chartularii Ecclesiæ Viennensis*; est hæc ab *Arlulfo*, ejusque conjuge *Adaera* huc Ecclesiæ facta bonorum donatio, quæ in Viennensi Agro possidebant, in loco *Ancyron* dictus, in Epaonensi territorio. Adscripta est huic Chartæ 17. Decembris dies, anni decimi a Vienna diruta, Carolo, imperatore (Carolo Calvo) regnante. Ancyron etiamnum Viennensis Agri parœcia est, a comitatu Albonensi pendens, quæque, utpote tunc in Epaonensi territorio sita, Epaonem ostendit eumdem locum esse qui nunc temporis *Albon* dicitur. Perspicitur vocabulum *Epaonensis*, quod in Ludovici Pii Diplomate legitur, jam corruptum fuisse, ut alia complura, sub Caroli Calvi regno, siquidem in posteriore Charta legitur *Ebbaonensis*. Seu ergo, per mutationum continuationem, eo ventum fuerit, ut e voce *Ebbaonensis*, *Albon* fieret; seu comes *Abbo*, vel *Albo* suum terræ nomen dederit, quam ab Ecclesia Viennensi in feudum acceperat, constans firmumque videtur veterem Epaonem locum esse qui nunc *Albonis* nomine notus est, & quo pendet adhuc, ut tunc pendebat, Ancyronensis parœcia; quod identitatis characteristicum signum est.

Sub Agapiti consulatu, & X. Kal. Octobr. hoc est, die 15. Septembris an. 517. Epaonense concilium habitum est, anno primo regni Sigismundi cui S. Avitus, Viennensis Episcopus, catholicam Fidem afflaverat. Adfuere concilio huic Episcopi viginti quinque, ex Burgundiæ regno universi, quorum primus S. Avitus qui cœtui præfuit quem convocaverat, quemadmodum ex encyclica Epistola compertum fit qua S. Præsul

sal omnes & singulos suæ provinciæ Episcopos, ut ad concilium convenirent, hortatus est. In eo editi canones quadraginta.

Primus, Mandat, ut Episcopi a Metropolitano vel ad concilium, vel ad Episcopi ordinationem acciti, morbi causa tantum, eximi possint.

2. & 3. Bigamos ad presbyteratum aut diaconatum evehi, eosque qui publicam pœnitentiam egerunt, in clerum suscipi vetant.

4. Episcopos, presbyteros & diaconos prohibet canes aut aves ad venationem alere, excommunicationis ad menses tres, in Episcopum, ad menses duos, in presbyterum, & ad mensem unum, in diaconum, statuta pœna.

5. Vetat, ne unius diœcesis presbyteri in alterius diœcesis parœcia vel capella servitium præstent, sine proprii Episcopi venia, nisi eos Episcopus a quo pendent, ei concesserint in cujus diœcesi hæc ecclesia est. (Canon hic antiquitatem probat disciplinæ quæ presbyteros jubet qui in aliena diœcesi operam suam collocare volunt, a proprio Episcopo litteras sumere quibus initium, exeat.)

6. Ad communionem recipi vetat presbyteros aut diaconos qui sine Episcopi sui Litteris iter faciunt.

7. Ecclesiæ bonorum venditiones a presbyteris editas qui parœciis deserviunt, nullas declarat.

8. Eos vult in scripta referre quid emerint vel ipsi sibi, vel Ecclesiæ nomine. Abbatibus idem præcipit, qui nihil vendere, sine Episcopi venia, possunt, ac ne captivos quidem qui monachis donati fuerunt, manumittere.

9. & 10. Abbates vetant monasteria duo regere, &, inscio Episcopo, nova instituere.

11. Clericos ait posse apud sæculares judices litem agere, defendentes tamen, non postulantes, nisi forte Episcopus ita jubeat.

12. Episcopum prohibet quicpiam, sine Metropolitani nutu, ex Ecclesiæ bonis vendere; at eumdem sinit utiles permutationes edere.

13. Clericum falsi testimonii convictum pronuntiat capitalis criminis reum censeri.

14. Clericum ait in alia ecclesia Episcopum ordinatum debere ecclesiæ quam deserit, ecclesiastica bona reddere quibus ex ejus liberalitate auctus fuerat. (Id probat ecclesiæ cujusque beneficia nondum possessa nisi ab iis fuisse, qui in ea residere eique deservire poterant.)

15. Vetat, ne clerici Catholici cum clericis Hæreticis ad mensam assideant, excommunicationis quidem superiorum ordinum clericis, corporali autem clericis inferiorum ordinum indicta pœna. Vetat præterea laicos cum Judæis, & clericos vel cum iis vesci qui cum Judæis comedissent.

16. Presbyteros patitur per sanctum chrisma morientes hæreticos conciliare; qui porro bene valent, Episcopum adire debent.

17. Nulla declarat legata quæ Episcopus edit, testamento, ex ecclesiæ bonis, nisi eam de propriis compenset.

18. Ecclesiæ bona quæ clerici, vel Principis auctoritate, possident, nunquam in proprietatem abitura declarat, quæcunque præscriptio subesse possit.

19. Mandat, ut, si Abbas, etsi se innocentem jactet, compertus errati aut fraudis reus, successorem, Episcopi sui nomine, recipere nolit, negotium ad Metropolitanum deferatur.

20. Vetat Episcopis, presbyteris, diaconis, aliisque omnibus clericis, ne, quibus non decet, horis se ad invisendas feminas conferant; quod de meridie & vesperis canon intelligit; addens, si eas adeundi necessitas subsit, id eos facere posse, aliis clericis comitantibus.

21. Viduas consecrari vetat Diaconissarum titulo. Iis pœnitentiæ solum benedictio tribuetur, si voluerint se convertere, hoc est, religiosam vitam agere. (Viduas diaconissas consecrandi consuetudo, in Occidente, post hanc Epaonensis concilii constitutionem aboleri cœpit. Ad pœnitentiæ benedictionem quod attinet, de qua in hujus canonis fine sermo est, hoc loco non de benedictione agitur quæ publicis pœnitentibus tribuebatur, cum Ecclesiæ redintegrabantur, sed de precibus quas edebat Ecclesia, cum viduas suscipiebat, quæ, continentiam promittentes, se Deo consecrabant; id ita Turonense secundum concilium explicat.)

22. Mandat, ut presbyter, seu diaconus, capitalis criminis reus, deponatur, & in monasterio, quoad vixerit, detineatur, ubi ei communio tribuetur.

23. Eos excommunicatione plectit qui pœnitentiam deserunt, ut sæcularem vitam ducant, nisi intermissam pœnitentiam repetant.

[1] Richard Concil. Tom. I.

[1] 24. Eam laicis veniam dat, ut clericos, quacunque dignitate insigniti sint, accusent, modo quod in eos proferunt, verum sit.

25. Reliquias in ruralibus Oratoriis poni vetat, nisi adsint proximis in locis clerici qui advenientes Officium ibidem peragant, iisque pretiosis cineribus, per psalmorum cantum, honorem exhibeant. Quod si satis proximi clerici nulli sint, ad ea oratoria nemo ordinabitur, quin vi fundationis satis ad vestitum victumque suppetat.

26. Alia altaria quam lapidea, chrismatis unctione, consecrari vetat.

27. „ Provinciæ Episcopi, in divini Officii celebra„ tione, Metropolis ritum sequentur. "

28. „ Si Episcopum mori contigerit, antequam quem „ damnavit, absolvat, eum successor absolvere pote„ rit, siquidem errorem correxerit, ejusque pœniten„ tiam egerit. "

29. Pœnitentiæ quam veteres canones iis præscribunt qui post Baptismum in hæresin lapsi sunt, breviores terminos statuit; eum nempe redigit ad annos duos quorum spatio tribus per singulas hebdomadas diebus jejunare debent, ecclesiam frequentare, ibi inter pœnitentes consistere, & cum catechumenis egredi.

30. Eos ad pœnitentiam recipi vetat qui incestuosa matrimonia contraxerunt, nisi se separent. Ita nuncupantur matrimonia cum cognata, cum socru, cum nuru, cum patrui vidua, cum consobrina, aut consobrinæ filia.

31. Pœnitentiam renovat quam vicesimus secundus & vicesimus tertius Ancyrani concilii canones in homicidas præscribunt qui pœnam legibus latam vitaverint.

32. „ Presbyteri, aut diaconi vidua non poterit ite„ rum nubere; id si fecerit, expelletur ipsa æque ac „ vir ex ecclesia, quoad se separaverint. "

33. „ Hæreticorum ecclesiæ tamquam impuræ & ex„ secrandæ spectabuntur, nec sanctis usibus addici po„ terunt, quippe quæ purgari omnino non possunt; „ sed ex repeti poterunt quæ per vim Catholicis adem„ ptæ fuerint. "

Pugnat canon hic cum Aurelianensis concilii primi canone decimo qui statuit oportere, ut hæreticorum ecclesiæ consecrentur; atque is quidem communis usus ecclesiæ est.

34. „ Dominus qui, sua ipsius auctoritate, capti„ vum vita spoliaverit, Ecclesiæ communione priva„ bitur per annos duos. "

35. „ Cives, natalibus distincti, Paschatis & Do„ minici Natalis noctem cum Episcopo, ubicunque „ locorum fuerit, celebrabunt, ut ejus benedictionem „ percipiant. "

36. „ Peccatorum nulli adimenda est veniæ spes, „ si pœnitentiam agat & se corrigat. Quod si verse„ tur in mortis articulo, pœnitentiæ tempus quod ca„ nones præscribunt, ei remittendum est, ea conditio„ ne, ut, si convaluerit, tam peragat, postquam „ peccatorum suorum absolutionem perceperit. "

37. „ Laicum, quin pietatis argumenta præbuerit, „ ordinari non licet. "

38. „ Nec magis in puellarum monasteria, nisi pro„ vectæ ætatis perspectæque virtutis personis, & qui„ dem monasterii rationibus ita postulantibus, ingres„ sum concedi licet. Qui ipsi in ea pedem inferunt, „ ut Missam dicant, statim ac Servitium absolutum „ est, egredi debent. Clerici, & juniores monachi po„ tissimum, in ea non ingredientur, nisi iis consan„ guineæ ibidem sint. " (Ostendit canon hic tum quidem Monialibus non nisi capellas intra ædes fuisse.)

39. „ Si captivus, atrocis criminis reus, in eccle„ siam confugerit, a corporalibus tantum pœnis immu„ nis erit; nec jurare jubebitur ejus dominus ei se „ nec consuetum laborem impositurum, nec capillos, „ ut notum reddat, amputaturum. "

40. Pronuntiat Episcopos qui horum canonum executioni invigilare neglexerint, & coram Deo, & coram confratribus reos fore. Post Metropolitanorum duorum, S. Aviti Viennensis, & S. Viventioli Lugdunensis subscriptiones, conspiciuntur subscripta nomina S. Sylvestri Cabillonensis, S. Apollinaris Valentiensis, S. Aviti fratris, S. Gregorii Lingonensis, S. Pragmatii Augustodunensis, S. Maximi Genevensis, S. Florentii Arausicani; &c. *Ibidem*.

Concilium Lugdunense, an. 517.

Episcopi decem ex eorum numero qui Epaonensi concilio interfuerant, Lugduni, eodem anno 517. aut sequenti, cum Viventiolo, ejusdem urbis Episcopo, concilium aliud celebrarunt, occasione Stephani quem

rex Sigiſmundus fiſco præfecerat. Is Palladiam ſibi conſanguineam, vel, ut in S. Apollinaris vita legitur, ſuæ primæ conjugis ſororem duxerat. Convicti ambo; captumque, in primo canone, ut eorum damnationem quicumque pronuntiaſſent, Epiſcopi propugnarent, in eumdemque modum ſe gererent cum iis omnibus qui ejuſdem criminis rei eſſent. Decrevere deinde Patres, in ſecundo canone, ut ſi forte eorum quiſpiam hac de cauſa vexaretur, reliqui de ejus perpeſſionibus ſolliciti eſſent, eique ob detrimenta quæ paſſus eſſet, ſolatium afferret. Voluere præterea, in canone tertio, ut, ſi Rex, ſententia in Stephanum & Palladiam edita exacerbatus, ab Epiſcoporum qui eam ediderant, communione abſtinere, nec amplius in eccleſia cum iiſdem verſari pergeret, ſe ipſi in monaſteria reciperent, e quibus non ante pedem efferrent, quam pax cæteris omnibus reddita eſſet. Noluerunt, in quarto canone, quempiam eo temeritatis progredi, ut alterius eccleſiam uſurparet, eove abſente, Officium, aut ullum prorſus alium juriſdictionis actum ibidem obire, ea indicta pœna, ut ſuorum fratrum communione privaretur. Ad viventis Epiſcopi ſedem adſpirandi interdictiones, in quinto canone, renovant, eoſque qui ſe ita ordinandos curaſſent, itemque qui in ejuſmodi ordinationum partem veniſſent, in omne tempus excommunicatos declarant. Ex ſexto, eoque poſtremo hujus concilii canone, tantum judicii in reos duos lati æquitatem Rex agnoviſſe videtur, quandoquidem ajunt Epiſcopi ſe ex hujus Principis ſententia, eam Stephano & Palladiæ veniam dediſſe, ut adeſſent Eccleſiæ precibus, ad populi Orationem uſque, poſt Evangelium, ſcilicet uſque ad *Orate, fratres*. (*Reg. Tom. X. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*)

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 518.

Coactum eſt concilium hoc, Julii die 10. an. 518. pontificatus Hormiſdæ quinto, & imperii Juſtini primo, a Joanne patriarcha, conflatumque ex Epiſcopis quadraginta, tam iis qui Conſtantinopoli verſabantur, quam proximis. Cum populus & monachi petiiſſent, ut Euphemii & Macedonii, Conſtantinopolis Patriarcharum, & Leonis, Romani Epiſcopi nomina, cum conciliis quatuor, & nominatim Chalcedonenſi, in ſacra dyptica referrentur, factum eſt eorum votis ſatis; mandatumque præterea, ut qui, Euphemii & Macedonii cauſa, expulſi ſeu in exilium acti fuerant, revocarentur, in ſuaſque quiſque ſedes reſtituerentur; cum populus etiam & monachi poſtulaſſent, ut in eos qui ſe apertos Chalcedonenſis concilii hoſtes proteſſi fuerant, cujuſmodi nominatim Severus, Antiochenus pſeudo-patriarcha fuerat, anathema pronuntiaretur, eum æterno anathemate dignum, ab omni functione, omnique Presbyteri atque adeo Chriſtiani hominis nomine amotum, & generatim communione ſpoliatum, tamquam blaſphematorem & calumniatorem ſanctorum conciliorum, ſynodus declaravit. Cum autem Joannes patriarcha huic cœtui non adfuiſſet, Epiſcopi e quibus conſtabat, ſynodicam ad eum Epiſtolam quæ quicquid in eo geſtum erat, continebat, ab Epiſcopis quadraginta quorum primus Theophilus Heracleenſis, ſubſcriptam miſerunt. Ejuſdem concilii Patres ſynodicam aliam Epiſtolam ad Papam quoque Hormiſdam miſerunt, rogantes, ut ſuam Orientis Epiſcopis communionem concederet, legatoſque Conſtantinopolin mitteret, qui ejus auctoritate, eos in Eccleſiam recipere qui in ſchiſma, vel in hæreſin lapſi erant, omnibuſque Eccleſiis pacem reddere poſſent.

Cum porro Joannes, Conſtantinopolitanus patriarcha ad Joannem patriarcham Hieroſolymitanum ſcripſiſſet, Præſul hic, Auguſti die 6. ejuſdem an. 518. Hieroſolymis concilium habuit, in quo ſtatutum, ut generalium conciliorum quatuor, & papæ S. Leonis nomina in dypticis ponerentur; approbatumque etiam anathema quod in Severum pronuntiatum fuerat. Idem actum & in concilio quod eodem anno, Septembris die 16. Tyri habitum fuit. *ibid.*

Concilium Romanum, an. 519.

Cum Papa Hormiſdas ex Oriente tum Juſtini imperatoris, tum Joannis, Conſtantinopolitani patriarchæ, tum comitis Juſtiniani Litteras accepiſſet, quæ ab Orientalibus generalia quatuor concilia ſuſcipi, ſanctique Leonis ipſiuſque Hormiſdæ nomina fuiſſe in dypticis poſita teſtabantur; Papa hic, ineunte an. 519. concilium Romæ coegit; quod decrevit fore locum iis rebus omnibus quæ in Conſtantinopolitano concilio ad Chalcedonenſis confirmationem, & in Severum, pſeudo-epiſcopum Antiochenum, & Eutychianos cæteros geſtæ fuerant, at quod idem concilium ad nominum Euphemii & Macedonii in dyptica reſtitutionem ſtatuerat, nullum fore, quia hi duo Epiſcopi cum Acacio communicaverant; mandavit deinde, ut ad apoſtolicæ ſedis communionem ſuſciperentur Orientis eccleſiæ, ſiquidem ſchiſmaticum Acacium damnabant, ejus æque atque Euphemii & Macedonii e ſacris Tabulis expuncto nomine. Occidentis & Orientis eccleſiarum conciliatio, his conditionibus, ſtatuta fuit. *Ibidem.*

Eodem an. 519. Caerlonii, metropolis Cambriæ, ſeu regionis Walliæ, ſub epiſcopatu S. Davidis, ejus urbis epiſcopi, ad Pelagianæ hæreſeos reliquias in ea provincia extirpandas, omnium Magnæ Britanniæ Epiſcoporum concilium extitit. Aliud etiam fuit in Sardinia, ſub annum 521. cujus nobis ſupereſt ſynodica Epiſtola in qua Africæ Epiſcopi ſuam ſuper Gratia & libero Arbitrio ſententiam explicant, quæ non alia quam Sancti Pauli Apoſtoli & Sancti Auguſtini eſt.

Concilium Arelatenſe, an. 524.

Coactum eſt concilium hoc cui quartus inter Arelatenſia locus tribuitur, occaſione dedicationis eccleſiæ Sanctæ Virginis, die ſexta Junii, pontificatus Papæ Joannis I. anno ſecundo, & Theodorici in Italia regni ſecundo ſupra triceſimum. Ei præfuit Sanctus Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus, adſiſtentibus Epiſcopis duodecim, presbyteris tribus, alioque deputato, *Euchterio* nuncupato, qui non alium quam Legati Gallicani, Epiſcopi ſui, titulum ſumit. In eo editi canones quatuor qui nihil aliud efficiunt quam eos renovant qui jam in conciliis pluribus inſtituti fuerant.

Primus, Pronuntiat ordinari non debere diaconum ante viceſimum quintum ætatis annum, aut Epiſcopum presbyterumve ante ætatis annum triceſimum, & oportere, ut, qui ordinabitur, mundi vitam, ex aliquo tempore, deſeruerit.

2. Presbyteratus, ſeu diaconatus ordinem laico, non niſi poſt annum ab ejus reſipiſcentia, conferri vult.

3. Prohibet, ſecundum veteres canones, ne pœnitentes aut bigami ordinibus initientur.

4. Vagantes clericos, æque atque eos a quibus recipiuntur aut proteguntur contra proprios Epiſcopos, communione privat. *Ibidem*,

Concilium Ilerdenſe, an. 524.

Habitum eſt concilium hoc, Auguſti die 8. an. 524. anno decimo quinto regni Theodorici in Hiſpania. Epiſcopi, numero octo, edidere canones ſexdecim qui ſequuntur.

Primus, Mandat, ut qui altari ſerviunt, qui Chriſti Domini Sanguinem diſtribuunt, aut qui ſacra vaſa tangunt, ab humano ſanguine, quavis, etiam defendendæ obſeſſæ urbis obducta cauſa, fundendo abſtineant; eoſque qui contra fecerint, communione privari & a ſui miniſterii functionibus amoveri, per annos duos; errata vigiliis, jejuniis & precibus expiare, & cum ſatis fecerint, ita redintegrari poſſe vult, ut ne tamen iis concedatur, ut ad ſuperiores ordines promoveantur. Quod ſi pœnitentiam ſuam negligenter obierint, erit in Epiſcopi poteſtate, ut eam protrahat.

2. Præſcribit pœnitentiæ annos ſeptem in eos eaſve qui efficiunt, quacunque demum ratione, ut infantes ex adulterio concepti aut nati pereant; vetans, ne iiſdem communio, ante hunc terminum, tribuatur; eaque lege, ut rei, poſt elapſos eos annos ſeptem, pergant, dum vixerint, pœnitentiam agere, ac ſi clerici fuerint, poſtquam in communionem redierint, non amplius ſervitium præſtent, ſed choro tantum adſiſtere, cum cantoribus, poſſint; venenati autem poculi præbitores communionem, ſolum ad vitæ finem, ſuſcipiant, ſiquidem, ex quo ſcelus patrarunt, illud in omne tempus defleverint.

3. Agathenſes & Aurelianenſes, ſuper monachis, canones renovat, addens Epiſcopum poſſe, ex abbatis conſenſu, & ad Eccleſiæ utilitatem, quos e monachis reos compererit, ordinare; at eum vetat canon hic in donationes monaſteriis factas manum immittere, volens tamen, ut ſi quis laicus efficere cupiat, ut eccleſia quam erexerit, conſecretur, id non poſſit, ſub monaſterii titulo, eo conſilio, ut impediat, ne ea in Epiſcopi diſpoſitione ſit, niſi eadem eccleſia ad monachorum communitatis uſum ſit.

4. Inceſtuoſos ait, quoad ſe ſeparaverint, excommunicatos fore, ut Chriſtianorum nullus veſci cum iis poſſit; eoſdem tamen ad catechumenorum Miſſam receptos vult.

5. Pronuntiat, ſi quis ex altaris miniſtris in carnis peccatum aliquod, ex fragilitate, lapſus fuerit, &,

cum

cum Dei gratia, sinceræ pœnitentiæ specimina præbeat, in Episcopi potestate fore, ut eum quamprimum restituat, vel diutius ab Ecclesia separatum relinquat, pro ut in agenda criminis pœnitentia sedulum aut inertem compererit; ea tamen conditione, ut eum dum restituit, omnino sperare vetet fore, ut ad superiores gradus promoveatur; quod si clericus recidat, privabitur officio suo, nec nisi in morte ad communionem suscipietur.

6. Mandat, ut qui viduam aut religiosam violavit, excommunicatione plectatur, eidemque pœnæ religiosa subsit, nisi se ab eo separaverit; quod si ea suum ad officium redierit, publicæ pœnitentiæ addicatur; & quoad satisfecerit, excommunicatio subsistet.

7. Eum qui se umquam cum eo conciliaturum juravit, quicum litigat, a Communione Corporis & Sanguinis Christi Domini, ad annum, separat, eidemque consilium dat, ut quamprimum eleemosynis, lacrymis & jejuniis peccatum deleat.

8. Vetat, ne quis clericus suum captivum, suumque discipulum ex ecclesia in quam confugit, cædendum extrahat, secus, ad congruam satisfactionem usque, ab ecclesia removendus.

9. Eos qui ab hæreticis rebaptizati fuere, quin ad id tormentis adigerentur, pœnitentiam Nicænis canonibus designatam subire vult, ut scilicet per annos septem precibus vacent, inter Catechumenos, &, inter Catholicos, per annos duos; deinde vero, per Episcopi clementiam humanitatemque, Oblationis & Eucharistiæ, cum fidelibus, participes fiat.

Canon hic undecimum Nicæni concilii canonem spectat qui pœnitentiæ annos duodecim iis imponit qui in hæresi rursus baptizati fuerunt. Erraverint ergo Ilerdenses Patres, necesse est, dum iis pœnitentiæ annos septem ex Nicænis canonibus imposuerunt, aut mendum in exemplaribus fuerit quæ usui fuerunt ad Collectiones in quibus annorum septem numerus reperitur; & sane P. Mansi, in sui ad Labbeana concilia Supplementi tomo primo, *pag.* 406. monet, ex vetustissima Lucensi Collectione quæ Ilerdensium canonum Compendium continet, nonum imponere pœnitentiam annorum duodecim iis qui in hæresi rebaptizati fuere.

10. Mandat, ut longiori pœnitentiæ subdantur qui, cum in culpam aliquam lapsi essent, ab ecclesia non recesserunt, quo tempore id Episcopus iisdem præcepit.

11. Episcopo mandat, ut, pro personarum qualitate, clericos puniat qui manus conseruerint.

12. Ordinationes, contra veteres canones peractas attingi non vult, satisque habet prohibere, ne ad superiores ordines evehantur qui ita ordinati fuerint; at futurum declarat, ut deinceps contra canones ordinati deponantur, prohibitis iis qui ejusmodi ordinationes ediderint, ullam amplius talem edere.

13. Catholicorum oblationes rejici vult qui filios hæreticis baptizandos dedisse convicti fuerint.

14. Vetat fideles cum iis vesci qui se rebaptizandos curarunt.

15. Veterum canonum, super clericorum cum exteris feminis familiaritate, executionem præcipit, refractarios, post primam & alteram monitiones, beneficiis privandos addens. *Ibidem*.

16. Pronuntiat in clericos anathema, qui defuncti Episcopi bona resque surripiunt, tamquam sacrilegii reos, iisque solum ægre ac vix exteram communionem concedi vult.

Secum ipse pugnare videtur canon hic, pro ut clericis, anathemati, & quod inde consequitur, excommunicationi obnoxiis, tamquam sacrilegi furti reis, exteram communionem concedit. Si excommunicati sunt, quomodo iis extera communio concedi potest? Ut hæc apparens repugnantia tollatur, animadvertendum est *anathematis* vocabulum hoc in canone adhibitum non stricta significatione, pro excommunicatione majore proprie dicta, sed pro canonica quavis pœna, generatim, sumendum esse; clerici enim ad exteram, seu exterorum communionem redacti, excommunicationi proprie non suberant, sed positi solum erant in exterorum clericorum numero, qui iter agebant, quin suorum Episcoporum formatis Litteris muniti essent, quique ad Eucharistiæ participationem admittebantur, cum se Catholicos ostendebant, sed iis tamen, ut ne iisdem liceret suorum ordinum functiones obire. Communionem ergo, non autem Ordinum functiones clericis de quibus agitur, concedit canon, ubi pœnitentiam egerint, satisque pro peccato fecerint; &, quia distinguitur Communio triplex, nempe Communio Sacerdotalis quam ipse sibi presbyter tribuit, Communio Ecclesiastica quam presbyteri & clerici, in Sanctuario, ex Episcopi seu alicujus presbyteri manu percipiunt, ac demum Communio laica quam ex archidiaconi manu, extra Sanctuarium, simplices fideles accipiunt; potest proinde canon intelligi de Communione laica, eoque potiore jure, quod extera seu peregrina Communio in conciliis & apud ecclesiasticos auctores pro laica Communione quandoque sumitur: *Peregrina quæ alias dicitur laica*; Glossa, in *cap. Cleric.* 13. *q.* 2. & *distinct.* 50. *cap. Contumaces*. Burchardus, Yvo Carnutensis & Surius laudant aliquot alios Ilerdensis concilii canones, itemque Cardinalis de Aguirre, *Concilior. Hispan. Tom. III. pag.* 171. &c.

Concilium Valentinum, in Hispania, an. 524.

Habitum fuit concilium hoc, die 3. Novembris an. 524. Theodorici regis decimo quinto, & primo pontificatus Papæ Joannis I. Ei sex tantum Episcopi cum archidiacono Sallustio qui Marcellini Episcopi sui nomine subscripsit, interfuere; condideruntque canones itidem sex.

Primus, Mandat, ut, antequam oblationes afferantur, & catechumeni dimittantur, post sancta Evangelia legantur Epistolæ S. Pauli, e quibus non modo fideles, verum etiam catechumeni, pœnitentes, ipsique ethnici salutaria Domini nostri Jesu Christi præcepta, & Episcopi prædicationem percipere possint.

2. Præcipit, ut, cum Deus Episcopum ad se vocaverit, nihil eorum sibi sumant clerici, quæ in Ecclesiæ vel Episcopi ædibus comperta fuerint; quod si quid sustulerint, ad restitutionem per Metropolitani aut provincialium Episcoporum auctoritatem adigantur; servetur proinde Regiensis concilii decretum quod defuncto Episcopo propiorem Episcopum parentaturum venire jubet, Ecclesiæque curam, ad usque successoris ordinationem, sumere, ut ejus præsentia impediat, ne quis e clericis prævaricetur; & quo tutius res habeat, idem Episcopus, intra dies octo, si fieri poterit, omnium quæ defunctus reliquerit, inventarium conficiendum curet, & ad Metropolitanum mittat qui idoneam personam delegabit, quæ suas clericis pensiones solvat, ea lege, ut ei, si diuturna vacatio fuerit, rationem reddat, quo suam clerici sustentationem percipiant, neque vero futuro Episcopo dolendum sit se in domum omnino vacuam ingredi, in qua unde ipse subsistat, & aliis præsto sit, invenire non possit.

3. Mandat, ut, si, nullo edito testamento, Episcopus occubuerit, ejus consanguinei moneantur sibi nihil ex ejus bonis, Metropolitano ejusque comprovincialibus insciis, sumendum esse, ne Ecclesiæ bona cum iis confundant quæ ad defuncti successionem pertinent; & hanc ob causam, iidem consanguinei, dum novus Episcopus ordinetur, expectent, aut, si longius vacatio protrahatur, ad Metropolitanum se conferant; clerici porro, seu laici qui hanc sanctionem violaverint, Ecclesiæ communione priventur, ni resipuerint & ab actione destiterint.

4. Mandat, ut Episcopus qui ad confratris sui funera acciri consuevit, ægrotantem adeat, vel ut ab adversa valetudine recreatum gratuletur, vel ut eum de domesticarum rerum ordine statuendo moneat, vel ut ejus ultimam voluntatem exequatur; statim autem ab Episcopi morte, Deo pro ipso Sacrificium offerri, sepeliendum curet, servetque quod superiores canones super bonis rebusque mobilibus ad eum, Ecclesiamve spectantibus statuerunt. Oportere subdit, si quis Episcoporum subita morte correptus fuerit, ejusque funeribus finitimi Episcopi, longioris itineris causa, adesse non possint, ejus corpus, per diei noctisque spatium, custodiatur, & interim fratres religiosique, vel alii, psalmos sine intermissione canentes, adstent; illud deinde presbyteri, cum dignitate, feretro imponant, quin tamen humo dent, ad Episcopi, quam poterit diligentissime, acciti adventum usque, quo defunctus solemnem in modum sepeliatur.

5. Mandat, ut clerici in Episcopum refractarii, aut vagantes, seu diaconi, seu presbyteri suorum ordinum functionibus & communione priventur.

6. Episcopum vetat alienæ diœceseos clericum, sine diœcesani nutu, ordinare, aut presbyteratus ordinem cuipiam conferre, quin in sui servitii loco se permansurum promittat.

Ilerdense & Valentiense concilia ad an. 524. referentes, conciliorum vulgares Collectiones secuti sumus; at hoc loco moneamus, oportet, eas hoc in capite mendosas esse, & hæc concilia duo non an. 524. habita fuisse, sed potius 546. in quem incidebat annus decimus quintus non *Theodorici*, sed *Theudis* qui anno septimo imperii Justiniani, scilicet anno Christi 531. in Hispania regnare cœpit. Id perspicitur in Hispanicorum conciliorum manuscripto codice qui cæterorum omnium antiquissimus Lucæ servatur. Vide Cardinalem Aguirreum, *Concil. Hispan. Tomo III. pag.* 172.

Conci-

Concilium Juncense, an. 524.

Erat Junca Africæ urbs in Byzacenæ provincia, Concilii quod an. 524. habitum in ea fuit, nobis synodica tantum quæ Liberati, Byzacenæ Primatis nomen præfert, Epistola superest; in qua quidem Primas Bonifacium Carthaginensem ad quem missa est, ad operam dandam, ut canones serventur, hortatur. Cum S. Fulgentius huic concilio, Ruspensis Episcopi titulo, adesset, Episcoporum quidam, nomine *Quod-vult-Deus*, cum eo de prælatione contendit; at universum concilium in S. Præsulis favorem decidit. Aliquanto post, cum Episcopi ambo ad Suffletense concilium se contulissent, publice Patres obsecravit S. Fulgentius, ut ei prælationem tribuerent, qui ejus humilitatem admirati annuerunt. *Ibid.*

Concilium Carthaginense, an. 525.

Concilium hoc, die 5. Februarii an. 525. qui regni Hilderici secundus erat, in aula secreta ecclesiæ S. Agilæi martyris, habuit Bonifacius, Carthaginensis Episcopus, ad ecclesiæ suæ privilegia quæ impetebantur, sarta tecta servanda. Episcopi, numero sexaginta, primum omnium, Nicænum Symbolum lectum voluere, Catholicum non habendum testati, quicunque ei subscribere renuisset; tum legi jusserunt Africæ plurium, super variis, in universum, disciplinæ capitibus, conciliorum canones, eosque, peculiariter, qui Carthaginensis Ecclesiæ privilegia spectabant. Cum Patres ad trutinam revocassent abbatis Petri negotium, quem cum omnibus ejus monachis excommunicatione perculerat Liberatus, Byzacenæ Primas, occasione monasterii quod idem Primas a se pendere, Petro ejusque monachis contra stantibus, contendebat, decreto edito statuerunt omnia deinceps monasteria, ut semper fuere, a clericorum jurisdictione omnino libera fore, ut monachi solum ad suam ipsorum salutem incumbant, Deoque placere studeant. Tum vero Bonifacius, decretorum auctoritate nixus, quæ supra omnes Africæ ecclesias Carthaginensi primatum concesserant, suum esse declaravit, ejusdem urbis Episcopi titulo, celebrandi Paschatis diem omnibus suæ ditionis Ecclesiis indicere, easque monere Festum hoc, proximo anno, Aprilis die 7. celebrandum esse. *Ibid.*

Concilium Carpentoractense, an. 527.

Concilium hoc, conflatum ex Episcopis sexdecim, in numerum relato S. Cæsario Arelatensi, qui eidem præfuit; habitum fuit VIII. Idus Novemb. nempe die 6. ejusdem mensis an. 527. sub pontificatu Felicis IV. & regno Athalarici, regis Italiæ. Unus & unicus in eo canon editus, statuens, ut, si cathedrali ecclesiæ fuerit ad expensas bonorum satis, parœciarum redditus in clericos iis deservientes, aut in ecclesiarum reparationes conferantur; sin Episcopi expensæ receptos ejus Ecclesiæ redditus superent, suis ipse rationibus ex ditiorum parœciarum proventibus consulere poterit, id iisdem relinquens quod clero reparationibusque sufficiet, ea tamen lege, ut nec divinum Servitium, nec clericorum portionem imminuat. Idem canon concilium, sequenti anno, eadem sexta Novembris die, Vasione habendum indixit; at illud non nisi biennio post coactum fuit, nisi dici lubeat, quod conjicit P. Mansi, Carpentoractense concilium an. 528. non autem 527. habitum fuisse. Carpentoractensis concilii Patres, ad annum, a sanctorum Mysteriorum celebratione Agræcium, Antipolitanum Episcopum, suspenderunt qui ad concilium non venisset, & irregulares ordinationes duas peregisset, eique per synodicam Epistolam cui subscripsere ad unum omnes, hanc sententiam significarunt. Subscripsere pariter canoni quem super parochialium bonorum administratione condiderant, cum hoc tamen discrimine, quod hoc loco universi, præter S. Cæsarium Arelatensem, & Contumeliosum Regiensem, *Peccatorum* titulum sumunt, cum omnes & singuli, sententiæ in Agræcium latæ subscribentes, se *Episcopos* nominent. *Ibid.*

II. Concilium Arausicanum, an. 529.

Episcopi tredecim, quorum præses S. Cæsarius Arelatensis fuit, habuere concilium hoc, die 3. Julii an. 529. qui tertius erat Papæ Felicis IV. & Athalarici, Italiæ regis, in ecclesia quam patricius Liberius, Galliarum prætorii præfectus, Arausione extruendam curaverat. Cum Episcopi cæremoniam dedicationis ejus ecclesiæ perfecissent, proposuerunt, communibusque suffragiis firmarunt nonnulles articulos quos sancta Sedes ad eos miserat, quosque veteres Patres e sacris Scripturis deprompserant, ad eos edocendos quorum animis sensa, catholicæ, super Gratia libero Arbitrio, Fidei consentanea non insidebant. Hi articuli, fere omnes aliquibus sacrorum Codicum textibus nixi, viginti quinque numero sunt, & in canonum modum concepti, quamvis in consueta anathemata, nisi forte vicesimus quintus, non desinant.

Primus, Eos damnat qui asserunt primi hominis peccatum nil mutationis attulisse nisi uni hominis parti, scilicet ejus corpori quod morti obnoxium reddidit, nullaque ratione ejusdem animo nocuisse, ita libero relicto homini, ut prius erat; quæ Pelagii erat hæresis.

2. Eos damnat qui ajunt Adæ peccatum non offecisse nisi ei soli, seu nihil aliud ad ejus posteros quam corporis mortem migrasse.

3. Docet, si quis dixerit Dei Gratiam humanæ invocationi dari posse, nec Gratiam esse quæ facit, ut eam invocemus, eum adversari prophetæ Isaiæ & Apostolo idem dicenti; „ Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui iis qui me agnoscere non studebant. “

4. Eos damnat qui contendunt Deum expectare voluntatem nostram, ut nos a peccatis purget, nec per infusionem & operationem Spiritus Sancti in nobis effici, ut a peccatis purgari velimus.

5. Eos damnat qui ajunt incrementum Fidei, perinde atque ejus initium, actumque ipsum per quem in eum credimus qui impium justificat, & per quem ad sancti Baptismatis generationem pervenimus, non esse in nobis Gratiæ donum scilicet per inspirationem Spiritus Sancti, quæ voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem mutat, sed hæc omnia a nobis provenire.

6. Rejicit, tamquam doctrinam, Apostoli documento contrariam, eam quæ vult Deum misericordia cum iis uti qui volunt, qui desiderant, qui suos omnes conatus edunt, qui laborant, qui vigilant, qui quærunt, qui petunt, qui pulsant, quæque non profitetur per Dei gratiam fieri, ut credamus, ut velimus, & ut possimus omnia, ut oportet, facere.

7. Pronuntiat, si quis id sibi arrogat, ut sine lumine & inspiratione Spiritus Sancti qui omnibus internam eam suavitatem tribuit, quæ efficit, ut veritas suscipiatur, eique fides addatur, possit ipse suis naturalibus viribus cogitare, ut oportet, ad agendum ferri quicquid boni est, quoad salutem æternamque vitam, salutari, hoc est, Evangelii prædicationi se dedere; oportere, ut erroris & hæreseos spiritus eum seduxerit, quia nec ipsius Christi Domini vocem intelligit qui ita loquitur in Evangelio: „ Sine me nihil „ potestis facere; “ nec Apostoli qui ait: „ Non satis „ est nobis virium, ut rectam ullam cogitationem ef„ formare possimus ipsi per nos, tamquam ex nobis „ ipsis; ac Deus est qui nos idoneos reddit, ut recte „ cogitare possimus & cogitemus. “

8. Rejicit, tamquam a vera Fide remotos, eos qui garriunt alios venire posse ad Baptismi gratiam, per Dei misericordiam, & alios, per liberum arbitrium quod certe in iis omnibus vitiatum est qui ex primi hominis prævaricatione nati sunt; quamvis enim qui propugnant doctrinam hanc, profiteantur liberum arbitrium per Adæ peccatum in omnibus hominibus debilitatum esse, non proinde tamen non asserunt illud non ita debilitatum esse, ut ne aliqui possint, sine Dei revelatione, ipsi per se æternæ salutis mysterium acquirere; quod contrarium est verbis Christi Domini, qui ait „ nen jam aliquem non posse, sed neminem „ unum posse ad eum venire, nisi eum quem Pater „ traxerit. “

Id nimirum hujus concilii priores octo articuli seu canones reapse continent; reliqui septendecim nihil aliud proprie sunt quam sententiæ e S. Augustini & S. Prosperi verbis expressæ; at non minus Actorum concilii partem conficiunt.

9. „ Est effectus gratiæ Dei, cum bona aliqua co„ gitatio nobis inest, aut cum nos ipsi nobis a falsita„ te & ab injustitia cavemus; quoties enim aliquid „ boni facimus, Deus est qui in nobis & cum nobis „ agit, ut id nos ipsi faciamus. “

10. „ Oportet, ut baptizati, atque adeo sancti, quo „ possint ad bonum finem pervenire, aut in bonorum „ operum praxi perseverare, sine intermissione Dei „ subsidium implorent. “

11. „ Nemo unus offert vere Domino nisi quod ab „ eo accepit, ut illud eidem offerret, quemadmodum „ scriptum est: *Nos id tibi damus quod accepimus de* „ *manu tua.* “

12. „ Deus nos amat quales sumus per ejus do„ na, non autem quales sumus per merita nostra. “

13. „ Li-

13. „ Liberum arbitrium, cum in primo homine infirmatum fuerit, & veluti ægrotum redditum, reparari non potest nisi per Baptismi gratiam, quia (quoad extensionem virium quam in innocente homine habebat) reparari non potest nisi ab eo qui potuit illud dare secundum id quod ait Veritas ipsa; *Si Filius vos liberat, vere liberi eritis*. “

14. „ Nullus miser liberari potest a miseria, quæcunque fuerit, nisi is qui a Dei misericordia prævenitur, quemadmodum ait Psalmista; *Deus meus, misericordia tua præveniet me*. “

15. „ Sicut Adam per suam iniquitatem in malum mutatus fuit, & hac de causa degeneravit a statu in quo Deus eum creaverat; ita fidelis mutatur per gratiam, sed in melius, a statu in quo erat per peccatum. Prima mutatio est hominis prævaricatoris; altera est effectus potestatis dexteræ Altissimi. “

16. „ Nemo gloriari de eo debet quod, quasi non acceperit, se habere putat; ac ne ita quidem ipse sibi blandiri debet, ut existimet se id accepisse, quia forinsecus habet Legis litteram quam potest legere aut intelligere; quandoquidem, si justitia nobis per Legem data esset, frustra mortuus esset Christus Dominus, cum potius ipse e converso sit qui *in altum ascendens magnam hominum multitudinem captivam duxit, supraque homines sua dona profudit*. En omnium gratiarum fontem originemque. Qui negat hinc se habere quod habet, aut id vere non habet, aut ei, quod se habere autumat, adimetur. “

17. „ Quæcunque vis Ethnicorum est, mundana cupiditate continetur; quæ autem Christifidelibus vis inest, a Dei charitate derivatur; quæ charitas nostris in cordibus diffusa est, non per voluntatis arbitrium quod nobis inest, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. “

18. „ Non est debita merces ullis meritis gratiam præcedentibus; sed Gratia nemini debita præcedit, ut edamus opera quibus insit meriti ratio. “

19. „ Integra licet ac perfecta, prorsus ut creata fuerat, permansisset humana natura, in eo tamen statu, sine subsidio Creatoris sui, se ipsa servare non potuisset. Quomodo ergo posset eadem, sine Dei gratia, reparare quod amisit, quoniam, sine hac gratia, integritatem quam acceperat, servare non poterat? “

20. „ Multa Deus in homine, quæ bona sunt, facit, quin ea homo faciat; at homo nil boni facit, quod ut faciat, Deus non efficiat. “

21. „ Quemadmodum jure optimo iis qui se per Legem justificari volebant, & proinde a Gratia exciderant, dixit Apostolus; *Si Lex est quæ justificat, frustra Christus Dominus mortuus est*, ita iis qui Gratiam in naturalibus facultatibus omnino ponunt, eodem jure dici potest: *si natura est quæ justificat, frustra Christus Dominus mortuus est*. At, quoniam, ante Christum Dominum, & lex & naturales facultates jam habebantur, quin vel hæ, vel illa justificarent, perspicuum est Christum Dominum frustra mortuum non esse. Fructus ergo mortis est, ut impleamus ejus legem per Gratiam, secundum ea divini Servatoris verba: *Non veni legem solvere, sed implere*; naturamque quam Adam perdidit & evertit, reparemus, secundum hæc alia ejusdem Christi Domini verba; *Ego veni quærere & salvum facere, quod perierat*. “

22. „ Nemo quicquam quod ejus proprium sit, nisi mendacium & peccatum habet. Si quid ei veritatis justitiæque est, id in ipsum derivatur ex eo fonte cujus siti accendamur omnes in hujus mundi deserto, necesse est, ut aliquibus guttis refrigerati, &c. non deficiamus in via. “

23. „ Suam ipsorum, non Dei voluntatem homines faciunt, cum id faciunt quod Deo displicet. At, cum faciunt quod volunt, ut obediant Dei voluntati, quamvis agant voluntarie, Dei tamen voluntas eorum voluntatem præparat, iisque imperat quod tunc volunt. “

24. „ Nos Christo Domino inserti sumus, ut surculus qui racemum ferre debet, vineæ insertus est, æque ac surculus quam habet vitam, ex vinea trahit, non ipse vineæ tribuit, ita ambo discipulis, non Christo prosunt, quia ea in iis manent, iique in eo. “

25. „ Dei donum absolute est Deum amare. Ipse dedit, ut amaretur; amat ipse, licet non ametur; nos amavit, cum eramus eidem ingrati, effecitque, ut, quo ei placeremus, in nobis esset; diffudit enim in cordibus nostris charitatem Spiritus Patris & Filii, quem amamus cum Patre & Filio. “

Cum hos articulos viginti quinque statuisset concilium, ita concludit: „ Debemus ergo docere & credere, e sacræ Scripturæ oraculis supra allatis, & veterum Patrum definitionibus, per primi hominis peccatum, ita depressum infirmatumque liberum arbitrium fuisse, ut nemo deinceps Deum, ut oportet, diligere, in eum credere, seu ejus causa bonum facere unquam potuerit, quin eum divinæ Misericordiæ gratia præveniret. Quamobrem credimus Abel justum, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, aliosque omnes veteres Patres ea fide quam S. Apostolus Paulus in iis agnoscit commendatque, non per naturam, sed per Dei gratiam præditos fuisse; & post Domini nostri adventum, eamdem gratiam non a libero arbitrio, sed a Christi bonitate & liberalitate in eos qui Baptismum desiderant, derivari. Credimus etiam baptizatos omnes posse & debere, per subsidium & cooperationem Christi Domini, id perficere quod ad eorum animæ salutem tendit, siquidem fideliter operari voluerint. Aliquos per divinam Potestatem ad malum prædestinatos esse non modo non credimus, sed, si quis ita credit, eum detestamur, eidemque anathema dicimus. Profitemur etiam, in omnibus bonis operibus, haud nos incipere, ut Dei misericordia solum nobis adjumento sit, postquam nos ipsi inceperimus, sed Deum, quin ullum bonum meritum nostrum præcedat, nobis fidem suique amorem inspirare, ut Baptismi sacramentum fideliter expetamus, & post Baptismum, quæ ei grata sunt, facere cum ipsius subsidio possimus. Evidens proinde fit oportere nos credere boni Latronis quem Dominus ad paradisi patriam vocavit, Cornelii centurionis ad quem Angelus Domini missus fuit, itemque Zachæi qui Dominum ipsum hospitio recipere meruit, fidem non a natura, sed a Dei liberalitate venisse. “ Huic Fidei definitioni Episcopi subscripserunt, eidemque primæ conditionis laicos octo, omnesque gradu præstantes viros qui dedicationis cæremoniæ adstiterant, subscribere voluerunt. Primum inter hos locum tenet Patricius Liberius, Galliarum prætorii præfectus. Id iis, hac in re, consilii fuit, ut ea Fidei definitio iis quoque sana doctrina imbuendis inserviret quos e Laicis Semi-Pelagianismi erroribus infecissent.

S. Cæsarius qui concilio præfuerat, ejus Acta per Armenium, presbyterum & abbatem, Romam misit, ut eorum approbationem obtineret. Papa Bonifacius, Felicis IV. successor ad S. Cæsarii Epistolam respondit; nec solum doctrinam in Arausicano concilio statutam approbavit, verum etiam plura testimonia protulit, ut eam magis magisque firmaret, se vehementer mirari testatus esse qui in negotio tam clare luculenterque in sacris Litteris evoluto explicitoque hallucinarentur. P. Sirmondus, in suis *suae* Arausicano *concilio Adnotationibus*, declarat se in antiquis pluribus manuscriptis codicibus, ad frontem Epistolæ Papæ Bonifacii, nactum esse verba hæc: „ Arausicanum concilium hoc Papæ Bonifacii decreto confirmatum fuit; & quicunque alia quam hujus concilii, hujusque Papalis decreti sensa foverit, scire debet se sanctæ apostolicæ Sedi, universæque Ecclesiæ adversari. “ Adnotatio hæc in Regia Conciliorum Editione suppressa fuerat; at Labbæo id curæ fuit, ut eam in sua editione an. 1671. ad Arausicani concilii calcem reponeret. Idem P. Sirmondus in adnotatione altera subdit „ ostendi interesse concilium quod olim creditum fuerat sub S. Leonis pontificatu celebratum fuisse, ad hunc an. 529. spectare, ob plures scientia & pietate eminentes viros scilicet habitum esse qui, ante concilium, in Galliis visi fuerant Semi-Pelagianis favere quorum errores in hoc concilio sanctæ apostolicæ sedis auctoritate firmato tandem proscripti & anathemate perculsi sunt. “ Concilium hoc, addit hic Pater, tam gravi disputationi quæ, per annos amplius centum, inter sanctissimos & doctissimos, utrinque, viros exarserat, tandem aliquando finem imposuit; ac S. Augustini quidem auctoritate, & pro ejusdem doctrina ejusmodi dissidium ab hoc concilio compositum fuit.

Eodem an. 529. Valentiæ in Gallia Viennensi concilium ponitur quod inter ea tertium quæ ea in urbe habita, numeratur. Ejus Acta perierunt; at ex eorum fragmento quod in Cæsarii vita a Cypriano diacono affertur, compertum fit Gratiæ negotia in eo rursus agitata fuisse; sanctumque Cyprianum, Telonensem Episcopum, divinarum Scripturarum auctoritate & veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis probasse hominem in suæ salutis opere nihil facere posse, quin prius a præveniente Dei gratia vocatus fuerit, eumdemque tum demum in suam veram libertatem restitui, cum a Christo Domino liberatur redimiturque. *Reg. Tom. XI. Lab. Tom. IV. Hard. Tom. II.*

Concilium Vasionense, Vasense, an. 529.

S. Cæsarius quem morbus, ne ad Valentiense concilium pergeret, impedierat, Vasionensi præfuit quod Novembris die 7. an. 529. quarto pontificatus Papæ Felicis IV. & regni Athalarici, Italiæ regis, habitum fuit. Episcopi qui, biennio ante, in Carpentoractensi concilio illud indixerant, ei adfuere numero duodecim; cumque veteres canones, de more, legi jussissent, nec præsentium quisquam iis obstitisset, actis proinde Deo gratiis, canones quinque ad disciplinæ, divinique potissimum Officii statuendum ordinem ediderunt.

Primus, Statuit, ut, ex usu in Italia salubriter instituto, rurales omnes presbyteri apud se juniores lectores non conjugatos, educandos & spiritaliter nutriendos, tamquam boni patres recipiant, eos percipiendis psalmis, divinisque legendis Litteris addicentes, Dominique lege imbuentes, ut sibi, in iis junioribus elumnis, dignos successores præparent, æternamque mercedem, ob hoc bonum opus, e Deo accipiant. Porro si quis eorum, ubi ad perfectam ætatem pervenerint, voluerit, ob carnis fragilitatem, uxorem ducere, id canon eidem integrum relictum vult.

2. Presbyteros finit, ad omnium ecclesiarum ædificationem, totiusque populi utilitatem, non in urbibus solum, sed in ruralibus etiam parœciis omnibus prædicare; volens, si qua presbyterum infirmitas, quominus prædicet, impedierit, diaconos sanctorum Patrum Homilias elata voce recitare; id enim his sane licere, quippe qui Evangelium coram populo legere possunt.

3. Mandat, ut ex apostolicæ sedis, Orientisque & Italiæ provinciarum exemplo, ubi, magna cum religione, sæpe dicitur *Kirie, eleison*, in omnibus Ecclesiis quæ a concilii Episcopis pendent, ad Matutinum, ad Missam & ad Vesperas idem dicatur, itemque in singulis, etiam Quadragesimæ & Defunctorum Missis, ut in publicis, dicatur ter *Sanctus*; verbum enim sanctum, quaotumvis diu noctuque pronuntiaretur, fastidio esse non posse.

4. Mandat, ut, in omnibus Ecclesiis, fiat Papæ qui tum quidem sanctam sedem occupaverit, commemoratio; &, pro Orientis, Africæ & Italiæ consuetudine, post *Gloria Patri*, &c. addetur, *Sicut erat in principio*, &c. ob hæreticos qui Dei Filium non semper cum Patre extitisse, sed cum tempore cœpisse effutiunt.

5. Hunc usum in provinciis ad concilii jurisdictionem spectantibus servari jubet, Arianorum causa qui in iisdem dominabantur.

Concilia Romana, annor. 530. & 531.

Felici Papæ, Octobris die 12. an. 525. vita functo Bonifacius II. successor datus. Eodem tempore Dioscorum elegit factio; quæ schismatis, ad mensem, occasio fuit, Dioscoro die 12. Novembris ejusdem ann. vivis erepto. Bonifacius, se pacificum possessorem videns, in S. Petri Basilica concilium coegit, in quo decretum ab Episcopis firmatum voluit per quod ei licebat successorem sibi deligere. Nominavit ergo diaconum Sigilium quem Episcopi, obstricta jurisjurandi fide, agnituros se receperunt; at sentiens Papa se hac in re violasse sanctos canones, sanctæque sedis dignitatem læsisse, coegit concilium alterum in quo primi decretum abrogari jussit, abrogatumque, coram omnibus Episcopis, clero & Senatu, flammis devovit.

Habuit, Romæ, idem Papa concilium tertium, in S. Andreæ consistorio quod in Vaticano prope Sancti Petri Ecclesiam erat, die 7. Decembris an. 531. Hujus Acta nobis dedit Holstenius, ex manuscripto Vaticanæ bibliothecæ codice. Adfuere concilio huic Episcopi quatuor, presbyteri quadraginta, & diaconi iidem quatuor. In eo Stephani, Larissæ, Thessaliæ metropolis Episcopi quem Epiphanius, patriarcha Constantinopolitanus, ab officio suspenderat, negotium discussum est. Quodnam judicium super hac re concilium tulerit, ignoratur, quia ejus Acta ad nos integra non pervenerunt.

Concilium Toletanum, an. 531.

Montanus, Episcopus Toletanus, aliis septem Hispaniarum Episcopis adsistentibus, Maji die 17. an. 531. quinto regni Amalerici, concilium hoc celebravit, in quo editi super disciplina canones, seu sanctiones numero quinque.

Primus, Canon statuit, ut, qui, ab infantia, a parentibus ad clericaturam designati fuerint, primo quidem tonsuram suscipiant, deinde vero ponantur in Lectorum gradu, ab eo qui iisdem præpositus fuerit, in Ecclesiæ ædibus, ob Episcopi oculos, instituendi. Ubi decimum octavum ætatis annum compleverint, ex iis quæret Episcopus, clero populoque præsentibus, velint, nec ne, conjugium inire; neque enim licere libertatem iis ab Apostolo concessam adimi. Si se continentiam servaturos libere promiserint, subdiaconi fient, vicesimo ætatis anno. Expletis annis viginti quinque, si prudenter se gesserint, diaconi ordinabuntur, vigilantia super ipsis adhibita, ne matrimonium ineant, ullumve secretum cum feminis commercium habeant. Si hujus culpæ convicti fuerint, tamquam sacrilegi spectabuntur, & ex ecclesia ejicientur. Quod si, conjugati, maturaque ætate, se, non sine conjugum suarum consensu, in castitate victuros receperint, ad sacros ordines adspirare poterunt.

2. Pronuntiat eos qui in hunc modum, ab ineunte ætate, educati fuerint, nullo unquam tempore, quæcunque se occasio obtulerit, propriam ecclesiam deserere posse, ut ad aliam migrent, Episcopumque qui eos sine ejus nutu receperit, ob cujus oculos instituti fuerint, apud confratres reum fore, quia confratri adolescentem quam a rusticitate & infantiæ crassitie abstraxit, ab Episcopo adimi durum est.

3. Veteres canones renovat qui clericos vetant alias quam proximas consanguineas apud se feminas detinere.

4. Clericos qui, subsidii ad victum loco, sibi rustica prædia aut vineas struerint, iis, quoad vixerint, frui finit, ea tamen lege, ut ne ea per testamentum, vel in successionis titulum, post mortem, disponere possint, nisi iis ab Episcopo data fuerint, ea conditione, ut servitia, seu certos quosdam census Ecclesiæ redderent.

5. Matrimonia inter consanguineos prohibet, & hujus interdictionis eosdem ac perspectæ consanguinitatis terminos esse vult.

Hos canones sequitur Montani, Toletani Episcopi, Epistola ad Tribulanos territorii Palentiæ, in presbyteros qui consecrandi sacri chrismatis libertatem, contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ jus hoc Episcopis reservat, sibi arrogaverant; „ Ignoratisne, ita ad eos „ Montanus, veterum Patrum regulas, & conciliorum „ decreta quibus jubentur parœciarum presbyteri, „ quotannis, ad sacrum chrisma quærendum pergere „ ipsi per se, vel sacristas, non autem e vulgo homines mittere, qui illud ex Episcopi manu recipiant? „ Patres quidem & concilia, cum vos illud quæsitum „ venire jubent, ejus consecrandi facultatem vobis ademisse videntur. “

Cardinalis Aguirræus contendit concilium hoc an. 527. non autem 531. habitum fuisse, quia annus 527. anno quinto regni Amalarici, & æræ 565. respondet. *Tom. II. Concil. Hispan. pag.* 154.

II. Concilium Aurelianense, an. 533.

Coactum fuit concilium hoc, jubentibus Galliæ regibus tribus, Theodorico, Childeberto, & Clotario Clodovei filio, eorum regni anno vicesimo secundo, Joannis II. pontificatus primo, *IX. Kal. Jul.* die nempe 23. Junii an. 533. Ei Episcopi viginti sex, & presbyteri quinque pro totidem absentibus Episcopis interfuere; Honoratus vero, Bituricensis Episcopus, præfuit, Leontius, Aurelianensis licet Episcopus, secundo tantum loco subscripsit. Unus & viginti super disciplina in eo editi canones qui prope nihil sunt aliud quam veterum instauratio.

Primus, „ Episcoporum nullus a metropolitano cui „ subest, ad concilia & ordinationes vocatus, poterit „ se, nisi eidem legitima, quominus veniat excusatio „ suppetat, eximere. “

2. „ Coget metropolitanus, quotannis, suæ provin„ciæ concilium. “

3. „ Nihil sibi sumet Episcopus, quamlibet ob cau„sam, etiamsi de Episcoporum, aliorumve clericorum „ ordinationibus ageretur, quia non licet Episcopo pa„ti se pecuniæ cupiditate corrumpi. “

4. „ Si quis forte se per pecuniam ordinandum cu„raverit, expelletur, cum Dei donum pretio emi non „ debeat. “

5. „ Ad unius e confratribus sepulturam accitus „ Episcopus, non abnuet, falsis prætextis causis; Epis„copus autem qui ad id efficii venerit, nihil amplius „ accipiet quam quod ei necessarium ad propriam im„pensam fuerit. “

6. „ Ibit Episcopus una cum episcopalis domus pres„byteris, ibique iisdem præsentibus, eorum quæ com„perta ibidem fuerint, inventarium conficiendum cura-

„ bit,

„ bit, omnia probis viris custodienda relinquens, re pereat quod ad ecclesiam pertinet. “

7. „ Metropolitanus, prout veteres canones jubent, ab Episcopis comprovincialibus, cum clero populoque, eligetur, & a comprovincialibus convenientibus ordinabitur. “

8. „ Diaconus qui in captivitate conjugium iniit, si in libertatem restitutus fuerit, e sui ministerii functionibus amovebitur. “

10. „ Presbyterorum nullus, sine Episcopi venia, cum sæcularibus habitabit, si contra fecerit., officii sui communione privabitur. “

10. „ Qui patris uxorem duxerit, anathemate privabitur. “

11. „ Matrimonia legitime inita dissolvi partium voluntate non poterunt, quæcunque tandem infirmitas iisdem contigerit. Communione, id si fecerint, spoliabuntur. “

12. „ Perfici vetat cantandi, saltandi, epulandi in ecclesiis edita vota; quippe quæ Deum potius irritant quam placant. “ (erant arrogata vota hæc ethnicarum superstitionum reliquiæ quæ funditus evelli admodum ægre potuerunt.)

13. Prohibet „ Abbates, eosque qui martyrum sepulcra custodiunt, claustrales item & presbyteros pacificas, seu communionis Litteras dare. “

14. „ Clerici qui neglexerint officium suum, aut, quæ eorum ordinis ratio est, ecclesiæ adesse renuerint, e gradu dejicientur. “

15. „ Recipientur oblationes pro mortuis qui, dum crimen aliquod perpetrarunt, occisi fuere, dummodo non ipsi sibi mortem consciverint. “

16. Nemo illitteratus, aut Baptismatis formæ nescius, „ presbyter aut diaconus ordinabitur. “

17. & 18. „ Si feminæ quæ diaconissæ ordinatæ sunt, iterum, contra canonum decreta, nupserint, excommunicationi subdentur. Omnino interdicitur, ne qua diaconissa ordinetur, idque ob sexus fragilitatem. “

19. „ Christifidelium cum Judæis matrimonia, sub excommunicationis pœna, vetita sunt. “

20. „ Eadem in Catholicos statuta pœna, qui in idolorum cultum recidunt, aut qui comedunt immolatos cibos, vel animalium carnem, quæ belluarum morsu, aut morbo e vivis sublata, aut casu aliquo suffocata fuerint. “ (Hos Mosaicæ Legis ritus, longo etiam post tempore, ecclesiarum nonnullæ servarunt.)

21. „ Abbates qui suorum Episcoporum mandata contemnunt, nisi erratum suum per humilitatis acta deleverint, ad communionem non suscipientur. “ *Ibid.*

Concilium Carthaginense, an. 534. *seu* 535.

Sub an. 534. finem, aut 535. initium, Reparatus qui in Carthaginensi episcopali sede Bonifacio successerat, Africæ generale concilium convocavit, ubi, Episcoporum plerisque, persecutorum violentia, in servitutem redactis, concilium nullum, ex annis centum, haberi potuerat. Ad hoc Episcopi centum septendecim se contulerunt, & in Fausti basilicam in qua plurium martyrum reliquiæ quiescebant, convenerunt. Nicæni canones legi jusserunt; cumque, qua demum ratione Ariani Episcopi qui catholicam Fidem amplectebantur, suscipiendi essent, inquisiissent, super hac difficultate, atque alia, scilicet, utrum qui, in infantia, ab Arianis baptizati fuerant, ad clericaturam elevari possent, apostolicam sedem consulere statuerunt. Summus Pontifex Agapetus ad quem synodica Epistola remissa fuit, quia Papæ Joanni II. dum delegati iter agerent, vita functo successus fuerat, respondit ad quæstionis caput primum quod Arianos Episcopos resipiscentes spectabat, eos quidem ecclesiasticorum redituum qui ad clericorum sustentationem statuti fuerant, participes fieri debere, non iisdem tamen eam veniam dandam, ut in ecclesiasticis dignitatibus persisterent; ad secundum autem articulum, eos qui Arianismum, ut se catholicæ Ecclesiæ adderent, deserebant, ad nullam cleri dignitatem extollendos esse, quacunque ætate ejus sectæ erroribus infecti fuissent, ei quoque placet iis, quo subsistant, ex ecclesiæ redditibus subsidium afferri, promptæque misericordiæ specimina iis omnibus exhiberi qui errorem abdicant, ut veram Fidem suscipiant. Quoad clericos qui, Vandalorum dominationis tempore, mare prætergressi fuerant, de quibus ipsis concilium eum consulerat, eos ait, ex concilii sententia, inter ejusmodi clericos, ad communionem recipi non debere, qui per Litteras Episcoporum Africæ non probarent, se ad Ecclesiarum utilitatem missos fuisse, ne vagarentur. *Ibid.*

Concilium Clermontiense in Alvernia, seu Claromontanum, an. 535.

Die 8. Novembris an. 535. qui pontificatus Agapeti primus, regni Childeberti vicesimus quartus, & regni Theodeberti secundus erat, Honoratus, archiepiscopus Bituricensis, & Galliarum Episcopi plures, omnino quindecim, in urbem Clermontium, seu Claromontium, in Alvernia, e Theodoberti consensu cui ea urbs suberat, convenerunt. Fusæ, flexis genibus, pro regis persona, ejusque regni prosperitate preces concilio initium dederunt; has excepit sanctionum lectio, quarum aliquibus renovatis, novisque additis, omnino canones sexdecim confecti sunt.

Primus, Mandat, ut, in conciliis, semper a rebus ad mores ac disciplinam spectantibus incipiatur, antequam ullum aliud negotium proponatur.

2. Ad abusum antevertendum qui irrepere cœperat, ut episcopatus per Regum favorem obtinerentur, statuit, ut, qui episcopatum desideraverit, per clericorum civiumque electionem, & metropolitani consensum promoveatur, quin potentium personarum patrocinium adhibeatur, quin sit technis dolisque locus, quin adigatur quispiam, seu metu, seu donis, ut electionis decretum exaret; secus, adspirans, quamvis dignus, ecclesiæ cujus episcopus esse voluit, communione privetur.

3. Pallis, aliisve ad altaris usum linteis tegi vetat mortuorum corpora.

4. Clericos vetat sibi apud Sæculares Potestates in Episcopos præsidium quærere.

5. Eos excommunicationi subdit qui avaritiæ abrepti petierint a Rege alicujus ecclesiæ bona, in provisorum præjudicium, eorumdemque donationem, quæcunque in ipsorum gratiam facta esset, nullam declarat.

6. Interdictionem renovat in secundo Aurelianensi concilio jam editam, ne matrimonia cum Judæis contrahantur, idque indicta pœna privationis societatis mensæque fidelium, & communionis Ecclesiæ.

7. Presbyteri corpus quod humo datur; velo tegi vetat quod Christi Domini corpus obtegit, ne, dum defunctorum corporibus honorem deferri lubet, altaria inquinentur.

8. Ecclesiæ ornamenta commodari vetat, ut nuptiarum pompæ deserviant.

9. Judæos vetat Christianorum judices statui.

10. Episcopos vetat suorum confratrum parœcias invadere.

11. Alienæ diœcesis clericum, quin ejus Episcopus annuat, recipi & ordinari probibet.

12. Iterum vetat, sub excommunicatis pœna, conjugium iniri cum fratris vidua, cum uxoris sorore, cum sobrina aut sobrinæ filia, & cum patrui vidua.

13. Suis dignitatibus spoliat presbyteros diaconosque quibus, post ordinationem, suis cum conjugibus commercium fuit.

14. Eum excommunicat qui, utcunque, ecclesiam re privat quam ei de scripto donavit, nec eam reddit, ab Episcopo primum monitus.

15. Præcipuis per annum diebus festis, Dominici natalis scilicet, Paschatis & Pentecostes, sancta mysteria in privatis oratoriis celebrari vetat. Presbyteri & diaconi qui urbis aut parœciarum servitio addicti non sunt, sed in ruralibus domibus degunt, se ad Episcopum conferent, quicum celebrent solemnia hæc. Civium præcipui, eodem consilio, in urbem redibunt, sub excommunicationis pœna. (Instaurans est canon hic ex conciliis quæ præcesserunt; legiturque in textu, *natu majores*; quod vocabulum æque atque illud, *seniores*, sæpe *primores*, *dominos* significat.)

16. Renovat super presbyterorum & diaconorum pœnitentia sanctiones veteres. Eosdem vetat, æque atque Episcopos non solum exteras feminas apud se detinere, sed etiam pati earum aliquam in cubiculum, secretiusve conclave, ubi ipsi morantur, famulas ipsas, aut Deo consecratas virgines ingredi.

Constitutiones has excipit synodica ad regem Theodebertum Epistola qua eum obsecrant Episcopi, ut alterius Principis subditos bonis quæ in ejus regno possident, pacifice frui sinat, atque adeo impediat, ne quis bonis spolietur quæ ad eum in alterius Regis ditione pertinent, consuetis quidem vectigalibus eidem solutis. Regni Clodovei inter ejus filios quatuor, Theodoricum, Clodomirum, Childebertum, & Clotarium partitio huic petitioni occasionem præbuerat. Honoratus Bituricensis qui concilio præfuerat, subscripsit primus, &, secundum eum, S. Gallus Clermontiensis, tanquam Episcopus loci; quemadmodum Leontius, Aurelianensis Episcopus, in concilio ibidem habito secun-

dus subscripserat. In reliquis subscriptionibus habita est ordinationis ratio, quin sedium dignitas spectaretur; ut proinde Archiepiscopi non defuerint qui post Episcopos subscriberent. *Ibid.*

Concilia Constantinopolitana, an. 536.

Cum Anthimus, Trapezi Episcopus, Eutychiana hæresi infectus, post Epiphanii mortem quæ in annum 535. inciderat, Theodoræ imperatricis gratia, Constantinopolitanæ sedi impositus fuisset; summus Pontifex Agapetus qui Constantinopoli versabatur, sequenti anno, ibidem, ad judicium de Anthimo ferendum, concilium coegit. Anthimus, cum se sistere recusasset, damnatus fuit, in ejusque locum electus Mennas, magni hospitalis S. Samsonis, Constantinopoli, superior, qui Catholicus erat, doctus, optimisque moribus. Papa deinde synodicam ad Petrum, Hierosolymitanum patriarcham, Epistolam scripsit, ut ei rationem quæ ad Anthimi depositionem & Mennæ ordinationem devenerat, significaret.

Cum porro Episcopi Orientis & Palæstinæ in Severum, pseudo-patriarcham Antiochenum, Anthimum, Petrum Apameæ, & Zoaram, monachum Eutychianum, Papæ Agapeto libellum supplicem obtulissent, & ipse negotium hoc absolvere non potuisset, utpote Aprilis die 22. an. 536. Constantinopoli, vita functus; imperator Justinianus, ad illud finiendum, in eadem urbe concilium haberi jussit magno constans Episcoporum numero, qui primam, die 2. Maji ejusdem anni, sessionem tenuere. Mennas, Constantinopolis in Anthimi locum electus Episcopus, concilio præfuit, Italiæ Episcopis, tamquam Papæ Agapeti legatis, ad ejus dexteram considentibus. Habitæ præterea sessiones quatuor, earumque postrema die 4. Junii. Concilium in Severum, Anthimum, Petrum Apameæ, Zoaram, omnesque eorum asseclas anathema pronuntiavit. Huic judicio ab Episcopis octoginta octo subscriptum fuit, idemque confirmavit Imperatoris Justiniani lex, ad Mennam missa, & Augusti die 6. an. 536. data. Cum Episcopus hic ad Petrum, Hierosolymitanum Episcopum, concilii sui Acta misisset, Petrus, die 19. Septembris ejusdem anni, concilium coegit quod, quidquid in Constantinopolitano concilio gestum fuerat, confirmavit. *R. g. Tom. XI. Lab. Tom. V. Hard. Tom. II.*

III. Concilium Aurelianense, an. 538.

Maji die 7. an. 538. qui regni Childeberti vicesimus septimus, & pontificatus Sylverii secundus erat, Aureliani concilium cui tertius inter Aurelianensia locus tribuitur, habitum est, ex Episcopis undeviginti, & delegatis presbyteris septem, S. Lupo, Lugdunensi archiepiscopo, Episcoporum primo, & concilii præside. Post hunc, alii archiepiscopi quatuor, S. Pantegathus Viennensis, S. Leo Senonensis, S. Arcadius Bituricensis, S. Flavius seu Filleus Rothomagensis subscripserunt. Ingeniosus vero, archiepiscopus Turonensis, cum adesse non potuisset, Campanum presbyterum, suo nomine, delegavit qui post alios omnes delegatos subscripsit. Renovati fuere in hoc concilio, ut in præcedentibus, veteres super disciplina canones; novique editi, numero triginta tres.

Primus, Haberi, quotannis, jubet a Metropolitanis provinciale concilium cum suffraganeis quos morbus tantum, quin conveniant impedire poterit. „ Metro-
„ politanus qui, pacis tempore, biennium elabi, quin
„ concilium convocet, passus fuerit, erit, per inte-
„ grum anni spatium, a sanctæ Missæ celebratione
„ suspensus; eidemque pœnæ suberunt suffraganei,
„ qui sine morbi causa, adesse neglexerint. "

2. Subdiaconos, cæterosque superiores clericos, nisi continentiam servaverint, depositos & ad laicam communionem redactos vult; itemque mandat, ut Episcopus, ad menses tres, e sui ministerii functionibus amoveatur, si subdiaconum quem haud e continentiæ legibus vivere non ignorat, officium suum obire sinit.

3. Statuit, ut e consuetudine ac decretis apostolicæ sedis, Metropolitani a Metropolitanis, si fieri potest, & coram provinciæ Episcopis ordinentur, eorumque electio a comprovincialibus Episcopis fiat, non sine cleri civiumque consensu; Episcopi quoque, Metropolitano, urbisque clero & populo consentientibus, eligantur, cum ratione consonum sit eum qui omnibus præesse debet, omnium suffragia obtinere.

4. Interdictionem toties Ecclesiasticis repetitam instaurat, ne exteras feminas, quæ nempe non iis maxime propinquæ sint, apud se detineant. Metropolitanus, hoc ex capite, a comprovincialibus, & Episcopus suffraganeus a Metropolitano cæterisque provinciæ Episcopis arguetur.

5. Eam Episcopo facultatem relinquit, ut pro suo ipsius arbitratu statuat, quid ex oblationibus in urbanarum ecclesiarum gratiam editis ad ecclesiæ reparationes, eorumque qui eidem deserviunt, sustentationem sumendum sit. Quod autem ad oblationes attinet quæ parœciis ecclesiisque ruralibus factæ sunt, locorum consuetudinem servari vult.

6. „ Laicus non ordinabitur nisi post conversionis
„ annum, hoc est, anno post quam continentiam vo-
„ verit; diaconus, nisi vicesimo quinto ætatis anno,
„ ac presbyter, nisi tricesimo. Nec magis ordinibus
„ initiabuntur bigami, aut qui mutilati sunt, aut qui
„ publice a dæmone vexati fuere: iis qui ita ordina-
„ ti fuerint, degradationis, & Episcopo qui eos or-
„ dinaverit, suspensionis, ad sex menses, indicta
„ pœna. "

7. Mandat, ut clerici quos voluntarie ministerio, quin conjugati essent, addictos conjugium post susceptam ordinationem inire contigerit, excommunicationi cum conjugibus subsint; at si suis ingratiis ordinati fuerint, tantummodo deponantur, quin communione priventur, & Episcopus qui eos ordinaverit, per anni spatium celebrare prohibeatur; clerici vero qui adulterii rei comperti fuerint, in monasterium, quin tamen communione priventur, quoad vixerint, conjiciantur.

8. Clericos furti aut falsi convictos deponi vult, et communione non privat. Clericum in negotiis jurejurando finiendis perjurii ream excommunicationi ad biennium subdit.

9. Eos in clerum, deinceps, recipi vetat, qui, cum legitimas uxores haberent, filios ex concubinis suscepere; sed eos tamen in clero relinqui patitur qui, cum in hac facti specie versarentur, per ignorantiam ordinati fuere.

10. Neophitos qui incestuosa matrimonia, statim a suscepto Baptismate, per inscitiam, inierint, haud separari vult, sed eos tantum qui tale quidpiam, legum conscii, & in earum contemptum egerint: quod dijudicare Episcopi erit.

11. Mandat, ut, si qui inter clericos comperti fuerint, qui, patrocinii alicujus specie, vel ob alias illegitimas causas, fungi renuant officio suo, e clericorum canone seu indice, qui Ecclesiis deserviunt, expungantur, nec stipendia cum cæteris canonicis, aut dona recipiant.

Clerici peculiaris Ecclesiæ servitio addicti, quique proinde retributiones percipiebant, canoni seu catalogo cuidam inscripti erant, eaque de causa, *canonici* nuncupabantur; suam hinc originem traxit *canonici* nomen.

12. Alienationem prohibet bonorum ecclesiæ, mandatque, ut qui ecclesiarum curam obtinent, bona ab eorum decessoribus alienata, intra triennium, recuperare nitantur.

13. Vetat, ne Judæi Christianos quos sibi captivos habent, ad res Christi Domini Religioni contrarias adigant, ac ne Christiani matrimonia cum Judæis contrahant, cum iisdemque comedant.

14. Missam hora tertia, hoc est, matutini temporis horis novem, seu tribus ante meridiem horis, solemnibus diebus dicendam ait, ut presbyteri facilius ad Vesperarum Officium venire possint quod vespertino tempore dici debet, cum eos deceat huic Officio per ejusmodi dies interesse.

15. Episcopos vetat in confratrum suorum diœceses, et ibi clericos ordinent, aut altaria consecrent, pedem inferre, ea indicta pœna, ut Episcopus quidem per anni spatium celebrare prohibeatur, clerici vero quos ordinaverit, functionibus suis privati remaneant, altarium consecratione salva & integra permanente. Addit clericos qui in alienam diœcesin, domicilii sibi statuendi animo, se contulerint, ad superiorem Ordinem, sine proprii Episcopi consensu in scripta relato, promoveri non posse, atque adeo communionem presbyteris, diaconis & subdiaconis negandam esse, qui iter egerint, quin Episcopi sui Litteris muniti sint.

16. Eos qui virgines Deo consecratas rapiunt, iisdemve vim inferunt, easque ipsas quæ sua cum raptoribus morari non renuunt, excommunicationi subdit. Eas quoque huic pœnæ subesse vult quæ viduitatem profitentur, Ecclesiæque stipendio presbyterum, ad annum, privat qui sciens & volens cum ejusmodi personis communicaverit.

17. Declarat Episcopum non posse id clerico adimere quod ei decessor donavit, bene vero quod eidem ipse largitus est, si per inobedientiam, aliamve culpam se ea quam accepit, indignum reddiderit. Potest etiam ei quod

quod dedit, adimere, ecclesiæ aut monasterii regimen tribuens, quia secundi beneficii proventus, quod ex primo clericus percipiebat, supplere potest. Hæc decimi octavi canonis notio est.

19. Clericos qui aperte, per elationem aut indignationem aliquam, obsequi recusaverint, ad laicam communionem redactos vult, quoad Episcopo satisfecerint, qui integram nihilominus erga eos charitatem servabit, perficietque, ut iis consuetæ retributiones, pro temporum ratione, præbeantur. Si qua subsit difficultas, apud provinciæ syndicum sibi consulere clericos patitur.

20. Idem perfugium concedit clerico qui se ab Episcopo injuste habitum judicaverit.

21. Concilii arbitratui & prudentiæ relinquit, ut clericos puniat qui conspirationes, quemadmodum paulo ante contigerat, seu scripto, seu jurejurando conflaverint.

22. Mandat, ut usurpatores bonorum ecclesiæ, quique fidelium oblationes retinent, iisve, pro eorum mente, uti negligunt, ab ecclesiastica communione suspensi maneant, quoad ecclesiæ vel Episcopo restituerint. Eidem pœnæ eos omnes subdit qui, postquam aliquid ecclesiæ donaverint, eo temeritatis devenerint, ut id resumant.

23. Vetat, degradationis indicta pœna, ne abbates, presbyteri, aliique ministri quicquam ex ecclesiæ bonis alienent, oppignerentve, quin eorum Episcopus de scripto annuat.

24. Personis quæ adhuc juniores sunt, itemque conjugatis, sine duarum partium consensu, & facta etiam hypothesi, utriusque perfectam ætatem esse, pœnitentiæ benedictionem concedi non vult.

Hujus canonis sensus est nec juniores, nec conjugatos ipsos, etiamsi duarum partium consensus adsit, nisi ad maturam ætatem pervenerint, ad publicam pœnitentiam admitti debere. Ea est hujus rei ratio, quia qui in publica pœnitentia versabantur, continentiam servare debebant.

25. „ Qui pœnitentiam deserunt, ut ad sæcularem „ vitam redeant, aut militiæ nomen dent, excommu-„ nicationi suberunt ad mortem usque; at iisdem via-„ ticum concedetur. “

26. Villicos aut reddendæ rationi obnoxios ordinari vetat, nisi, secundum apostolicæ sedis statuta, eos testamentum, scriptumve aliud liberaverit, ea Episcopo a quo ordinati fuerint, indicta pœna, ut suis a functionibus per annum abstineat.

27. Diaconis cæterisque clericis superioribus qui fœnori dant, degradationis pœnam imponit, cum iis quicquam ultra mutuum exigere, suove aut alieno nomine, negotiari non liceat.

28. Quia populo persuasum erat non licere, die dominico, equis, bobus aut vecturis iter confici, dapes parari, aut eorum quicquam agi quæ ad domorum, aut personarum nitorem spectarent, quod Judaicum potius ritum quam Christianam disciplinam sapere videbatur, se velle pronuntiat, ut, quod hactenus licuit, & in posterum liceat: „ Volumus tamen, sub-„ dit, ut eo die a colendis agris, scilicet ab arando, „ a formanda vinea, a desecandis falce fœnis, a me-„ tendo seu terendo frumento, ab eruncando, a struen-„ dis sepibus abstineatur, quo facilius Ecclesiæ preci-„ bus vacari possit. Si qui contra fecerint, eos corri-„ gere non laicorum, sed Episcoporum est. “ Concilium ad hunc condendum canonem videtur adactum metu, ne Christiani Judæorum superstitionem, quorum magnus tunc erat in Galliis numerus, imitarentur.

29. „ Laicorum nullus ex Officio egredi debet, an-„ tequam Oratio Dominica dicta fuerit; &, si Episco-„ pus adsit, ejus benedictio expectetur. Nemo Mis-„ sæ & Vesperarum Officio cum armis adsistat. “

Extat, in prima hujus canonis parte, *De Missis*, vocabulum quod sæpe pro variis divini Officii Horis sumitur, quæ per Orationem Dominicam, ut hoc etiam tempore, singulæ finiebantur. Porro interdictio, ne ad Ecclesiam arma afferantur, non Romanos spectat qui ne gladium quidem, præterquam in bello itineribusque gestabant, sed Gallos qui semper armati incedebant, ipsisque in Ecclesiis arma gerebant.

30. „ In Judæos interdictio, ne a die Cœnæ Domi-„ ni ad secundam usque Paschatis feriam cum Chri-„ stianis versentur. “

Hujus interdictionis causa erat, ut videtur, metus, ne Judæi vel Christiani, eo sancto tempore ad absonum aliquod facinus devenirent, Judæi quidem, super Christi Domini Passione fidelibus insultantes, fideles vero sibi de ejus morte ex Judæis ultionem quærentes.

31. Excommunicationem pronuntiat in urbis aut loci alicujus judices qui hæreticum eo progressum esse cum scirent, ut quempiam e Catholicis rebaptizaret, non denuntiarunt puniendumque curarunt.

32. Vetat, ne cujusvis generis clerici quempiam, & laici clericos, sine Episcopi venia, traducant ad laicos judices.

33. Imprecationem in eos continet qui neglexerint dare operam, ut concilii statuta serventur quæ Episcopi se a Deo afflatos, communi consensu tulisse ajunt.

Subscripti fuere canones hi die septima mensis tertii, Maji scilicet. Ex eo quod mensis Majus appellatur hoc loco *mensis tertius*, infert Pagius Gallis annum a Paschate tunc cœpisse. At illatio non cohæret. Pascha, hoc an. 538. in Aprilis diem 4. incidit; ac proinde, si Pascha anno initium dedit, Majus erat solum secundus mensis. Majus in Gallia, Aurelianensis tertii concilii tempore, *tertius mensis* nuncupabatur, quia, sub Merovingiensium stirpe quæ an. 414. cœpit, & 751. desiit, annus Gallicus a die incipiebat qua milites recensebantur, quæ mensis Martii prima erat. Ita mensis Majus, sub Merovingensium regno, erat Gallici anni tertius, *Reg. Tom. XI. Lab. Tom. V. Hard. Tom. II.*

Concilium Barcinonense, an. 540.

Provinciæ Episcopi septem, cum Barcinonem, ad an. 540. convenissent, edidere sanctiones decem quæ sequuntur.

Prima. „ Canetur Psalmus quinquagesimus ante Can-„ ticum. “

2. „ Tribuetur, ad matutinum, itemque vesperti-„ num Officium, fidelibus benedictio. “

Occurrit eadem sanctio in tricesimo Agathensis concilii canone. Sanctionem hanc Albaspinæus editam putat, quia suberat dubitandi locus satius, necne, esset solum in Missa & Vespere fidelibus benedici, cum dimittebantur, ne amplius, ea quidem die, ad Ecclesiam redirent, quam ad matutini temporis Officium, quo peracto redituri erant; dubitandi ratio erat, quia fidelium benedictionem ad vespertinum Officium remitti videbatur propius accedere ad Christi Domini exemplum, qui discipulos deserens ad cælum iturus, suam iis benedictionem suamque pacem reliquit.

3. „ Clericorum nulli comam alere, aut barbam si-„ bi radere licebit. “

In aliis Hispaniarum conciliis, ut in Coyacensi, an. 1050. habito, jubentur sibi clerici barbam radere; & fortasse tertius hic Barcinonensis concilii canon clericis idem præcipit; nec subest dubitatio, si stare velimus veteri manuscripto Lucensi codici in quo tertius canon hic ita legitur: *Nullus clericorum comam nutriat, vel barbam, sed radat.*

4. „ Diaconi in presbyterorum cœtu sedere pro-„ hibiti. “

5. „ Presbyteri, absente Episcopo, Collectas di-„ cent. “

6. & 7. „ Qui pœnitentiæ subdentur homines, erunt „ abraso capite, religiosumque habitum deferent, vi-„ tam agentes in jejuniis & in prece. Epulis non in-„ tererunt, nulli commercio vacabunt, satis habentes „ frugaliter domi vivere. “

8. „ Pœnitentiam qui petent, morbi tempore, ab „ Episcopo accipient, ea lege, ut, si convaluerint, „ pœnitentium vitam agant, quin tamen iis rursus „ manus imponi necesse sit, eaque præterea lege, ut „ a communione segregati maneant, quoad Episcopo „ probata sit eorum agendi ratio. “

9. „ In periculo versantibus tribuetur Viatici be-„ nedictio. “

In vulgaribus Collectionibus, *Beatificam benedictionem* legimus; at credimus melius in aliis legi, *Viaticam benedictionem*.

10. „ Quoad monachos, id servabitur quod iisdem „ præscriptum fuit in Chalcedonensi concilio. “ *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. III. pag. 165. & seq.* Mansi, *Tom. I. Supplementi ad Collect. Labbean. Concil. pag. 419.*

IV. Concilium Aurelianense, an. 541.

Concilium hoc ex Lugdunensibus provinciis quatuor, Viennensibus duabus, Alpium Graiarum Maritimarumque provinciis, Narbonensibus duabus, provinciis Aquitaniæ & Novempopulaniæ, & Sequanorum provincia, videlicet, e Galliarum provinciis omnibus, exceptis Germaniis duabus, & duabus Belgicis, conflatum fuit. Errarunt ergo Fleurius, *Tom. VII. pag. 427.* & post eum, Ceillerius, *Tom. XVI. pag. 732.* qui concilii hujus Episcopos e singulis tribus Franciæ regnis, omnibusque Galliarum provinciis, excepta Narbonensi prima;

primas convenisse dixerunt. Huic concilio nullus e Clotarii regno Episcopus aderat, nullus item a provinciis duabus Germanicis, duabusque Belgicis; contra, non deerant ibidem Episcopi Narbonensis primæ; Usetia enim quæ est Utica Galliæ ad hanc provinciam spectabat, nec ab ea nisi subsecutis temporibus, ob Gothorum dominationem sejuncta fuit. Adfuere concilio huic Episcopi omnino triginta octo; absentes exhibuere presbyteri undecim, & Abbas *Amphilochius* nomine, delegatus Amalii, Parisiensis Episcopi. Ei præfuit Leontius Burdegalensis, & Marcus, Aurelianensis Episcopus, subscripsit omnium postremus. Nobis aliæ, cur hoc concilium convocaretur, causæ non suppetunt quam disputationes quæ super celebrandi Paschatis die, eo tempore, coortæ sunt, servandæque consuetudinis desiderium, quam, ut quotannis in concilium Episcopi convenirent, superiora concilia statuerant. Edidit concilium hoc canones triginta octo, e quibus octo renovant interdictiones veteres, in ecclesiasticos quidem, ne alienent, in laicos autem, ne usurpent ecclesiæ bona; quæ autem cæteri continent, hæc sunt.

Primus. „ Paschatis Festum in omnibus ecclesiis ita celebrabitur, ut est in Tabule seu Cyclo Victorii. Illud Epiphaniæ die, quotannis, in ecclesia populo annuntiebit Episcopus quisque. Si qua suberit super ipso die difficultas, apostolicam sedem Metropolitani consulent; ejusque responso nemo non stabit."

Victorii Cyclus quem canon proponit regulæ loco, non erat erroris expers; & Victor Capuanus, sub idem tempus, ostendit auctorem hallucinatum esse, dum anni 455. Pascha ad Aprilis diem 17. retulit, quod debebat in diem 24. incidere.

2. „ Quadragesima in omnibus ecclesiis ad eumdem modum servabitur, quin eam ullus Episcopus a Sexagesima, vel a Quinquagesima inchoatam velit; sed ita, ut nemo, nisi subitæ infirmitatis causa, per Quadragesima sabbata se jejunio subducat. Prandere, nisi die dominico, non licebit."

Quadragesimale jejunium propterea non unum & idem ubique erat, quia nonnulli, Græcorum consuetudinem imitati, sabbato non jejunabant, secunda post Quinquagesimam feria Quadragesimam incboantes, alii quinquaginta, alii sexaginta dies jejunio tribuebant. Morem hunc concilium prohibet, & neminem patitur, per totam Quadragesimam, jejunio se eximere, nisi Dominico die, &, morbi causa, diebus cæteris. Dominicum diem excipiens canon licere ait eo die *prandere*, quia cum cibus, jejunii diebus, vespere sumeretur, tum quidem Fideles *cœnare* dicebantur; quod probat eo nondum tempore, vespertinis jejunii horis refectioni locum fuisse.

3. „ Si quis e civium præcipuis in Paschate, aliisque solemnibus Festis, urbe discedere cogitans fuerit, id non nisi cum Episcopi venia faciet."

4. „ Nemo alium in calice liquorem offerat quam vinum aqua mixtum, quia aliud offerri quam quod Dominus præcipit, sacrilegium est."

Huic canoni locum præbuit Gallorum mina in eo positus, ut suum sæpe vinum melle & absinthio condirent.

5. „ In ea Episcopus Ecclesia ad quam electus fuit, consecrari debet. Id si fieri non potest, eum saltem in provincia, coram Metropolitano, aut ejus auctoritate, comprovinciales consecrent, necesse est."

6. „ Operam debent Episcopi ut parœciarum clericis præsto canonum exemplar sit, ne suam ipsi eorumque populus inscitiam prætexere possint."

7. „ Domini in suarum terrarum oratoriis, seu capellis non alios clericos ponent, quam quos Episcopus in cujus territorio eadem sacella sita sunt, approbaverit."

8. „ Pœnitentiæ tempus iis statuendum qui, postquam in hæresin lapsi sunt, ad catholicæ fidei unitatem redeunt, ab Episcopi arbitrio pendebit qui eos ad communionem, prout, & quando ei visum fuerit, poterit restituere."

9. „ Alienationes, seu oppignerationes bonorum ecclesiæ, quas Episcopus qui moriens nihil reliquit, ediderit, revocabuntur; at si quos captivos manumiserit, hi libertate gaudebunt, ea lege, ut Ecclesiæ deserviant."

10. „ Episcopus qui bigamum ordinaverit, eumve qui viduam sibi conjugem sumpsit, a Sacerdotii functionibus ad annum suspensus erit; si vero hanc censuram spreverit, cæterorum Episcoporum communione privabitur, ad magnæ usque synodi tempus, vel ex aliquibus manuscriptis codicibus, ad primam synodum usque. Qui autem ab eo contra regulas ordinati fuerint, e gradu dejicientur."

12. „ Si qua difficultas, super temporalium bonorum possessione, inter Episcopos suborta fuerit, amice, intra annum, aut per arbitros quos elegerint, inter eos conveniet. Si compositionem distulerint, a fratrum communione separabuntur, cum injustum sit dissidia, quacunque tandem causa subsit, inter eos esse qui rebus omnibus præsunt."

13. „ In judices interdictio, sub excommunicationis pœna, ne clericis qui ecclesiæ reapse deserviunt, quorumque nomina in matriculam relata sunt, imponant officia publica, & peculiariter ne Episcopos, presbyteros & diaconos adigant, ne tutelas accipient; cum rationi consonum sit Christi ministros exemptione gaudere quam civiles leges ethnicæ superstitionis sacerdotibus concedebant."

15. Et 16. „ Ecclesiæ communione privantur qui, suscepto Baptismate, ad idololatriæ certas quasdam consuetudines redeunt, cujusmodi sunt, immolatis dapibus vesci, jurare super animalium capite, ethnicorum diis invocatis." (Est in texto, *invocatis nominibus paganorum*; at legendum, *Numinibus*.) Bovis caput adorabant Galli; ac fortasse de hac superstitione concilium loquitur, dum ait: *Ad caput alicujus feræ vel pecudis*.

17. „ In presbyteros & diaconos interdictio, ne communi suis cum uxoribus lecto & cubiculo utantur."

20. „ Nullus e laicis, absque Episcopi aut ecclesiastici superioris auctoritate, in carcerem trudere, interrogare, aut damnare clericum audeat; at clericus, a superiore monitus, audientiam subeat, nec ad forenses artes, judicii declinandi causa, confugiat. Cum clericum inter & laicum lis est, non audiat judex laicus, nisi unus e presbyteris vel archidiaconis adsit; quod si clericus apud laicum tribunal litem prosequi voluerit, ecclesiasticus superior annuat."

21. „ Qui, sine Episcopi vel ecclesiastici superioris venia, quempiam vi, aut fraude ex ecclesia traxerit quem necessitas impulit, ut in ea sibi asylum quæreret, ex eadem pellatur, quoad pœnitentiam egerit, ea conditione, ut personam in locum e quo extraxit, restituat."

22. „ Interdicitur, excommunicationis indicta pœna, ne ad ineundum, contra parentum voluntatem, cum puellis conjugium, Potestatum auctoritas adhibeatur."

23. „ Prohibentur etiam ecclesiarum aut Episcoporum servi, ne violentias exerceant, & captivos faciant."

24. „ Haud ferendum captivos, mutui conjugii ineundi causa, in ecclesias confugere; separandi sunt, & parentibus dominisque reddendi."

26. „ Si parœciarum clerici, quæ in Procerum terris statutæ sunt, servitii dominis exhibendi specie, neglexerint officium suum, eos urbis archidiaconus rite monebit & corriget."

27. „ Aurelianensis tertii & Epaonensis conciliorum, super prohibitis gradibus, canones renovantur."

28. Et 29. „ Voluntarius interfector qui id assecutus fuerit, ut a publica vindicta & a consanguineorum persecutione se in tuto poneret, pœnitentiæ nihilominus ab Episcopo subdetur, qui pœnitentias quoque eidem subdet qui adulterium patraverint cum clericis, qui & ipsi, pro Episcopi voluntate, punientur."

30. „ Christianos redimendi facultas datur, qui, cum facti essent Judæorum captivi, ad ecclesias confugiunt, & redimi petunt, modo pretium quo hi captivi æstimabuntur, Judæo solvatur."

31. „ In Judæos interdictio, ne Exteros & Christianos circumcidant, aut Christianas captivas sibi conjuges sumant. Judæus qui Christianum captivum perverterit, suos omnes captivos amittet, & si quis Christianus captivus libertate donatus fuerit, ea conditione, ut Judaicæ religioni nomen det, conditio nulla est, & is in captivitate manebit."

32. „ Captivorum posteri servitio & oneribus suberunt, sub quibus, licet ex longo tempore, libertas iis data a quibus descendunt."

33. „ Si quis in terra quam possidet, parœciam habere voluerit, et statuat, imprimis, redditum satis, & clericos qui eidem deserviant." Hæc nimirum juris patronatus origo est. *Re. Tom. X. Lab. Tom. V. Hard. Tom. I.*

V. Concilium Aurelianense, an. 549.

Hoc Aurelianense concilium quintum habitum est Octobris die 28. an. 549. qui regni Childeberti tricesimus octavus erat, Indictione XIII. Epocha hæc quæ nun-

nuncupatur *Indictio*, quæque annorum quindecim revolutione continetur, ut, numerata Indictione XV. redeatur ad Indictionem I. in Oriente, a Constantini Magni regno, instituta fuit; at in Gallia, sexto tantum sæculo, usui esse cœpit. Aurelianensia concilia quartum & quintum sunt Acta omnium prima satis authentica, e quibus Gallos ea usos esse compertum fiat. Adfuere concilio huic Episcopi quinquaginta; unus & viginti miserunt deputatos; alii presbyteros, archidiaconos alii. Inter præsentes Episcopos, erant Metropolitani novem, videlicet, S. Sacerdotius Lugdunensis qui concilio præfuit; S. Aurelianus Arelatensis; S. Hesychius Viennensis, hujus nominis secundus, S. Nicetus Trevirensis; S. Desideratus, seu Desiderius Bituricensis; Aspasius Eausensis; Constitutus Senonensis; Urbicus Vesontionensis; & Avolus Aqui-sextiensis. Marcus, Aurelianensis Episcopus, non interfuit, utpote accusatus & in exilium actus; ac nimirum, ut judicium de eo ferretur, tam frequens concilium ex omnibus provinciis quibus tria Galliarum regna continebantur, rex Childebertus coactum voluerat; at Præsul innocens judicatus, suæque sedi redditus fuit. Edidit concilium canones viginti quatuor.

Primus, Eutychis æque ac Nestorii errores, utpote ab apostolica sede damnatos anathematizat. Huic canoni causam præbuisse videtur timor, ne turbæ rursus in Oriente ab Eutychianis & Nestorianis excitatæ in Occidentis ecclesias pervaderent.

2. Excommunicationis sententiam ab Episcopis haud pronuntiandam ait ob leves causas, sed ob errata quorum reos ex ecclesia ejici veteres Patres jusserunt.

3. Interdictiones in clericos pluries editas renovat, ne apud se detineant exteras feminas, aut, quibus non decet horis, consanguineas tolerent, ne quæ eas sequuntur, pravis suspicionibus locum præbeant, atque id, sub pœna, quoad refractarios, suspensionis, ad annum, a sui ministerii functionibus.

4. Eos, depositionis indicta pœna, jubet, etiam cum legitimis uxoribus, e continentiæ legibus vivere; iisdem tamen communionem concedit.

5. Vetat Episcopis sumere aut ordinare alienæ diœcesis clericos, sine Episcopi venia, ea statuta pœna, ut ne, sex mensium spatio, sacrum faciant. Clericos autem ita ordinatos ad suum Episcopum remissos; & a suarum functionum exercitatione, prout ei visum fuerit, suspensos vult.

6. „ Episcopus qui servum aut libertum, cum causæ cognitione, sine domini venia, ordinaverit a sanctorum Mysteriorum celebratione, ad sex menses, „ suspensus erit; novusque clericus sub heri potestate manebit, ea conditione, ut hic ab eo solum honesta servitia exigat. Si quod ab eo servitium quod „ sacro ordini dedecus afferre possit, sibi exhibitum „ herus voluerit, Episcopus, qui eum ordinavit, eum „ retrahet, dans, secundum veteres canones, in ejus „ locum captivos duos.

Liberti non integram libertatem recipiebant; debebant adhuc suis dominis servitia quædam: hac de causa concilium vult eos, absque horum dominorum consensu, clericali ordini, per quem iis oneribus eximebantur, addici non posse.

7. Captivos qui in Ecclesia manumissi fuerunt, in servitutem redigi vetat, nisi ob culpas in lege notatas, eo se beneficio indignos reddiderint.

8. Vetat, ne quis Episcopus clericos ordinet, episcopali sede vacante; ne altaria consecret; ne quam ecclesiæ rem sumat: si secus egerit, Missæ, ad annum, celebratione privatum vult.

9. Quempiam ad Episcopatum evehi prohibet, quin, saltem per anni spatium, spiritualibus regulis, ecclesiasticæque disciplina a doctis, probatæque vitæ viris imbutus fuerit.

10. Episcopatum emi pecunia, ad eumve obtinendum prensationes adhiberi vetat, depositionis indicta pœna. Addit Episcopum a Metropolitano ejusque comprovincialibus, non sine Regis consensu, consecrari oportere. Sunt manuscripti codices in quibus hic Regis consensus deest.

11. Declarat, ex antiquis canonibus, haud populo dandum Episcopum quem recusat, nec clericos, aut cives, ut ei se subdant, potentium hominum auctoritate adigendos esse; secus, ita ordinatum Episcopum deponendum.

Perspicitur ex his canonibus Episcopos in id incubuisse, ut electionum libertatem quam regia passim auctoritas, aut potentium virorum commendationes lædebant, in integrum restituerent. Erat, regibus, jam tum potior in Episcopatuum nominationibus pars; dignumque animadversione est, in canonibus ipsis qui pro electionum libertate edebantur, semper Regis consensum, ad novi Episcopi ordinationem, requisitum esse.

12. In Episcopi viventis locum, nisi ob aliquod capitale crimen depositus fuerit, Episcopum ordinari vetat.

13. Prohibet, ne quis bona Ecclesiis, monasteriis, aut hospitalibus legata usurpet, eam alioquin pœnam subiturus, ut, ad rei usurpatæ restitutionem usque, ex ecclesia trudatur.

14. Interdictionem hanc ad Episcopos, ad cujusque generis clericos, & ad omnis conditionis laicos protendit, quoad cujusvis ecclesiæ bona, seu in eodem regno, seu in alio.

15. Hospitalis a Rege Childeberto, & Regina Ultrogotha, ejus conjuge, in urbe Lugduno, instituti fundationem confirmat. Huic fundationi omnes concilii Episcopi, ita quidem Rege & Regina exoptantibus, subscripserunt; & Lugdunensis Episcopus, itemque ejus successores quicquam ex hospitalis bonis sibi, aut Lugdunensi ecclesiæ tribuere; at, eodem tempore, jussus Episcopus operam dare, ut illud semper a sedulis administratoribus regeretur, ut in eo ægrotorum numerus per fundationem enuntiatus detineretur, ut in illud advenæ reciperentur. Concilium in eum qui contra quicquam ageret, tamquam in pauperum interfectorem anathema pronuntiavit.

16. In eos etiam omnes anathema pronuntiat qui ecclesias, aut loca sancta donationibus a quocunque in eorumdem gratiam editis spoliare ausi fuerint.

17. „ Si cui in Episcopum, aut in ecclesiæ agentes „ negotium fuerit, is quidem primum se ad Episcopum conferat, ut litigium amice finiat. Si hæc agendi ratio e voto non cesserit, ad Metropolitanum „ confugiat, qui de re ad Episcopum scribet, ut causa per arbitrariam sententiam finiatur. Episcopus „ porro, si compositioni aures accommodare noluerit, „ ad eumque Metropolitanus iterum scribere coactus „ fuerit, Metropolitani communione privatus, quoad „ negotii rationem redditurus ad eum venerit, permanebit. At si evidens fuerit injustum negotium esse quod in Episcopum suscitatur, is qui illud suscitaverit, excommunicationi ad annum suberit. Si „ Metropolitanus ab Episcopo semel & iterum interpellatus distulerit ei jus reddere, Episcopus sibi apud „ proximum concilium consulet.

18. Suspendit Episcopos, ad annos sex, qui a Metropolitano ad concilium appellati venire noluerint, aut, antequam absolutum fuerit, abierint, nisi in evidentis infirmitatis casu.

19. „ Puellæ quæ suapte sponte se Deo consecraverint, aut a parentibus oblatæ fuerint, annum ibidem „ transigent, antequam religionis habitum sumant. At „ quæ in monasteriis se consecrant, ubi perpetua clausura non est, ibidem triennii spatio sæcularem habitum retinebunt; tam vero religiosarum iis habitus, „ e monasterii statutis, dabitur. Quod si, ea firmato, „ suum bonum consilium deserueriut, & ad civilem „ societatem, nubendi causa, redierint, cum iis qui „ has nupserint, excommunicationi subdentur. Si vero se ab iis separaverint, & pœnitentiam egerint, „ in communionem restituentur.

20. „ Eos qui in carceribus ob crimen, quodcunque fuerit, detinentur, archidiaconus, aut ecclesiæ „ præpositus, singulis dominicis diebus, invisent, ut, „ quid iis opus sit, videant, iisdemque alimenta & „ cætera necessaria suppeditent, impensis Ecclesiæ, „ per seduli fidelisque viri ministerium, quem in hunc „ finem Episcopus eliget.

21. Statuit, ut, quamvis cuilibet Domini presbyter, atque adeo fidelis quisque sibi pauperum curam sumere possint, Episcopi tamen peculiarem, in modum se de pauperibus leprosis sollicitos exhibeant, seu in episcopali urbe, seu in cæteris diœceseon locis comperti fuerint, iis ex ecclesiæ domo, pro ejusdem redditibus, vestitum victumque suppeditantes.

22. Veteres super captivis qui ad Ecclesiam confugiunt, constitutiones renovat.

23. Annuam provincialis concilii celebrationem præcipit.

24. Præcedentia decreta confirmat, volens, quicquid, Deo afflante, in concilio statutum fuerat, accurate deinceps sancteque servari. *Ibidem*.

Eodem an. 549. aut, aliorum sententia, ad an. 553. Episcopi decem qui Aurelianensi quinto concilio interfuerant, Clermontium in Alvernia convenerunt, ibique concilium quod Clermontiense secundum censetur, habuerunt. Haud novos quidem canones condiderunt; sed priores septendecim Aurelianensis quinti concilii canones confirmarunt, excepto decimo quinto qui hospitalis Lugdunensis, per Regem Childebertum, fundationem spectat. *Ibidem*.

S. Ni-

S. Nicetus, Trevirensis Archiepiscopus qui Aurelianensi concilio quinto & Claromontiensi secundo interfuerat, aliud in urbem Tullum, Theobaldi consensu, an. 550. convocavit. Hujus concilii Acta ad nos usque non pervenerunt. At convocatum videtur molestiarum occasione quas S. Niceto Galli quidam attulerant quos ob incestuosa matrimonia a communione repulerat. Potest id ex Mappinii, Remensis Episcopi, Epistola conjici quam ad eum scripsit, ut se excusaret, quod Tullensi concilio interesse non potuisset. Hanc Mappinii Epistolam exhibet Conciliorum Labbæi tomus quintus, veluti Supplementi loco ad Tullensis concilii Acta. *Ibid.*

Dupinus, Bibliothecæ suæ *Tom. IV. pag.* 434. hallucinatus est, inquiens concilium in urbe quæ Gallice *Tulle*, in Lemovicensi provincia, habitum fuisse. Eum in errorem induxit Latina vox *Tullense* concilium, quam Gallice reddidit *de Tulle*, loco *de Toul*. Ut *Tulle* diceretur in latino textu *Tutelense* legendum esset. Errorem hunc secutæ sunt prima & secunda *chronologicarum*, auctore Abbate Lenglet Dufresnoi, Tabellarum editiones.

Concilium Constantinopolitanum, generale quintum, *ann.* 553.

Hujus concilii prima sessio, seu collatio, in secreta Constantinopolitanæ cathedralis ecclesiæ aula, die 4. Maji, an. Christi 553. regni Imperatoris Justiniani vicesimo-septimo, habita est. Ei cum Papa Vigilius qui tum Constantinopoli versabatur, adesse noluisset, Eutychius, ejus urbis Patriarcha, præfuit; Apollinaris Alexandriæ, Domnus seu Domninus Antiochiæ Patriarchæ, aliique Episcopi numero centum quinquaginta unus, seu centum quinquaginta quinque adfuere. Huic celebrando concilio causam præbuit trium Capitulorum examen, quæ nimirum erant: Theodori Mopsuesteni Scripta, Theodoreti in eos Anathematismi quos S. Cyrillus ediderat, & Ibæ ad Marin Epistola. Papa Vigilius, Aprilis die 11. an. 548. judicium tulerat *judicatum* dictum quo damnabat Capitula tria, quin Chalcedonensi concilio derogaret. Judicium hoc nemini satis fecerat: Trium Capitulorum hostibus haud probabatur clausula: „salva concilii Chalcedonensis auctoritate;“ nec æquiore animo ferebant Capitulorum trium defensores Papam, ut ea damnaret, se adduci passum esse; e Romano clero ipso non defuere qui per provincias in eum scriberent, persuasum habentes eum Capitula tria damnantem Chalcedonense concilium deseruisse. Ut ergo remedium his incommodis afferretur, triumque Capitulorum negotium ad exitum perduceretur, Papam Vigilium inter & Imperatorem Justinianum de hoc cogendo concilio convenit. In eo habitæ sessiones seu collationes octo; hujus enim concilii sessiones *collationum* nomine designatæ fuere.

Cum superiores collationes Theodori Mopsuesteni Scripta, Theodoreti in Cyrillianos Anathematismos, & Ibæ ad Marin Persam Epistolam discussissent, octava, eaque postrema sententiam contra tria Capitula prorsus editam pronuntiavit. Ajunt concilii Patres in ea se professione esse, ut suscipiant concilia quatuor, sequanturque, quicquid ea, quod ad fidem attinet, definierunt; deinde subdunt: „Eos ab ecclesia separa„tos qui hæc concilia non recipiunt, judicamus; „Theodorum Mopsuestiæ ejusque impia scripta, & „impietates a Theodoreto contra veram fidem, con„tra S. Cyrilli capitula duodecim, contra Ephesinum „concilium, & ad Theodori ac Nestorii defensionem „scriptas damnamus. Impiam etiam Epistolam quam „Ibas ad Marin Persam scripsisse dicitur, anathema„tizamus, in qua negatur Verbum Deum sumpsisse „& hominem factum esse ex Maria Virgine, in qua „S. Cyrillus, tanquam Hæreticus & Apollinarista, ac„cusatur, in qua Ephesinum concilium, propterea „quod Nestorium, citra examen deposuerit, vitupe„ratur, & in qua Theodorus & Nestorius cum impiis „eorumdem scriptis defenduntur: hæc ergo Capitula „tria, eorumque defensores qui per Patrum, aut „Chalcedonensis concilii auctoritatem eadem propu„gnare contendunt, anathemate plectimus.“ Sententiam in tria Capitula pronuntiatam sequuntur anathemata quatuordecim in errores qui ad eos aliqua ratione referri poterant, quos tanquam Theodori Mopsuesteni & Nestorii proprios & peculiares anathemate concilium percuierat. Damnantur in primo quicumque non confitentur divinam naturam in tribus Personis unam & consubstantialem esse; in secundo, quicumque non agnoscunt in Dei Verbo nativitates duas, spiritualem unam, per quam ex Patre ante omnia secula natus est, corporalem alteram, secundum quam natus est, novissimis temporibus, ex sancta Virgine Maria, Dei Matre. In 3., 4., 5., 6., 7., 8., 9., & 10. damnatur quicumque in Christo Domino naturas duas in unam & unicam Personam unitas profiteri renuit; qui negat unum eumdemque esse qui miracula edidit & qui passus est, sanctamque Virginem vere & reapse Dei matrem esse. In iisdem statuitur naturas duas, sine diminutione, sine confusione, in Christo Domino unitas fuisse, ut proinde suas utraque proprietates servaverit, & adorationem quæ Christo exhibetur, unam & individuam esse quia non adoramus in Christo naturas duas, quod adorationes duas induceret quæ separatim Deo Verbo, & separatim homini præstarentur; sed adoramus, per unam tantum adorationem, Dei verbum incarnatum cum ejus propria carne, prout ecclesia, ab initio, per traditionem docuit. Ibidem in eos anathema dicitur, qui negant Dominum nostrum Jesum Christum qui sua in carne crucifixus fuit, verum Deum, Dominum gloriæ & e sancta Trinitate unum esse. Anathema undecimum impetit Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Origenem, cæterosque omnes generatim hæreticos quos sancta catholica & apostolica ecclesia, itemque superiora concilia quatuor anathematizarunt, æque atque eorum scripta, eosque ad unum omnes qui perverse doctrinam suam ad mortem usque tradiderunt. Postrema anathemata tria compendiariam præcipuorum errorum enumerationem continent quæ in Theodori Mopsuesteni, Theodoreti & Ibæ scriptis occurrunt, cum damnatione Capitulorum trium, eorumque omnium qui eorumdem defensionem suscipiunt. Omnes Episcopi, suo quisque nomine, firmarunt hæc quatuordecim anathemata & quicquid in concilio actum fuerat.

Alia quindecim anathemata quæ generali concilio quinto in græco imperialis Bibliothecæ manuscripto codice tribuuntur, nobis, post Lamberium, Balutius dedit; & quidem contra Origenis errores omnia. Putant ergo nonnulli præter collationes octo quæ in Conciliorum Collectionibus exhibentur, alias duas in hoc Constantinopolitano concilio habitas esse; & Evagrius qui Historiæ suæ Libro VII. capite XXXVIII. hujus concilii Synopsin contexit, huic opinioni patrocinari videtur.

Papa Vigilius, cum menses sex, quin ipse concilii sententiæ se dederet, excurrissent, tandem ejus decisiones approbavit, ut ex Epistola constat quam Decembris die 8. an. 553. datam ad patriarcham Eutychium scripsit. Fatetur in hac Epistola se charitati defuisse, qui se a fratribus sejunxisset; quibuscum antea ejusdem fidei sensa foverat, & adhuc fovebat. „At, „fratres, neminem pudere debet palinodiam canere, „cum agnoscitur rerum veritas, quæ prius haud pro„be perspectæ fuerant, quia non satis fuerant exposi„tæ atque illustratæ;“ qua in re veterum plurium & nominatim S. Augustini exemplum affert, qui, licet in divinis Litteris apprime versatus, sua ipsius opera retractavit, quod mendosum erat, corrigens, addensque quod postea invenerat. Se quidem ait eos veteres imitatum, quid super tribus Capitulis cum vero cohæreret, in eorumdem Patrum Scriptis inquirere non destitisse; pluraque in Theodori Mopsuesteni, Theodoreti & Ibæ Scriptis, catholicæ Fidei contraria comperisse. Eorum præcipuos errores profert, finemque Epistolæ finem imponit, inquiens: „Damnamus ergo & „anathematizamus impia Capitula tria, eidem ana„themati a nobis subditur quicunque oportere credi„derit hæc tria Capitula recipi aut propugnari, ani„mumve ad id perficiendum referri. Eos nobis fra„tres & collegas agnoscimus qui veram fidem in su„perioribus conciliis, Nicæno, scilicet, Constantino„politano, Ephesino & Chalcedonensi statutam servan„tes, Capitula hæc tria damnarunt aut damnant; ab„rogamusque, nullumque esse & irritum volumus, „per hoc Scriptum, quicquid a nobis, aut ab aliis, „ad trium Capitulorum defensionem, actum fuit.“ Constitutionem etiam satis amplam Papa hic, cum Constantinopoli versaretur, ad trium Capitulorum damnationem edidit, datam die 23. Februarii an. 554. Ea nobis in Balutii, itemque in Harduini Collectionibus Conciliorum latina suppetit ex manuscripto Bibliothecæ Colberti codice qui unus & unicus notus est. Statim ab hujus concilii celebratione, Imperator ejus Acta Hierosolymam misit, eaque Episcopi Palæstinæ in concilio approbarunt quod super hac re ipsa egerunt. At Occidentis ecclesiæ plures ea rejecerunt, quibus falso persuasum erat Capitulorum trium damnatione, quin Chalcedonense concilium læderetur, edi non potuisse. Hæ porro habitæ fuere schismaticæ; & schisma quidem in Gallias usque & Irlandiam pervasit, quoad omnia dissidia S. Gregorii Magni prudentia composuit. *Reg. Tom. XII. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.* & Balutius, in *nova Collect. Concil.*

Conci-

Concilium Pariſienſe, an. 551. *ſeu* 553.

Hujus concilii convocationi occaſionem præbuit examen cauſæ Saffaracii, Pariſienſis Epiſcopi, qui gravis criminis, per ipſius propriam confeſſionem, convictus fuerat. Epiſcopi viginti ſeptem, quos inter Sapaudus Arelatenſis primum locum tenebat, confecere concilium hoc quod depoſitionis ſententiam in Saffaracium pronuntiavit. Ad hujus concilii Acta quod attinet, hæc una nobis ſententia, cum viginti ſeptem ſubſcriptionibus, ſupereſt.

V. Concilium Arelatenſe, an. 554.

Sapaudus, Epiſcopis undecim, abſentiumque deputatis octo adſiſtentibus, habuit concilium hoc, die 29. Junii an. 554. qui regni Childeberti quadrageſimus tertius erat. Hi omnes, ex Arelatenſi, duabuſque finitimis provinciis, Epiſcopi condidere canones ſeptem.

Primus „ Epiſcopi, quotquot e provincia ſunt, panes ad Sacrificium non offerant niſi ſecundum formam quæ in Arelatenſi eccleſia uſui eſt. “

Bifariam intelligi poteſt canon hic. 1. Explicari poteſt de panis ad Sacrificium oblati figura quæ per univerſam provinciam una & eadem eſſe debebat; erat panis hic vulgo rotundus, & cruce notatus. 2. Credi poteſt conſilium lo[illegible] de ratione ponendi ſuper altari panis qui conſacrandus offerebatur. Eccleſiarum plurium ſuper hac re varius & multiplex uſus erat; is fere obtinebat, ut panes hi ponerentur in crucis modum; et huic ipſi cruci non una figura erat.

2. „ Diœceſani Epiſcopi correctioni monaſteria ſubſunt. “

3. „ Prohibentur abbates itinera longa peragere, diuque a Monaſteriis recedere, puniendi, ſi ſecus agarint, ab Epiſcopo, ſecundum canones. “

4. „ In presbyteros interdictio, ne diaconum aut ſubdiaconum, Epiſcopo inconſulto, deponant. “

5. „ Epiſcopi curanda ſuſcipient puellarum monaſteria quæ in eorum diœceſi ſunt, & operam dabunt, ut abbatiſſæ contra regulam nihil agant. “

6. „ In clericos interdictio, ne deteriora reddant eccleſiæ bona quorum uſus penes eos eſt, ea indicta pœna, ut juniores quidem clerici, qui nempe infra ſubdiaconos ſunt, diſciplinam ſubeant, cæteri vero tamquam pauperum homicidæ ſpectentur. “

7. „ In Epiſcopum interdictio, ne quem alienæ diœceſis clericum ad Ordinem ullum promoveat, ſine ejus Epiſcopi Litteris, ea ſtatuta pœna, ut Epiſcopus qui eum ſciens ordinaverit, communione privetur ad menſes tres; & qui ordinationem ſuſceperit, deponatur. “ *Reg. Tom. XII. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.*

Concilium Pariſienſe, an. 557.

Habitum fuit concilium hoc, ſub annum tertium Pelagii I. & regis Childeberti quadrageſimum ſextum. Ei adfuerunt Epiſcopi numero quindecim. Notiores ſunt Probus Bituricenſis qui concilio præfuit, S. Prætextatus Rothomagenſis, S. Leontius Burdegalenſis, S. Germanus Pariſienſis, S. Paternus Abrinenſis, Sanctus Chaletricius Carnatenſis, & Epiſcopus, nomine *Samſon*, qui Sanctus Samſonius, Britonenſis Epiſcopus, fuiſſe creditur. Editi in hoc concilio canones decem.

Primus, Excommunicationem in eos pronuntiat qui eccleſiæ bona retinuerint, nec eos, niſi reſtituerint, ab hac pœna ſolutos vult. Vetat præterea, ne quis eorumdem eccleſiæ bonorum poſſeſſionem ineat, ea, per interregna, ſervandi ſpecie. Eam Epiſcopi hujus canonis cauſam afferunt, quod juſtitiæ non congruit, ut ipſi tabellarum eccleſiæ puri putique cuſtodes potius quam ejuſdem bonorum defenſores ſint.

2. Vetat, impoſita perpetui anathematis pœna, ne quis potiatur Epiſcoporum bonis, quippe quæ ad eccleſias pertinent.

3. Epiſcopos impetit qui Regis conceſſionem prætexentes, aliena bona uſurpare voluerint, aut reapſe uſurpaverint.

4. Cum fratris, patris aut patrui vidua, cum conjugis ſorore, cum nuru, cum amita, cum ſocrus filia conjugium iniri vetat.

5. Eos catholicæ eccleſiæ communione privat & ad perpetuum anathema damnat, qui virgines per publicam declarationem Deo conſecratas rapiunt, aut ſibi conjuges petunt.

6. Eamdem pœnam in eos ſtatuit qui ad Principis auctoritatem confugiunt, ut viduas puellaſque, earum parentibus, iiſve e quibus educantur, invitis, uxores ducant.

7. Interdictionem renovat, ne quis ſcilicet recipiatur quem ſuus Epiſcopus a communione repulerit.

8. Ordinari non vult Epiſcopum, invitis civibus, ſed eum ſolummodo quem clerus & populus, non ſine plena libertate, ſelegerint; eumdem nec Principis juſſu, nec pactione, quæcumque fuerit, nec contra Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum voluntatem intruſum vult. Addit canon, ſi quis Epiſcopatum, a Regis mandato, uſurpaverit, eum a quoquam Epiſcoporum recipi non debere, ea ſtatuta pœna, ut eum recipiens Epiſcopus a cæterorum communione abſcindatur, cum ignorare non poſſit eum illegitime ordinatum fuiſſe. De ordinationibus vero jam editis Metropolitanus una cum comprovincialibus & finitimis Epiſcopis judicabit, quos eliget, & quibuſcum in congruum locum ad omnia ex veteribus canonibus judicanda conveniet.

*Perſpicitur hoc in canone alios quam provinciæ Epiſcopos, ad competentem numerum uſque, vocandi mos, ut de Epiſcopo judicium feratur.

9. Mandat, ut captivorum filii qui cuſtodiendis mortuorum ſepulcris addicti ſunt, quibuſque libertas ea lege conceſſa eſt, ut aliquod ſervitium ſeu hæredibus, ſeu eccleſiis exhibeant, obligationes ſibi ab eo impoſitas a quo libertate donati ſunt, exequantur, ſed ita, ut, ſi eccleſia eos fiſci functionibus prorſus exemerit, ab iis tum ipſi, tum eorum poſteri liberi ſint.

10. Propoſitos canones ab omnibus abſentibus Epiſcopis ſignatos vult, ut, quod ab omnibus ſervari debet, unanimi quoque conſenſu receptum ſit. In ſubſcriptionibus porro non ſuarum ſedium, ſed *Peccatoris* nomen ſibi Epiſcoporum plerique ſumunt. *Ibid.*

Concilium Bracarenſe, in Luſitania, an. 563.

An. 563. qui Regis Ariamiri tertius erat, Lucretius, Bracaræ Epiſcopus, aliis ſeptem Epiſcopis adſiſtentibus, hac in urbe concilium habuit, in quo, univerſo præſente clero, cum convocati concilii cauſas propoſuiſſet, ut nempe catholicæ Fidei decreta contra Priſcillianiſtarum reliquias cuſtodirentur, & abuſus, quicumque tandem in clericale miniſterium, aut in Dei ſervitium irrepſiſſent, reformarentur, S. Leonis ad Turibium & ad Epiſcopos Gallæciæ, itemque concilii Gallæciæ ad Balconium, contra Priſcillianiſtas, Epiſtolas legi juſſit, ac deinde conciliorum tam generalium quam particularium ſuper diſciplina canones quibus additi ſequentes viginti duo.

Primus, „ Servabitur ubique idem ordo pſalmodiæ, quoad Officia, ſeu matutini, ſeu veſpertini temporis ſint, quin ni monaſteriorum conſuetudines admiſceantur. “

2. „ Ad ſolemnium dierum Vigilias & ad Miſſas, eædem Lectiones in Eccleſiis recitabuntur. “

3. „ Epiſcopi ac perinde presbyteri ita populum ſalutabunt: *Dominus vobiſcum*; populo reſpondente: *Et cum ſpiritu tuo*, ex totius Orientis uſu qui apoſtolica traditione nititur, non autem in Priſcillianiſtarum modum. “

Poſtulat canon hic animadverſiones duas. Prima eſt, Priſcillianiſtas haud ſatis habuiſſe populum ſalutare ſemel tantum per hæc verba „ pax vobis, in Miſſæ celebratione, ſed idem quoque feciſſe in reliquis omnibus locis in quibus dicitur: “ Dominus vobiſcum. „ Altera eſt, hoc in canone mendum eſſe, & *Orientis* loco *Occidentem* legendum eſſe; ratio eſt, quia in Oriente non dicitur ad Miſſam: “ Dominus vobiſcum; “ et Epiſcopi & presbyteri dicunt omnes: *Pax omnibus*; „ cum nemini non pax ſit, “ quemadmodum in SS. Baſilii & Chryſoſtomi Liturgiis, & apud S. Cyrillum Alexandrinum, *lib.* 12. *in Joan.* videri poteſt.

4. & 5. „ In Baptiſmatis adminiſtratione & in Miſſæ celebratione ſervabitur forma quam Profuturus, Bracarenſis Epiſcopus, inſtituit, & ſancta ſedes approbavit. “

6. „ Metropolitano in cœtibus primo loco ſervato, ſedebunt Epiſcopi reliqui pro ordinationis tempore. “

7. „ Tribuentur eccleſiæ bona in æquales portiones tres quarum una ad Epiſcopum, altera ad clericos, tertia ad eccleſiæ reparationes aut luminaria ſpectabant. “

8. „ Epiſcopis non licebit alterius Epiſcopi clericos, ſine ejus e ſcripto venia, ordinare. “

9. „ Stolam diaconi humeris impoſitam deferent, nec amplius tunica tegent, ut a ſubdiaconis ſecernantur. “

10. „ Le-

10. „ Lectorum nullus ferre poterit sacra vasa, nisi eum Episcopus subdiaconum ordinaverit. “

11. „ Lectores nullum secularem habitum, in Ecclesia canentes, nec longos capillos, ut Ethnici, deferent. “

Perspicitur ex hoc canone jam tum clericos in Ecclesia vestes ab iis alias gestasse quas extra ecclesiam, & in consueto vitæ commercio ferebant. Latinum vocabulum *granos*, quod in textu est, per longos capillos redditum fuit, qui latine *grani* nuncupabantur, inquit Ducangius, quia penes Gothos rotundum in modum amputabantur, atque ita aliqua ratione granorum formam imitabantur. Censent tamen alii per vocem *granos*, intelligendam esse barbæ partem quæ sub naribus est. *Barbam non decurtent, nec rasoria granones, seu granos, radant*, inquiunt Chartusianorum statuta vetera, ubi de conversis fratribus sermo est.

12. „ Nulla poesis canetur in ecclesia, præter Psalmos & sanctas veteris noviqua Testamenti Scripturas, ut sancti canones mandant. “

13. „ Laici, seu viri, seu feminæ, Sanctuarium, ut communicent, non ingredientur, cum id, secundum canones, clericis tantum liceat. “

Ecclesiarum Sanctuarium olim velo celabatur quod ejus aditu laicos prohibebat; eaque observantia tot, quam late patebat, ecclesiæ deferebatur, ut intra ejus ambitum expuere auderet nemo.

14. „ Clerici qui carnem non comedunt, herbis saltem cum carne coctis vescentur, ut omnem suspicionem evitent se Priscillianistas esse. “

15. „ Qui cum quopiam ob crimen aut hæresin excommunicato communicabit, excommunicationem & ipse subibit, ut veteres canones enuntiant. “

16. „ Ecclesiastica sepultura, quæ scilicet ad Psalmorum cantum fit, non iis dabitur qui sibi ipsi mortem consciverint, seu sibi venenum propinantes, seu se præcipites dantes, seu se suspendentes, seu quavis alia ratione, ac ne iis quidem qui morte ob patrata crimina puniti fuerint, nec magis eorum fiet in oblationa commemoratio. “

17. „ Idem quoad catechumenos sine Baptismate mortuos servabitur, cum contraria consuetudo solum ob canonum ignorationem inducta fuerit. “

Canon hic qui in Missa preces pro catechumenis edi vetat, qui, nondum suscepto Baptismate, e vita excesserunt, non caret difficultate, quamvis ei S. Joannes Chrysostomus & S. Augustinus favere videantur. S. enim Joannes Chrysostomus, in Homilia tertia super Epistola ad Philippenses, postquam dixit Missæ sacrificium defunctis prodesse, subdit: *Atque id quidem de his qui in fide decesserunt; catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti.* S. Augustinus, *Cap.* 2. *lib.* 1. de Anima & ejus Origine, loquitur in hæc verba: *Nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium Corporis & Sanguinis Christi.* At his testimoniis duobus opponitur auctoritas Papæ Innocentii III. qui *Cap.* Apostolicam, *de Presbyt. non baptiz.* & *Cap.* Debitum, *de Baptismo*, contrarium pronuntiat; & auctoritas S. Ambrosii qui in Oratione funebri Valentiniani Imperatoris qui adhuc catechumenus occubuerat, ita de hoc Principe ac de Gratiano ita loquitur: *Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutione complecti?*

18. „ Nemo sepelietur in ecclesiis, sed extra, circumque parietes; si enim urbes eo privilegio gaudent, ut intra earum mœnia defuncti sepeliri non possint, idem potiore jure in Ecclesiis servandum est, observantia causa sanctorum Martyrum corporibus debitæ, quæ in iis continentur. “

Ex hoc usu, ut circum Ecclesiarum parietes mortui sepelirentur, derivata est capellas circa ecclesias extruendi consuetudo quæ sexto sæculo initium habuit. Antiquis ecclesiis capellæ nullæ erant, ut etiamnum in S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Laurentii, in urbe Roma, Ecclesiis videre est, quæ multum antiquitatis obtinent, quibusque nullæ capellæ sunt. Cœpti sunt ergo sepeliri mortui circum ecclesiarum parietes, sub fornicibus seu cameris quæ extra aderant, & e quibus pedetentim affectæ capellæ, quæ scilicet in nostris Occidentis ecclesiis in præsentia cernuntur; Orientis enim ecclesiæ adhuc capellis carent. Quod autem canon subdit in ambitu murorum urbium sepulturam mortuos dari non licuisse, refertur id ad Duodecim Tabularum Legem, his verbis conceptam: *In urbe ne sepelito, neque urito.* Plura tamen exempla profert Onuphrius, in *lib. de Ritu sepeliendi*, quæ mortuos olim in ecclesiis sepultos probant, at id privilegii fundatoribus concessi vi, quibus ea nempe facultas dabatur, ut in navi sepelirentur, non autem in sanctuario, vel in choro, qui locus erat presbyteris & martyribus reservatus.

19. „ In presbyteros interdictio, ne benedicant ecclesiarum chrisma, neve altaria consecrent, secus, ab officio deponendi. “

20. „ Interdictio, ne quis ad sacerdotium, nisi, ad annum, lectoris officium obierit, perque subdiaconi & diaconi gradus migraverit, prout in veteribus canonibus est, evehatur; cum ante docere, quam didicerit, nemini liceat. “

21. „ Quod pro defunctis, aliave pietate permoti fideles offerunt, a clericorum uno seorsim ponetur, ac deinde inter universum clerum distribuetur, semel in anno vel iterum, ad vitandas oblocutiones quæ ex distributionum inæqualitate suboriantur, siquidem id unicuique daretur quod per ejus hebdomadam oblatum esset. “

22. „ Interdictio, sub degradationis pœna, ne vel editi, vel lecti in hoc concilio canones violentur. “ *Ibidem*, & Aguirrea, *Tom. III. Concil. Hispan.* (*)

Concilium Santonense, an. 563.

Leontius, archiepiscopus & metropolitanus Burdegalensis, concilium hoc e provinciæ suæ Episcopis congregavit, in eoque deposuit Emerium, Episcopum Mediolani Santonum qui, Clotarii regis jussu, sine metropolitani, cleri populique consensu, consecratus fuerat. Presbyter cui demandatum fuerat decretum electionis Heraclii quem concilium Eumerio suffecerat, cum Parisios pervenisset, ita regem Charibertum allocutus est: „ Domine, sedes apostolica te salutat. Erat „ ex ejus temporis stilo, ut omnes Episcopales sedes „ *apostolicæ*, omnesque Episcopi *Papæ* nominarentur. At „ Charibertus presbyterum in exilium misit, & Emerium in Santonensem sedem restitui jussit. “ *Ibidem*.

Concilium Lugdunense, an. 556. *seu* 557.

Habitum est, Gontrandi jussu, concilium hoc, ad dijudicandas accusationes in Salonium Embredunensem & Sagittarium Vapincensem, fratres duos intentatas, quos hoc ipsum concilium ab Episcopatu deposuit. Constabat concilium Episcopis octo præsentibus, & absentium Episcoporum deputatis ibidem octo. S. Philippus Viennensis qui præfuit, S. Nicetus, seu S. Nizierius Lugdunensis, S. Agricola Cabillonensis, & Sanctus Syagrius Augustodunensis præcipui sunt. In hoc concilio sex qui sequuntur, editi canones.

Primus, „ Inter ejusdem provinciæ Episcopos contra dissidia ab ejusdem provinciæ Metropolitano, aut, siquidem contendentes a distinctis duabus provinciis fuerint, a Metropolitanis duobus finientur. “

2. Ut pravis cavillationibus remedium afferat per quas legatis piis testamento editis ecclesiæ privantur, concilium, sub excommunicationis pœna, mandat, ut, etiamsi cujusvis donationi aut testamento defuerit formarum aliqua quas leges requirunt, testatoris tamen qui eam necessitate aut simplicitate gradum omiserit, voluntas executioni detur.

3. „ Qui in captivitate personas liberas injusta detinent, excommunicati sunt. “

4. „ Ex veterum Patrum decretis, eum quem suus Episcopus excommunicationi subdiderit, in communionem recipere nemo poterit, quin eum Episcopus qui ab ecclesiæ communione repulit, restituerit. “

5. „ Non poterit Episcopus id clericis adimere quod iis Episcopi qui eum præcesserunt, de suis patrimonii bonis, in proprietatem, aut de ecclesiæ bonis, ususfructus titulo, dederint; hos autem clericos, si quid peccaverint, aliter quam ademptis ejusmodi bonis, puniri oportebit. “

Ex hoc canone palam fit beneficia non amplius adimi posse, pro Episcopi voluntate, iis exceptis quæ ipse dederit, ut jam Aurelianensis tertii concilii decimus septimus canon statuerat.

6. „ Diebus primam Novembris Dominicam diem præcedentibus, preces & processiones, ut ante Ascensionem, in omnibus ecclesiis & in parœciis omnibus peragentur. “ Videlicet, secundas Rogationes, Novembris mense, concilium hoc loco statuit. “ *Reg. Tom. XI. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.*

(*) *P. Pagius huic concilio annum 560. tribuit.*

Concilium Turonense, *an.* 566. *seu* 567.

S. Euphronius Turonensis, Novembris die 17. coegit in S. Martini Ecclesia concilium hoc, eique præfuit. Adsuere præterea Episcopi octo, scilicet, S. Prætextatus Rothomagensis, S. Germanus Parisiensis, S. Felix Nannetensis, S. Chaletricius Carnatensis, Domitianus Andegavensis, Viturius Redonensis, S. Domnulus Cenomanensis, & Leudebandus Sagiensis. Pagius, de hoc concilio verba faciens, honore tamquam sanctum, in urbe Redonensi, Victurium affectum ait. Non extat tamen Episcopus hic in Calendario Sanctorum ejus diœceseos, quod P. Lobineau publicum fecit. Ad hoc concilium sancta Radegunda scripsit, ut monasterii quod ipsa Pictavii statuerat, & regulæ quam ibidem servatam volebat, confirmationem obtineret. Episcopi qui non alio consilio convenerant, quam ut disciplinæ consulerent, viginti septem, in hanc rem, canones edidere.

1. Provinciale concilium, bis in anno, aut saltem semel, haberi vult, Episcopis indicta excommunicationis pœna, qui acciti, propriam utilitatem, aut Regis interdictionem prætexentes se ad illud conferre noluerint.

2. Mandat, ut Episcopi quibus mutua dissidia sunt, presbyteros sibi arbitros eligant, eorumque decisioni se subdant, ea, nisi ita se gesserint, statuta pœna, ut eos pœnitentiæ sequens concilium addicat.

3. His verbis conceptus est: *Ut Corpus Christi in altari non imaginario ordine, sed crucis titulo componatur.*

Canonem hunc alii aliter explicant. Sunt qui velint concilium declarare Domini nostri Jesu Christi Corpus super altari non in imaginum ordine, sed sub Cruce, qui mos adhuc obtinet, ponendum esse. Aliorum judicio, canonis verba significant Christi Domini Corpus non arbitraria dispositione, & pro presbyteri qui Missæ sacrificium celebrat, imaginatione super altari poni debere, sed in Crucis modum, prout jam alia concilia mandaverant, & in veteribus Ordinibus cernitur. Hæc secunda interpretatio propius accedit ad ejus temporis disciplinam, quo scilicet singulis vicibus offerebatur, & imponebantur altari panes qui ad populi communionem consecrari debebant. Ergo canon hic de ratione intelligi debet, qua panes hos, seu has hostias super altari disponi oportebat, ita nimirum, ut Crucem conficerent.

4. Laicis prohibet, ne, Missæ & Vigiliarum, nempe Matutinorum tempore, cum clericis, apud altare, consistant. „ Superior ecclesiæ pars, clathrato septo separata, solum psallentium clericorum choris patere debet. Nihilominus, subdit canon, Sanctuarium laicis, ipsisque feminis aperietur, ut (privatim) orent, & communionem percipiant. “

Plura nobis exhibet canon hic, quæ peculiari animadversione digna sunt. Primum est, ecclesiæ superiorem partem quam septum separabat, quæque clericis addicta erat, nuncupatam fuisse *chorum*, ob clericorum turmas seu *choros* qui ibidem psallebant. Alterum est, Sanctuaria nostra dicta etiam fuisse *Sancta Sanctorum*, hoc est, *Sanctissima*, antiquæ Legis, ubi Moysis Tabernaculum in duas partes divisum erat, quarum prima nominabatur *Sancta*, & secunda, quam velum separabat a prima, *Sancta Sanctorum* appellabatur. Tertium animadversione dignum est, Gallicanam inter & Romanam Ecclesias id nimirum discriminis, quod ad laicorum Communionem attinet, interfuisse, quod in Gallicana ecclesia mos obtinebat, ut viri & feminæ ad Communionem in Sanctuario suscipiendam pergerent; cum ex Romanæ ecclesiæ disciplina quam exhibet Romanus Ordo, Episcopi qui Papæ ad Missam adstiterant, viros & feminas, suo quemque loco communicantes, ecclesiam percurrerent.

5. „ Unaquæque urbs suos alet pauperes; ruris presbyteri & incolæ alent & ipsi suos, ne urbes & provincias vagi mendicantes excurrant. “

6. „ Episcopis tantum licebit communionis aut commendationis Litteras dare. “

7. Vetat, ne Episcopi, sine sui cleri presbyterorum, aut diœceseos abbatum consensu, archipresbyterum, aut abbatem deponant.

8. „ In Episcopum, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne cum eo communicet quem ab alio Episcopo excommunicatum noverit. “

9. „ Interdictio, ne Episcopus Brito, seu Romanus, hoc est, Gallus, sine Metropolitani aut comprovincialium consensu, ordinetur. “

Facit canon hic, ut judicetur Britones qui in Armorica peculiarem nationem constituebant, dedisse jam tum operam, ut se Turonensis Episcopi, metropolitani sui, jurisdictioni subducerent.

10. & 11. „ In Episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne qua obducta causa, etiam ad rei familiaris procurationem, exteras feminas, viduas, aut virgines Deo consecratas apud se detineant. “ Mater tantum & filia hoc loco excipiuntur. Jubentur Episcopi ad hujus sanctionis executionem incumbere, sibique mutuo suppetias ferre.

„ Quoniam nobis mandatum est, inquiunt hujus concilii Patres, nostrarum ut manuum labore ipsi nos nutriamus, nosque vestiamus; quid causæ est, quamobrem serpentem domi nostræ concludamus, prætexentes eo nos indigere, ut ad vestimenta nostra laboret? “

12. „ Episcopus qui conjugatus est, cum conjuge, tamquam cum sorore vivere debet; & quamvis ejus clerici, ut ipsius castitatem testari possint, ei, tam in cubiculo quam alibi, semper adesse debeant; ad omnem tamen suspicionem vitandam, domicilio a conjuge sejunctus erit. “

13. „ Si Episcopus non est conjugatus, nullam domi suæ feminam habere debet; si quas habet, licebit clericis eas expellere. “

14. „ Soli semper cubabunt presbyteri & monachi; & hi quidem in communi dormitorio, sub inspectione, seu abbatis, seu præpositi, ubi nonnulli vigilabunt & lectionem edent, dum cæteri conquiescent. “

15. „ Invigilabitur, ne monachi extra monasterium excurrant, & ne cum feminis familiaritatem foveant. Si quis e monachis ausus fuerit uxorem ducere, excommunicatione plectetur; ad eumque ab uxore separandum, laici judicis auctoritas adhibebitur, qui, excommunicationis indicta pœna, ut pro viribus præsto sit, adigetur. “

16. „ Nulli feminæ ea detur venia, ut in monasteriorum ambitum ingrediatur. Abbas & præpositus qui hoc in capite negligentes fuerint, excommunicationi suberunt. “

17. Monachorum jejunia moderatur in hunc modum: „ A Paschate ad Quinquagesimam, ad Pentecosten scilicet, Rogationum diebus tantummodo jejunabunt; at jejunabunt per integram hebdomadam quæ Pentecosten sequitur, & deinceps cujusque hebdomadæ diebus tribus, nempe quarta, quinta & sexta feriis, ad Augustum mensem usque. Augusto mense non jejunabunt, quia quotidie alicujus Sancti festum occurrit. Septembri, Octobri & Novembri mensibus, ter in hebdomada jejunabunt, & a prima Decembris die ad natale Dominicum usque, quotidie. A Natali ad Epiphaniam, a jejunio vacabunt, ob magnum festorum numerum, primis tribus Januarii mensis diebus exceptis, quibus etiam ad abolendas superstitiones quibus ethnici per eos dies operam dabant, majores nostri, inquit concilium, mandarunt, ut Litaniæ privatim recitarentur, psalleretur in ecclesiis, &, Circumcisionis die, Missa hora octava, hoc est, horis duabus post meridiem, celebraretur. Ab Epiphania ad Quadragesimam, ter in hebdomada jejunabunt. “

Hæ quoad monachorum jejunia sanctiones ab iis omnino discrepant quas in hanc rem S. Benedicti Regula statuit; quod argumento est hanc Regulam in provinciarum quæ Turonensis concilii Episcopis suberant, monasteria nondum receptam fuisse.

18. Psalmodiæ ordinem moderatur. „ Observantiæ in S. Martinum ergo, & ad ejusdem cultus honorem, en, inquiunt concilii Patres, psalmodiæ ordinem quem, tam in hujus Sancti basilica, quam in nostris ecclesiis, servari jubemus. Festis diebus singulis, ad Matutinum, hoc est, ad noctis Officium, antiphonæ sex cum duobus ad unamquamque psalmis dicentur. Per totum Augustum mensem, surgetur mane, quia in eum Festa Missæque Sanctorum incidunt. (Mane surgendi ratio erat, quia is mensis scatebat Sanctorum Officiis, quorum Missa bene mane dicebatur, ut populus deinde messi vacare posset.) Septembri mense, dicentur antiphonæ septem, cum psalmis duobus ad singulas; Octobri mense, antiphonæ octo, quæque ad psalmos tres, hoc est, ad psalmos viginti quatuor; Novembri, viginti septem; Decembri, triginta, cum decem antiphonis; & sic porro, Januario & Februario mensibus, ad Pascha usque; ita quidem, ut numquam pauciores quam duodecim psalmi ad Matutinum dicantur; Patres enim, inquit concilium, mandarunt, ut psalmi sex ad Sextam, & duodecim ad duodecimam horam, scilicet ad Vesperas dicerentur; quod ex Angeli revelatione perceperunt. Quidni ergo psalmi saltem duodecim ad Matutinum dicantur? Qui id facere neglexerit, eo die, ex pane tantum

„ & aqua, jejunabit; quod si omiserit jejunare, je- „ junabit, per integram hebdomadam, ex pane & aqua „ tantum. “

Aimonius nos docet, *lib. 3. cap.* 81. psalmodiæ ordinem, in S. Martini Turonensis ecclesia servatum, a S. Avito institutum fuisse in S. Maurini, & a S. Germano in S. Vincentii Monasteriis, eumdemque deinde a rege Gontrando in S. Marcelli, & a Rege Dagoberto in S. Dionysii monasteria inductum fuisse.

Concilii Patres hoc loco ad id animum referunt, quod refert Cassianus, *Institutionum Monasticarum lib. 2. cap.* 4. scilicet „ Ægypti & Thebaidis solitarios reci- „ tasse psalmos duodecim ad Vesperas, itemque duo- „ decim ad nocturna Officium, prout iis Angelus facien- „ dum edixerat. “

19. „ Archipresbyteri, ruri versantes, clericum „ semper habebunt qui cubet in eorum cubiculo, eos- „ que, quocunque se contulerint, comitetur, ipso- „ rum castitatis futurus testis. Quoad presbyteros, „ diaconos & subdiaconos, satis erit eos in eodem, at- „ que ipsarum conjuges, cubiculo non cubare, sua- „ que conjugibus ipsis captivas semper adesse. Ar- „ chipresbyteri qui jejuniorum clericorum qui iis „ subsunt, castitati non invigilaverint, ab Episcopo „ concludentur, ut ex pane & aqua jejunent. “

Ex his omnibus circumspectionibus compertum fit, quantopere cordi esset Ecclesiæ, ut ejus ministrorum fama extra omnem suspicionem esset.

20. Religiosas vetat nubere, seu velum ex Episcopi manu susceperint, seu vestem tantum mutaverint.

Viduæ quæ professionem ediderant, ut viduitatem custodirent, peculiarem habitum deferebant. Vincentius Lirinensis eum nigrum fuisse nos docet.

21. Renovat decreta vetera, quoad gradus in quibus conjugium inter consanguineos iniri non licet. Laudat in id Levitici decimum octavum caput, primique Aurelianensis, Epaonensis & Clermontiensis conciliorum canones.

22. Pastoribus & presbyteris mandat, ut ex ecclesia Christianos pellant, qui, e quodam ethnicæ superstitionis vestigio, Januarii primam diem in Jani honorem celebrabant; qui, in festo cathedræ S. Petri, mortuorum manibus cibaria offerebant, quique a Missa domum regressi, ejusmodi dapes dæmonibus consecratas edebant; qui honorem lapidibus, arboribus aut fontibus exhibebant.

Celebrabant ethnici, ad defunctorum honorem, festum quod *Feralia* nuncupabant; incipiebat festum hoc die 20. Februarii mensis, & perdurabat ad finem usque. Ejusdem mensis die 22. celebrabant, in defunctorum honorem pariter, festum aliud quod ab iis *Caristia*, seu, *cara Cognatio* vocabatur, & escas supra tumulos afferebant; persuasum habentes venire manes, ut iis vescerentur. Denique, eodem mense, ac sub idem tempus, etiam Dei *Termini* festum, *Terminalia* dictum, agebant; quod credendi locum præbet superstitiosum cultum quem canon damnat, dum esse nonnullos ait qui „ nescio quos lapides “ honorent, intelligendum esse de honore qui agrorum limitibus deferebatur. Festum ergo Cathedræ S. Petri, de quo loquitur canon hic, die 22. Februarii institutum fuit, ut fideles a superstitionibus quæ per eos dies exercebantur, averterentur; & quo tutius obtineretur, ut e superstitiosis conviviis amoverentur quæ ethnici mortuis parabant, iis licere libuit, eo die, in S. Petri honorem agapas agere; quod causa fuit, ut festum hoc appellaretur *festum epularum sancti Petri*, seu, S. Petri convivium. Ita Festum S. Petri ad Vincula Kal. Augusti institutum fuit, ut Christiani ab ethnicis superstitionibus quibus hujus mensis initium addictum erat, abducerentur.

23. Præter hymnos S. Ambrosii qui in Officium recepti erant, alios quoque recitari patitur dignos habitos qui concinantur, modo tamen auctoris nomen in exordio notatum sit.

24. & 25. Imprecationes, e Psalmo 108. potissimum ductas, in eos continent qui sibi sumunt aut retinent ecclesiæ bona.

26. Excommunicationi subdendos jubet judices dominosque, qui, licet Episcopi conquerantur, pauperes opprimunt.

27. Idemque postremus non solum tamquam Sacrilegos, sed etiam tamquam Hæreticos notat Episcopos qui pro ordinationibus pecuniam accipiunt; in quam rem laudatur *Tractatus de Dogmatibus ecclesiasticis*, ut palam fiat simoniam hæresim esse. *Ibid.*

Concilium Bracarense, an. 572.

Die prima Junii, an. 572. Mironii Regis secundo, S. Martinus Dumensis, Archiepiscopus Bracarensis effectus, & Galliæ provinciis duabus, Bracarensi nimirum & Lucensi, concilium habuit, quod Bracarense secundum dicitur, tametsi præter illud an. 563. quod primum habetur, aliud, inquit Cardinalis Aguirreus, an. 561. seu circiter, habitum fuerit. Vacabat tunc temporis sancta sedes per Papæ Joannis III. mortem, si hujus concilii inscriptioni fides additur. At vel in hac inscriptione, vel in celebrati hujus cœtus die qui notatur Kalendis Juniis, mendum sit, oportet, quandoquidem, ex Pontificali, Joannes hic non nisi Julii die 13. hujus an. 572. sepulturæ datus fuit. S. Martinus concilio præfuit, quod ex Episcopis duodecim, sex ex utraque provincia, constabat. Initio statim id lectum voluit quod statutum fuerat in superiore concilio cui ipse an. 563. interfuerat, finiendumque proposuit quod tum quidem, ad disciplinam sartam, tectamque servandam, perfici non potuerat. Hac mente, decem editi canones.

1. Episcopos jubet, dum visitationem peragunt, clericos examinare, & populos edocere.

2. Episcopum vult, in visitatione, non sumere, pro suo honorario jure, *cathedratico* nuncupato, nisi aureos solidos duos, nec sibi tertiam oblationum partem quæ in seminarium & in reparationes confetra debat, vindicare; eumdemque non posse a parœciarum clericis ullum servile opus exigere.

3. Episcopis mandat, ut gratis ordinationes peragant, solumque post maturum examen, & e plurium testimonio, clericos ordinent.

4. Episcopos vetat tertiam solidi partem quæ hactenus exacta fuerat ob sanctum chrisma, ea prætexta causa, quod ei non nihil balsami admixtum est, in posterum sumere, ne Spiritus Sancti dona vendere videantur.

5. Quicpiam etiam a fundatoribus, ob ecclesiarum consecrationem exigi vetat; hoc solum cavere vult, ut eæ satis, & e scripto dotatæ sint, cum haud rationi consonum sit, seu in deservientium gratiam, seu ad luminaria, proventus nihil iisdem suppetere.

6. Vetat, ne, si quis ecclesiam fundare contenderit, ea lege, ut cum clericis oblationes participet, eam ullus Episcopus, utpote cupiditate potius quam pietate fundatam consecret; alicubi locum habebat abusus hic.

7. Presbyteros prohibet ob Baptisma quicquam exigere; eos solum patitur id sumere quod sponte ipsis oblatum fuerit.

Editus hic canon fuit, ut afferretur abusui remedium, qui tunc apud presbyteros obtinebat, cujusque consecutio nonnunquam erat æterna infantium perditio, qui moriebantur, quin baptizati essent. Contingebat sæpe sæpius, ut presbyteri mercenarii baptizare differrent filios pauperum qui, quod darent, non habebant, vel etiam ejusmodi pueris Baptisma omnino negarent.

8. Eum communione privat qui accusationem in clericum intentatam, eum scilicet in fornicationem lapsum esse, nequaquam, per duos tresve testes, probare potuerit.

9. Metropolitano demandat, ut Paschatis diem Episcopis, ad concilii finem, denuntiet; & Episcoporum cuique, ut, Dominici natalis die post Evangelium, de eodem populum moneat, ne quis Quadragesimæ initium ignoret. Prioribus diebus tribus proximæ ecclesiæ conveniebant, & processiones seu preces publicas peragebant; tertia die, Missa tribus aut quatuor post meridiem horis celebrabatur in cujus fine admonebatur, ut jejunium servaret, mediaque Quadragesima, baptizandos pueros adduceret, ut prius per exorcismos purgarentur.

10. Canon quorumdam presbyterorum consuetudinem damnat, qui Priscillianistarum hæresi infecti Missas pro mortuis dicebant, cum jejunium fregissent, mandatque, ut, si quis e presbyteris simile quicpiam deinceps egerit, suus eum Episcopus officio privet deponatque. Ad horum decem canonum calcem, Garcias Loaisa alios quinque e variis Bracaræ habitis conciliis depromptos posuit; extant apud Burchardum priores quatuor, & apud Yvonem Carnotensem quintus. In his præcipitur, ut, diebus viginti ante Pascha, catechumeni ad Ecclesiam ducantur; ut, qui moniti ab ethnicis quibusdam superstitionibus abstinere noluerint, excommunicatione plectantur; ut presbyter qui pretiosam supellectilem ab ipsius titulo pendentem alienaverit, degradetur; ut, qui choreas ante ecclesias duxerint, incesserint personati aut sexus indumenta

menta mutaverint, trimestri pœnitentiæ subdantur; ut, qui ecclesiæ bona per negligentiam deteriora reddiderunt, eorumve jacturæ occasionem præbuerunt, ad restitutionem adigantur. *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. I.I.*

Eodem an. 572. Luci in Lusitania concilium habitum fuit cui sanctæ sedis legati adsuerunt, & Nitigius, Lucensis Episcopus, præsuit. Haud nobis suppetunt ejus Acta; constat tamen Ariamirum regem in eo confirmasse divisionem diœceseon Gallæciæ, quam rex Theodomirus ab alio concilio in eadem Lucensi urbe, an. 562. celebrato petierat. Hujus concilii Patres hanc ipsam Lucensem urbem in metropolin erexerunt, novosque Episcopatus instituerunt, e quorum numero fuit Dumiense monasterium cujus S. Martinus qui ejus abbas erat, primus Episcopus fuit. *Ibid.*

Concilia Parisiensia, an. 573. & 577.

Gontrandus rex, dissidium finire volens, quod eum inter & Sigebertum fratrem coortum erat, concilium ex omnibus sui regni Episcopis Lutetiæ Parisiorum habendum indixit. Episcopi ergo, numero triginta duo, die 15. Februarii an. 573., Ceillerio referente, seu mense Novembri ejusdem anni, ut P. Longueval statuit, in S. Petri basilicam quæ hodie *sanctæ Genevefæ Ecclesia* dicitur, convenere. Ejusmodi porro concilii hujus occasio fuit. Ægidius, Remensis archiepiscopus, Castroduni, in Sigeberti ditione, Episcopatum erexerat, & presbyterum e Carnutensi Diœcesi, nomine *Promotum*, ejus Episcopum consecraverat. Carnutum urbs ad Gontrandum spectabat, & Castrodunum ex hac diœcesi erat. Episcopus Carnutensis cui *Papolo* nomen, de iis quæ Remensis Episcopus egerat, apud Gontrandum regem conquestus est, asserens nihil ei juris fuisse, ut in aliena diœcesi Episcopatum erigeret. Gontrandus Episcopi Carnutensis defensionem suscepit; & Remensis Episcopi partes Sigebertus amplexus est. Hi duo Præsules concilio non adsuere; at Carnutensis ei supplicem libellum obtulit quo causam vicit. Concilium ad Remensem Episcopum de re scripsit, cui significavit Promoti ordinationem canonibus & rationi contrariam esse, quandoquidem nec e Remensi diœcesi, nec e Gallia Belgica Castrodunum erat; oportere proinde, ut eum presbyterum quem Episcopum creaverat, ipse deponeret; futurum addens, ut, siquidem is in ea usurpatione diutius persistere, altaria benedicere, pueros confirmare, ordinationes peragere, suove Episcopo Papolo obsistere præsumpsisset, tum ipse, tum qui ejus benedictionem post hoc decretum suscepissent, a communione separarentur, & anathemate percellerentur.

An. 577. concilium aliud, super accusationibus quas Chilpericus rex contra S. Prætextatum, Rothomagensem Episcopum intentaverat, Parisiis habitum fuit. Accusationum prima erat, ab eo Præsule, contra Regis voluntatem, principem Meroveum, ejus perduellem filium, cum patrui vidua, nempe cum Brunealta, Austrasiæ regina, matrimonio junctum fuisse. Erat altera, eum in Regis vitam cum hoc juniore Principe conspirasse, aliosque plures, collatis donis, in conspirationem traxisse. Cum hæc duo capita coram concilii Episcopis qui numero quadraginta quinque in sanctæ Genevefæ ecclesiam convenerant, proposita fuissent, Prætextatus primum fassus negavit alterum. Haud longius abiit concilii prima sessio; in altera quæ Chilperico rege præsente habita, Rothomagensis Episcopus qui aurum, multiplicemque supellectilem huic principi surripuisset, accusatus fuit. Cum accusatus respondisset, Chilpericus se cohibere non potuit, quin eorum aliquibus qui eidem intimi erant, ediceret eum quidem reum non esse; at rationem inveniri oportere, qua reginæ Fridegundæ nunquam intermissis apud eum sollicitationibus Præsulem depositum postulanti fieret satis. „ Ite ergo, subdidit, cum animum momento „ temporis intendisset, eique dicite, tamquam ex ve„ stra ipsorum sententia, & in consilii modum: Haud „ te latet Chilpericum regem ita esse ad omnem hu„ manitatem a natura factum, ut se facile flecti sinat. „ Ei te humilem siste, eaque a te facta dic de qui„ bus ipse te accusat; tum vero omnes & singuli ad „ ejus pedes nos abjiciemus, tibi gratiam compreca„ ti.“ Prætextatus hoc dolo captus se reum postridie coram concilio fassus est, prostratusque ad regis pedes: „ peccavi, inquit, in cælum & coram te, sum„ mæ miserationis Princeps; equidem infamis homici„ da sum; tuam in vitam moliri volui, tuumque fo„ lio cui insides, filium imponere.“ Chilpericus confessionis Prætextati testes Episcopos sumpsit, suis eum excubiis tradidit; & in palatium reversus misit ad concilium canonum codicem cui additi fuerant qui Apostolorum nomen præferunt, & ubi dicebatur Episcopum perjurii, adulterii, aut homicidii convictum deponi oportere. Rogatos etiam Episcopos voluit, ut Prætextati vestis, toto spectante concilio, scinderetur, in eumque exsecrationes recitarentur quas Psalmus 108. continet, aut iis saltem perpetuæ excommunicationi subderetur. Haud ea quidem maledicta pronuntiata: at Prætextatus depositus eo in carcerem conjectus fuit, unde elapsus, acerbe cæsus, & in maritimam insulam, prope Augustam Romanduorum, Cæsaream scilicet, ut videtur, insulam, gallice *Jersey*, relegatus. Melantius, homo Fridegundæ mancipatus, in Rothomagensi sede positus, in Prætextati locum, quem una reum effecit simplicitas qua se criminis accusavit cujus innocens erat. Apostolorum in concilio lectus canon vicesimus primus est, a Prætextati adversariis corruptus, qui exploso *furti* vocabulo *homicidium* substituerunt; ita quidem P. Longueval; at Ceillerius vicesimo quarto canoni additum fuisse vult *homicidii* vocabulum quod in textu non extat.

S. Gregorius Turonensis qui nobis hujus concilii Acta servavit, aliud Cabilloni ponit, decimo octavo Gontrandi anno, nempe 579., in quo Salonius, Ebredunensis Episcopus, & Sagittarius, Episcopus Vapincensis, iterum, ab Episcopatu depositi; & Ebreduni quidem Emeritus, Vapinci autem Aridius, seu Arigius in eorum locum suffecti. *Ibid.*

I. Concilium Matisconense, an. 58. *vel* 582.

Hoc quoque concilium Gontrandus rex, vicesimo primo sui regni anno, & Pelagii II. Pontificis quinto. Ei adfuere Episcopi unus & viginti, e quorum numero S. Priscus Lugdunensis quem, Junio mense, tamquam sanctum honore affectum probant manuscripti quos Cointius laudat, veteres codices; S. Evantius Viennensis, S. Artemius Senonensis, S. Remadius, seu, Remigius Bituricensis, S. Siagrius Augustodunensis, S. Aunarius Antissiodunensis, S. Agricola, seu, S. Ariglius Nivernensis, S. Flavius Cabillonensis, & Hiconius Maurianensis qui primus hanc sedem, Gontrando regnante, tenuisse videtur. Huic concilio quæ occasio fuerit, ignoratur. Ajunt Episcopi in Præfatione, se, cum ob publica negotia & ob pauperum necessitates convenissent, dedisse potius operam, ut veteres canones instaurarent, quam novos statuerent. Hos igitur edidere.

Primus. „ Episcopi, presbyteri, & diaconi cum „ avia, matre, sororibus, neptibus, si necessitas ita „ postulet, morari ac degere poterunt, at cum exteris „ feminis nunquam.“

2. „ Nullus Episcopus, presbyter, diaconus, ver„ bo, clericus aut laicus in puellarum monasteriis ver„ sabitur, aut privatim eas alloquetur, nisi eum per„ specta virtus, vel provecta ætas a pravis suspicioni„ bus in tuto ponat. Nemini licebit alio quam in „ exedram ad colloquia, vulgo *parlatorium*, aut in „ oratorium ingredi, operariis exceptis quibus ad re„ parationes opus est. At, nulla prorsus obducta cau„ sa, Judæis ea dabitur venia, ut cum religiosa, re„ motis arbitris, sermonem conferant.“

Religiosarum pleræque jam tum clausuram servabant; at earum exedræ nondum clathratæ erant. Hac de causa tam multæ circumspectiones adhibebantur, ut suspectæ collocutiones impedirentur.

3. „ In Episcopos interdictio, ne quam feminam „ sua in cubicula, nisi presbyteris duobus, aut dia„ conis itidem duobus præsentibus, ingredi sinant.“

4. „ Interdictum, sub excommunicationis pœna, ne „ oblationes a fidelibus defunctis in ecclesiæ gratiam „ editæ retineantur.“

5. „ Vetiti clerici gestare sagula, vestes, calcea„ menta, vel arma, laicorum more, secus, ad trigin„ ta dies includendi, quorum spatio ex pane & aqua „ jejunabunt.“

6. „ In archiepiscopum interdictio, ne sine *pallio* „ divinum Officium celebret.

Putat Cointius alicujus huic posterioris concilii hunc canonem esse, quia tum quidem usui nondum erat in Gallia, ad Metropolitanum significandum, *Archiepiscopi* vox. Evincitur id ex hoc ipso Matisconensi concilio in quo metropolitani sex non alio quam *Episcoporum* nomine in subscriptionibus usi sunt. Præterea, nullum sexti sæculi concilium est in quo metropolitanus *Archiepiscopi* titulum sumpserit, nullusque iis scriptor id nominis tribuit. Denique, eo quidem tempore, pallii usum Arelatensibus tantum Episcopis concessum fuisse ex Vigilii & Pelagii Epistolis constat. Occurrit sane in S. Cæsarii Arelatensis an. 542. vita functi Testamento *Archiepiscopi* nomen; at præterquamquod hic peculiaris Actus est, peculiares etiam causæ subesse poterant,

terant, cur Arelatensibus Episcopis, tamquam sanctæ Sedis vicariis ejusmodi titulus tribueretur. Cæterum, subsecutis temporibus, ad maxime solemnes dies *palii* usus redactus fuit.

7. „ In laicos judices, sub excommunicationis pœ„ na, interdictio, ne clericos in carcerem trudi ju„ beant, nisi ob criminales causas, cujusmodi sunt ho„ micidium, furtum, & maleficium. " (cernitur hoc loco *privilegiatorum*, ut dicuntur, *casuum exceptio*.)

8. „ In clericos interdictio, ne alium clericum apud laicum tribunal accusent, ea lege, ut, ni pareant, „ inferiorum quidem Ordinum clerici novies flagro „ subdantur, qui autem in superioribus Ordinibus „ constituti fuerint, ad mensem in carcere detinean„ tur. "

9. „ A S. Martini festo die ad natale Dominicum „ usque, jejunabitur secunda, quarta & quinta feriis; „ hisque diebus ex ordine qui per Quadragesimam „ servatur, Missæ celebrabuntur; ac tum quidem man„ dabitur, ut canones legantur, ne quis ignorantiæ „ causam prætexat. "

Clericos tantum spectat canon hic qui pluribus diebus quam laici jejunium servare debebant, ut ex disciplina quæ per ea tempora in Galliis vigebat, compertum fit.

10. „ Jubentur clerici parere Episcopo suo, & festa „ cum eo celebrare. "

11. Gradu, quoad vixerint, dejicientur qui sacris „ Ordinibus initiati suis cum uxoribus rem habuisse „ convicti fuerint. "

12. Puellæ quæ nubunt, cum se Deo consecrave„ rint, quique eas ducunt, excommunicationi subden„ tur. Hos, si secesserint, ut pœnitentiam agant, loci „ Episcopus, quod e re fore judicaverit, communio„ ne privabit; sed ita, ut ne morbo laborantibus, „ aut in periculo versantibus communionem dene„ get. "

13. Et 14. „ In Judæos interdictio, ne quod judi„ cum munus inter Christianos obeant; ne vectigalia „ recipiant; ne domo exeant a Cœnæ die ad Pascha „ primum usque, prout felicis recordationis rex Chil„ debertus mandavit. " (Aurelianense concilium tertium hanc ipsam sanctionem ediderat, eamque Childebertus I. sua auctoritate firmaverat.) Jubentur etiam Judæi observantia clerum prosequi, prohibenturque coram Episcopis, absque eorumdem nutu, sedere.

Vocabulum *Telonarii* quod in concilii textu legitur, & per *vectigalium receptores* redditum est, eos omnes significat quibus demandatum est, ut, in maritimis potissimum portubus, ex mercibus jura fumant; at interdum etiam pro iis accipitur ad quos hæc jura pertinent. Adhibetur hac notione in Abbatiæ Corbiensis veteri Chartulario Gallico quod Ducangius in medium affert, cujusque hæc verba sunt: „ Omnia Mercium „ Telonia quorum sunt Corbiæ venditio & emptio, „ ad eum (ad abbatem) pertinent; abbates enim sunt „ ejus urbis Telonarii. "

15. Et 16. Christiani quidem cum Judæis vesci, & Judæi servos Christianos habere prohibentur. Ea datur venia, ut Christianus servus solidis duodecim ex Judæo redimatur.

17. Et 18. Qui perjurant, aut falsos testes subornant, itemque qui calumniis innocentes impetunt, excommunicatione plectuntur.

19. Canon hic religiosam spectat *Agnetem* nomine, quæ e monasterio elapsa, & in illud reducta, per potentes homines, exhibita bonorum suorum parte, rursus abire volebat. Declaratur communione spoliata, tum ipsa, tum quæcunque hujusmodi donationes ediderint, quæque eas hac conditione receperint. *Ibidem*.

Concilium Lugdunense, an. 583.

Concilium hoc quod fere Lugdunense tertium censetur, habitum est mense Majo, Gontrandi regis anno vicesimo secundo, nempe Christiani nominis 583. Ei præfuit hujus urbis Episcopus, adsistentibus præterea Episcopis septem, & absentium Episcoporum deputatis duodecim. Edidit concilium hoc canones sex.

Primus, Vetat, ne clerici exteras feminas apud se detineant, & ne qui ordinibus, cum conjugati essent, initiati fuere, in eadem suis cum conjugibus domo versentur.

2. Circumspectiones notat quibus Episcopi in commendatitiis quas captivis tribuunt, Litteris uti debent, ut iis nempe redemptionis diem & pretium apponant.

3. Religiosas communione privat quæ e monasteriis quibus addictæ sunt, egrediuntur, usque eo dum ad eadem redierint.

4. Vetera quæ incestuosa matrimonia damnant, decreta renovat.

5. Episcopos vetat, Dominici natalis aut Paschatis diebus, extra ecclesias suas celebrare, nisi morbo impediantur, aut absint Regis jussu.

6. Leprosos, quacumque in urbe, aut in cujuscunque urbis territorio extiterint, ecclesiæ impensis, per Episcopi curam altos & sustentatos vult, ut per alias urbes vagandi libertas iis adimatur. *Ibidem*.

II. Concilium Matisconense, an. 585.

Habitum est concilium hoc, Octobris die 23. an. 585. Gontrandi regis jussu. Ei Sanctus Priscus Lugdunensis præfuit, qui se in subscriptionibus Lugdunensem Episcopum nuncupat, at in Præfatione, ad canonum frontem, *Patriarcha* nuncupatur; qui titulus, in Occidente, diu Romano Episcopo servatus fuit, sed quo tamen ipso, deinceps, magnarum sedium Metropolitani, ut Lugdunensis, & Bituricensis, insigniti fuere. Gregorius Turonensis S. Nizerium, Prisci decessorem, *Patriarcham* nominat; & S. Egerius Cadurcensis eumdem titulum S. Sulpitio Bituricensi tribuit. Adfuere Concilio huic Episcopi quadraginta sex, aliorumque Episcoporum deputati viginti. Inter Episcopos qui aderant, tres sede carebant. Hallucinatus est ergo Fleurius qui *Tom. VII. pag.* 629. & 630. Episcopos tantum quadraginta tres, & deputatos quindecim concilio huic interfuisse memoriæ prodidit. Initium concilio dedit, e Regis mente, in Episcopos inquisitio qui Gondebodii, ejus hostis, partes secuti fuerant. Depositus Faustianus qui ordinatus erat, ad ejus usurpatoris nominationem, urbis Episcopus quæ Aquæ Darbellicæ; damnatique qui eum ordinaverant, Bertramus Burdegalensis, Orestes Vasatensis, & Palladius Santonensis, ut eidem, quoad in vivis egisset, alimenta suppeditarent. Edidit deinde concilium canones viginti qui admodum luculenter plura disciplinæ capita explanant.

Primus, Peculiarem in modum commendat, Dominicus ut dies servetur, qui scilicet in celebrandi Dei laudibus, precibusque fundendis in Ecclesia, inquit concilium, transigi debet. Eo die lites agi, bovesque jungi & jugo subdi vetat. Notat etiam in eos pœnas, qui ejusdem diei sanctitatem violaverint. Si causidicus fuerit, foro, quoad vixerit, prohibebitur; Si rusticus, aut captivus, ad fustuarium damnabitur; si clericus, aut monachus, ad menses sex communione privabitur. Subdit concilium: „ Noctem etiam quæ „ dominicum diem præcedit, in sanctas vigilias im„ pendamus, nec ea nocte dormiamus, eorum in„ star qui nomine tantum Christiani sunt. "

Perspicitur hinc fideles adhuc in ecclesia noctem celebrasse quæ sabbati ad dominicam est, pravosque solum Christianos fuisse qui huic se consuetudini eximerent.

2. „ Paschatis festum celebrabitur admodum solem„ nem in modum, per integros dies sex quorum spa„ tio nullum opus fiet, sed in id incumbetur, ut „ Dominus vespere, mane & ad meridiem laude„ tur. "

Erant igitur, eo tempore, sex in Paschate festi dies. Noni Sæculi concilia plura, ut Moguntinum & Meldense, festos dies octo in Paschate numerant; atque is erat Græcæ Ecclesiæ mos, ut ex Constantinopolitano concilio, *Trullano*, seu, *in Trullo* dicto perspicitur.

3. „ Pueri, paschali solum tempore, nisi necessitas „ aliter postulet, baptizabuntur; eosque, ad Quadra„ gesimæ initium, parentes ecclesiæ præsentabunt, ut, „ statis diebus, manuum impositione sanctisque un„ ctionibus receptis, festo tandem ipso die baptizari „ possint, & ad sacerdotii honorem, si vixerint, per„ venire. "

Duo sunt hoc in canone animadversione digna; primum est, in eo consuetudinem aboleri quæ in Galliam irrepserat, ut Pentecostes, Dominici natalis, S. Joannis, atque adeo Martyrum festis diebus Baptisma conferretur; alterum est, cum irregularitati cuidam quæ Ordinum susceptionem impediebat, obnoxium fuisse qui alio quam Paschatis tempore baptizatus esset. Concilium ergo, per hanc sanctionem, veteres canones spectat qui a sacerdotio eos arcebant qui Baptisma, extra solemnes dies ad hujus Sacramenti administrationem designatos, susceperant, itemque eos qui morbo laborantes & in lecto jacentes baptizati fuerant; hi porro *clinici* appellabantur a græca voce quæ lectum significat.

4. „ Omnes, tum viri, tum feminæ, Dominicis die„ bus, panis & vini oblationem ad altare peragant, „ ex-

„ excommunicationis pœna in eos statuta qui hæc „ concilii mandata contempserint. "

5. Excommunicationis indictæ pœna, decimas, ex veteri consuetudine, solvi jubet, ut eas ad pauperum levamen, & ad captivorum redemptionem impendentes presbyteri, preces quas pro pace & pro populi salute fundunt, efficaces reddant.

6. Renovat Africani concilii decretum sequens: „ Nemo nisi jejunus, excepto die Cœnæ Domini, Missam celebret. " Vult etiam pueros quibus vino imbutæ quæ supersunt, Sacrificii particulæ tribuuntur, jejunos esse; qui proinde, ut eas percipiant, quarta & quinta feriis, ad ecclesiam ducendi sunt.

Exceptio diei Cœnæ, quoad Missæ, servato jejunio, celebrationem, animadversione digna est, ostenditque, eo quidem die, post vespertinam refectionem, sacrum fieri consuevisse, quo propius ad primam Sacramenti institutionem accederetur. Est etiam animadversione dignus vetus mos, ut pueris consumendæ tribuerentur Eucharistiæ particulæ quæ post fidelium communionem supererant.

7. Mandat, ut eorum causæ qui in ecclesiæ manumissi fuerunt, non amplius nisi ab Episcopo judicentur, qui tamen suam ad audientiam consuetam alium vel laicum judicem accire poterit.

8. „ Nemo non probibitus eos, vi facta, qui in ecclesias confugerunt, extrahere; ita nihilominus, „ ut, si culpæ convicti fuerint, coram Episcopo, „ eos Præsul ipse extrahi sinat, quin ecclesiæ sanctitas violetur. "

9. „ Si quam laicus in Episcopum querelam habet, metropolitanum adeat qui solus, aut cum uno „ vel duobus Episcopis, aut in pleno concilio, pro „ negotii gravitate, auditis partibus, judicabit. Qui „ hoc decretum violaverint, excommunicati ad generale usque, totius nempe nationis concilium remanebunt. "

10. „ Nec magis presbyteri, diaconi & subdiaconi „ ab alio quam ab Episcopo judicari poterunt. "

11. „ Hospitalitas omnibus, & peculiariter Episcopis commendatur, qui scilicet eam aliis prædicare „ iisque, quod inde consequitur, ejusdem exemplum „ præbere debent. "

12. „ In laicos judices interdictio, sub excommunicationis pœna, ne viduarum & orphanorum causas diriment, nisi Episcopus, ejusve archidiaconus, „ vel aliquis ejusdem clero presbyter adsit. "

Hujus sanctionis ratio est, quia ecclesiæ eorum omnium patrocinium suscipiebat qui præsidio carebant, ipsosque tamquam suos pupillos spectabat.

13. „ Quoniam Episcopi domus hospitalitati, absque „ ullo personarum discrimine, exercendæ peculiariter „ addicta est, canes in ea non alentur, ne eos mordeant qui illuc miseriarum suarum subsidium quæsituri veniunt. Prohibetur etiam, ob eamdem causam, ne ibidem accipitres nutriantur; subditurque „ episcopalem domum non ab animalibus quæ latrant „ quæque mordent, sed per recte facta, sacrorumque „ hymnorum cantum custodiendam esse. "

Ostendit hæc singularis sanctio, quantopere Episcopis cordi esset, ut in eorum ædes ingressus semper pauperibus & advenis liber esset, quicunque eleemosynam aut hospitalitatem quæsituri accessissent.

14. Excommunicatione plectuntur proceres & alii qui privatorum hominum bonis, per vim, potiuntur, aut qui eadem a Principe, per assentationem, obtinent.

15. Honos quem laici ecclesiasticis deferre debent, statuitur in hunc modum. „ Cum laicus clericum in „ sacris Ordinibus constitutum per viam obvium ha„ bet, ei per profundam reverentiam se flectere de„ bet. Si clericus & laicus equo insident, eum laicus „ humiliter salutabit, caput aperiens; ut si clericus „ pedes incedit, & laicus equitat, hic pedes consi„ stet, ut obvio clerico debitum honorem exhi„ beat. "

16. „ Subdiaconi, acolythi vel exorcistæ conjux non „ poterit iterum nubere. "

Concilium hoc loco ad clericorum qui inferiores aliquos Ordines obtinent, conjuges interdictionem protrahit, quæ jam pluries in clericorum conjuges, qui superioribus Ordinibus initiati sunt, edita fuerat.

17. „ Vetitum sepeliri mortuos supra corpora quæ „ nondum consumpta sunt, eosdemve sepeliri in alie„ nis sepulcris, absque eorum venia ad quos ea se„ pulcra pertinent. "

18. „ Declaretur catholicam Ecclesiam ab incestuosis „ conjugiis abhorrere, gravioribusque pœnis eos puniturum esse qui prurigine adacti mutuæ consanguini„ tatis gradus spernunt, ut in luto, tamquam immun„ da animalia, volutentur. "

19. „ Clerici reorum judicio & executioni interesse „ prohibiti. "

20. „ Mandata, tertio quoque anno, nationalis con„ cilii celebratio, a Lugdunensi Episcopo, cum Regia „ approbatione, indicenda, commodo in loco, quo „ Episcopos convenire oportebit. " Hos canones viginti confirmat Gontrandus Rex Mandato die 10. Novembris an. 585. dato in quo Episcopos hortatur, suis ut populis ipsi per se, & non per alios, verbi Dei panem distribuant. *Reg. Tom. XII. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.*

Concilium Altissiodorense, seu, *Antissiodorense*, *an.* 585.

Quamquam concilio huic pontificatus Pelagii II. primus, & regni Chilperici decimus septimus, hoc est, Christiani nominis annus 578. in aliquibus exemplaribus adscriptus legitur; certum tamen videtur illud anno tantum 585., aliquanto post Matisconense secundum, habitum esse. Id huic rei probationi est, quod hoc concilium, seu potius hæc synodus Antissiodori ad notificationem & executionem canonum secundi Matisconensis concilii, quibus, Antissiodorensis Episcopi titulo, Aunacarius, seu, Aunarius subscripserat, habita fuit. Itaque ejus concilium seu synodus non constitit nisi ex ipsius diœceseos abbatibus, presbyteris diaconisque quibus jus erat constitutiones quæ in Matisconensi concilio editæ fuerant, notas facere, &, ut ab iis servarentur, operam dare. Iis ipse alias addidit, ad ecclesiasticæ & monasticæ disciplinæ custodiam, & ad quarumdam superstitionum reformationem quæ ethnicæ quædam vestigia erant; hæ porro constitutiones, seu canones quadraginta quinque numero sunt.

Primus. „ Prohibiti fideles primam Januarii diem, „ ethnicorum in modum, colere, ita scilicet, ut per„ sonati vaccas aut cervos exhibeant, & sibi mutuo „ diabolicas strenas, seu xenia largiantur; eo tamen „ ipso, ut quovis alio per annum die, alter alteri ser„ vitium præstare potest. "

Legitur in textu: *Vetula, aut cervolo facere*. *Vetula* passim in veteribus Libris pro *vitula* scribitur; vitula porro juvencam seu vaccam significat. Apud ethnicos & nequam Christianorum aliquos, die prima Januarii, instruebantur ludicræ larvatorum catervæ, in eo positæ, ut animalium non unius generis, & nominatim cervi & vaccæ figuram sumerent. Prohibet id synodus; harumque superstitionum causa, in veteri Romano Ordine, occurrit ad Januarii diem primam Missa ad idololatriæ extirpationem a Deo petendam: *Ad prohibendum ab idolis*. Vetus Pœnitentialis liber, ex Andegavensi manuscripto codice ductus ridiculis his larvatis cohortibus annorum trium pœnitentiam præscribit: *Si quis calendis Januarii in vitula vel cervolo vadet, tribus annis pœniteat.* Jam diabolicæ strenæ de quibus hoc in canone sermo est, mensis continebantur quas dapibus onustas, Januarii die prima, in transeuntium gratiam, ad suas quisque fores ponebat. At, præterea, quicquam ea die, vel ignem ipsum proximo dare audebat nemo.

2. „ Omnes presbyteri, ante Epiphaniam, quæsitum „ mittent Quadragesimæ initium, populoque nuntia„ bunt, ipso Epiphaniæ die. "

3. „ Non licet privatis in ædibus, ad celebrandas „ festorum dierum vigilias, cœtus agi, sylvulis, ar„ boribus aut fontibus vota solvi, aut panno lineo pe„ dum hominumque figuras confici. At si quis votum „ ediderit, faciat ei satis in ecclesia, pauperibus su„ per matricula conscriptis id dans quod vovit. "

In textu leguntur hæc: *Non licet compensos in domibus propriis, nec pervigilias in festivitatibus Sanctorum facere*. Difficultatem de medio sustulit, seu potius abscidit Cointius, ponens in textu *conventus*, quin moneret legi *compensos*; et hoc vocabulo ibidem relicto, haud facile statui certo potest, quæ sit eidem subjecte notio. Nonnulli vocem hanc ita accipiunt, ut cœtus significet quos, vespere, ut simul nerent, fœminæ agebant; sane *pensum* est lanæ stata pars quæ, nendi causa, feminis tribuebatur; adeoque *compensum*, seu, *compensos facere*, significare posset *quotidianum opus una conficere*, *conjunctim nere*. Putant alii *compensum* oblationem esse, ita dictam, quia plures eam contribuebant. Est etiam in textu, & in omnibus editionibus, *pede & homine lineo*; ex quo factum, ut id de pedum hominumque figuris ex panno lineo confectis acciperetur; at Flaurius legit *ligneo*, quia *pedes ex ligno* reddidit.

4. „ Prohibetur consuli sortilegos, augures, divi„ nos, sanctorum sortes, seu divinationes quæ ligno „ aut pane peragebantur. "

5. „ Vigiliæ in honorem S. Martini omnino impe„ dien-

„ diendæ sunt. “ (Dubio procul quia lætitiæ significationes quæ in iisdem exhibebantur, in abusum degeneraverant.)

6. „ Presbyteri, post mediam Quadragesimam, sanctum chrisma quæsitum ibunt; & qui pergere ipsi non poterunt, suum archidiaconum, suumve archisubdiaconum mittent. Illud in vase huic usui addicto, linteoque involuto, ad observantiam compositi deferent, quemadmodum Sanctorum exuviæ deferri solent. “

Canon hic videtur innuere sanctum chrisma tum quidem in Antissiodunensi ecclesia ad mediam Quadragesimam confici consuevisse. Toletanum concilium primum declarat Episcopum posse quavis die illud conficere. Ecclesia tamen, jampridem majoris hebdomadæ Feriam quintam ad hanc cæremoniam selegisse videtur. Dicebat olim Episcopus eo die Missas tres quæ in veteribus Sacramentariis referuntur; primam, ad pœnitentium conciliationem; ad chrismatis benedictionem, alteram; denique tertiam, diei propriam quæ in cœnæ memoriam, vespere, dicebatur.

7. „ Medio mense Majo, omnes presbyteri in urbem ad synodum venient, omnesque abbates, prima Novembris die. “

8. „ Vinum melle conditum, aut quævis alia potio quam vinum ipsum ad altare non offeratur. “

9. „ Impediendi laici, ne in ecclesia choreas agant, perficiantur, ut cantilenas puellæ concinant, aut ipsi convivia ibidem instruant. “

10. „ Ne bis in die super eodem altari Sacrum fiat. In primis super altari Missam dicere non debet presbyter, qua die ibidem Episcopus eam dixerit. “

11. „ In Paschatis vigilia, post mediam noctem, a potu & cibo abstinendum. Eam æque ac natalis Dominici, aliorumque solemnium dierum vigilias celebrari oportet ad secundam horam usque, scilicet ad usque matutinas circiter horas septem. “

12. & 13. „ Mortuis Eucharistia, vel Osculum non tribuatur, nec eorum corpora velis involvantur quæ altari inserviunt. Ne diaconis quidem licet sibi humeros his velis tegere. “

Tribuebatur interdum mortuis Eucharistia, vel saltem sepulcro cum iisdem includebatur; quod Carthaginense tertium, & Trullanum concilia vetuerunt.

14. 15. & 16. „ Nemo sepulturæ detur in Baptisterio; non imponatur mortuo mortuus, scilicet unus supra alterum in eodem sepulcro non sepeliatur; boves die Dominica non jungantur, edanturve alia opera quam quæ canones notant. “

17. „ Pro iis oblationes non recipientur qui voluntarie mortem ipsi sibi moliti sunt. “

18. „ Baptismus nisi Paschatis tempore, ne infantibus quidem, præter quam in mortis periculo, conferetur. “

19. „ Non licet presbyteris, diaconis & subdiaconis, si minus jejuni fuerint, officio ad Missam fungi, atque adeo eidem adsistere. “ (Eo nimirum tempore omnes altaris ministri cum celebrante communicabant.)

20. „ Si Archipresbyter Episcopum, vel archidiaconum de criminibus non monuerit quæ a presbyteris, diaconis & subdiaconis contra continentiam patrata fuerit, excommunicationi ipse ad annum suberit, & rei deponentur. “

21. & 22. „ Prohibiti presbyteri, diaconi & subdiaconi cognoscere carnalem in modum conjuges quas ante ordinationem duxerant; prohibitæ etiam presbyteri, diaconi, aut subdiaconi vidua iterum nubere. “

23. „ Abbas qui monachum in adulterium aut furtum lapsum, vel aliquid proprietatis titulo possidentem non punierit, aut ad Episcopum, vel archidiaconum non detulerit, anni spatio in aliud monasterium, ubi pœnitentiam agat, concludetur. “ (*Adulterii* vocabulum sæpe pro simplici fornicatione, aut pro Incesto sumitur.)

24. & 25. „ In abbates & monachos interdictio, ne ad nuptias pergant aut patrini sint. “

26. „ Abbas qui feminam in ejus monasterium ingredi passus fuerit, in aliud monasterium concludetur ad menses tres, ut ex pane & aqua ibidem jejunet. “

27. 28. 29. 30. 31. & 32. „ Nemini licet socrum, nurum, fratris aut patrui viduam, suæ conjugis defunctæ sororem aut consobrinam etiam, vel e consobrino natam sibi conjugem sumere. “

33. & 34. „ In presbyteros & diaconos interdictio, ne mortis judicio, aut quæstioni sontium intersint. “

35. „ In quemvis clericum interdictio, ne quem e confratribus apud sæcularem judicem in jus vocet. “

36. & 37. „ Haud feminis licet Eucharistiam nuda manu suscipere, aut Domini pallam, scilicet corporale tangere. “

Ostendit canon hic adhuc eo tempore Eucharistiam in manum recipi consuevisse, quæ viris nuda, alboque linteolo, *dominicali* dicto, tecta feminis erat.

38. & 39. „ Sub excommunicationis pœna interdictio, ne quis cum excommunicato communicet, absque ejus venia qui eum communione privaverit. “

40. „ Presbyteros & diaconos in convivio cantare aut saltare non licet. “

41. „ Nec magis iisdem licet quempiam accusare; at, si quid iisdem litigii fuerit, propinquorum, aliorumve sæcularium unum rogabunt, ut illud sibi sumat. “

42. „ Feminæ, cum communicant, suum dominicale habere debent. Quæ illud non habuerit, sibi communionem in proximam dominicam differat. “

Auctores super *dominicalis* vocabulo secti sunt. Intelligunt illud alii de albo linteolo quod feminæ super manu tenebant, ut in illud Eucharistiam sumerent; de velo cæteri, quod eæ capiti impositum, dominicis diebus, gestabant, quo majore cum modestia ad Eucharistiam sumerent; de velo ceteri, quod ex capiti impositum, dominicis diebus, gestabant, quo majore cum modestia & reverentia ad Eucharistiam accederent. S. Augustinus, *Serm. 152. de Tempore*, de dominicali loquens, his verbis utitur: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavent manus; & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi accipiant*. Ex alia parte, non deest in veteribus aliquibus Pœnitentialibus Libris locutio hæc: *Si mulier communicans dominicale suum super caput non habuerit, usque ad alium diem dominicum non communicet*. Opiniones hæ duæ, itemque auctoritates quibus nituntur, conciliari posse videntur ab eo qui dixerit, 1. *dominicalis* vocabulum linteolo quod feminæ super manu tenebant, ut in illud Eucharistiam susciperent, & in velo quod in capite ferebant, commune fuisse; 2. velum hoc iis ad duplicem finem inservire potuisse, tum scilicet ut eorum caput obtegeret, tum ut ibidem Corpus Christi Domini consisteret, extremam veli partem, ad Eucharistiam recipiendam, tenente manu; atque ita quidem velum illud duplici ex capite *dominicale* dici potuisse; 3. alias in aliis ecclesiis consuetudines viguisse, ac proinde nihil obstitisse, quominus in quibusdam ecclesiis linteolum super quo feminæ Eucharistiam suscipiebant, *dominicale* diceretur, & in aliis velum, quo ipsæ sibi ad communionem caput tegebant, eodem nomine designaretur. Videtur ergo admodum vero simile hunc Antissiodunensis concilii quadragesimum secundum canonem de velo intelligendum esse quod, ad communicandum, feminarum capiti impositum esse oportebat, siquidem de linteolo quod iis in hunc finem supra manum esse debebat, jam in tricesimo sexto canone concilium locutum fuerat, inquiens nudam in manum Eucharistiam sumere feminis non licere.

43. „ Judex, aliusve laicus, quicunque fuerit, qui sine Episcopi, archidiaconi, vel archipresbyteri nutu, aliquid in clerici damnum egerit, excommunicationi per annum suberit. “

44. „ Laici qui sui archipresbyteri monitis auscultare, per contumaciam, renuerint, excommunicatione plectentur, mulctamque præterea solvent quam Rex præscripsit. “

45. „ Quicunque non servaverit statuta hæc, aut de eorum infractione Episcopum monere neglexerit, excommunicationi ad annum subdetur. “ *Ibid.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 587.

Huic habendo concilio Gregorius, Antiochenus Episcopus, adulterii & seditionis accusatus occasionem præbuit: qui quidem, post longum examen, absolutus fuit. Papa Pelagius II. hujus concilii Acta abrogavit, quia Joannes Jejunator Constantinopolitanus Episcopus, in iis universalis Episcopi titulum sibi sumpserat. *Ibid.*

III. Concilium Toletanum, an. 589.

Recaredus, Leovigildi, Visigothorum in Hispania Regis filius & successor, cum, S. Leandri opera, rejecta qua infectus erat, Ariana hæresi, Catholicam fidem amplexus esset, Toletum concilium convocavit, ut suorum subditorum resipiscentiam firmaret, qui ejus & exemplum secuti, & cohortationibus permoti Arianismo nuntium remiserant. Incepit concilium hoc die

6. Maji

6. Maji an. 589. eique Episcopi sexaginta quatuor, deputatique octo pro totidem Episcopis absentibus interfuere. Eos, antequam sessiones haberent, Rex qui aderat, hortatus est, ut ad ess se jejuniis, vigiliis & precibus compararent. Triduum ergo integrum Præsules in his pietatis exercitationibus transegerunt; deinde vero, cum convenissent, suam Rex super Trinitate Fidei professionem lectam voluit, in qua declarabat se in Arium, in ejus doctrinam, in ejusdemque asseclas anathema pronuntiare; suscipere concilia, Nicænum quod in Arium ipsum, Constantinopolitanum quod in Macedonium, Ephesinum primum quod in Nestorium, Chalcedonense quod in Eutychen & Dioscorum catholica Ecclesia celebravit, & omnia universim orthodoxa concilia quæ cum memoratis quatuor in Fidei puritate consentiunt. Tum concilium articulos viginti tres, addito in Arianorum præcipuos errores anathemate, protulit. Cum hæc acta essent, Episcopis proposuit Recaredus Rex, ut statuta ederent quibus ecclesiastica disciplina in ordine poneretur, quæque hæresis eidem intulerat, incommoda repararentur; & peculiariter petiit, ut, in omnibus per Hispaniam & Gallæciam ecclesiis, ex Orientalium consuetudine, Symbolum in Missæ sacrificio, ante Communionem Corporis & Sanguinis Christi Domini, clara & auribus obvia voce, recitaretur. Ergo editi canones viginti tres.

Primus, „ Omnibus veterum conciliorum Decretis, „ summorumque Pontificum synodicis Epistolis sua „ stabit vis; & nemo, quin dignus sit, ad ecclesiasti- „ ci ministerii gradus efferetur, eorumque nihil fiet „ quæ SS. Patres vetuerunt. “

Est animadversione dignum Hispanica concilia nihil unquam deliberasse, quin prius lectum Codicem voluissent, in quo sancti Conciliorum Canones & synodicæ Romanorum Pontificum Epistolæ continebantur, ut nihil statuerent seu super fide, seu super moribus, quod iisdem adversaretur.

2. „ Ad populorum fidem firmandam, Constantino- „ politani concilii Symbolum, ante dominicam Oratio- „ nem iis ad Missam cani jubebitur, ut veram Fidem „ testati, se purius ad participandum Christi Domini „ Corpus & Sanguinem comparent. “

Timotheus, patriarcha Constantinopolitanus, an. 510. mandavit, ut Symbolum ad Missas singulas caneretur, quod cani consueverat majoris tantum hebdomadæ feria sexta qua catechumenos in Paschatis vigilia Baptismum suscepturos Episcopus edocebat. Hispanica ecclesia, in Occidente quidem, hanc consuetudinem prima recepit; illudque primo, proxime ante *Pater*, ut adhuc in Mozarabico Missali cernitur, recitabatur. Hinc originem, in Hispania, traxit mos, ut fidelis quisque, antequam ei communio tribuatur, Symbolum recitare jubeatur.

3. „ Episcopis non licebit Ecclesiæ bona alienare; „ at quod ipsi suæ diœceseos monasteriis ecclesiisve, „ sine gravi propriæ Ecclesiæ incommodo, dede- „ rint, firmum & stabile permanebit. Iidem pere- „ grinorum & pauperum rationibus consulere pote- „ runt. “

4. „ Si suæ quoque diœceseos ecclesiam designare „ velit Episcopus, in qua monasterium instituat, id „ facere poterit, e sui concilii consensu, tametsi mo- „ nasterio huic, ut subsistat, ex ecclesiæ bonis ali- „ quam partem tribui oporteret. “

5. „ Episcopi, presbyteri & diaconi qui ab Aria- „ nismo resipuerant, suis cum conjugibus maritali mo- „ re vivebant. Eos concilium vult in posterum ex „ continentiæ legibus vivere, in eumque finem, alio „ cubiculo, aliisque, si fieri potest, ædibus uti. Cle- „ ricis porro qui semper Catholici fuere, interdici- „ tur, ne cum suspectis feminis ulla prorsus ratione „ versentur; quod si quas hujus generis feminas „ apud eos degere compertum fuerit, eas Episcopi „ vendent, perceptumque pretium in pauperes eroga- „ bunt. “

6. „ Ab Episcopis manumissi libertate gaudebunt, „ quin iis eorumque filiis peculiare ecclesiæ præsi- „ dium desit; eademque erit eorum ratio quos alii „ manumiserint, aut ecclesiis commendaverint. “

7. „ Ut locus inutilibus & fabulosis sermonibus „ adimatur, fiet semper, ad Episcopi mensam, sa- „ cræ Scripturæ lectio quæ convivis documento sit. “

8. „ E fiscalibus familiis educti remanebunt eccle- „ siæ addicti cui immatriculati sunt, capitatione so- „ luta, quin eos quisquam, Principii donationem „ prætexens, revindicare possit. “

Sanctus Isidorus, *Orig. lib.* 20. *cap.* 9. fiscum ait publicum saccum fuisse in quo exactores pecuniam Principis nomine sumptam ponebant, & hinc *fiscella* & *fiscina* nomina ortum traxisse. Quicquid de hac etymologia sentiendum sit, certum est *familiam fiscalem*, seu, *familiam fisci clericorum* appellatos fuisse famulos aut captivos qui eorum fiscos, bona scilicet seu dominia colebant, quia ad clerum hi famuli pertinebant, seu ei a Principe donati fuissent, seu eos ipse aliter acquisiisset. At quia contingebat, ut captivos hos privati homines a Principe peterent, concilium, Recaredo rege consentiente, nullam ejusmodi petitionum rationem haberi vult, etsi donatione Principis niterentur, ea lege, ut eorumdem captivorum capitatio solveretur, qui ecclesiarum quibus immatriculati essent, servitio addicti remanerent.

9. „ Ecclesiæ quæ, Arianæ cum essent, Catholicæ „ evaserunt, ad Episcopos pertinebunt in quorum „ diœcesibus sitæ sunt. “

10. „ Viduæ, aut puellæ non adigentur, ut nu- „ bant; & quicunque impedierit, ne vidua, aut puel- „ la castitatis votum custodiat, anathemate percelle- „ tur. “

11. In aliquibus Hispaniarum ecclesiis, pœnitentes, turpem in modum, non autem secundum canones, pœnitentiam agebant, a presbyteris conciliationem petentes, quoties iis peccare libuisset.

Concilium, ut huic præsumptioni quam exsecrabilem nuncupat, remedium afferat, mandat, ut is quem sui peccati pœnituerit, primum a communione removeatur, & sæpe manuum impositionem suscepturus, cum cæteris pœnitentibus, veniat, absolutoque deinde satisfactionis tempore, in communionem restituatur, prout Episcopus judicaverit. Addit eos qui pœnitentiæ tempore, aut post conciliationem in peccata relapsi fuerint, pro veterum canonum severitate damnandos esse.

Canon hic magnam difficultatem patitur quæ interpretes torquet & alio trahit. Putant alii canonem, cum eos qui in peccata recidunt, seu pœnitentiæ tempore, seu post conciliationem, pro summo veterum canonum jure damnandos ait, id unum significare, non amplius ad publicam & solemnem pœnitentiam admittendos esse, quæ semel tantum ex antiquis canonibus, summorumque Pontificum, Siricii potissimum ad Himerium, Tarraconensem Episcopum, decretis concedebatur; non tamen proinde fore, ut a secreta & sacramentali pœnitentia excludantur. Asserunt, e converso, alii intelligendum canonem esse de secretæ ipsius & sacramentalis pœnitentiæ negatione, secundum veteres canones qui ejusmodi pœnitentiam & secretam conciliationem iis denegabant qui in peccata post solemnem pœnitentiam relabebantur, præter quam in mortis articulo; atque adeo in hac ipsa circumstantia non semper eam concedebant. Id probant concilia bene multa, ut Eliberitanum & Arelatense primum, itemque S. Cypriani & Romani cleri Epistolæ, ea quoque quam Innocentius I. ad Exuperium, Tolosanum Episcopum, misit, & alia innumera Veterum testimonia a PP. Marino, Thomassino, Petavio, Cabassutio, &c. in medium allata. Cæterum, si Toletani tertii concilii Patres a publica solum pœnitentia peccatores recidivos exclusissent, iisdemque secretam pœnitentiam concessissent, a scopo sibi proposito recessissent, ut frænum scilicet peccatoribus pœnitentibus adhiberent, impedirent, ne reciderent, eorumque novis crebrisque prævaricationibus efficax remedium afferrent, proposita resipiscentiæ, obtinendæque conciliationis gratiæ difficultate, quandoquidem hi recidivi peccatores, quoties lapsi essent, conciliati fuissent per secretam & sacramentalem pœnitentiam quæ iisdem relicta esset.

Quod si quis dicat hanc agendi rationem duram, crudelem, parum Ecclesiæ quoad insignes peccatores charitati & suavitati consentaneam, & solum ad eos in desperationis abyssum præcipites agendos accommodatam futuram fuisse; respondetur difficultatem hanc, saltem quoad peccatores idololatriæ, homicidii vel adulterii reos, ab omnibus Catholicis solvendam esse, siquidem certum est olim, in ecclesiis pluribus, pœnitentiam & conciliationem, ad mortem tantum, ejusmodi peccatoribus concessam fuisse, atque adeo alicubi ne hoc ipso momento quidem; non quasi de eorum salute desperaretur, sed quod Dei misericordiæ de qua pro iis minime desperabatur, ipsi relinquerentur, & huic salubri asperitati id unum propositum esset, ut iis aliisque major peccati metus, majorque ad pœnitentiam fervor inspiraretur.

12. „ Episcopus, aut presbyter ad pœnitentiam non „ recipient eum eamve qui hanc petierint, seu bene „ valentes, seu morbo laborantes, quin prius ei, si „ vir fuerit, capillos amputaverint, aut eam, si fe- „ mina, vestem mutare jusserit. “ (Circumspectio hæc, ad impediendum, ne reciderent qui peccaverant, necessaria videbatur.)

13. „ In

13. „ In clericos interdictio, ne confratres ad sæcularia tribunalia traducant, quin suum ad Episcopum antea perrexerint, indicta aggressori pœna, „ ut causam amittat & communione privetur. “

14. „ In Judæos interdictio, ne uxores aut concubinas Christianas, aut captivos ad exhibendum servitium Christianos habeant, & ne publica munera „ exerceant; ea lege, ut pueri, si qui ex ejusmodi „ conjugiis nati fuerint, baptizentur, ac si forte suos „ Judæi Christianos servos circumcisioni subdiderint, „ suosve ad ritus initiaverint, hi quidem, nec soluto pretio, iis adimantur, & christianæ Professioni „ reddantur. “

15. „ Si qui fiscales servi Ecclesiam erexerint & „ dotaverint, Episcopus apud Principem, ut eam confirmet, operam dabit. “

16. „ Jussi judices se ecclesiasticis addere ad omnia „ per universam Hispaniam & Gallæciam idololatriæ „ abolenda vestigia. “

17. „ Iidem jussi impedire, ne patres & matres filios suæ libidinis fructus, aut quibus se gravius „ oneratos sentiunt, e vivis tollendos curent. “

Crimen hoc, haud rarum in aliquibus Hispaniæ regionibus supererat ex ethnicorum moribus.

18. „ Quin antiquis canonibus derogetur qui duo „ quotannis concilia præcipiunt, spectata itinerum longitudine, & Hispanicarum ecclesiarum paupertate, „ Episcopi, semel tantum in anno, in locum a Metropolitano selectum convenient. Locorum judices, „ reliquique dominii ministri concilio, Kal. Novembr. „ habendo, intererunt, ut rationem qua populos regere debent, ex Episcoporum ore percipiant, qui ipsis „ inspectores dati sunt. “

19. Postulabant non pauci, ut ecclesiæ quas extruendas curaverant, consecrarentur, ea conditione, ut ipsi bonorum administrationem, quibus eas dotaverant, retinerent. At, cum hæc dispositio veteribus canonibus adversaretur, statutum proinde, ut ejusmodi administratio ad Episcopum pertineret.

20. „ In Episcopos interdictio, ne servitutibus aut „ impositionibus novis, ultra jura vetera quibus in „ Parœcias gaudent, presbyteros & diaconos onerent. “

21. „ In regii dominii officiarios, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne ecclesiarum, Episcoporum aliorumque clericorum servis tributaria opera imponant. “

22. „ Prohibitæ cantilenæ funebres, itemque vetita „ pectoris percussio, dum Christiani sepulturæ dantur; „ satis in eorum funeribus habendum est psalmos canì, ut resurrectionis spes ostendatur. “

23. „ Vetitæ saltationes, & profani cantus in Sanctorum solemnitatibus, cum hi dies, intento ad divina Officia animo, sanctificari debeant. Quia porro abusus hic per totam Hispaniam communis erat, „ eum Episcopi & sæculares judices, in sua quisque „ jurisdictione, abolere jubentur. “

Recaredus rex, sui regni anno quarto, sanctionem edidit qua, quicquid in hoc concilio actum decretumque fuerat, confirmavit. Ei primus ipse, tum Episcopi sexagina duo subscripserunt, in numerum relatis iis quos absentes Episcopi delegaverant. Erant metropolitani quinque, scilicet Euphemius Toletanus, S. Leander Hispalensis, Migesius Narbonensis, Pontardus Bracarensis, Maxonas Emeritanus qui, tamquam inter metropolitanos senior, primus subscripsit. Præsul erat doctrina & pietate commendandus, catholicæ fidei defensor intrepidus, in Arianos quibus sollicitantibus a Leovigildo rege depositus & in exilium actus fuerat. *Reg. Tom. XIII. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.* Aguirreus, *Concil. Hisp. Tom. III.*

Concilium Narbonense, an. 589.

Migetius, Narbonensis Episcopus, aliique septem Episcopi in ea Galliarum parte quæ Gothis parebat, quique omnes aut ipsi per se, aut per deputatos Toletano concilio interfuerant, Narbonem convenerunt, die prima Novembris ejusdem anni 589. ibique canones quindecim ediderunt.

1. Clericos vetat purpureas vestes deferre, quippe quæ laicis tantum in dignitate positis congruunt.

2. Cani jubet *Gloria Patri*, ad cujusque Psalmi finem, & ad majorum Psalmorum divisionem quamque.

3. Notat veteres canones non pati presbyteris, diaconis aut subdiaconis domos ad publicas plateas esse; nec mirum dedecere eosdem de fabulosis & inutilibus rebus colloquentes ibidem consistere.

4. Mandat, ut quivis seu liber seu servus, Gothus, Romanus, hoc est, Gallus, Syrus, Græcus aut Judæus, die dominica, ab omni opere abstineat, ea statuta pœna, ut liber quidem auri solidos sex urbis comiti solvat, servus autem virgæ ictibus centum subsit.

5. 6. & 7. Eo spectant, ut clericorum inobedientiam, obsequii parum & molimina reprimant. „ Si „ quis seniorem, eumve qui dignitate superior eidem „ est, male habuerit, pœnitentiam aget anni spatio, „ pro ut Episcopus jusserit. “

8. Pœnitentiæ annos duos clerico imponit qui de ecclesiæ bonis, aut ex ejusdem ædibus quicquam sumpserit, eumque vetat, quoad reddiderit, & criminis pœnitentiam egerit, in officium restitui.

9. Prohibet, ne suos Judæi mortuos ad psalmorum cantum sepeliant, ea pœna imposita, ut auri uncias sex urbis comiti solvant.

Hæ pecuniariæ mulctæ id ponunt tamquam certum concilio sæculares judices, pro ut Toletanum concilium mandaverat, adfuisse.

10. Clericos jubet ecclesiæ deservire ad quam eos Episcopus misit, ad annum, si secus egerint, retributionibus & communione privandos.

11. Ordinari presbyterum, seu diaconum vetat qui legere nesciat, cum, ita quidem, ejus ministerium nulli utilitati ecclesiæ esse possit.

12. Prohibet presbyteros & diaconos e sanctuario egredi, dum Missa celebratur; diaconum autem, subdiaconum & lectorem se alba exuere, antequam Missa absoluta fuerit. (Alba ergo, in ipsa Sanctorum Mysteriorum celebratione, clerici ad unum omnes induti erant.)

13. Subdiaconis, ostiariis & clericis cæteris mandat, suum ut servitium fideliter ecclesiæ præstent, suisque senioribus velum trahant, aulæa scilicet quæ ecclesiarum foribus aderant; futurum subdens, ut subdiaconi quidem qui hæc officia neglexerint, primo arguantur, deinde retributione priventur, inferiores autem clerici virga plectantur.

Certum est fuisse olim in more positum, ut vela, ad ostium, non in ecclesiis solum, verum etiam in magistratuum auditoriis & in privatorum hominum peculiaribus ædium partibus tenderentur. *Inveni ibi velum pendens in foribus ecclesiæ*, S. Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum scribentis hæc verba sunt. *Lypsias proconsul abduxit velum introgressus, & post exiens, ex tabella recitavit sententiam*; Baronius, *Tom. II. Annal. ad an. CCLXXXXV. Cum amicis tam familiariter vixit, ut salutaretur quasi unus de senatoribus, patente velo*; Lampridius, *de Alexandro Severo*. Canon ergo hic ad ecclesiæ fores vela seu aulæa a clericis trahi vult, ut senioribus aut superiorum ordinum clericis liber transitus sit. Est hæc hujus canonis vera ratio, quem male vertit Hermantius inquiens „ seniores in „ eo juberi ad ecclesiæ januam vela tendere. “

14. Vetat, ne quis divinos aut sortilegos consulat, mandans, ut fuste cædantur vendanturque qui se tales venditant, perceptumque ex iis venditis pretium in pauperes erogetur.

15. Abominabilem quorumdam Catholicorum usum, cum exsecratione, damnat, qui feriam quintam, in Jovis honorem, colebant, quasi is dies esset eidem sacer; mandatque, ut, quicumque, in posterum, eum diem coluerit, nisi festum aliquod ab Ecclesia præceptum in eumdem inciderit, pœnitentiæ ad annum subdatur, damneturque ad eleemosynas, si liberæ, & ad virgas, si servilis conditionis fuerit. *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. III.*

Primum Concilium Hispalense, in Hispania, an. 590.

S. Leander, Hispalis Episcopus, ibidem habuit concilium hoc una cum suffraganeis septem, Recaredi regis anno quinto, nempe Christi 590. Præter canones tres, nihil ex eo nobis superest. Priores duo in responsum ad supplicem Libellum editi, qui a Pegasio, Astigitani Episcopi, diaconis concilio exhibitus nomina captivorum ecclesiæ continebat, quos ejus decessor Gaudentius libertate donare contenderat, quorumque partem suis ipse consanguineis tribuerat. Concilium, ex canonum dispositione, declarat Episcopum non potuisse captivos manumittere, suisve propinquis quicquam largiri, si nihil ex ejus bonis ecclesia possidebat. Assentitur tamen, si forte Gaudentius Episcopus nihil ecclesiæ reliquit, quo suorum ei captivorum jacturam compensaret, eos libertate gaudere, ea conditione, ut ecclesiæ servitio addicti remaneant, ob eaque pendeant, nec dare quod acquisierint, nisi suis ipsorum filiis possint qui cum posteris & ipsi ecclesiæ deservirent ab eaque pendebunt; ut eorum bona qui absque hæredibus obierint, ad ecclesiam redeant; ita quidem canon primus. Jam quoad captivos quos suis is Episcopus consanguineis legaverat, mandatur, ut

eos

eos ecclesia recipiet, nisi is aliunde hanc ei jacturam compensaverit; contra æquitatem enim, inquit secundus canon, contraque religionem est, ut, qui Ecclesiæ impensis vivit, eique nihil de suo dat, dona ab aliis collata eidem adimat. Vetat canon tertius, ne clerici exteras feminas aut captivas apud se detineant, mandatque, ut, siquidem presbyteri, diaconi, aliive ecclesiastici suorum Episcoporum monitis non paruerint, locorum judices possint eas feminas sumere, Episcopo annuente, ea tamen lege, ut eas se nunquam clericis reddituros promittant, excommunicationis indicta pœna; eas enim concilium puellarum monasteriis, quibus deserviant, datas velle. *Reg. Tom. XIV. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.* Aquirreus, *Concil. Hispan. Tom. III.*

Concilium Cæsaraugustanum, *an.* 592.

Kal. Novembr. hujus an. 592. qui Recaredi regis septimus, & S. Gregorii Magni secundus erat, Cæsaraugustæ habitum concilium est cui adfuere Episcopi undecim & diaconi duo qui duos absentes Episcopos repræsentabant; ei præfuit Artemius, Tarraconitanus Episcopus & provinciæ metropolitanus. Edidit concilium hoc canones tantum tres.

1. Statuit Arianos presbyteros qui ad Catholicam ecclesiam redierint, sui ordinis munia, siquidem in fide & in moribus puri sint, obire posse, postquam presbyterorum benedictionem rursus acceperint; idemque de diaconis dictum vult; ut qui tamen inter eos haud e regulis vixerint, in clero quidem maneant, at depositi. (Scilicet eorum plerique continentiam non servabant.)

2. Præcipit, ut reliquiæ, apud Arianos inventæ, ad Episcopos afferentur, & igne probentur; qui vero eas retinuerint, aut celaverint, excommunicationis comminationibus subsint.

Credebatur, eo tempore, veras reliquias igne absumi non posse; hanc proinde probationem concilium præscribit ad earum veritatem perspiciendam quæ in locis Ariana hæresi infectis inventæ fuerint. Ecclesiastica Historia nobis suppeditat ejusmodi probationum exempla numero plure, super quibus consuli potest, inter alios, doctus P. Mabillonius, in Præfatione Benedictini sæculi sexti, *num.* 45.

3. Ecclesias quas Ariani Episcopi, antequam benedictionem perciperent, consecraverint, a Catholico Episcopo rursus consecrari vult. Hos canones sequitur Episcoporum e concilio quatuor Epistola per quam consentiunt, ut fisci receptores certum quoddam jus sumant per grani modium, quod, ut videtur, ecclesiæ agri ferebant. *ibid.*

Concilium Romanum, *an.* 595.

S. Gregorius Papa, die 5. Julii, ante S. Petri corpus, habuit concilium hoc cui adfuere Episcopi viginti duo, præter hunc sanctum Pontificem qui eidem præerat, & presbyteri præterea triginta tres qui sedebant Episcoporum instar, Diaconis cum reliquo clero stantibus. In eo editi canones sex quos a S. Gregorio propositos approbarunt Episcopi omnes, anathema repetantes quod Papa in eos omnes pronuntiabat qui iis refragati essent.

1. Mandat, ut ne in posterum sancti altaris ministri canant, sed Evangelium tantum, in Missa, legant; subdiaconi vero, aut, si opus fuerit, minores clerici psalmos concinant & ceteras lectiones peragant.

Huic canoni locum præbuit abusus qui apud Romanam ecclesiam abierat in consuetudinem, ut sumpti cantores diaconatu insignirentur, data iisdem venia, ut cantui vacarent, quos potius prædicationi & eleemosynarum distributioni addici oportebat.

2. Satis fore ait, ut delecti clerici, vel etiam monachi Episcopo cubiculare servitium exhibeant, qui sint ejus vitæ secreti testes, quibusque ipsius exempla emolumento esse possint.

Alterius abusus occasione sanctio hæc edita fuit; is nempe abusus irrepserat, ut Episcopi Romæ commorantes ad cubiculi secreta servitia sæculares famulos adhiberent qui proinde internam Episcopi vitam ignorantibus clericis noverant.

3. Ecclesiastici patrimonii rectoribus vetat, ne signa terris & domibus ab eo pendentibus, fiscalium ministrorum instar, apponant, ac ne ineant facti vias, ut pauperum bona invadantur.

4. In usu persisti vetat qui inter populum inoleverat, ut Romanorum Pontificum corpora quæ humo dabantur, dalmaticis tegerentur. Nimirum populus eas sibi dalmaticas partiebatur, ac tamquam reliquias quasdam servabat.

5. Prohibet, ne quid sumatur, quavis obducta caussa, ob Ordinationes, ob Pallium, ob Literas. Si quid tamen ordinatus cuipiam e clero, postquam Literas & Pallium accepit, ex honestate quadam, dare velit, non interdicitur.

6. Constitutio est super refectione servorum seu ecclesiarum, seu sæcularium in monasteria. Eos indiscriminatim omnes recipere, erat, omnibus servis se ecclesiæ subducendi occasionem dare; sin omnes, citra examen, in servitute retinerentur, ne Deo qui nobis omnia largitus est, aliquid adimeretur. Statutum ergo, ut qui Deo se dare vellet, prius, in sæculari veste, probaretur, quod si moribus ostenderet id se ex animo cupere, ab hominum servitute liberaretur, ut asperiorem vitam amplecteretur. Re sane ipsa captivis, male conversis, haud e voto cessisset monasticæ vitæ ratio; adeo tum quidem erat ad laborem, ad paupertatem, ad macerationem composita. *Ibid.*

Concilium Toletanum, *an.* 597.

Toletani concilii, an. 597., regni Recaredi decimo secundo, inscriptio enuntiat illud ex Episcopis sexdecim coaluisse, & hos quidem in SS. Apostolorum Petri & Pauli Ecclesiam convenisse. Non extant tamen nisi subscriptiones Episcoporum tredecim, quorum Massonas Emeritanus est primus, & Adelphius Toletanus tertius. Hi Præsules edidere canones tantum duos.

1. Episcopos jubet operam dare, ut non solum ipsi continentiam servent, sed a presbyteris & diaconis quoque servandam curent; eosdemque pronuntiat posse refractarios deponere, claustroque includere, ubi pœnitentiam agant & ceteris exemplo sint.

2. Episcopum vetat sibi redditum sumere qui ad Ecclesiam, aut capellam in ejus diœcesi exstructam pertinet; & hunc redditum presbytero datum vult qui servitium ibidem præstabit, si redditus sufficit; si minus, diacono; si ne diacono quidem sufficit, saltem ostiario qui ecclesiæ, seu capellæ nitorem curet, ibique lampades, noctu, accendat quæ ante reliquias sunt. *ibid.*

Sequenti an. 598., Huescæ, seu, Huescariæ quæ Tarraconensis provinciæ urbs, concilium habitum in quo statutum, ut Episcopi, quotannis, suarum diœceseon abbates, presbyteros & diaconos convocarent, quibus super ineundæ vitæ ratione, superque frugalitate potissimum & continentia, præcepta & monita traderent, sedulo etiam, apud clericos & notarios, atque adeo, quomodo suspectæ feminæ se gererent, expendentes cognoscerent, caste, nec ne, presbyteri, diaconi & subdiaconi viverent; ne quis ex falsis rumoribus notaretur, aut crimen pravis excusationibus tegeretur. Quot Episcopi huic concilio adfuerint, haud memoriæ proditum. *ibid.*

Concilium Barcinonense, *an.* 599.

Habitum est concilium hoc die prima Novembris an. 599., Recaredi regis decimo quarto. Asiaticus, Tarraconensis Archiepiscopus, Episcopis undecim adsistentibus, præfuit; ab his editi canones quatuor.

1. Probibet Episcopos quicquam sumere pro Ordinatione quæ dicitur *benedictio subdiaconi, vel, presbyterii. Benedictionis* vocabulum quod hoc loco pro *ordinatione* ponitur, explicando inservit Cæsaraugustani concilii canoni primo, supra allato, qui mandat, ut Ariani presbyteri, ad Catholicam Ecclesiam redeuntes, benedictionem suscipiant, antequam sacerdotii functiones edere possint.

2. Vetat etiam, ne quid Episcopi sumant pro pretio liquoris sancti chrismatis quod presbyteris ad confirmandos neophytos impertiuntur.

Apparet ex hoc canone Hispaniæ presbyteros tum temporis Confirmationem neophytis contulisse, quod solum ut hujus Sacramenti extra ordinem ministri, & sancta quidem Sede annuente, facere poterant. Reapse videmus S. Gregorium Papam, eodem sæculo, Sardiniæ presbyteris id licere voluisse.

3. Laicos, vel e Regis mandato, ad episcopatum evehi vetat, nisi prius interstitia per canones præscripta servaverint, per ecclesiastici ministerii gradus transierint, & se bene moratos ostenderint. Subdit oportere, ut clerus & populus eligant duos tresve præsentandos metropolitano episcopisque provinciæ, qui eum e tribus super quem sors ceciderit, consecrent; itemque oportere, ut hanc de personarum merito decidendi rationem jejunium præcedat.

4. Excommunicatione plecti jubet, & a fidelium societate amoveri, quin iis cum quopiam colloquii solatium supersit, virgines Deo consecratas, & utriusque sexus pœnitentes qui matrimonium inierint, itemque feminas quæ raptæ se a raptoribus non separaverint. *Ibid.*

CONCILIA

SÆCULI SEPTIMI.

Concilium Romanum, an. 601.

Concilium hoc, Aprilis die quinta an. 601. Romæ habitum, id habuit propositum, ut monasteriorum tranquillitati consuleret, eademque ab Episcoporum vexationibus in tuto poneret. S. Gregorius qui ei præerat, vetuit, ne quis Episcopus, ulla ex parte, monasteriorum bona, prædia, redditus aut titulos imminueret; volens, quicquid iis dissidii ob prædia fuerit quæ ad suas ipsorum ecclesias pertinere contenderint, per arbitros prompte finiri. Statuit præterea, ut, post abbatis mortem, successor eligeretur per liberum & unanimem communitatis consensum, & quidem ex ejus corpore, si idoneus in ea quispiam compertus esset; si minus, ex aliis monasteriis sumeretur; electus, sine fraude & venalitate, ordinaretur; solus sui monasterii regimen obtineret, nisi forte alicujus contra canones criminis reus evasisset; suorum ei monachorum nullus, seu aliis monasteriis præficiendus, seu in clerum cooptandus, quin ipse assentiretur, adimi posset; liceret ipsi eorum aliquem ad Ecclesiæ servitium offerre, siquidem satis multi ad divinum Officium & ad monasterii servitium ei præsto essent; qui vero e monachis ad ecclesiasticum statum migrasset, non amplius in monasterio degere posset. Vetuit etiam Episcopos inventarium bonorum titulorumve monasterii, vel post abbatis mortem, edere, ibidem publicas Missas celebrare, suam cathedram ponere, & vel levissimi momenti quicpiam statuere, nisi abbatis rogatu, sub cujus potestate semper esse monachi debent. His decretis Episcopi unus & viginti, cum sexdecim presbyteris, subscripserunt. *Reg. Tom. XIV. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.*

Concilium Parisiense, an. 615.

Rex Clotarius II., cum solus totius Gallorum Imperii dominus evasisset, singulas ejus partes in ordine positas voluit, in eumque finem, concilium Parisiis coegit quod Parisiensium quintum censetur, omniumque quæ hactenus in Galliis habita, frequentissimum. Huic Episcopi septuaginta novem, una cum proceribus & Principis clientibus, vulgo *vassallis* numero pluribus, interfuere. De nominibus Episcoporum ejusque qui præfuit, haud constat, quia subscriptiones periere. Anno Clotarii uno supra tricesimum, & Papæ *Deusdedit* primo, Octobris die 18. in S. Petri, in S. Genevefæ ecclesiam convenerunt, & canones quindecim ediderunt.

Primus. „ Gratis fiet a metropolitano, comprovincialibus, clero populoque urbis, Episcoporum electio; quæ si aliter facta fuerit, ordinatio, ex Patrum decreto, nulla censebitur."

2. „ Sibi nullus Episcopus successorem eligere poterit; eoque vivente, nemo ordinabitur in ejus locum, nisi constans fuerit eum suæ regendæ ecclesiæ imparem esse, aut ob crimen depositum fuisse."

3. „ Puniendi clerici qui suos Episcopos aspernati ad Principes, ad Proceres, ad Patronos alios confugerint; eos nemo recipiet, quin ab Episcopo cui subsunt, veniam obtinuerint; quod si quis ab Episcopo monitus eos retinuerit, in hunc ex ecclesiasticis legibus animadvertetur."

4. „ Sæcularis quisque judex clericum, quicunque fuerit, in suo Episcopo, damnare vetitus."

5. „ Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne Ecclesiæ liberti ad servitium publicum adigantur."

6. „ Sub eadem pœna, interdictio, ne quid ex legatis ad ecclesiarum sustentationem & reparationes editis subtrahatur.

7. „ Post Episcopi, presbyteri vel alterius clerici mortem, nemini licebit, sub excommunicationis pœna, eorum propria & peculiaria, vel Ecclesiæ bona, seu per Principis mandatum, seu per judicis auctoritatem attingere; sed ea archidiaconus clerusque custodient, quoad defuncti super iisdem ultima voluntas & dispositio innotuerit."

8. „ In Episcopos & archidiaconos interdictio, ut, suas ecclesias ditandi specie, sibi arrogent abbatum, presbyterorum aliorumve titularium bona quæ iidem morientes relinquunt; bona nimirum hæc locis remanere debent, quibus ea donator testamento legavit."

9. „ Vetitum usurpari aut retineri, quavis obducta causa, alterius Episcopi, vel alterius ecclesiæ bona."

10. „ Vetitum testamenta quæ Episcopi & clerici, in ecclesiarum favorem ediderint, abrogari. Statutum etiam, excommunicationis indicta pœna, ut executioni mandetur defunctorum voluntas, cum piarum personarum testamentis deest formarum aliqua quas loca postulant." Canonem hunc Lugdunense concilium secundum, an. 567. habitum renovat.

11. „ Dissidia quæ inter Episcopos cooria fuerint, a metropolitano finientur, non autem a laico judice, ea in Episcopum qui ad laicum judicem confugerit, statuta pœna, ut a metropolitano communione privetur."

12. „ Religiosi & religiosæ qui monasterium suum deseruerunt, ut apud suos, vel in sua prædia se reciperent, ab Episcopo monebuntur, ut ad monasterium quisque suum redeant; ni paruerint, excommunicationi, ad usque mortis articulum, suberunt; at, si paruerint, iis Eucharistia, post humilem satisfactionem, concedi poterit."

13. „ Virgines & viduæ quas, postquam suis in domibus, mutata veste, se Deo consecrarunt, nubere contigerit, excommunicatione plectentur tum ipsæ tum earum viri, quoad culpam reparaverint."

14. „ Prohibentur, sub excommunicationis pœna, incestuosa conjugia, videlicet, cum fratris vidua, cum uxoris sorore, cum duarum sororum filiabus, cum vidua patrui, tam ex patre, quam ex matre, & cum puella quæ religionis habitum sumpsit."

15. „ In Judæos interdictio, ut quod publicum, vel in exercitu, munus obeant. Si quis ejusmodi munus aliquod obtinere voluerit, perficiat prius, oportet, ut ipse ejusque familia ab Episcopo baptizetur."

Clotarius rex, ipso celebrati concilii die, ad horum canonum executionem, aliquibus tamen temperamentis adhibitis, edictum emisit. Addidit canonum primo qui Episcopi per clerum & populum electionem spectat, ut, antequam ordinaretur, jussu Principis opus esset. Episcopi quidem hac de re non meminerant; at is erat vetus mos ab Aurelianensi concilio firmatus quod Regis assensum requirit. Canoni tertio qui clericos vetat Procerum atque adeo Principis auctoritate in Episcopum uti, inseruit, ut, si clericus, quacunque de causa, ad Regem confugerit, & a Rege ipso, non sine Litteris, ad Episcopum remissus fuerit, eum Episcopus recipiat, & veniam eidem tribuat. Ex interdictione in clericos edita, ne sæculares judices adeant, excipit criminalia negotia de quibus sæculares judices, aliquibus appellatis Episcopis, cognoscere vult. Hinc ecclesiasticos judices, una cum sæcularibus judicibus ad inquirendum de privilegiatis casibus appellandi consuetudo, in Gallia, originem traxit. Vetat, mortis indicta pœna, ne cum virginibus aut viduis Deo consecratis matrimonium ineatur, populumque a novis omnibus tributis exoneratum vult.

Clotarii II. edictum, & Parisiensis concilii canones confirmavit concilium alterum aliquanto post in Gallia celebratum, sed de cujus tum loco, tum anno ignoratur. Sunt tamen qui concilium hoc in regia quadam domo, gallice *Bonevil* (quæ, ut videtur, Bonopolis in Bria Francica, seu, Brigiensi Tractu), ad an. 616. habitum putent. In eo editi canones ad eorum calcem quos Parisiense concilium edidit, in manuscripto quodam veteri Remensi codice comperiuntur. Erant numero

mero quindecim; at manuscriptus codex undecim tantum, postremumque ipsum mutilum exhibet. In iis postquam Episcopi, ex Clotarii edicto, Parisiensis concilii canonum executionem mandarunt, ita pronuntiant: ut nemini liceat altaria quibus in locis corpora sepulta fuerint, consecrare; ut monachi, quæ ipsorum regula est, in commune vivant, sub superioris obedientia, quin proprii quicquam habeant; ut in monasteriis nec Baptismus conferri, nec pro sæcularibus defunctis Sacrum fieri, nec iidem sepulturæ dari, sine Episcopi venia, possint; ut clerici nullam domi suæ feminam, præter amitam, matrem, sororem, detineant; ut qui in ecclesias, tamquam in asyli loca confugerint, nec vi extrahi, nec vinculis constringi possint; ut abbates & archipresbyteri suis functionibus haud priventur nisi criminis rei quod hac pœna dignum sit; ut nec presbyteris nec diaconis, in ulla facti specie, matrimonium inire liceat, ea refractariis indicta pœna, ut ex ecclesia trudantur; ut Episcopus, cum aliquem excommunicaverit, id proximis urbibus Ecclesiæque significet, quo excommunicatus notus sit, & a nemine recipiatur. Eorum pœna qui cum excommunicato noto communicant, ea est, ut ex ecclesia ejiciantur, & communione priventur ad annos duos. Statuum, in eodem concilio; ut personæ liberæ quæ necessitate venditæ vel oppigneratæ essent, reddito quod acceperunt, pretio, in integrum restituerentur. *Ibid.*

II. Concilium Hispalense, an. 619.

Habitum fuit concilium hoc in aula secreta ecclesiæ dictæ *Jerusalem*, die 13. Novembris an. 619. sub rege Sisebuto, & Papa Bonifacio V. Ei S. Isidorus Hispalensis præfuit, adsistentibus aliis Episcopis septem, cum clero & sæcularibus duobus, Illustrium titulum gerentibus, Pisisello, Bœticæ, e qua erant hi omnes Episcopi, provinciæ præside, & Suanila, fisci moderatore. Hujus concilii decreta, pro rerum varietate super quibus versantur, in Actiones seu Capitula tredecim tribuuntur.

In actione prima, Theodulphus, Malacensis Episcopus supplicem libellum obtulit, in quo querebatur provinciam suam, bello vastatam, finitimorum Episcoporum prædam evasisse, qui ejusdem potiti erant. Statutum fuit, ut ei suæ omnes ecclesiæ redderentur, quin ullus præscriptioni locus esset, quæ scilicet asferri non potest; cum possessionis causa hostilitas est.

Compositum est, in actione altera, inter Episcopos duos, Astigisanum & Cordubensem, dissidium, ecclesiæ causa, quam ambo contendebant a se pendere, suæque diœceseos limitibus contineri. Concilium deputatos nominavit qui diœceseon limites expenderent, ac deinde possessionem perspicerent, declaravitque, si hæc annorum triginta esset, in possessoris favorem præscriptioni locum fore.

Theodosius Magnus, *Lib. I. Cod. de Action. cert. temp. fin.* & Chalcedonense concilium, *can.* 17. statuerant, ut per possessionem annorum triginta, Ecclesiæ bona præscriberentur. Imperatorum alii postularunt annos centum qui deinde ad quadraginta redacti fuere. At, Hispalensis secundi concilii tempore, in Hispania, ex Alarici, Visigothorum regis jussu, servabatur Theodosii lex.

Instaurati, in actione tertia, veteres canones qui clericos vetant suas ecclesias deserere, ut ad alias migrent.

Actio 4. clericorum ordinationes qui viduas duxerant, nullas declarat, eosque prohibet ad diaconatum evehi.

5. Deponit presbyterum & diaconos duos qui contra regulas ordinati fuerant, Episcopo qui oculis laborabat, satis habente iis manus imponere, dum presbyter benedictionem tribuerat, nempe ordinationis formulam pronuntiaverat. Has ordinationes concilium nullas declarat, additque presbyteri hujus audaciam, si is adhuc in vivis esset, punitione dignam esse.

Perspicitur ex hoc canone hujus concilii Patres spectasse manuum impositionem tamquam essentialem ordinationis materiam, nullo autem modo instrumentorum porrectionem cujus nullam mentionem faciunt.

6. Cordubensem presbyterum restituit quem suus Episcopus injuste damnaverat, &, generatim, vetat, ne Episcopi deponant presbyterum diaconumve, quorum causa in concilio examinata non fuerit. In Episcopos anathema pronuntiatur qui eos, citra examen, tyrannica potestate, non canonica auctoritate utentes damnant; aut qui alios per favorem extollunt, aliosque per odium aut per invidiam deprimunt, damnantque ex levibus suspicionibus. Subdit Concilium Episcopum, re quidem vera, Sacerdotii seu Diaconatus dignitatem unum & unicum conferre posse, ut eam tamen quibus contulit, adimere unum & unicum omnino non posse.

7. Magni momenti sanctionem edidit facultatis occasione, quam Agapius, Cordubensis Episcopus, parum in ecclesiastica disciplina versatus presbyteris quibusdam concesserat, ut altaria erigerent, & ecclesias consecrarent, absente Episcopo. Vetat concilium, ne qua detur in posterum ejusmodi venia, declaratque presbyteris non licere altaria vel ecclesias consecrare, presbyteros aut diaconos ordinare, virgines consecrare, fidelibus baptizatis vel ab hæresi venientibus manus imponere & Spiritum Sanctum tribuere; sacrum chrisma conficere, eove baptizatorum frontem notare; pœnitentem in Missa publice conciliare; formatas seu ecclesiasticas Litteras dare; cum hæc omnia & singula munia Episcopis reservata sint, per canonum auctoritatem, & presbyteris vetita, quia licet hi plura cum Episcopis communia habeant, hæc tamen iisdem interdicta sunt, utpote qui supremam Sacerdotii rationem non obtinent, atque ut graduum, in ecclesiastico ministerio, discrimen servetur, & Episcopatus per prærogativas has distinguatur. Ac ne permissum quidem presbyteris est in baptisterium ingredi, baptizare coram Episcopo, catechumenum facere, pœnitentem conciliare, Eucharistiam consecrare, populum edocere, benedicere & salutare præsente Episcopo; at iis Episcopus harum functionum aliquam, cujusmodi pœnitentium conciliatio est, permittere potest.

8. Mandat, ut captivus, *Elisæus* nomine, quem suus Episcopus manumiserat, quique inobediens evaserat, ad pristinam captivitatem, ob ingratum animum, redigatur.

9. Oportere ait, ut Episcopus quisque, secundum Chalcedonense concilium, sibi e cleri corpore œconomum eligat, eumque pronuntiat nec laicorum opera ad hanc functionem uti, nec Ecclesiæ bona, œconomo ipso inconsulto, administrare posse.

10. Monasteria per Bæticam provinciam instituta confirmat, Episcopis, excommunicationis indicta pœna, prohibitis eorum ullum supprimere, eorumdemve bona usurpare.

11. Monachis concedit bonorum regimen, quæ in Bætica provincia ad Religiosorum monasteria pertinent, ea conditione, ut separatis in domibus degant, ut nullam cum iis familiaritatem ineant, ut eorum nemo, præter abbatem seu superiorem, vel ad earum vestibulum accedat; ut abbas ipse seu superior, non nisi sororum duabus tribusve præsentibus, antistitam alloqui possit, raraque & brevia colloquia sint. Addit concilium, monachum cui demandata est librorum, domorum, ædificiorum, omnium, verbo, rerum cura quibus puellarum monasterium indiget, Episcopi judicio apprime probatum esse debere; ut ex suæ solum saluti, Dei servitio, suisque operibus vacent, inter quæ concilium ponit monachorum vestes qui iisdem deserviunt.

12. Agit de Syrii cujusdam ex Acephalorum secta Episcopi qui concilio se stitit, resipiscentia. Is quidem naturarum in Christo distinctionem negabat; divinitatemque in eo passibilem asserebat; attulit textus plures, suam ut sententiam tueretur, diuque salutaribus Episcoporum documentis obluctatus est; at se tandem dedidit, fassusque est naturas duas in unam eamdemque personam unitas in Christo Domino existere. Obluctatio quam primum exhibuit, eos impulit, ut hanc veritatem susius probarent, allatisque sacrarum Litterarum oraculis, sanctorumque Patrum, inter alios, S. Hilarii, in ejus super Epistola ad Timotheum Commentario quod ad nos non pervenit, Sancti Ambrosii, Sancti Gregorii Nazianzeni, Sancti Basilii, Sancti Augustini, Sancti Leonis Papæ, & Sancti Fulgentii testimoniis, Acephalorum hæresin confutarent.

13. Easque postrema concilii Actio probat definitque duas in unam personam unitas in Christo naturas esse; divinitatem in eo passam non esse, in ipsoque nihil, præter humanitatem, fuisse quod pati posset. *Ibidem.*

Concilium Charucense, an. 622.

Cum Acephali qui divinam tantum naturam in Christo agnoscebant, Armeniæ partem suis erroribus infecissent, Jeser Necainus, ejusdem Armeniæ patriarcha, qui Catholicæ Fidei maxime addictus esset, coegit ad an. 622. in urbe Charuc, antea Theodosiopoli, in majore Armenia, concilium, cui adfuere Episcopi plures, & cum iis, proceres bene multi, Græcique etiam Syriique nonnulli, Heraclis imperatoris jussu. Concilium mensem integrum perduravit; in eo agitatæ non unius generis controversiæ quæ ad

ejus temporis errores referebantur. Cum diu multumque deliberatum esset, unanimi tandem consensione convenit, ut quicquid Acephali in cœtu Thevini habito egerunt, aboleretur; Chalcedonensis concilii decreta omnia susciperentur, e Trisagio verba hæc quæ addiderat Petrus Fulo: „ qui crucifixus es pro nobis " expungerentur; festa demum Natalis Christi Domini, ejusque Baptismi, non amplius eadem die, sed separatim, ut antea celebrarentur. Concilium hoc Græcos inter & Armenos pacem restituit. *Ibidem*.

Concilium Remense, an. 625.

Conflatum fuit concilium hoc ex uno & quadraginta Episcopis provinciarum Galliæ, quæ a Clotario rege pendebant. Fleurius, eumque secutus Ceillerius eorum Episcoporum sex ajunt metropolitanos fuisse; dicere debuissent undecim, videlicet, Sonnacium Remensem, qui, ut videtur, concilio præfuit, Theodoricum Lugdunensem, S. Sindulphum Viennensem, S. Sulpitium Bituricensem, Modegisilum Turonensem, Senochium Eausensem, S. Medoatum Trevirensem, S. Cunibertum Coloniensem, Richerium Senonensem, S. Donatum Vesontionensem, & Lupoaldum Moguntinum. Verum quidem est auctores nonnullos contendere Moguntiam & Coloniam ecclesiasticarum metropoleon titulo nondum eo tempore insignitas fuisse, quia constat Papam, deinceps, Coloniam Moguntiæ subdidisse, & hanc posteriorem sedem, ad S. Bonifacii favorem, in metropolin erexisse. At id probare solum potest eas ecclesias sua jura amisisse, quo tempore ecclesiastica disciplina in magna perturbatione, quoad metrapolitanorum jura potissimum, versabatur; &, quoniam Colonia & Maguntia, Remensis concilii tempore, civiles dubio procul metropoles erant, asseri proinde potest easdem, secundum veteres canones, ecclesiasticas quoque metropoles extitisse. Ut ut res habeat, Remensis concilii Patres edidere canones viginti quinque.

Primus, „ Quantumcunque temporis, ex quo quispiam ecclesiastica bona, Precarii jure possidet, elapsum fuerit, ea sibi propria facere, iisdemque ecclesiam frustrari non poterit. "

Precarii nomine designabatur contractus per quem ecclesia laicorum cuipiam sua bona cedebat, quibus, certo quodam annuo soluto censu, frueretur. Jus hoc interdum ad quintum hæredem usque protendebatur.

2. „ Clerici qui obstricta jurisjurandi fide, scriptisve sua manu firmatis, in proprium Episcopum conspiraverint, ni resipuerint, deponentur. "

3. „ Generalis concilii in S. Petri basilica, Clotarii regis studio & opera, Parisiis habiti sanctiones custodientur. "

Ejusmodi concilium hoc loco *generale* nuncupatur, videlicet, *nationale*, quia ex Episcopis septuaginta novem conflatum fuit.

4. „ Si qua subest suspicio adhuc in Galliis hæreticos superesse, eos Ecclesiarum pastores, diligenti accurataque adhibita perquisitione, ad Catholicam Fidem perducere conabuntur. "

5. „ Nemo temere communione privabitur, eritque penes provinciæ concilium judicandi jus, valida, necne, sit excommunicationis sententia. "

6. „ In laicos judices interdictio, ne publica clericis onera imponant, eosve ad ullas pœnas damnent, sine Episcopi consensu; itemque, ne recipiantur in clerum, sine Principis aut Judicis venia, qui dominii redditibus præfecti sunt. "

7. „ Qui in ecclesias confugerint, extrahi non poterunt, nisi obstricto jurejurando, fore, ut iidem nec ad mortem, nec ad supplicia, nec ad mutilationem damnentur; confugientes tamen non trahentur, nisi canonicam pœnitentiam, pro criminis ratione, se peracturos promiserint. "

8. „ Quicumque incestuosa conjugia inierint, excommunicationi subdentur, nullumque munus gerere poterunt. Eos, apud Judices & Regem Episcopi & clerici denuntiabunt, ut eorum bona ad propinquorum emolumentum proscribantur, quin ea, nisi per separationem, peractaque pœnitentia, recuperare possint. "

Canonicarum jam tum censurarum contemptus Episcopos adigebat, ut iis adderent pœnas alias, cujusmodi erat bonorum per Principis auctoritatem proscriptio.

9. „ Qui voluntarie, non autem se defendens, homicidium patraverit, excommunicatus erit, quoad vivet; si pœnitentiam egerit, communionis viaticum in morte suscipiet. "

10. „ Clerici aut laici qui pia suorum parentum legata retinent, excommunicatione tamquam pauperum homicidæ plectentur. "

11. „ Excommunicationis indicta pœna interdicitur, ne Christiani captivi aliis quam Christianis vendantur. Si suos Judæus Christianos captivos male habet, ut eos ad Judaismum suscipiendum adigat, captivi addicentur Regis fisco. "

12. „ Iter agens clericus haud recipietur, nisi Episcopi sui Litteris munitus sit. "

13. „ In Episcopum interdictio, ne per ullum prorsus contractum vendat aut alienet ecclesiæ servos & bona cætera quæ pauperibus victum suppeditant. "

14. „ Interdictio, ne ethnicorum augures consulantur, ne eorum cæremoniæ serventur, ne cum iis superstitiose dapes edantur, ne fidelium quispiam eorum sacrificiis intersit. "

15. „ Captivi non recipientur accusatores. Qui super capitibus pluribus quempiam accusat, nec primum probat, admitti non debet ad probanda cætera. "

16. „ Si quis, post Episcopi mortem, & antequam ejus testamentum apertum fuerit, aliquo ecclesiæ bono potiri, aut in episcopalium ædium supellectilem manum inferre audet, a fidelium communione abscindatur. "

17. „ Interdictio, sub eadem pœna, ne quis personas liberas, ut in servitutem redigat, persequatur. "

18. „ Nec pro se clericus, nec pro ecclesia poterit, sine Episcopi venia, litem agere. "

19. „ Non est sumendus laicus, ut in Parœciis archipresbyter instituatur; at eum, e laicorum numero, qui senior, aut loci procerum unus extiterit, ordinari clericum licet. "

Ita quidem explicandus est canon hic ex textus verbis quæ ejusmodi sunt: *Ut in parochiis nullus laicorum archipresbyter præponatur; sed qui senior in ipsis esse debet, clericus ordinetur*. Ergo P. Longueval male vertit, inquiens: „ Nemo trahetur e laicis, ut archipresbyterorum functiones in parœciis obeat; sed seligetur e clero senior, ut id muneris gerat. " *Histor. Ecclesiæ Gallicanæ, Tom. III. pag.* 458.

20. „ Quod Episcopo donarunt exteri, debet ad ecclesiam, non ad Episcopum pertinere; quia donator ad animæ suæ salutem, non ad Episcopi peculiarem utilitatem id obtulisse censetur. "

21. & 22. „ Episcopus, alterius ecclesiæ bona usurpasse convictus deponetur; si sacra vasa quamvis aliam ob causam quam ad captivorum redemptionem fregerit, a functionibus suspendetur. "

23. & 24. „ Qui viduas seu virgines Deo consecratas rapuerint, communione cum iis quas rapuerint, siquidem & ipsæ in raptum consenserint, privabuntur. Eadem in judices statuta pœna, qui canones contempserint, aut edictum violaverint quod Rex, ut canones servarentur, Parisiis edidit. "

25. „ Non eligetur, ut urbis Episcopus sit, nisi qui ex eadem urbe sit; & electio per totius populi suffragium, provinciæ Episcopis consentientibus, fiet. Si quis alia ratione ad Episcopatum promotus fuerit, deponatur; quique eum ordinaverint, a sui ministerii functionibus, ad annos tres, deponantur. "

S. Papa Cælestinus I. jam mandaverat, multo ante, ut ex urbis clero, quantum fieri posset, Episcopus sumeretur. P. ergo Longueval cujus est animadversio hæc, haud sibi constat, cum postremum hunc canonem ita vertit: „ non eligetur urbis Episcopus nisi qui de regione sit: " *ut decedente Episcopo in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena*; ex quo sequitur P. Longuevallii versionem nec textui, nec ejus animadversioni ipsi congruere.

Canones hos sequuntur statuta numero unum & viginti quæ *Sonnacii* nomen præferunt; at multo recentiora esse ex eorumdem statutorum pluribus compertum fit. Causa exempli, mandatur, ut solus pastor, per Quadragesimam, pœnitentium confessiones audiat; ut presbyter quisque Missam dicat bis in mense; ut Eucharistia ad ægrotos in vase idoneo deferatur, face præcedente. Festorum quæ præcepta sunt, catalogus texitur, & in eorum numero B. Virginis Nativitas ponitur quam statuit Papa Sergius I. ad sanctam sedem an. 687. evectus, quæque in Gallia recepta non fuit nisi regnante Ludovico Pio qui patri Carolo Magno an. 814. successit. *Ibid.*

IV. Conci-

IV. Concilium Toletanum, an. 633.

Concilium hoc, ex Episcopis sexaginta duobus & absentium Episcoporum deputatis septem constatum, S. Isidoro Hispalensi præside, cogi cœpit in sanctæ Leocadiæ ecclesia, die nona Decembris an. 633. qui regni Sisenandi tertius, & pontificatus Honorii Papæ I. septimus erat. Sisenandus, insigni religione & pietate Princeps, una cum Procerum nonnullis in concilium ingressus, ante Episcopos humi prostratus, effususque in gemitus & lacrymas, eos obsecravit, ut pro eo Deum orarent, ut ecclesiæ jura sarta tecta servarent, ut denique ad reformandos abusus incumberent. Hoc consilio, Episcopi canones septuaginta quinque edidere.

Primus, Fusius digestam Fidei professionem continet, in qua, nitide, contra præcipuas hæreses, quid super Trinitatis & Incarnationis mysteriis credendum sit, explicatur; scilicet in ea dicitur, personarum in essentiæ unitate trinitatem, secundum divinas Scripturas & SS. Patrum doctrinam, credi; Filium ex Patre qui nec factus nec genitus ipse est, genitum esse; Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere; Filium incarnatum esse in Virginis sinu, per operationem Spiritus Sancti, &c. De Incarnatione verba faciens concilium hac locutione utitur, *suscipiens hominem*, quæ admodum usitata est in Patrum Scriptis, cujusmodi sunt S. Augustinus, *Lib. octoginta trium Quæstionum*, *Quæst.* 9. & *Lib. de Fide & Symbolo*, *cap.* 4. & *Lib.* 9. *de Civit. Dei*, *cap.* 17. S. Ambrosius, *Lib.* 5. *de Fide*, *cap.* 5. Origenes *in Matth.* 13. S. Hieronymus, *ad Galat.* &c. Hanc tamen loquendi rationem Scholastici rejecerunt, eique substituerunt verba hæc, *suscipiens humanitatem*, quia & quidem hæretici abuti poterant; quod S. Thomam impulit, ut diceret, 3. *part. quæst.* 4. eam non ut propriam locutionem accipiendam, sed pie explicandam esse, ut nempe Dei Filius hominem suscepisse dicatur, quia humanam naturam suscepit, quæ efficit, ut vere homo sit.

2. Ait, quoniam concilii Patribus una est eademque fides, ita iis in Mysteriorum, cæterarumque divini Officii partium celebratione, secundum veteres canones, unam eamdemque disciplinam esse debere.

3. Mandat, ut si qua super Fide quæstio, vel commune aliquod negotium contigerit, generale totius Hispaniæ & Gallæciæ concilium cogatur; at, ob privata negotia, concilium quotannis, in quaque provincia, medio circiter mense Majo, in loco quem metropolitanus designaverit, habeatur.

4. Concilia celebrandi formam distincte præscribit, in hunc modum: „ Prima diei hora, ante solis ortum, nemo non ex ecclesia egredi jubebitur, ejusque fores claudentur. Omnes ostiarii ad eam consistent, per quam Episcopi ingredi debent; ingredientur hi simul omnes, & sedem pro ordinationis gradu singuli sument. Post Episcopos, appellabuntur presbyteri qui ut ingredi jubeantur, impulerit ratio aliqua; tum diaconi quibus opus esse visum fuerit. Sedebunt in orbem Episcopi, diaconi ex eorum conspectu stabunt; ingredientur deinde laici quos concilium ingressu dignos censebit; hos sequentur notarii qui, quod e re fuerit, legant scribantque; & fores custodientur. Cum diu Episcopi, servato silentio, intentoque in Deum animo sederint, archidiaconus dicet: *Orate*. Statim se omnes humi sternent, orabuntque silentes non sine lacrymis & gemitibus; seniorum vero Episcoporum unus, assurgens, elata prorsus voce precem edet, prostratis remanentibus cæteris. Ejus absoluta prece, omnibus respondentibus *Amen*, archidiaconus dicet: *Surgite*. Se omnes in pedes erigent, Episcopique & presbyteri cum timore & modestia consident. Tum vero diaconorum unus, indutus alba, medium in cœtum afferet Canonum Librum e quo eos leget qui de conciliis habendis agunt; tum metropolitanus, dicere ingressus, eos quibus aliquid negotii fuerit, ut id proponant, hortabitur; nec ad aliud progressus fiet, quam illud expeditum sit. Si quis exterorum, presbyter, clericus aut laicus concilium adire & consulere voluerit, negotium suum archidiacono patefaciet qui illud concilio denuntiabit; dein parti facultas dabitur, ut ingrediatur, suumque ipsa negotium proponat. Episcoporum nullus, ante finis horam, consessum deseret; e concilio egredietur nemo, quin omnia ad exitum perducta fuerint, ut subscribere decisionibus possit; credendum enim est in suorum sacerdotum medio Deum esse, cum sine tumultu, intentis tranquillisque animis, ecclesiastica negotia finiuntur. “

5. Ad evitandas vanitates quæ ob discrepantes tabulas seu cyclos in celebratione Paschatis contingebant, metropolitanos vult de hujus festi die se mutuo commonefacere, suis ut comprovincialibus eum significent, eodemque omnes tempore Pascha celebrent.

6. Baptismum, e S. Gregorii decisione, per unam tantum immersionem conferendum pronuntiat, ne Ariani qui ter immergebant, approbari videantur; Trinitatis enim fidem satis designari per verba quæ in Baptismi collatione pronuntiantur; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

In Ecclesiæ exordio, conferebatur Baptisma per immersiones tres, nempe ter in aquam mergebatur is qui baptizabatur, ut per eam triplicem immersionem, personarum in Deo trinitas notaretur. At quia Ariani ejus triplicis immersionis cæremonia ad naturarum distinctionem & pluralitatem in Deum inducendam abusi sunt, S. Gregorius, Papa, per Epistolam ad S. Leandrum Hispalensem missam mandavit, ut Hispani una & unica immersione in Baptismate contenti essent; atque id etiam præscribit hic canon sextus, quia non deerant inter Hispanos presbyteros qui triplici immersione ad Baptisma uterentur, cum cæteri una tantum contenti essent.

7. Abusum reformat qui in aliquas ecclesias irrepserat, ut earum fores Feria sexta majoris hebdomadæ clauderentur, Officii nihil fieret, nec Passio prædicaretur. Contra statuit concilium, populosque, ea die, ad peccatorum suorum veniam elata voce petendam cohortationibus excitatos vult, ut pœnitentiæ compunctione purgati Resurrectionis Dominicam diem celebrare & sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Domini puro corde recipere possint.

8. Jejunium Feriæ sextæ in Parasceve, non nisi Officio, indulgentiæque & communis absolutionis precibus absolutis, intermissum vult; excipit ab hac lege pueros, senes ægrotantesque.

Non intermittebantur, eo tempore, Quadragesimalia jejunia, nisi pomeridiana hora sexta. Id ergo asperitatis, potiore jure, servandum erat ea sexta Feria, qua nempe die mos obtinebat, ut multo asperius duriusque, & sæpe quidem pane tantum & aqua sumptis, jejunaretur.

9. Lampadis & cerei benedictionem per omnes Gallæciæ ecclesias in Paschatis vigilia peractam vult, ut Resurrectionis sancta nox honore afficiatur.

Cerei, novique ignis, in Paschatis vigilia, benedictionis cæremonia olim ad mediam noctem peragebatur. De ea sermo est in Alcuini Libro, *De Divinis Officiis*, ad titulum, *De Sabbato sancti Paschæ*: apud Amalarium Fortunatum, *De Ecclesiasticis Officiis*, *cap.* 118. apud Walfridum Strabonem, *De Rebus Eccles. cap.* 30. & apud Rabanum Maurum, *Lib. II. De Institutione Clericor. cap.* 38. Omnes auctores hi tribuunt hujus cæremoniæ institutionem Papæ Zosimo qui an. 418. mortem occubuit.

10. Abusum corrigit qui ecclesias aliquas pervaserat, ut Dominicis solum diebus Oratio dominica diceretur; mandatque, ut eam omnes ad unum clerici quotidie in Officio recitent, quod publice aut privatim dicent, e S. Cypriani, S. Hilarii & S. Augustini sententia, & id quidem, depositionis indicta pœna.

Dominicæ Orationis ad Missam recitandæ usus oritur a Christo ipso qui ita Apostolos docuit, si S. Hieronymo credimus, cujus, in *Lib. III. contra Pelagianos*, hæc verba sunt: *Sic docuit Christus Apostolos suos, ut quotidie in Corporis illius Sacrificio, credentes audeant loqui*: Pater noster qui es in Cælis.

11. Per totam Quadragesimam *Alleluja* cani vetat, quia illud tristitiæ & pœnitentiæ tempus est; itemque die prima Januarii, qua die fideles, ut in Quadragesima, quo ab ethnicorum superstitione recederent, jejunabant.

Alleluja est hebraica vox quæ significat *laudare Deum cum gaudio, lætitia & cantu*; hinc S. Augustinus, in *Psalm.* 105. Psalmos qui Deo cum sancta hilaritate laudando addicti sunt, *Allelujaticos* nuncupat. Asserit idem Pater, in divino Officio, lætitiæque tempore, cujusmodi Paschale tempus est, *Alleluja* canendi morem ab Apostolis derivari. Illud ergo, mœroris & pœnitentiæ tempore, cujusmodi est Quadragesimale tempus, haud canebatur. At quia per aliquas Hispaniarum ecclesias usus obtinuerat, ut illud, in Quadragesima ipsa, postrema tantum excepta hebdomada, caneretur, ab eo proinde per totam Quadragesimam fideles abstinere concilium vult, ac si ejus interdictio Septuagesimam quoque Dominicam non complectitur, id causæ est, quod eo nondum tempore statutum erat, ut a Septuagesimæ Dominica die omitti *Alleluja* inciperetur.

12. Laudes, post Epistolam, dicendi usum reformat, easque non nisi post Evangelium dictas vult ad hono-

honorem Chriſti Domini quæ in hoc ipſo Evangelio annuntiatur.

Concilium *Laudes* appellat hymnum ſeu canticum puerorum trium quod in Hiſpania poſt Epiſtolam dicebatur, inquit Garcias Loayſa, in ſuis ad hunc canonem adnotationibus; in quo fallitur.

Quod hic canon *Laudes* vocat, nihil eſt aliud quam Verſiculus cum *Alleluja*, qui canitur in Hiſpania, ex ritu Mozarabico, poſt Evangelium, quique omnino ſimilis eſt Verſiculo cum *Alleluja*, qui poſt Reſponſorium ex Romano ritu, canitur. Reſponſorium porro poſt veteris Teſtamenti Lectionem quæ Epiſtolam præcedebat, Hiſpani canebant. Poſt Epiſtolam dicebatur *Amen*, ſtatimque Evangelium inchoabatur.

13. Hymnos quos Patres, ut S. Hilarius & S. Ambroſius contexuerunt, quamvis e ſacra Scriptura non ſint, cani ſinit; ſi enim, inquit, id unum quod extat in ſacris Literis, in Officio recitandum eſſet, Miſſarum cæterarumque eccleſiaſticarum precum pleraſque abrogari oporteret. Uſum canendi Hymnos & Cantica, Chriſti Domini exemplo, & Apoſtoli in Epiſtola ad Epheſios teſtimonio confirmat.

Hymnos & Cantica in Eccleſia canendi morem ad ſummam antiquitatem referunt Philo, in Libro *De Supplicum Virtutibus*, Euſebius, *Lib. II. Hist. Eccl. cap. 26.* &c. ex quo factum, ut Antiochena concilia plura, jam inde a ſæculo tertio, Paulum Samoſatenum damnarent qui, inter errores alios, rejiceret Hymnos & Cantica quæ in honorem Chriſti Domini canebantur.

14. „Ex Eccleſiæ communi uſu, canetur ad Miſſam, dominicis feſtiſque Martyrum diebus, trium in fornace puerorum hymnus."

Per *Miſſæ* vocabulum, concilium intelligit diei Officium quod in eccleſiaſticis Libris *Miſſa* ſæpenumero nuncupatur. Eadem *Miſſæ* vox etiam pro omnis generis precibus interdum ſumitur.

15. Clericis omnibus, in dicta communionis privatione, mandat, ut ne ſatis habeant ad cujuſque pſalmi finem dicere, *Gloria Patri*, ſed dicant, *Gloria & honor Patri*, prout in Pſalmo viceſimo octavo, & in tertio Apocalypſis capite dicitur.

16. Non deerant qui poſt Reſponſorium non dicerent *Gloria*, rati cum iis quæ dicta fuerant, id non congruere. Ut iis omnis ſcrupulus eximeretur, deciſum fuit, ut, cum Reſponſorium jucundum lætumque eſſet, *Gloria* diceretur, ſi autem triſte mœſtumque, Reſponſorii ipſius initium repeteretur.

17. Sub excommunicationis pœna, mandat, ut Apocalypſeos Liber tamquam divinus recipiatur, legaturque in Eccleſiis a Paſchate ad Pentecoſten, Officii tempore.

18. „Ad Miſſam, dabitur benedictio, non quidem proxime poſt dominicam Orationem, ſed poſt mixtionem hoſtiæ cum calice, & ante communionem quam presbyteri & diaconi ante altare, reliqui clerici in choro, & populus extra chorum percipient." Id oſtendit eam in Hiſpania, ut in urbe Roma, conſuetudinem viguiſſe, ut ad unumquemque communio, quo in loco ſinguli aderant, deferretur.

19. Regulas inſtaurat quæ ad Epiſcoporum ordinationes, & potiſſimum quæ ad electionum libertatem ſpectant; notatque diſtinctim quicquid in iis præpoſterum & abſonum eſt, prohibens, ne ad ſacerdotium evehantur qui criminum convicti fuere, aut qui, ea falſi, publicam pœnitentiam ſubierunt; qui hæretici fuerunt aut Baptiſmum iterum ſuſceperant; qui ſe ipſi eunuchos fecerunt, aut aliqua corporis parte mutilati ſunt; qui plures conjuges, aut concubinas habuerunt, aut viduas duxerunt; qui ſervili conditione ſunt; vel neophyti, vel laici, vel negotiis impliciti; qui Litteris imbuti non ſunt; qui triceſimum ætatis annum non attigerunt, nec per varios eccleſiaſticos gradus tranſierunt; qui prenſationes aut pecuniam, ut ad hanc dignitatem pervenirent, adhibuerunt; qui a ſuis deceſſoribus electi fuere; qui denique nec a populo cleroque electi, nec a metropolitano provinciæque ſynodo approbati ſunt.

20. „Qui Epiſcopus electus fuerit, ab omnibus provinciæ Epiſcopis, vel ſaltem a tribus, conſentientibus cæteris, coram metropolitano ejuſque auctoritate, eoque in loco quem hic deſignaverit, die dominica conſecrabitur."

21. „Nec diaconi ante viceſimum quintum, nec presbyteri ante triceſimum ætatis annum ordinabuntur."

22. 23. & 24. „Epiſcopi caſtam & innocentem vitam ducent. Sibi viros addent quorum vita exemplo ſit, quique in eodem cubiculo diu noctuque verſantes, quæ ſit eorum vitæ ratio, teſtari poſſint. Presbyteri & diaconi qui infirmitatum aut provectæ ætatis cauſa, apud Epiſcopum commorari non poterunt, habebunt & ipſi viros virtute præditos qui in eorumdem cubiculis degant. Juniores clerici una verſabuntur, in eodem cubiculo, ob prudentis ſenis oculos. Si orphani ſunt, eorum tum bonis tum moribus Epiſcopus invigilabit."

Perſpicitur ex his canonibus eum olim morem obtinuiſſe, ut presbyteri & diaconi in Epiſcopi ædibus degerent, communemque cum eo vitam agerent. Id quoque cernitur in conciliis Toletano ſecundo, Aurelianenſi pariter ſecundo, Turonenſi tertio, &c. & in S. Auguſtini vita quam Poſſidius deſcripſit. Hæc nimirum canonicorum qui in eodem clauſtro & ſub eadem regula vivebant, origo eſt.

25. 26. & 27. „Epiſcopi eſt ſacram Scripturam & Canones ſcire, ut populum tam fidei quam morum negotiis inſtituat. Cum presbyter addicetur parœciæ ſervitio, ei Librum ritus adminiſtrationis Sacramentorum continentem, eodem tempore, dabit Epiſcopus; cum idem presbyter ad concilium vel ad proceſſiones veniet, Epiſcopo rationem reddet adminiſtrationis parœciæ, quomodo ibidem & Officium peragit, & Baptiſmum confert; promittet etiam Epiſcopo, in ipſa ſervitii ſuſceptione, ſe caſte & in Dei timore victuros. Eadem erit diaconorum ratio qui ad parœciæ exhibendam operam deſignati fuerint."

28. „Epiſcopus, presbyter, diaconus, injuſte damnati, quorumque innocentia in altera ſynodo perſpecta fuerit, priſtinas functiones obire non poterunt, quin ad altare, gradus quibus exciderant, ſui ſcilicet officii notas receperint; Epiſcopus ſtolam, annulum & paſtoralem baculum; presbyter ſtolam & caſulam; diaconus ſtolam & albam; ſubdiaconus patenam & calicem, & ſic porro de gradibus reliquis."

29. „Deponentur & in monaſteria trudentur, ibidem pœnitentiam acturi, clerici qui magos, aruſpices, augures divinoſque cæteros conſuluerint."

30. & 31. „In Epiſcopos, reipublicæ hoſtibus proximos interdictio, ne quod ab iis mandatum, niſi Rege annuente, ſuſcipiant; ne demandatam Reginæ Majeſtatis reos examinandi provinciam accipient, niſi prius ipſis, obteſtata juriſjurandi fide, promiſſum fuerit fore, ut iiſdem venia tribuatur. Si effuſi ſanguinis participes fuerint, deponentur."

32. „Ad Epiſcopos pertinet monere judices qui injuſtitias perpetrant, eoſque apud Regem, niſi ſe corrigant, denuntiare."

33. „Quamvis integra abſolutaque redditunm ad laudatas eccleſias ſpectantium adminiſtratione gaudeat Epiſcopus, ex iis tamen non poteſt ſibi ultra tertiam partem ſumere."

34. & 35. „Poſſeſſio annorum triginta ſatis firmus Epiſcopo titulus eſt, ut eccleſias retineat quas in alterius per eamdem provinciam Epiſcopi diœceſi poſſidet; at inter aliarum provinciarum Epiſcopos non eadem vi pollet poſſeſſio hæc. Excipiuntur ab hac regula eccleſiæ recens extructæ quæ ad Epiſcopum in cujus diœceſi territorium eſt in quo ædificatæ ſunt, ſpectare debent."

36. „Si Epiſcopus, quoque anno, diœceſin inviſere non potuerit, id officii perſpectæ probitatis presbyteris aut diaconis demandabit, qui expendent eccleſiarum redditum, neceſſarias reparationes eorumque vitam quibus parœciarum adminiſtratio commiſſa eſt."

37. „Id quiſque ſolvat, oportet, quod eccleſiæ, ſub alicujus eccleſiaſtici ſervitii conditione, promiſit."

38. „Si qui donationem aliquam in eccleſiam contulerunt, eorumve filii, ad neceſſitatem deinde redacti fuerint, iis eccleſia hæc opitulari debebit."

39. „In diaconos interdictio, ne ſibi in primo chori ordine locum ſumant, dum presbyteri non niſi in ſecundo ſunt."

40. „In Epiſcopos, in presbyteros, &, potiore quidem jure, in diaconos interdicto, ne deferant ſtolas duas. Diaconus ergo unam tantum ſuper ſiniſtro humero ſtolam geret, & ſtola hæc nec variis coloribus picta, nec auro ornata erit."

Diaconatus veluti ſymbolum ſeu nota præcipua erat ſtola, nec deerant eccleſiæ in quibus diaconi, diu noctuque, ſtolam geſtare quam in ordinatione acceperant, per anni ſpatium, jubebantur. Diaconorum ſtola crucis in modum erat; eademque ſiniſtro eorum humero impoſita, ut manus dextera ad prædicationem & ad ordinis functiones reliquas libera eſſet.

41. „Omnes clerici ſeu lectores, diaconorum & presbyterorum inſtar, ſibi capitis verticem radent, nec niſi capillorum extremam partem ſeu ſilum relinquent in coronæ formam; non autem in modum

„ lecto-

„ lectorum Gallæciæ qui promissam comam, ut sæcu-
„ lares, deferunt, satisque habent, parvum in orbem,
„ summam capitis partem radere. Omnes igitur ad
„ unum clerici, quam late patet Hispania, eamdem
„ tonsuram eamdemque vestem gestabunt; qui vero
„ ad hanc sanctionem haud se conformaverit, excom-
„ municatione plectetur."

Est apprime canon hic animadversione dignus. In eo perspicitur, 1. *presbyterorum* nomine, venisse Episcopos ipsos, itemque *lectorum* nomine, cæteros omnes inferiorum ordinum clericos. Perspicitur, 2. omnes ecclesiasticos, in numerum relatis Episcopis, fuisse raso capite, capillorum quasi filo seu parvo circulo tantum excepto, qui mos hoc ipso tempore apud Benedictinos reformatos obtinet. Perspicitur, 3. Ecclesiæ visum esse per ea tempora tanti momenti usum hunc, ut clericos qui ad eum se conformare renuissent, tamquam hæreticos spectaret & excommunicationi subderet. Quod si quis dixerit ejusmodi consuetudinem haud communem fuisse & regiones extitisse quibus nota non erat, quod de patria sua Scotia venerabilis Beda testatur, in promptu responsio est, peculiarium quarum quidem exiguus numerus, ecclesiarum usum obesse non potuisse, quominus mos de quo agitur hoc loco, morali quadam ratione communis esset; si enim canones consulantur quos edidere super hac re concilia numero plura, nullus aut prope nullus occurret qui non omnibus clericis mandet, ut raso capite sint, aut saltem capillos, in coronæ modum, tam breves gerant, ut ad aures tantum, & quidem, quod ajunt, exclusive perveniant, ita scilicet, ut aures omnino prostent. S. Isidorus, *Lib. 2. De Eccles. Offic. cap.* 4. Apostolos ipsos ait clericalem tonsuram in Ecclesiam induxisse, & hunc morem a Nazarenis mutuatos esse; eum alii S. Aniceto Papæ tribuunt, qui an. 161. martyr occubuit. Facile, opinor, fuerit opiniones has duas conciliari, si dixerimus S. Anicetum nihil aliud egisse quam tonsuræ quæ jam in Ecclesia apud clericos usui erat, deferendæ rationem statuisse. At, eam quidem seu Apostoli ipsi, seu solum S. Anicetus induxerint, certum semper est maxima quam præfert, antiquitate venerandam esse; severe semper acriterque omnibus clericis ab omnium temporum conciliis, Patribus, Episcopis, Doctoribus præscriptam fuisse, sanctiones has ad nostra usque tempora multiplicatas ac tam sæpe repetitas etiamnum subsistere; sæcularem & regularem clerum ad se non conformare non posse; nec sine vero scandalo, omnino lacrymis digno scandalo, omnium Statuum ecclesiasticos, omniumque Ordinum religiosos cerni qui affictas ad elegantiam & artem comas, aut longos, cincinnatos, fibulatos, pulvere conspersos, sine ullo coronæ tonsuræque vestigio deferunt. Superiorum sane ac potissimum Episcoporum est abusus hos extirpare quorum supremo Judici rationem reddent. Id facere possunt, & debent; possunt, inquam, & quidem facile. Quid enim Episcopum impedit, quin ordines, conciones habendi & confessiones excipiendi facultates, visa, denique quicquid ab eo pendet, inexorabilis neget ecclesiasticorum & religiosorum cuique qui non accurate constanterque se conformaverit ad Ecclesiæ canones quibus, ad eos quod attinet, in vestitu simplicitas, in cæsarie modus, in omni generatim vita, regula & ratio præscribitur? Quod autem possunt, omnino debent; in vestibus scilicet, capillis, ornatu, in omni denique re, sæcularis & regularis cleri modestia, tamquam e gravioribus ecclesiasticæ & regularis disciplinæ capitibus unum, semper, & quidem jure, spectata est; per hanc enim potissimum populus ad pietatem docilitatemque formatur, ut dicto audiens ad Deum trahatur; cum sæcularis & profana species, mundanus studiosusque cultus scandali plurimum eidem afferant, nec nisi, quoad religionis ministros, aversionem & contemptum inspirare possint. Videri potest Tractatus cui titulus, *Traitè des Perruques*, auctore D. Thiers.

42. Instauratur toties repetita in clericos interdictio, ne exteras apud se feminas detineant.

43. „ Jubentur Episcopi pœnitentiæ clericos subde-
„ re qui cum exteris feminis, iisve peccaverunt quæ
„ ipsis famulæ sunt, easdemque feminas, in criminis
„ pœnam, vendere."

44. „ Jubentur Episcopi separare clericos qui vi-
„ duas, repudiatasve aut depravatas feminas sibi con-
„ juges sumunt."

45. „ Clerici qui in aliqua seditione sumpserint,
„ sumentve arma, deponentur, & in monasterium
„ includentur, ut pœnitentiam ibidem agant."

46. „ Clericus qui sepulcra expilans compertus fue-
„ rit, e clero expungetur, &, ad triennium, pœniten-
„ tiæ subdetur."

47. „ E Sisenandi regis edictis, omnes clerici a pu-
„ blicis officiis immunes erunt, quo liberius divino
„ Servitio vacare possint."

48. „ Utentur Episcopi clericis ad œconomiam bo-
„ uorum ecclesiæ, prout in Chalcedonensi concilio sta-
„ tutum fuit."

Perspicitur ex hoc canone, quantopere semper Ecclesia in votis habuerit, ut Episcopi spiritalia temporalibus anteferrent, quippe quos jussit œconomos habere qui eorum bona administrarent dispensarentque, ut ipsi sanctis sui ministerii functionibus, cujusmodi sunt prædicatio, institutio, Sacramentorum administratio, se totos dedere possent.

49. „ Parentum pietas aut professio voluntaria mo-
„ nachum facit. Quamobrem, utravis ratione, mona-
„ chus quispiam sit, obligatio subsistit, nec is amplius
„ ad civilem societatem redire potest."

50. „ Clerici qui se monachos facere voluerint,
„ ab Episcopis non impedientur, quia monastica vi-
„ ta potior est clericali, & ad contemplationem
„ aptior."

Videtur canon hic cum Patrum sententia pugnare, dum „ monasticam vitam ait clericali meliorem esse," cum e converso dicant Patres „ clericalem vitam meliorem esse quam monasticam." Verum ita explicari potest canon, ut non quidem *statum statui*, sed *personam personæ* comparet, clericumque qui ecclesiasticum monasterium deserit, ut omnino contemplationi in absoluto recessu vacet, ei præferat, qui contemplationem prorsus negligit, ut externis ministerii functionibus se tantum dedat. Ut ut de hac explicatione sentiendum sit, super ipsa controversia, utra vita scilicet, clericalisne an monastica, activane an contemplativa sit potior, ita quidem statuendum est. Clericalis vita seu activa, quam hoc sane loco intelligimus, status seu munus est quod functionibus potissimum continetur quæ per documenta, prædicationem, Sacramentorum administrationem, eleemosynam, erga proximum exercentur; monastica vero seu contemplativa vita in eo imprimis est posita, ut Deo unice & proxime, per ejus essentiæ, perfectionum, & operationum affectivam considerationem, animus applicetur. Hoc posito, certum est contemplativam vitam, ex præcipua ejus parte spectatam, activa meliorem, excellentiorem perfectioremque suapte natura esse, utpote quæ proxime ad Deum refertur, eum in se ipso considerat, amatque per se ipsum; cum activa vita, præcipuæ pariter ejusdem partis ratione habita, primo & immediate proximum spectet, quoad Deum; ex quo fit, ut hæc Deum secundario tantum, quasique Divinitatis radium super proximo reflexum spectet; & hac sane de causa Christus Dominus Mariam præfert sorori Marthæ, eam inquiens partem optimam elegisse. Maria scilicet, contemplativæ vitæ symbolum, tranquille assidet Servatoris pedibus, divinum ut verbum audiat, sacro in otio; melior hæc nempe & optima pars. Activæ vitæ imago, Martha turbatur, in omnem se partem versat, multumque sollicitudinis exhibet, ut servatorem excipiat, eique deserviat; rectæ quidem hæ curæ sunt, at minus perfectæ quam Mariæ jucunda tranquillitas. At ex his duabus vitis veluti sororibus consociatis efficitur tertia quæ *mixta* dicitur, quæque utrinsque exercitationes complectitur. Tertium hoc vitæ genus utroque seorsim sumpto perfectius est; illud selegit Christus Dominus, suisque Apostolis contulit, Apostoli denique suis in sancto ministerio successoribus reliquerunt. Ejusmodi est doctrina Patrum, inter alios Sancti Basilii, in *Constit. Monast. cap.* 2. Sancti Hieronymi, in *cap. III. Jerem.* Sancti Gregorii, Papæ, *Lib.* 6. *Moral. cap.* 17. Sancti Bernardi, *Serm.* 3. *in Assumpt.* S. Thomæ, 2. 2. *quæst.* 182.

51. „ Episcopi sibi utilibus laboribus monachos non
„ addicent, nec sibi quoad eos arrogabunt, nisi quod
„ canones iisdem tribuunt, videlicet, ut monachos
„ ad virtutem hortentur, abbates & cæteros officiarios
„ instituant, regulamque servandam curent."

52. & 53. „ Monachus, si forte, conjugii animo,
„ suum statum deserat, in monasterium regredi jube-
„ bitur, ubi crimen defleat & per pœnitentiam ex-
„ piet. Religiosi porro quidam girovagi qui nec cle-
„ rici nec monachi sunt, adigentur, ut harum profes-
„ sionum alterutram eligant."

54. „ Qui in periculo versantes pœnitentiam susce-
„ perunt, quin ullum peculiare crimen confiterentur,
„ sed ita solum, ut se generatim peccatores agnosce-
„ rent, in clerum recipi poterunt; non item qui pœ-
„ nitentiam suscipientes, lethale peccatum publice fassi
„ sunt."

Erant olim publicorum pœnitentium genera duo. Patraverant alii fassique fuerant publica crimina, aut secreta crimina publice confessi erant; & hi quidem

suo

sub cilicio, solemnibus diebus, inter Missarum solemnia, pœnitentiam agebant; alii secreta solum peccata patraverant, eorumque se publice non accusaverant, adeoque publicæ nec sub cilicio, nec diebus solemnibus, pœnitentiæ suberant; ac de secundi hujus generis pœnitentibus publicis loquitur 54. canon. Secreta ergo peccata patraverant quidem & in aurem confessi fuerant; at quia non ea publice fassi erant, eos concilium a claro non excludit, etsi publicam pœnitentiam egerint. Vide P. Morinum, *de Pœnitent. Lib. 5. cap. 7.*

55. „ Laici qui, publica pœnitentia suscepta, rasoque, in hunc finem, capite, ad pristinum statum redeunt, cogentur ab Episcopo pœnitentiam perficere. Si renuant, habebuntur apostatæ, & publice anathemate percellentur. Eadem erit eorum ratio quos parentes, aut qui se ipsi monasticæ vitæ devoverint, si forte sæcularem habitum receperint; eadem virginum aut viduarum feminarumque pœnitentium quæ sumptum religionis seu pœnitentiæ habitum deposuerint, aut matrimonium inierint. “

Publicis pœnitentibus proprius & peculiaris habitus erat, per initam in pœnitentiæ susceptione obligationem, ad ejus usque finem ab iis deferendus; obligationi fere similem cui religiosi & religiosæ subsunt, ut suorum Ordinum habitum deferant; qui proinde si eum ante absolutam pœnitentiam deseruissent, sua vota violasse censebantur.

56. „ Duo sunt viduarum genera. Sæculares aliæ sunt, sanctimoniales seu religiosæ ceteræ. Priores quidem habitum mutare & nubere possunt; posteriores vero eum mutarunt in facie Ecclesiæ, nec possunt amplius sine crimine nubere. “

57. Sisebuto regnante, compellebantur Judæorum plures, ut Christo nomen darent; quia porro jam Sacramenta susceperant, nempe, Baptismum, sancti Chrismatis unctionem, Corpus & Sanguinem Christi Domini; eos proinde concilium ad fidem quam per vim susceperunt, custodiendam adigi vult, ne forte ea quidem contemptui, Dei vero nomen blasphemiis subsit; vetat tamen, ne deinceps Judæi Fidem profiteri cogantur, inquiens eam voluntaria, solaque persuasione suscipiendam esse.

58. „ In clericos & laicos, sub excommunicationis pœna, interdictio, ne quid præsidii Judæis contra Fidei rationes afferant. “

59 Mandat Episcopis, ut Judæos ad Ecclesiæ sinum revocent, qui eam post susceptum Baptisma deseruerunt; mandat præterea, ut sui iis filii quos circumciderint, adimantur, eorumque servi quibuscum perinde se gesserint, libertate donentur.

60. „ Judæorum apostatarum filii & filiæ ponentur in monasteriis, aut apud personas pias, ut, prout Christiana religio postulat, in fide & moribus educentur. “

61. „ Suorum parentum bonis non privabuntur Judæorum qui a fide Catholica defecerunt, Christiani filii. “

62. „ In Christianos Judæos interdictio, ne quid commercii cum infidelibus Judæis ineant. “

63. „ Judæi quorum Christianæ conjuges sunt, ab Episcopo monebuntur, ut Christianam fidem suscipiant; si renuerint, a conjugibus separabuntur, & filii quos susceperint, matrum fidem & conditionem sequantur. Pueri quibus pater Christianus & mater Judæa fuerit, Christianam & ipsi religionem sequentur. “

Durum, prorsusque a justitia alienum videri posset a parentum sinu infantes abstrahi, Christiana religione, parentibus ipsis reluctantibus, imbuendos, nisi constaret Judæos, in Hispania, tamquam servos spectatos fuisse qui proinde non poterent de filiorum suorum sorte aut religione statuere.

64. „ Interdictio, ne Judæorum testimonium suscipiatur, qui Christianam fidem amplexi, deinde vero in apostasiam lapsi sunt. “

65. „ Nec Judæi, nec eorum posteri publica munera possidebunt. “

66. „ Judæi non habebunt Christianos servos; si quos per temeritatem habeant, vel emptos, vel a donantibus acceptatos, hi servi ipsi manumittentur. “

67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. & 74. „ Non licet Episcopo servos Ecclesiæ libertate donare, nisi eam aliunde compenset; aliter eos successor in servitutem rediget. Ecclesiæ liberti semper ejus patrocinio gaudebunt, tum ipsi, tum eorum posteri, quia Ecclesia nunquam moritur; at iidem officiis fungentur quæ sibi patroni super iis reservare, quos manumiserint, consueverunt. Ita datur venia, ut sumantur Ecclesiæ servi qui ad ruralium ecclesiarum servitium presbyteri aut diaconi ordinentur, modo prius manumissi fuerint, ea conditione, ut eorum, post mortem, bona ad Ecclesiam redeant; nec in eam ipsi, æque ac liberti ceteri, testimonium ferre possint; at sæcularium liberti non poterunt in clerum recipi, quin eos patroni ab omnibus obligationibus liberaverint. Privatorum tantum hominum libertas, ab his sibi commendatos Ecclesia in patrocinium suscipiet. “

75. Et ultimus canon obedientiam Principibus debitam spectat, eumque Sisenandus edendum curasse videtur, ut regni quo ex Svintila, Gothorum rege, non sine Dagoberti, Gallorum regis subsidio, potitus fuerat, possessionem sibi servaret. Hoc in canone, concilium, postquam in eos declamavit, qui jusjurandum Regibus præstitum violant, eos anathemate plectit qui aliquam in eos conjurationem ediderint, qui eorum vitæ insidias struxerint, aut qui eorumdem auctoritatem usurpaverint. *Ibid. & de Aguirre, Concil. Hispan. Tom. III.*

V. Concilium Toletanum, an. 636.

Habitum fuit concilium hoc in Sanctæ Leocadiæ basilica, an. 636. Cinthilæ qui Sisenando frater & successor fuerat, regni primo. Ei præfuit Eugenius, Episcopus Toletanus; adfuere Episcopi unus & viginti, absentiumque deputati duo; in eodem editi canones octo.

Primus, Mandat, ut, quotannis, per dies tres, a 14. Decembris inchoandos, Litaniæ seu publicæ preces edantur; sed ea tamen lege, ut, si forte dominicus dies eorum dierum trium unus extiterit, ad proximam sequentem hebdomadam remittantur.

2. Concilii quod, Sisenando regnante, habitum fuerat, acta omnia confirmat, mandatque, ut ejus successori Cinthilæ regi nemo non subsit; vetat præterea, ne quid molestiæ hujus filiis, ubi a vivis excesserit, afferatur.

3. Pronuntiat in eos anathema qui se ad regiam dignitatem evexerit, quin a nobilibus viris, universo consentiente populo, eligerentur.

Ostendit canon hic Gothorum regnum electivum fuisse, & Episcopos in temporalis regiminis partem venisse.

4. & 5. Prohibent, excommunicationis indicta pœna, ne, vivente Rege, quis ei successor futurus sit, superstitiosis rationibus inquiratur, ac ne quis in eum obloquatur.

6. Mandat, ut Principum beneficia, post eorum mortem, subsistant.

Et 7. Ut, in omnibus Hispaniæ conciliis, legatur sanctio quæ in Toletano concilio quarto, ad Regum securitatem, edita fuit.

8. Principibus potestatem confirmat iis indulgendi qui hæc statuta violaverint. *Ibidem.*

VI. Concilium Toletanum, an. 638.

Cinthila rex qui postrema Junii die an. 636. edictum emiserat quo Toletani concilii quinti canones confirmabat, sextum concilium hoc in eamdem Toletanam urbem an. 638. Januarii 9. die convocavit, cui in Sanctæ Leocadiæ basilica habito adfuerunt Episcopi quadraginta septem, & absentium deputati quinque, Sylva, Narbonensi Episcopo, preside qui primus etiam subscripsit. In eo editi canones undeviginti.

Primus, Fidei, super Trinitatis & Incarnationis mysterio, professionem continet.

2. Litaniarum, seu publicarum precum quas superius concilium præscripsit, usum servari jubet.

3. Regi gratias haberi vult qui e regni sui finibus Judæos expulerit, in eoque neminem nisi Catholicum patiatur. Vult etiam Reges qui deinceps electi fuerint, ei legi subesse, ut, obstricta jurisjurandi fide, se nullum infidelem passuros recipiant, & pronuntiat in eos anathema, qui hoc jusjurandum violaverint.

Editus fuit canon his, rege Cinthila, regnique Primoribus qui aderant, consentientibus. Recaredus rex, Toletani tertii concilii tempore, cœpit legem primus edere, qua ex Hispaniarum regni omnibus pellitur quicumque catholicam Fidem non profitetur; atque hæc ipsa lex, a successoribus religiose servata Hispanis Regibus *Catholicorum* nomen, per antonomasiam, promeruit.

4. Simoniacos indignos declarat qui ad gradus ecclesiasticos extollantur; qui forte per simoniam ordinati fuerint, itemque qui eos ordinaverint, gradu excident.

5. Man-

5. Mandat, ut Ecclesiæ bona si quis habuerit, precarii solum titulo teneant, & id per actum declarent, ne unquam præscriptionem afferre possint.

6. & 7. „ Monachi, religiosæ & viduæ quæ religionis habitum deserunt, ut ad sæcularem vitam redeant, cogentur se pristino statui reddere, & in monasteria concludentur. Idem juris quoad eos easque, qui postquam capillos sibi amputatos voluerunt, & publicæ pœnitentiæ habitum susceperunt, eum deponunt, ut rursus sæcularem induant. Si qua subsit difficultas, ut iterum pœnitentiæ legibus subjiciantur, aut in monasteria trudantur, excommunicatione plectentur, quoad obsecuti fuerint. “

Ex his canonibus duobus, sexto & septimo constat utriusque sexus personas quæ publicam pœnitentiam amplectebantur, se tondendas curasse, & religiosum quemdam habitum detulisse qui pœnitentium proprius & peculiaris erat, prorsusque a sæcularibus vestibus discrepabat.

8. „ Si feminæ cujus vir pœnitentiæ addictus fuit, et superstes fuerit, ad novas nuptias transire poterit; sin ea prior obierit, debebit vir, si quod reliquum vitæ fuerit, in continentia transigere. Eadem erit feminæ ratio; si pœnitentiæ addicta sit, non poterit iterum nubere, si forte viro superstes fuerit; et si ipsa prior occubuerit, poterit vir secundam conjugem ducere. Ætatis tamen eorum earumve quibus pœnitentiam concedit, Episcopus rationem habere debet, ut eos adigat ad continentiam, e S. Leonis sententia in Epistola ad Rusticum, Episcopum Narbonensem. “

9. & 10. „ Quoties mutatur Episcopus, Ecclesiæ liberti declarationem renovant ab ea se ecclesia pendere. At in servitiorum compensationem quæ eidem ecclesiæ præstare pergent, eorum filios Episcopus edocebit educebitque. “

11. Accusationes recipi vetat, quin prius exploratum sit, recipiendi, nec ne, sint accusatores, ne per malam accusatoris voluntatem labes innocenti inuratur.

12. Excommunicatos longæque pœnitentiæ addictos vult proditores qui legitimos Principes deserunt, ut se apud eorum hostes recipiant. Ecclesiarum etiam immunitatem, tam ob presbyterorum interpositionem, quam ob reverentiam quæ sanctis iis locis debetur, servatam vult.

13. De honore agit qui ejlicorum præcipuis exhibendus est, itemque de benevolentia quæ seniores debent juniores complecti, ac de exemplo quod iisdem præbere tenentur.

14. Commendat, ut honorifice habeantur & compensentur subditi qui fideliter Principi & Patriæ deserviunt.

15. Donationes in Ecclesiarum gratiam, seu a Principibus, seu ab aliis editas, utpote quæ pauperum patrimonia evaserint, firmas & stabiles fore vult, ut iis proinde, nullo unquam tempore, nullaque de causa, frustrari possint.

Postremi canones eo spectant, ut Regis personam, ejusque filios & bona in tuto ponant. *Reg. Tom. XIV. Lab. Tom. V. Hard. Tom. III.* Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. III.*

VII. Toletanum Concilium, an. 646.

Toleti habitum est concilium hoc, curante Rege Chindasvindo, an. 646. Nationale concilium est quod ex Episcopis viginti octo, & absentium deputatis undecim conflatum fuit. Ei præfuit Orontius, Episcopus Emeritanus, adsistentibus aliis metropolitanis tribus, Antonio Hispalensi, Eugenio Toletano, & Protasio Tarraconensi. In eo editi canones sex.

Primus, Excommunicatos in omne vitæ tempus declarat omnes, absque Episcoporum exceptione, clericos, omnesque laicos qui, si qua seditio coorta fuerit, in conjuratorum partes abierint. Datur ea tamen venia, ut iis morti proximis communio tribuatur, siquidem in pœnitentia perstiterint.

2. Statuit, ut, si celebrans, in ipsa sanctorum mysteriorum celebratione, morbo correptus fuerit, alius Episcopus aut presbyter sacrificium prosequi possit; Missam nemo nisi jejunus celebret, inchoatamque intermittat.

Casus quos concilium hoc loco prævidet, tum quidem crebriores erant, jejunii diebus potissimum, longioris liturgiæ, provectæque plurium Episcoporum ætatis causa; hinc adsistentium sacerdotum usus originem traxit. Fleurius, *lib.* 38. *pag.* 456.

3. Episcopum qui monitus ad celebrandæ confratris funere se conferre cunctatus fuerit, communione ad annum privari jubet; clericosque qui eum munere neglexerint, per anni pariter spatium in monasteria conjici, ut pœnitentiam ibidem agant.

4. Episcopos vetat plus quam aureos solidos duos qui conficiunt monetæ Gallicæ scuta duo, quotannis, e qusque diœceseos ecclesia sumere, secum plures equos quam quinque ducere, dum ad visitationem pergunt, aut in ecclesiis singulis ultra diei spatium commorari.

Hujus canonis textus ejusmodi est: *nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat*. At in aliis exemplaribus legitur pro *quinquagenario quinarium* legitur.

Et sane quinquaginta equorum numerus omnino redundans Episcopo est qui suæ diœcesis visitationem peragit. Neque vero probabile est Gallæciæ Episcopos, eo quidem tempore, cum tam magno apparatu, siquidem voluissent, incedere potuisse. Quod si quis dixerit Papam Alexandrum III. in Lateranensi concilio tertio, Archiepiscopis eam veniam dedisse, ut equis quadraginta atque adeo quinquaginta in suarum diœceseon visitatione uterentur; respondetur eam puram putamque tolerantiam fuisse, quoad archiepiscopos opulentiores, quo tempore Præsulum pompa cum ecclesiæ divitiis excreverat.

5. Eremitas hac illac vagantes, aut rudes solitarios ferri vetat, ea lege, ut monasteriis proximis includantur, nec amplius sinantur in solitudine vivere nisi qui religiosæ vitæ instituta in monasteriis perceperint, & percepta servaverint.

6. Mandat, ut ob Regi debitam observantiam, ob regiæ in qua is degit, urbis honorem, & ad metropolitani consolationem, propiores Episcopi ab eo rogati, semel in mense, Toletum veniant, præter quam messis & vindemiæ tempore. *Ibid.*

Concilium Lateranense, an. 649.

Summus Pontifex Martinus I. in ecclesia Salvatoris, *Constantiniana* dicta, ad Laterani ædes, coegit concilium hoc cui adfuere Episcopi centum & quinque, relatis in numerum Papa ipso, & Stephano, Dorensi Episcopo, Hierosolymitanorum Suffraganeorum primo quem S. Sophronius, Hierosolymorum episcopus, ante annos aliquot, Romam miserat. Concilii Episcopi reliqui ex Italia erant. Huic habendo causam præbuit Monothelitarum hæresis, qui unam tantum voluntatem in Christo ponebant, quique in eodem damnati fuere, quod absolutum fuit per actiones seu sessiones quinque, *secretarias* nuncupatas, a temporis stylo, vel a loco, vel quia cœtui necessariæ personæ tantum intererant.

Habita est prima sessio die quinta Octobris an. 649. In ea Martinus convocati concilii causam explicuit; lectus in eadem supplex libellus quem Stephanus, Dorensis Episcopus, exhibuerat, ut errorum damnationem peteret quos Cyrus, Sergius, Pyrrus & Paulus vulgaverant, itemque libellus alter, eodem spectans cui abbates quinque & monachi triginta duo Græci subscripserant. Eorum scripta qui accusabantur, ad examen revocata in sessione tertia quæ habita fuit decima septima Octobris die, initio ab iis ducto quæ Theodorus, Pharanitanus episcopus, scripserat, quippe qui primus novæ ejus hæresis auctor fuerat. Per lectos textus plures ex ejus scriptis depromptos perspicue probatum fuit eum in Christo agnovisse operationem unam tantum, cujus divinum Verbum fons & origo erat, humanitas autem non nisi organum & instrumentum. Confutavit errorem hunc Papa, cui scilicet Patrum concilii Chalcedonensis auctoritatem opposuit; tum lecti sunt Cyri Alexandrini articuli novem, constitutumque est in septimo qui in eos omnes anathema pronuntiet qui unam & unicam operationem theandricam, a S. Dionysio, Alexandrino Episcopo, in Epistola ad Gajum, in Christo Domino non agnoscit. Ostendit, multiplici ratiocinatione, Martinus necessario operationes duas *theandrici* vocabulo contineri, eoque S. Dionysium non alia notione usum esse, quam ut duarum operationum, prorsus ut duarum naturarum in una eademque persona unionem designaret; eumque proinde sapienter dixisse Christum Dominum nec divinas actiones ut Deum, nec humanas ut hominem edidisse, quia personalis duarum naturarum unionis id proprium erat, ut divinæ actiones humanum in modum, & actiones humanæ divinum in modum fierent. Christus Dominus miracula patrabat per carnem suam rationali anima præditam quæ ei hypostatice, seu, personaliter unita erat; & per omnipotentem virtutem suam, perpessionibus quæ nobis vitam compararunt, se voluntarie subdebat.

In sessione quarta quæ die 19 Octobris habita, summus „

mus Pontifex enm ea percurriſſet quæ contra ortho-doxam Fidem Cyrus, Sergius & Pyrrus ſcripſerant, præpoſtera detexit & abſona in quæ lapſi fuerant. Lecta eſt etiam Pauli Conſtantinopolitani ad Theodorum Papam Epiſtola, Typuſque cujus ipſe auctor erat; tum legi juſſa Nicænum & Conſtantinopolitanum Symbola quibus addita Fidei Definitio quam ediderant Epheſinum & Chalcedonenſe concilia, denique Conſtantinopolitani ſecundi, generalis quinti quatuordecim Anathemata. In ſeſſione quinta, eaque poſtrema quæ 31. Octobris die habita, lecta ſunt Græcorum & Latinorum Patrum ſcripta, qui in Chriſto voluntates duas & operationes itidem duas eſſe docuerunt; lecti pariter Hæreticorum libri, qui ante Monotheliſmi ortum, contenderunt in Chriſto unam tantum voluntatem, unamque tantum operationem eſſe. Monothelitarum errore accurate funditusque diſcuſſo, ſuam concilium ſententiam protulit canonibus viginti qui Eccleſiæ Fidem ſuper Trinitatis & Incarnationis myſteriis ſtatuunt. In iis damnantur quicunque non confitentur Trinitatis perſonas tres unius ejuſdemque naturæ eſſe; Verbum hominem factum; Mariam, ſemper Virginem, eſſe vere Dei matrem; Chriſtum Dominum eſſe conſubſtantialem Deo, ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem homini & matri, ſecundum humanitatem; proprie & vere exiſtere Verbi Dei, & Verbi incarnati naturam; naturas duas in Chriſto, diſtinctas, ſed unitas ſubſtantialiter ſine confuſione, & indiviſim ſubſiſtere, adeoque unum tantum eumdemque Dominum & Deum eſſe Jeſum Chriſtum; in eo naturas duas ſervare diſcrimen ſuum, ſuaſque proprietates, abſque ulla diminutione; duas in Chriſto voluntates & operationes duas eſſe, indiviſim unitas, quippe cum Chriſtus, per hanc utramque naturam, operatus noſtram ſalutem ſit; neceſſaria proinde conſecutione concilium anathema dicit hæreticis qui in Chriſto ipſo unam tantum & voluntatem & operationem agnoſcunt, qui rejiciunt voluntates duas; qui nec unam, nec duas voluntates dicere volunt; qui operationem theandricam de una tantum operatione explicant, contra Patrum ſententiam, qui operationes duas, divinam & humanam agnoſcunt; qui denique propugnant per voluntates duas contrarietatem & diviſionem in Chriſtum indui, quique, quod inde fit conſequens, non eidem Chriſti Domini perſonæ tribuunt quicquid de ipſo in Evangeliſtarum & Apoſtolorum Scripturis dicitur. Eos quoque concilium damnat qui non recipiunt quicquid ad Catholicam Eccleſiam a Sanctis Patribus, & ab œcumenicis conciliis quinque tranſmiſſum eſt, ad minimam ſyllabam uſque; qui non anathematizant hæreticos omnes & ſingulos qui Trinitatis & Incarnationis myſteria impugnarunt, videlicet, Sabellium, Arium, Macedonium, Apollinarem, Eutychen, Neſtorium, Paulum Samoſatenum, Origenem, Dydimum, Evagrium, alioſque ab Eccleſia rejectos damnatoſque. Papa Martinus ſubſcripſit omnium primus definitioni huic, conciliique Acta ex latino ſermone quamprimum græce reddita, quoquo, per Orientem & Occidentem miſit cum encyclica Epiſtola, ſuo & concilii nomine, ad omnes fideles data, ut iis Monothelitarum errorem, & quicquid in concilio geſtum erat, ob oculos poneret. *Reg. Tom. XV. Lab. Tom. VI, Hard. Tom. III.*

An. 645. vel ipſo 634. habitum fuerat Aureliani concilium quod hujus urbis ſextum cenſetur, in græcum quemdam Monothelitarum hæreſi infectum. Hujus novatoris technæ non impedierunt, quominus concilii doctus Epiſcopus, nomine Salvius, ad incitas eum redigeret, convictumque pudore ſuffunderet; qui proinda damnatus fuit ejectuſque turpiter e Galliis ad quas mare tranſgreſſus venerat. Pater Cointius quem Fleurius & Cellierius ſequuntur, Salvium hunc Valentiæ Epiſcopum fuiſſe putat, & *martyrem* nominat. Id porro difficultatem aliquam afferre poteſt, in hujus urbis Epiſcoporum Catalogo quem Pater Columbius laudat, occurrere quidem Valentiæ Epiſcopum, *Salvium* dictum, qui *miræ ſanctitatis Epiſcopus* prædicatur; at Epiſcopus hic in hoc ipſo Catalogo ponitur ante Gallum qui an. 552. Aurelianenſi quinto concilio interfuit.

Concilium Cabillonenſe, an. 650.

Coactum fuit concilium hoc, regnante & mandante Rege Clodoveo II. die 24. ſeu 25. menſis Octobris an. 650. in S. Vincentii baſilica. Ei præſentes fuere Epiſcopi triginta octo, pro abſentibus Epiſcopis deputati abbates quinque, unuſque archidiaconus, omnes & ſinguli e Clodovei ditionibus, e Neuſtriæ & Burgundiæ regnis ſcilicet. Horum Epiſcoporum primi ſex erant metropolitani, nempe, Condericus Lugdunenſis, Landolenus Viennenſis, qui idem ac S. Dadolanius fuiſſe creditur, Viennæ ejuſdem Epiſcopus, Aprilis die prima cultus; S. Ovenius Rothomagenſis, Armentarius Senonenſis, S. Vultioladius, ſeu, Florentius Bituricenſis, & S. Donatus Veſontionenſis. Hujus concilii ſubſcriptiones Epiſcoporum exhibent *Licerium* nomine, qui Venaſcenſis Epiſcopi titulum ſumit, quia Carpentoractenſes Epiſcopi ſæpe in eadem urbe Venaſca commorabantur, quæ ſuum Venaſſino Comitatui nomen dedit; aliumque *Betto*-*em* dictum qui ſe inſcribit Jultobonæ Epiſcopum, quæ vulgo creditur eſſe Inſulabona in Cauxienſi regione, quæ, dubio procul, ut ejuſmodi aliæ nonnullæ ſedes quæ haud diu ſubſtiterunt, in alicujus favorem, ad tempus, in Epiſcopatum erecta fuerat. Quamvis porro concilium hoc Epiſcopi convocatum dicant, ut veteribus canonibus hæret ſatis, qui eam legem metropolitanis impoſuerant, ut quotannis una cum ſuis comprovincialibus convenirent; alia tamen ejuſdem convocationis cauſa fuiſſe videtur, ut ſcilicet Agapii & Bobonii, qui ambo Diniæ urbis Epiſcopi erant, contentiones, itemque in Theodoſium, Arelatenſem Epiſcopum aditæ accuſationes expenderentur. Hi tres Epiſcopi rei comparti ſunt; judiciumque in eos pronuntiatum partem conficit ſequentium viginti canonum quos hoc ipſum concilium edidit.

Primus. Mandat, ut in fidei negotio ſtet quiſque Nicæni concilii doctrinæ quam Chalcedonenſe confirmavit.

2. Canones ſervari vult.

3. Interdictiones renovat toties in eccleſiaſticos repetitas, ne exteras apud ſe feminas habeant.

4. Epiſcopos duos eodem tempore eidem urbi eſſe vetat.

5. Laicos prohibet ſibi parœciarum bona adminiſtranda, ſeu parœcias ipſis curandas ſumere. Eo deveniebat abuſus hic, ut laici non deeſſent qui archipresbyteri munus obirent.

6. Eos qui, ante legitimum judicium, eccleſiaſticis bonis potiuntur, pauperum homicidas declarat.

7. Epiſcopos, archidiaconos & quemvis alium vetat quicquam de parœciæ, hoſpitalis, aut monaſterii bonis ſumere, poſt presbyteri, aut abbatis mortem, penes quem eorum regimen erat.

8. His verbis conceptus eſt: „ Quod ad peccatorum
„ pœnitentiam attinet, eam nos quidem hominibus
„ utilem judicamus; omneſque, unanimi conſenſu,
„ Epiſcopi judicant Sacerdotes, pœnitentium confeſ-
„ ſione ſuſcepta, iis pœnitentiam imponere debere. “

9. Vetat Chriſtianos captivos extra Clodovei regnum vendi, ne in Judæorum poteſtatem incidant.

10. Oportere pronuntiat, ut Epiſcopus a comprovincialibus, ab urbis clero & civibus eligatur, ſecus eorum ordinationem irritam & nullam fore.

11. Vetat, excommunicationis indicta pœna, ne laici judices per rurales parœcias excurrant quas Epiſcopus viſitare conſuevit, & ad convivia ſeu hoſpitia ſibi paranda clericos ſeu abbates adigant, niſi forte loci archipresbyter aut abbas eos invitaverint.

12. Statuit, ut, ad pacem ſervandam, & monaſticas diſſenſiones antevertendas, nunquam abbates duo in eodem monaſterio ſint; quod ſi forte abbas, adhuc in vivis agens, ſibi ſucceſſorem elegerit, penes eum qui electus fuerit, nulla erit, ante abbatis mortem, bonorum monaſterii adminiſtratio, & regiminis nulla pars.

13. Vetat, ne alterius diœceſis clerici, ſine ſuorum Epiſcoporum conſenſu, retineantur, aut ordinentur.

14. Querelas ſpectat ad concilium delatas contra laicos proceres qui oratoria ſuis in domibus habentes ægre ferebant Epiſcopo ſuper clericorum agendi ratione, ſuperque eorumdem oratoriorum redditibus inſpectionem eſſe, nec patiebantur eos clericos ab archidiaconis corrigi. Declarat concilium Epiſcopi eſſe eos clericos ordinare, & invigilare, ut ad eorum oratoriorum ſervitium, ibique peragendum officium redditus impendantur.

15. Vetat, ſub excommunicationis pœna, ne abbates, monachi & monaſteriorum procuratores ſibi apud laicos præſidium quærant, aut ſine Epiſcopi, cui ſubſunt, venia, ad aulam ſe conferant.

16. Canones contra ſimoniam editos renovat, pronuntiatque in eos omnes depoſitionis pœnam, qui ſe, oblata pecunia, ordinandos curaverint.

17. Excommunicationis pœnam in ſæculares omnes decernit, qui in eccleſiis, aut intra earum ambitum, tumultum excitaverint, vel, aliquem vulnerandi animo, gladium eduxerint.

18. Renovat antiquos canones qui vetant, ne die dominico frumenta deſecentur, aut aſportentur, ne terra ſubigatur, ullave alia cultura fiat.

19. Va-

19. Vetat, sub excommunicationis pœna, ne feminæ quæ ecclesiarum dedicationi aut martyrum festis intersunt, in ecclesiæ ambitu & atrio choreas agant, aut inhonestas cantilenas recinant, cum potius orare, psallentemque clerum audire deberent.

20. Spectat Agapium & Bobonium qui se ambo Dinienses Episcopos venditabant. Declarat concilium ambos, quippe qui contra canones multa peccaverint, Episcopatu excidisse; mandat etiam Theodosio, Arelatensi Episcopo, ut ab Episcopalibus functionibus, ad proximum usque concilium abstineat. *Ibid.*

VIII. Concilium Toletanum, an. 653.

Coactum fuit concilium hoc die 16. Decembris anno 653. Recefwinthi regis jussu qui concilio adesse voluit, obtulitque scriptum ad concilii Episcopos datum, quos hortabatur, ut generalium quatuor conciliorum fidem sectarentur, & jusjurandum abrogarent quod natio universa in Toletano quarto concilio ediderat, ut, sine veniæ spe, damnarentur qui in Regem, remque publicam conspirassent, quippe quod tamquam multiplicis perjurii fons ab eo spectaretur. Idem scriptum continebat professionem Fidei, & ad palatinos, seu, aulæ proceres, concilio præsentes, cohortationem, ut in id quod Episcopi mandassent, assentirentur, idque ipsum sedulo exequerentur. Scriptum hoc obscuri & barbari styli est. Eadem est constitutionum duodecim seu canonum ratio quas concilii Episcopi numero quinquaginta duo edidere.

Primus. Fidei professionem continet ab Episcopis editam, qui pronuntiant se unanimes eam profiteri quæ in Constantinopolitano Symbolo continetur, quod in sanctorum mysteriorum celebratione recitare consueverunt; id unum addunt, de Spiritu Sancto loquentes, eum a Patre & Filio procedere.

2. Dispensationem a jurejurando contra perduelles, iisque parcendi facultatem statuit, pro ut Rex postulaverat.

3. Eos impetit qui ad ordines per simoniam perveniunt, declaratque eos qui hac ratione ordines conferunt recipiuntve, sua dignitate excidisse.

4. 5. & 6. Versantur super continentia clericorum, peculiariter vero subdiaconorum qui putabant sibi post ordinationem licere matrimonium inire; quod iis ea pœna interdicitur, ut in monasterium, pœnitentiæ agendæ causa, includantur.

Subdiaconi jam tum, quemadmodum hoc ipso tempore, non nisi implicitum continentiæ votum edebant, iique proinde de quibus agitur hoc in canone, se propterea excusatos volebant, quod ignorarent se in ordinatione votum hoc emisisse. Respondent concilii Patres Ecclesiam iis suam super hac re mentem satis significasse, per tradita sacra vasa quæ cum Episcopi benedictione in ordinatione susceperunt.

7. Declarat eos qui in ordinibus constituti sunt, nec ecclesiasticum statum deserere, nec suas ad conjuges redire posse, ea obducta causa, quod per vim ordinati fuerint. Opponit iisdem concilium, ordinationem æque ac baptismum, sanctum chrisma, seu, confirmationem, & altarium consecrationem, stabilem firmamque esse; nec minus oportere in suo eos statu persistere, quam pueros promissis stare quibus in Baptismate se obstrinxerunt, quamvis hoc sacramentum inscii, vel etiam inviti susceperint. Quod cum S. Augustino, de conatibus intelligi debet, quos in eos a quibus baptizantur, edunt interdum pueri.

8. Eos ordinari vetat qui non universum psalterium cum canticis, hymnisque qui usui sunt, necnon Baptismi cæremonias & formam callent.

9. Statuit, ut, qui sine evidenti necessitate, Quadragesimali tempore carnem comederint, ea priventur per annum totum, & in Paschate non communicent; qui vero ob provectam ætatem abstinere non possunt, ea vescendi facultatem ab Episcopo petant.

10. Nihil est aliud quam super Regis electione, qualitatibus, obligationibus constitutio.

11. Confirmat veteres canones.

12. Quoad Judæos, Toletani concilii, sub Rege Sisenando. an. 633. celebrati decreta servari vult.

Episcopi quinquaginta duo, cum comitibus sexdecim ex præcipuis Regis ministris, absentium Episcoporum deputatis decem, abbatibus itidem decem, uno archipresbytero, unoque primicerio his canonibus subscripserunt. Ad subscriptionum calcem extat concilii decretum, super bonorum ad Reges spectantium dispositione, edictumque Recefwinthi qui ejus, allatis omnibus circumstantiis, executionem mandat. *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. III.*

IX. Concilium Toletanum, an. 655.

Concilium hoc secunda Novembris die an. 655. in sanctæ Virginis ecclesia, Rege Recefwintho operam dante, coactum fuit. Ei præfuit S. Eugenius, Archiepiscopus Toletanus; unaque cum ipso adfuere Episcopi quindecim, Abbates sex, unus archipresbyter, unus primicerius, diaconus unus quem absens Episcopus miserat, & comites quatuor. In eo septendecim canones editi.

Primus. Si ecclesiastici se bonorum Ecclesiæ proprietarios reddiderint, iis qui eam fundarunt ditaruntve, aut eorum hæredibus licere vult suas hac de re querelas ad Episcopum, ad Metropolitanum, vel ad Regem deferre, si forte Episcopus aut metropolitanus nullam delatarum querelarum rationem habeant.

2. Eam fundatoribus auctoritatem tribuit, ut ecclesiarum & monasteriorum quæ extruenda curaverint, reparationibus, ne corruant, invigilent, iisdemque concedit presbyteros ad eorum servitium Episcopo præsentandi jus, quin Episcopo liceat, in ipsorum præjudicium, alios ibidem ponere. Si tamen fundatores non remitterent clericos huic operæ idoneos, poterit Episcopus clericos his functionibus dignos, at fundatoribus annuentibus, instituere. Quod si, in fundatorum contemptum, Episcopus sua ipsius auctoritate ad ecclesiarum seu monasteriorum, de quibus agitur, servitium ordinaverit, eorum ordinatio nulla erit, aliosque Episcopus quos ei fundatores præsentaverint, ordinare debebit. Cernitur luculenter institutus hoc in canone patronatus laicus.

3. Si Episcopus, aliusve ecclesiasticus ex ecclesiæ suæ bonis quicquam, præstationis aut patrimonii titulo, dederit, debebit, sub nullitatis pœna, donationis actui causam inserere, ut appareat, justitia ne, aut fraus in ea locum habuerit.

4. Statuit, ut, si parum in bonis habuit Episcopus, ordinationis suæ tempore, quod post susceptum episcopatum acquisierit, ad ecclesiam pertineat; quod si tantundem aut plus habuerit quam ecclesia, ejus hæredes cum ecclesia partientur, ratione habita; possit autem Episcopus de rebus disponere quæ ejus personæ ipsi donatæ fuerint; sin obeat, quin disposuerit, hæ quoque ad ecclesiam pertinebunt. Quoad ecclesiasticos cæteros, idem præcipitur.

5. Declarat Episcopum qui sua in diœcesi monasterium fundat. illud dotare non posse nisi quinquagesima episcopalium reddituum parte, aut centesima, siquidem simplicem ecclesiam sine monasterio fundaverit.

6. Episcopum finit reddituum quos ei parochialis ecclesia debet, tertiam partem eidem remittere, aut hanc ipsam tertiam partem alteri ecclesiæ donare, & hanc ab eo factam seu remissionem, seu translationem perpetuam & irrevocabilem esse vult.

Ex posterioribus his canonibus duobus constat licuisse Hispaniarum Episcopis monasteria vel capellas fundare, cum facultate statuendæ iisdem dotis ex episcopalium reddituum parte, tertiamque parœciæ bonorum partem qua gaudebant & adhuc alicubi gaudent, nec novum, nec locis aliquibus peculiare, sed vetus, omnibusque ftatæ diœceseos parœciis commune jus extitisse.

7. Episcopi aut presbyteri hæredes vetat successionis possessionem inire, sine metropolitani aut episcopi consensu; si vero de metropolitani hæreditate sermo sit, ante successorem eidem datum, coactumve concilium.

8. De præscriptione annorum triginta, quoad bona quæ episcopus alienaverit, ita statuit, ut ea solum ab ejusdem mortis die, non autem ab alienationis tempore contra ecclesiam excurrat.

9. Modum præscribit Episcopi stipendio, qui ad confratris sui funera & ad inventarium bonorum ecclesiæ, operam contulit. Si dives ecclesia est, nihil amplius sibi sumere poterit quam auri libram, & libræ dimidium, si pauper; at quod ediderit, inventarium ad metropolitanum mittere debet.

10. Mandat, ut ecclesiasticorum quos status cœlibatui subdebat, ab Episcopo ad subdiaconum, filii successioni inepti sint, ecclesiæque servi, cui pater deserviebat, evadant.

11. Episcopos ait non posse ecclesiæ servos in clerum inducere, quin eos prius manumiserint.

12. Addit manumissionis annos non ab actus in id editi die, sed a die mortis ejus qui manumiserit, numerandos.

13. Et sequentes tres pronuntiant ecclesiæ libertos non posse liberas personas sibi conjuges sumere; secus fore, ut omnes tamquam liberti habeantur, hoc est, ipsi

ipsi eorumque posteri præstare ecclesiæ debeant ea ipsa servitia quæ liberti patronis debent, quin de suis ipsorum bonis, nisi in filiorum, ejusdemve conditionis propinquorum favorem statuere possint.

17. Baptizatos Judæos jubet præcipuis diebus festis in urbe versari, ut solemni officio cum Episcopo intersint, atque ita Episcopus ipse de eorumdem resipiscentiæ fideique integritate judicare possit, ea in refractarios statuta pœna, ut, pro ætate, seu virgis plectantur, seu alia corporali punitione afficiantur. Imposuere concilio finem: ad regni Recefwinthi prosperitatem edita vota, & alterius, ad Kal. Novembr. sequentis anni 656., in eadem Toletana urbe concilii indictio. *Ibid.*

Concilium Toletanum, ann. 656.

S. Eugenius, archiepiscopus Toletanus, adsistentibus Episcopis undeviginti & absentium Episcoporum deputatis quinque, præfuit concilio huic quod die prima Decembris an. 656. habitum est. Et locus inter nationalia concilia tribuitur, quippe cui præter S. Eugenium, alii metropolitani duo, nempe, Fugitivus Hispalensis, & Fructuosus Bracarensis interfuerunt. In eo editi canones septem.

Primus, mandat, ut Festum Annuntiationis B. Virginis, quod in aliis Hispaniarum ecclesiis, diebus aliis celebrabatur, diei 18. Decembris, quæ ante natale Dominicum octava est, deinceps addicta sit.

2. Clericos qui jusjurandum ad Principis reique publicæ incolumitatem editum violaverint, sua dignitate spoliatos vult, eorum tamen in integrum restitutionis facultate Principi reservata.

3. Excommunicationis ad annum indicta pœna, vetat Episcopos in consanguineos amicosve parœcias aut monasteria conferre, ut redditus ex iis percipiant.

4. & 5. Statuunt, ut feminæ quæ viduitatis statum amplectuntur, suam de scripto professionem apud Episcopum ejusve ministrum edant, qui iis habitum tribuent cum nigri seu violacei coloris velo quod capiti impositum ferre debebunt; quæ vero habitum viduæ proprium deseruerint, excommunicationi subsint, conclusæque maneant in monasteriis, reliquo vitæ tempore.

6. Pueros qui, parentibus operam dantibus, tonsuram & religionis habitum susceperunt, adigi vult, ut religiosi vivant; ea tamen lege, ut filios qui religiosi sint, solum quoad decimum ætatis annum attigerint, offerendi potestas penes parentes sit; post eam vero ætatem requiratur puerorum consensus.

Licebat, in Hispania, matribus & patribus filios, seu feminæ seu mares essent, religiosæ vitæ consecrare, quoad ætatis annum decimum attigissent; at cum pueri ad hanc ætatem pervenerant, veluti emancipati, quoad caput hoc, erant, nec amplius in parentum potestate erat eos religiosæ vitæ nisi consentientes addicere. Eamdem quam hoc sanctionem concilium in Trullo continet; id autem propterea quod utriusque concilii Patribus persuasum fuit pubertatis ætatem ab anno decimo incipere; hæc enim ætas non eadem ubique erat, seu quoad naturam quæ eam afferebat, seu quoad leges quæ eamdem statuebant; eam nempe legum aliæ ab anno decimo, aliæ a decimo secundo, aliæ a decimo quarto, denique a decimo sexto aliæ repetebant.

7. Christifidelibus & potissimum clericis vetat suos Judæis captivos vendere, quia ignorare non possunt captivos hos pretioso Christi Domini sanguine redemptos fuisse; ut emendi potius e Judæorum manibus quam iisdem vendendi sint.

Constabat etiamtum cœtus, cum Patribus oblatum fuit Potamii, Bracarensis Episcopi scriptum quoddam in quo se Præsul pravi cum femina commercii reum fatebatur. Jussus est ingredi, suumque scriptum recognoscere; cumque ex eo quæsitum fuisset, libera ne esset ipsius confessio & veritati consentanea, eam jurejurando firmavit, edixitque effusus in lacrymas se, ante novem circiter menses suapte sponte ecclesiæ suæ regimen deseruisse, ut se carcere includeret, ibique pœnitentiam ageret. Concilium declaravit eum, ex antiquis canonibus, episcopatu deponendum esse; at, miseratione quadam, eidem Episcopi nomen gradumque servari, ea tamen conditione, ut, quoad viveret, pœnitentiæ subesset; Fructuosum deinde Dumensem Episcopum delegit qui Bracarensem ecclesiam quæ leucæ tantum spatio, Duma aberat, administraret. Idem concilium testamentarias Ricimerii, Dumensis, ante Fructuosum, Episcopi dispositiones, tamquam S. Martini, ejus decessoris ultimæ voluntati contrarias, ejusdemque ecclesiæ perniciosas abrogavit.

Hoc Potamii exemplum memorandum omnino est & ejusmodi, ut ei simile vix in Ecclesiæ Historia universa inveniri possit. Archiepiscopus scilicet ignominiosi occultique criminis cujus nec testem nec accusatorem habet, publice & coram totius suæ nationis concilio, ipse se accusat. Præbet id nobis expendendi locum, quæ fuerit Ecclesiæ vetus disciplina, quod ad ordinationem & ordinum obeunda munia spectat, quoad Christianos qui in lethalis, carnisque peculiariter seu fornicationis peccatum aliquod lapsi erant. Nec longa, nec molesta erit inspectio hæc; si enim apostolici, necnon veterum conciliorum canones, itemque sanctæ sedis decreta vel obiter percurrantur, dubio procul compertum fiet, ex veteri Ecclesiæ disciplina, per ordinationis negationem, aut per depositionem interdictumque a susceptorum Ordinum functionibus, punitum fuisse Christianum quemque qui se ullo prorsus, etiam occulto, imprimis vero carnis peccato polluisset quod sanctorum Ordinum exercitationi quæ singularem animi & corporis puritatem requirit, peculiari ratione adversatur. Videri in hanc rem possunt Apostolicorum canonum decimus quintus, Eliberitani concilii decimus nonus, tricesimus & septuagesimus sextus, Toletani primus qui primum omnium generalis Nicænæ Synodi, super ordinationibus, canones laudat, S. Innocentius I. ad Toletani primi concilii Patres Epistola, ad Episcopos nempe qui eidem concilio interfuerant; vicesimum quartum, vicesimum quintum & vicesimum septimum Lucensis concilii capita; nonus Aurelianensis primi concilii canon, Epaonensis concilii vicesimus secundus, &c. Hi quidem canones omnes probant Potamium nihil aliud fecisse, nisi ad veterem Ecclesiæ disciplinam se conformasse, cum suas ipse functiones sibi interdixit, seque ipse deposuit, atque id eum fecisse ex conscientiæ legibus, quamvis ejus peccatum occultum esset. Probatur id etiam S. Genebaudi, Laudunensium Episcoporum primi exemplo, qui S. Remigii, Remensis Episcopi, neptem duxerat, & a qua se, ut continens viveret, separaverat, sed e qua tamen ipsa duos deinde filios susceperat. S. hic Episcopus pœnitens se Ecclesiæ legibus adactum credidit, quamvis lateret ejusdem crimen, & Episcopatu se ipse abdicaret. Illud ingenue S. Remigio, patruo suo declaravit a quo in angustissimam domunculam conclusus, quæ adhuc prope S. Juliani ecclesiam cernitur, pœnitentiam egit per annos septem quorum spatio S. Remigius Laudunensem Ecclesiam cum Remensi administravit.

Certum ergo est, ex Ecclesiæ disciplina veteri, homicidium, idololatriam, simoniam & incontinentiam, seu publica, seu occulta, impedimento fuisse, quominus ordines susciperentur, susceptorumque munia obirentur, prorsus ut hoc adhuc tempore, ex homicidio, hæresi, simonia, aliisque id genus criminibus oritur irregularitas. Sub medium tantum sæculum sextum, Ilerdensis concilii Patres aliqua ex parte huic veteri disciplinæ derogare cœperunt in canonum quinto quos ediderunt, ubi scilicet pronuntiarunt, „ si quis ex eorum numero, qui altari deserviunt, ex fragilitate, in carnis „ peccatum inciderit, in Episcopi potestate fore eum „ in officium suum, quin tamen ad superiores Ordines evehat, restituere.“ Succrevit relaxatio post noni potissimum sæculi initium, eoque tandem devenit, ut jam non amplius seu Papæ, seu Episcopi dispensatione opus sit, suis ut functionibus, post sinceram pœnitentiam, occultorum contra continentiam criminum reus clericus restituatur. At non minus vere dixerimus Ecclesiæ mentem omnino mutatam non esse, in suisque ab eadem ministris, hoc ipso, ut olim, tempore, singularem cordis & corporis puritatem requiri. Consuli super hac re potest Cadinalis Aguirrei Dissertatio quæ ad Toletani concilii decimi calcem exstat, in ejus *Conciliorum Hispaniæ* Tomo IV.

Concilium Nannetense, an. 658.

In Nannetensis, quæ Britanniæ ad Ligerin urbs, concilii inscriptione dicitur illud, Papæ Vitaliani jussu, an. circiter 658. habitum fuisse. Huic subscriptioni concinit Flodoardus; at ex hoc tamen concilio nihil affert præter rem quæ ad ejus Historiam Remensis Ecclesiæ referebatur; Episcopos scilicet eam S. Nivardo, Remorum archiepiscopo veniam dedisse, ut Haltavillerfiense monasterium, ad matronæ ripas situm quod Barbari diruerant, restitueret. Nobis suppetunt in Conciliorum Collectionibus, sub Papæ Formosi pontificatu, canones viginti, Nannetensis Concilii nomine; sed, quia nulla legitur iisdem adscripta dies, ad hoc, an ad aliud concilium pertineant, incertum est. Eos nonnulli auctores concilio tribuunt quod in urbe Nannatensi, sub noni sæculi finem, habitum ponunt. At ut ut nobis propugnari non posse videatur opinio hæc,

hæc, faciunt rationes duæ; prima est Nannetensem urbem, post medium nonum sæculum, funditus eversam fuisse, nunquam intermissis Britones inter & Normandos ethnicos bellis quibus decimum tantum sæculum finem attulit; altera est Nannetensis concilii canones duos, tertium & decimum in Capitularium quæ octavo sæculo prodiere, Librum septimum relatos fuisse. Afferendos ergo suscipimus hoc loco viginti canones hos qui aptius alibi collocari non possunt.

Primus, Mandat, ut, dominicis festisque diebus, presbyteri quærant a populo, an ex alia parœcia quispiam, in sui presbyteri contemptum, ad audiendam Missam venerit, cumque, si quem nacti fuerint, ex ecclesia expulsum ad suam parœciam regredi jubeant; quærant præterea, quispiam ne adsit cui rixa sit; ac si quos tales compererint, statim concilient; renuentes vero ejiciant ex ecclesia, quoad obsecuti fuerint.

Occurrit, hoc in canone, obligatio cui fideles subsunt, ut diebus dominicis & festis Missam suis in parœciis audiant; perspiciturque proprium presbyterum non alium esse quam parochum; ei quippe mandantur quæ parocho tantum quoad parochianos, seu pastori quoad oves congruere possunt.

2. Parochos vetat aliorum parochorum subditos ad Missam recipere, nisi iter agant, aut ad lites venerint.

3. Prohibet, ne presbyteri cum feminis degant, ne iis quidem exceptis quibuscum eos versari canones sinunt, famularum causa quarum servitio iis opus est. Idem præterea canon feminas vetat ad altare accedere, ibi presbytero deservire, vel ad clathratum septum consistere.

4. Mandat, ut, cum primum parochus scierit parochianorum aliquem ægrotare, ad eum invisendum se conferat; ejusque domum ingressus, aquæ benedictæ aspersionem, per totum ægrotantis cubiculum, peragat, antiphonam recitans, *Asperges me, Domine*, &c. statos deinde Psalmos septem, cum precibus pro infirmis, canat; omnibusque egredi jussis, ad ægrotum accedat, eum ad peccatorum confessionem, & ad omnium christianarum virtutum usum, quas ejus præsens status pati potest, humaniter cohortaturus.

5. Statuit, ut presbyter, cum ægrotantis confessionem audiet, ei absolutionem, addita solum conditione, tribuat, ut, si eum Deus pristinæ valetudini restituerit, culpis respondentem pœnitentiam agat.

6. Canones renovat, qui vetant pro sepultura quicquam exigi, mortuosque in ecclesia sepeliri.

7. Neminem favere vult ordinationi furtivæ occultæque clerici alienæ diœcesis, sub pœnis per Chalcedonense concilium inflictis, suspensione, scilicet, in eum qui ita ordinatus fuerit, depositione in eum qui faverit, si clericus, & excommunicatione, si monachus aut laicus fuerit.

8. Presbyterorum cuique unam tantum ecclesiam esse vult, nisi ei subsint in ecclesiis singulis alii presbyteri qui in iis & Officium diu noctuque peragant, & Missam quotidie celebrent.

9. E panibus quos ad ecclesiam populus, diebus dominicis & festis, attulerit, aut quos presbyter ipse paraverit, aliquos benedici jubet, qui in eos distribuantur, qui non communicabunt.

10. Agit de decimis oblationibusque fidelium; mandatque, ut, secundum sanctos canones, ex iis fiant partes quatuor, quarum prima cedat ecclesiæ, pauperibus altera, Parocho ejusque clero tertia, & Episcopo quarta.

11. Mandat, ut, antequam clerici ad sacros Ordines promoveantur, subdantur examini per dies tres, deque eorum natalibus, vita & moribus inquiratur, ea lege, ut, qui huic examini præfecti fuerint, sua excidant dignitate, si indignos admiserint, & ejusmodi indigni ab altari repellantur.

12. Marito licere vult, adulterii causa, uxorem ejicere; cum tamen vetat, vivente hac, aliam ducere, mandatque, ut femina in adulterium lapsa, per annos septem, pœnitentiæ subdatur. Eam quoque facultatem viro tribuit, ut cum ea in gratiam redeat, ea conditione, ut eamdem & ipse pœnitentiam agat.

13. Fornicationis peccato pœnitentiam imponit annorum trium.

14. Præscribit pœnitentiæ annos septem personæ conjugatæ quæ adulterium patravit, eique annos quinque, quæ conjugata non est.

15. Confraternitatum consuetudines in ordinem redigit, ab iisque removet abusus plures, & potissimum lauta convivia quæ in iisdem celebrabantur.

16. Presbyterum vetat aliam ecclesiam quam suam ambire, ad eamque obtinendam, potenti homini dona tribuere, suam propriam ecclesiam, si ita se gesserit, amissurum.

17. Ob voluntarium publicumque homicidium, imponit pœnitentiæ annos quatuordecim quorum spatio, qui illud patraverit, sejunctus erit ab ecclesia per annos quinque, & reliquo tempore precibus aderit, quin offerat, & quin communicet.

18. Ob homicidium involuntarium, imponit pœnitentiæ annos quinque, jejunii ex pane & aqua dies quadraginta, separationis a fidelium precibus annos duos, & quin communicet, annos tres. Eam presbyteris libertatem relinquit, ut abstinentiam præscribant, prout expedire crediderint.

19. Feminis, tamquam rem canonibus, civilibus legibus, sacræ Scripturæ contrariam, interdicit, ne forensibus litigiis publicisque cœtibus intersint, nisi a Principe, vel ab Episcopo accitæ sint, earumve præsentiam res ipsa postulet, in qua tamen facti specie, iis opus est Episcopi venia.

20. Episcopos eorumque ministros operam dare vult, ut aboleant idololatriæ vestigia reliqua, cujusmodi sunt arbores dæmonibus sacræ quarum ramum aut palmitem populus præ observantia cædere non auderet, saxa prope nemora, vel in parietinis sita, super quibus vota & oblationes eduntur, &c.

Sequenti an. 659. Julii die 22. rex Clodoveus II. in urbem Clichium, concilium convocavit cujus nobis superest privilegium in favorem abbatiæ S. Dionysii. Ei subscribunt Rex & Episcopi viginti tres, diaconi duo & procerum plures. Authenticum, necne sit privilegium hoc, acriter disputatum est. Illud P. Mabillonius genuinum putat ex abbatis Hilduini testimonio. Doctus hic Benedictinus Clichiense concilium ad an. 653. refert, ad 659. alii. Animadversione dignum est privilegium a rege Clodoveo II. ea conditione, S. Dionisii monasterio concessum esse, ut ejus religiosi, quemadmodum in Agaunensi S. Mauritii monasterio, perpetuam psalmodiam ederent, eoque consilio, se partirentur in choros plures.

Concilium Emeritense, an. 666.

Concilium hoc, ex Episcopis duodecim provinciæ Lusitaniæ seu Portugalliæ conflatum, Recesvinthi regis jussu, die 6. Novembris an. 666. habitum est, & viginti tres canones edidit.

Primus, Nihil est aliud quam Constantinopolitanum Symbolum, cum additione processionis Spiritus Sancti a Patre Filioque. Pronuntiant Episcopi se corde & ore doctrinam profiteri quæ in hoc symbolo continetur.

2. Mandat, sub excommunicationis pœna, ut, diebus festis, in Lusitaniæ ecclesiis, quemadmodum alibi fit, dicantur vesperæ, postquam lumen allatum fuerit, & antequam canatur sonus, hoc est, psalmus *Venite, exultemus*, ita dictus, quia canebatur elata voce.

Ex hoc canone, itemque ex decimo nono Toletani primi concilii capite constat eam olim consuetudinem obtinuisse, ut, accensis luminibus, vespertino tempore & post solis occasum, vesperæ dicerentur. Sanctus Basilius in Capite XXIX. Libri de Spiritu Sancto nos docet afferri consuevisse lumen his verbis: *Laudamus Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum.*

3. Mandat, ut, cum Rex ad exercitum perget, quotidie pro eo ejusque familia sanctum sacrificium, ad ipsius usque reditum, offeratur.

Pro Regibus, orandi mos semper in Christiana Ecclesia viguit, ut constat ex primæ S. Pauli ad Timotheum Epistolæ Capite II. ex octavi Apostolicarum Constitutionum Libri Capite XII. ex Arnobii Libro quarto contra Gentes, &c.

4. Jubet Episcopos, postquam consecrati fuerint, Metropolitano, e scripto, promittere se caste, sobrie & cum æquitate victuros.

5. Mandat, ut Episcopus qui, infirmitatis causa, aut quia Rex utitur ejus opera, ad concilium a Metropolitano, vel a Principe indictum venire non poterit ipse per se, ad illud mittat non quidem diaconum, sed archipresbyterum suum, aut saltem presbyterum qui post Episcopos sedere, ejusque nomine cujus personam refert, respondere possit.

Ex hoc canone compertum fit absentium Episcoporum deputatos, in conciliis, ad Episcoporum tergum sedisse. Hac de causa prohibentur Episcopi ad ea pro se diaconos mittere, quia Nicæni concilii canon 20. vetat, ne in presbyterorum cœtu diaconi sedeant. Hæc tamen sanctio haud generatim servata fuit, quandoquidem diaconi a suis Episcopis ad concilia non semel missi cernuntur, causa exempli, Petrus ad Toletanum concilium quintum, Wamba ad sextum, Clemens, Ambrosius, Aquila ad septimum, &c. atque adeo

adeo constat archipresbyterorum cœtibus archidiaconos præfuisse.

6. Declarat Episcopos suffraganeos a Metropolitano accitos, ut cum eo celebraturi festis diebus Natalis Domini & Paschatis veniant, eo se conferre debere, sub excommunicationis pœna, nisi eos morbus, aut pravum tempus impediat; & id quidem observantiæ ergo quæ metropoli debetur.

Toletanum concilium decimum tertium alias huic sanctioni causas tribuit, ut nempe privata negotia finiantur, ut in suffraganeos querelæ expediantur, ut Episcopi consectentur.

7. Mandat, ut Episcopus qui concilio, secundum veteres canones, quotannis, habendo non aderit, includatur ad statutum tempus, pœnitentiam acturus, in locum qui a concilio delectus fuerit; ac per id temporis, ejus domum, supellectilem & quicquid ad eumdem pertinet, (quod canon per *cella* vocabulum exprimit) Metropolitanus administret, ut is, eum redierit, in earum rerum omnium possessionem restituatur.

8. Vult Episcopum suæ diœceseos servandis juribus sedulo invigilare; possessionem annorum triginta tituli loco esse. Et quia dissidium inter Silvam, Ingidani, & Justum, Salmanticæ, Episcopos coortum fuerat, statutum est, ut commissarii qui dissidium componerent, expedirentur, propterea quia nondum excurrerant anni triginta, cum Justus gaudebat possessione soli quod Silva tamquam ad suam diœcesin pertinens repetebat.

9. Eum cui sancti chrismatis distributionem Episcopus demandavit, vetat ab iis quibus illud distribuit, itemque presbyteros ob collatum baptisma, vetat quicquem exigere; eos tamen, quod gratis oblatum fuerit, recipere sinit.

10. Mandat, ut Episcoporum cuique suus in Cathedrali ecclesia sit archipresbyter, suus item archidiaconus, suus denique primicerius, seu, *primiclerus*, ut in textu est; quæ tria cleri capita sunt: eos canon Episcopo subesse vult, nihilque supra suam ipsorum potestatem eggredi, omnino, sub excommunicationis pœna.

11. Mandat, ut abbates, parochi & diaconi suo quisque Episcopo, quemadmodum par est, obsequantur; eum suscipiant, cum in ipsorum ecclesia visitationem peraget, nullumque sæculare negotium sine ejusdem consensu aggrediantur.

12. Eam Episcopo veniam dat, ut e parœciis presbyteros & diaconos extrahat, quos in sua cathedrali Ecclesia collocet, quin proinde super ecclesiis e quibus extracti fuerint, inspectione gaudere, earumque proventum percipere desinant, ea quoad eos lege, ut, cum Episcopi delectu, presbyteros, ipsorum loco servitium præstituros, statutis pensionibus, ibidem ponant. Hoc in canone facile perspicitur canonicorum origo, qui parochi primitivi dicuntur. Episcopi qui in suis episcopalibus urbibus, Parochorum satis ad obeundum cathedralium ecclesiarum suarum officium, non inveniebant, rurales parochos, atque adeo monachos eo vocabant; qui mos in ipsa basilica S. Petri Romæ vigebat, ad quam monachi qui divinum officium canerent, ex ejus urbis monasteriis quatuor accersebantur. At quia ejusmodi rurales parochi parœcias suas pro cathedralibus quarum beneficia, *canonicatus* dicta, tum quidem erant admodum medica, ægro solum animo deserebant, eos rurales parochos iisdem honoribus atque urbanos jam cathedralibus ecclesiis addictos gaudere placuit, iisdemque præterea licere pensionem super parœciis quas deserebant, retinere, vel ibidem vicarios statuere quibus congruam portionem tribuerent. Haud sane facile fuerit canonem hunc cum Chalcedonensis concilii decimo qui titulorum seu beneficiorum pluralitatem probibet, conciliari; quia tamen oportebat instituti canonicorum capitula ad servitium cathedralibus ecclesiis præstandum, cumque ecclesiæ non alia bona suppeterent quam quæ parœciis donata fuerant, institutiones hæ non aliter fieri poterant; atque hinc, ut vero simile fit, prodiere jura quæ cathedralium ecclesiarum pleræque tam super urbanis quam super ruralibus parœciis, seu quoad redditus quos inde percipiunt, seu quoad primitivorum parochorum qualitatem & prærogativas, obtinent.

13. Episcopum finit ecclesiæ bona clericis dare qui suum accurate munus obeunt; quibus etiam bonis eos, si abusi fuerint, aut negligentes evaserint, privare possint.

14. Oblationum quæ, Missæ tempora, diebus festis Ecclesiæ fiunt, partitionem statuit. Cum universus clerus in communis operæ partem veniat, quæ ad divinum officium confertur, singuli proinde clerici retributionem gradui quem obtinent in ecclesia, percipere debent. Tribuentur ergo ejusmodi oblationes in partes tres quorum prima ad Episcopum, secunda ad presbyteros & diaconos, tertia ad subdiaconos & inferiores clericos pertinebit.

Oblationum, dominicis festisque diebus, in ecclesiæ gratiam, per fidelium pietatem, usus primæ antiquitatis est. Fit earum mentio in canonibus apostolicis; de iisdem Tertullianus in Apologetici Capite XXXIX. & Sanctus Cyprianus in Libro *de Opere & Eleemosyna*, verba faciunt. Oblationes hæ pane, vino, pecunia continebantur, & ad offertorium edebantur, unde iis collati inter sacra muneris nomen. Ea de quibus hoc in canone sermo est, pecuniaria dona erant; monetæ quædam scilicet quibus ut plurimum Christi Domini imago aut nomen impressum erat; non deerant ex iis tamen quæ nec nomen, nec figuram præseferebant. Parvæ Hostiæ quæ fidelibus ad communionem dabantur, hujus generis monetæ formam quæ fere denarii erat, referebant. Fideles ergo, sanctam Hostiam suscipientes, horum denariorum unum donare consueverant; atque hinc superstitiosus mos alicubi obtinuit, ut in mortuorum ore poneretur Christi Domini Corpus, tamquam pretium quod pro animæ, a terris ad cælum, transitu solvebatur.

15. Vetat, ne Episcopi & presbyteri male habeant ecclesiæ famulos, per mutilationem, mandatque, ut, si cujus criminis rei fuerint, sæcularibus judicibus tradantur; ita nihilominus, ut pœnam ad quam damnabuntur, Episcopi moderentur, nec eos cum ignominia tondere patiantur.

Ecclesiasticis perinde ac laicis id juris erat, suos ut famulos, etiam per mutilationem, punirent. Ejusmodi jus concilium hoc loco clericis adimit; eos tamen sinit appellere sæculares judices qui eorumdem servos puniant, sed ea conditione, ut ne eos ad tonsionem damnent; quia judicis sententia abrasum caput adeo penes Hispaniarum Gothos dedecori & infamiæ tribuebatur, ut mors tamquam levius supplicium, referente Luca de Tbuy, spectaretur.

16. Episcopos vetat ultra partem tertiam ex parœciarum reddituu sumere; eum quoque ad reparationes impendi vult: acriterque ab Episcopo argui presbyteros, si qui forte redditum hunc sibi ab eo traditum, suarum ut ecclesiarum reparationes ederent, alio detorserint, adigique, ut in præscriptum usum præceptas pecuniæ summas conferant.

17. Corporales pœnas in eos statuit, qui mortui Episcopi sui famam obtrectant, ejus nomini post mortem parcendum inquiens, qui, dum viveret, in honore fuit. In obtrectationis reum pœna est pœnitentia mensium trium, si presbyter fuerit, mensium quinque, si diaconus, mensium novem, si subdiaconus. Minoris conditionis personæ reliquæ subeunt, ex Episcopi mandato, virgæ ictibus quinquaginta; laici denum Ecclesiæ impensis elti, sex mensium spatio, excommunicationi subdentur.

18. Parochis eam veniam dat, ut ex ecclesiæ suæ servis sibi clericos eligant, ea lege, ut eos pro redituum suorum ratione sustentent.

19. Presbyterum qui plurium ecclesiarum servitio addictus fuerit, die quaque dominica in singulis iisdem Ecclesiis sacrificium offerre vult, eorumque nomina recitare qui eas extruxerunt, aut donationibus locupletarunt, seu vivi seu mortui sint.

Tria sunt hoc in canone animadversioni digna. Primum est, demandatum olim fuisse uni tantum presbytero plurium ecclesiarum servitium, seu quod suo singulæ sustentando non essent, seu presbyterorum paucitatis causa. Alterum est, licuisse presbytero, ita postulante necessitate, Missas plures eadem die celebrare. Tertium tandem est fuisse in more positum, ut eorum nomine qui ecclesias fundaverant, aut beneficiis auxerant, in ipso Missæ sacrificio recitarentur; quem quidem morem antiquissimum fuisse probant summi Pontificis S. Innocentii I. ad Episcopum Decentium Epistola prima, S. Augustini centesima tricesima septima, & Papæ Gelasii ad imperatorem Anastasium Epistola; atque is ipse mos sensim progressu eo tandem devenit, ut hoc jam tempore, per acceptum ex pecunia stipendium, Missa peculiari titulo dantibus applicetur. Cœpta est ergo Missa primum dici, quin in ea fieret nisi omnium generatim fidelium mentio; tum facta in ea est eorum peculiaris commemoratio, qui ultra consuetas oblationes aliquid tribuebant; denique qui eleemosynam dedere quæ presbytero in diem alendo esset, contenderunt ejus Missam ad se prorsus, & proprietatis jure pertinere debere, tametsi jus iis non esset nisi ad eam fructus Missæ partem quæ eorum eleemosynæ respondebat.

20. Con-

20. Continet sanctiones plures super ratione qua ecclesiæ servi manumittendi.

21. Vetat, ne Episcopus decessoris sui donationes abroget, cum constat ecclesiam cui præerat, ex ejus bonis emolumenti plus percepisse, quam is amicis, famulis, aliisve per testamentum donavit.

22. Hæc omnia decreta confirmat, eorumque executionem præcipit, sub excommunicationis pœna.

23. Gratiarum actiones quoad Recesvinthum regem concilii nomine, & ad ejusdem prosperitatem vota continet. *Reg. Tom. XV. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.* Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. IV.*

Concilium Augustodunense, an. 670.

S. Legerius, Augustodunensis Episcopus, coegit concilium hoc, an. 670. quæ communis opinio est, non autem 666. aut 676. quod nonnulli contendunt. Supersunt nobis ejus statuta aliqua quæ monasticam omnia disciplinam spectant; at palam est eorum plura deesse, quandoquidem a primo gradus fit ad quintum, ab octavo ad decimum, & a decimo ad decimum quintum.

Primus, Mandat, ut abbates & monachi nihil sibi proprium & peculiare habeant, victumque & vestitum monachi ab abbate recipiant.

5. Monachos & abbates vetat habere compatres, nempe patrinos esse.

6. Monachos prohibet in urbes pergere, nisi forte ob monasterii negotia, & in hac ipsa facti specie eos jubet habere abbatis sui ad urbis archidiaconum Litteras.

8. Monachis interdicit, ne suum in monasterium alterius sexus personas ingredi sinant, ullave cum exteris feminis familiaritate jungantur. Idem canon vagos monachos ferri vetat, alteriusque monasterii monachum, quin ejus superior annuat, ab abbate retineri non vult.

15. Monachis & abbatibus mandat, ut canones & S. Benedicti regulam servent, ut omnia in commune possideant, ut conjunctim laborent, ut hospitalitatem exerceant, ut assidui ad precem sint, ac temporales pœnas, aut excommunicationem, ad annos tres, monachis minitatur qui horum statutorum aliquod transgressi fuerint. Quod si Abbas ipse refractarius extiterit, a communione suspensus ad annum erit; si præpositus, ad biennium.

Occurrunt nonnulli præterea canones qui huic S. Legerii concilio, seu, synodo tribuuntur. In his jubentur omnes clerici scire memoriter & recitare fideliter S. Athanasii symbolum; quod argumento est, ex eo tempore, Symbolum quod a nobis *S. Athanasii* dicitur, huic S. Doctori adscriptum fuisse. Declaratur laicos qui in Paschate & in Natali Dominico non communicant, tamquam Catholicos spectandos non esse. Prohibentur presbyteri, depositionis indicta pœna, Missam dicere, postquam se cibo & vino ingurgitaverint; & feminæ ad altare accedere. *Reg. Tom. XV. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.*

Concilium Herfordiense, an. 673.

Habitum fuit concilium hoc die 24. Septembris an. 673. a Theodoro Cantuariensi qui eidem præfuit, & ab aliis Episcopis quatuor. Eos Theodorus ad charitatem & concordiam mutuo servandam cohortatus, quæsivit a singulis, pro cujusque gradu, in eam, nec ne, sententiam conspirarent, ut quod a majoribus canonice statutum fuerat, custodirent; quibus ita se velle respondentibus, Canonum Librum protulit, ex eoque indicatis articulis quos notaverat, iisque maxime necessarios noverat, ut eos reciperent, ad eosque se conformarent, obsecravit. Quæ reapse in iis continentur, hæc sunt.

Primus. „ Servabimus omnes Pascha die dominica „ quæ lunæ primi mensis diem decimamquartam proxime sequitur. “

2. „ Episcopus quisque populi suæ curæ concrediti „ portione contentus in alterius diœcesim nihil molietur. “

3. „ Episcopi nulla in re turbabunt monasteria Deo „ consecrata, deque eorum bonis per vim nihil adiment. “

4. „ Ab uno monasterio ad aliud monachi non migrabunt, nisi abeundi facultatem ab abbate obtinuerint, cui obedientiam conversionis suæ tempore obstrictam præstare debebunt. “

5. „ Nec magis Episcopum suum clerici deserent, „ & nullibi recipientur, quin ejus commendatitias „ Litteras afferant; si, domicilio alibi posito, regredi „ renuerint, excommunicationi cum eo suberunt qui „ eos receperit. “

6. „ Episcopi clerique exteri eo contenti erunt quod „ iis obtulerint qui hospitalitatis officium erga eos „ obibunt; nullamque sacerdotalem functionem, sine „ diœcesani Episcopi venia, edendam suscipient. “

7. „ Cum fieri omnino non possit, ob causas plures, ut habeantur, quotannis, concilia duo, habebitur unum Kalend. August. in loco, *Clovesho* nomine. “

8. „ Episcopi nihil in alios alii aggredientur, ambitione permoti; sed invicem suæ quisque ordinationis gradum servabunt. “

9. „ Augebuntur numero Episcopi, pro ut augebitur fidelium numerus. “

10. „ Legitima tantum & non incestuosa iniri conjugia poterunt; nec poterit uxor deseri, nisi fornicationis causa; & ita quidem, in hac ipsa facti specie, ut qui legitimam uxorem dimiserit, non aliam ducat, si vere Christianus esse voluerit, sed cœlibatum servet, aut cum conjuge in gratiam redeat. “ Theodorus Cantuariensis hujus concilii Acta ipse edidit, & Titillo notario dictavit. *Ibid.* & *Anglic. I.*

XI. Toletanum Concilium, an. 675.

Wamba, regis Recesvinthi, an. 672. vita functi successor, suum regnum tranquillum videns, Carthaginensis provinciæ Episcopis habendi concilii facultatem concessit; qui proinde, ejus regni anno quarto, hoc est, an. 675., Toletum, in sanctæ Virginis ecclesia, 7. mensis Novembris die, convenerunt. Quiricius, ejus urbis archiepiscopus concilio præfuit, cui Episcopi præterea sexdecim, diaconi duo ab absentibus Episcopis delegati, abbates sex & Toletanus archidiaconus subscripserunt. Concilii Actis initium dat longa Præfatio in qua suæ fidei professionem edunt Episcopi; quæ quidem priorum quatuor generalium conciliorum, super Trinitatis & Incarnationis Mysteriis, doctrinæ concinit; at super iisdem Mysteriis duobus, est, quam Nicænum & Constantinopolitanum Symbola, multo fusior. Præfationem excipiunt canones sexdecim.

Primus. Rationem statuit qua se in conciliis Episcopi gerere debent; ita scilicet, ut se ad gravitatem & modestiam componant, ut ne se in inutiles sermones, aut in injurias effundant, nec in disputationibus pervicacius insistant. Quicumque vero, ne dum hanc sanctionem servaverit, cachinnis potius excitatoque rumore concilium turbaverit, eum turpiter expulsum &, tridui spatio, communione privatum vult.

2. Negligentiam, ut edoceantur ipsi & alios edoceant, Episcopis exprobrat; mandatque, ut Metropolitani quidem suffraganeis erudiendis invigilent, suffraganei vero populos sibi concreditos erudiant.

3. In publici Officii celebratione, per unamquamque provinciam, metropolitanæ ecclesiæ cæremonias & ritus servari vult; ad eosque se abbates ipsos in publico suorum monasteriorum Officio conformare; quod canon de Vesperis, de Matutinis, de Missa denique intelligit.

4. Vetat, ex novo Carthaginensis quarti concilii capite, dissidentium Episcoporum oblationes recipi, iisdemque ad altare accedendi facultatem concedi, quoad in gratiam redierint. Eorum præterea pœnitentiam vult duplo, quam dissidium fuerit, longiorem fore.

5. Constitutio est in ea quæ Episcopi per vim moliti, & contra jus fasque ausi fuerint. Reparare jubentur de propriis bonis damna quæ allaturi fuerint, aut jam attulerint; quod si forte peccaverint cum aliqua femina, filia, nepte, seu, quovis in gradu, consanguinea viri principis, statuitur, ut in omne tempus excommunicati depositique sint, nec nisi morientibus communio concedatur.

6. Prohibentur Episcopi de criminibus morte dignis ipsi per se judicare, membrorumque mutilationem, vel in ecclesiæ suæ servos, præcipere; & id indicta depositionis & excommunicationis pœna, quin communionem nisi in morte recipiant.

7. Mandat, ut Episcopi publice, aut saltem coram testibus, peccatores corrigant; ac si quem ad exilium vel ad carcerem damnaverint, sententia pronuntietur præsentibus testibus tribus, eamque ipsi sua manu firment.

8. Vetat, sub excommunicationis pœna, ne quid, etiam sponte oblatum, ob Baptismum, ob sanctum Chrisma, vel ob Ordines accipiatur; si Episcopus acceperit, excommunicationi suberit, ad menses duos; si presbyter, ad tres; si diaconus, ad quatuor; subdiaconi vero & clerici reliqui, ratione habita.

9. Man-

9. Mandat, ut qui Episcopus ordinabitur, ad altare, & quidem ante ordinationem juret se nihil dedisse, nihilque daturum esse, ut Episcopus eligeretur. Qui ad episcopatum per simoniam pervenisse convicti fuerint, pœnitentiæ subdentur & ab ecclesia separabuntur, quin Ordinis sui functiones edere possint, ad integram satisfactionem usque, quoad sinceram scilicet acerbamque per annos duos pœnitentiam egerint.

10. Eos qui Ordines suscipiunt, e scripto promittere vult se integre constanterque Catholicæ Fidei addictos fore, contra ejus leges nihil acturos, suisque superioribus obsecuturos.

11. Explicat Toletani concilii primi canonem decimum quartum qui ex ecclesia tamquam sacrilegos expulsos vult qui Eucharistiam, cum e presbyteri manu acceperint, non consumpserint. Declaratur hoc loco ejusmodi pœnam in eos tantum statutam esse qui Eucharistiam per contemptum rejiciunt; quin immo eos excusat qui eam ob naturalem infirmitatem rejiciunt, cum, inquit canon, ægrotantibus non paucis contigerit, ut Eucharistiam rejicerent, quia eam deglutire præ siccitate non poterant, quin Domini Calicem biberent. Excusat etiam canon infantes eosque qui in aliqua mentis alienatione versantur. Ad eos ergo canon spectat qui Eucharistiam data opera & per contemptum rejiciunt; si fidelis hoc peccatum patraverit, communione privabitur, saltem ad annos quinque; sin infidelis, virgis cædetur & ad perpetuum exilium damnabitur.

Hoc in canone veniunt notanda plura. Cernitur in eo primum communionem morientibus sub una tantum panis specie, fere, tribui consuevisse, sed eidem nonnunquam vini speciem additam fuisse. Apparet etiam communionem infantibus recens baptizatis, amentibusque quibus lucida intervalla erant, collatam fuisse.

Infantes recens baptizatos communicandi consuetudo, ad undecimum usque sæculum, saltem in ecclesiis pluribus, viguit; at iis, Christi Domini Corporis loco, postremis sæculis Sanguis unus & unicus tribuebatur, in quo scilicet ablutam tantummodo extremam digiti partem presbyter infanti sugendam offerebat. Quod autem canon hic ad virgas & ad exilium fideles damnat qui Eucharistiam rejecerunt, de Judæis intelligi debet qui per metum Christo nomen dederant, sumptamque sanctam Eucharistiam, cum reliquis fidelibus communicantes, non consumebant.

12. Mandat, ut pœnitentes in mortis periculo versantes, nulla interjecta mora, concilientur; quod si moriantur, postquam ad pœnitentiam admissi fuere, per manuum impositionem, quin tamen conciliati fuerint, id canon obesse non vult, quominus in ecclesia pro iis oretur, & oblatio ex eorum mente, scilicet, ad eorum animæ requiem edita recipiatur.

Distinguenda sunt tria hoc in canone expressa, Pœnitentia, manuum Impositio, denique Reconciliatio. Pœnitentiam accipere, erat se subdere pœnitentiæ legibus, & ad pœnitentium gradum per oris confessionem & cordis contritionem admitti. Reconciliatio erat communio ipsa, seu sanctæ Eucharistiæ participatio. Constat id ex sexagesimo sexto Carthaginensis quarti concilii capite, cujus, quoad ægrotantes in phrenesin lapsos, hæc verba sunt: *Accipiat pœnitentiam, &, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Ita quidem Loasia super hoc decimo secundo capite differit, at abs re tamen & perperam, dum sit manuum impositionem accipere, idem fuisse presbyteri absolutionem accipere, & reconciliationem fuisse communionem ipsam, prout absolutioni presbyteri opponitur. Verum quidem est presbyterum imposuisse seu extendisse manum, cum sacramentalem absolutionem pœnitenti tribuebat, quod etiamnum facit; at hanc reconciliatorism, ut vocant, manuum impositionem plures aliæ quæ ejusmodi non erant, antecedebant, quandoquidem certum est sæpe manus pœnitentibus impositas fuisse, ut leniter lenteque, pedetentim scilicet, ad sacramentalem absolutionem compararentur, quæ, in consueto quidem cursu, tum solum iis tribuebatur, cum satis omnino fecerant, suamque pœnitentiam absolverant. Verum etiam est sanctæ Communioni tribui posse *reconciliationis* nomen, quia nimirum ea perfectæ cum Deo conciliationis nostræ veluti sigillum est, nosque intime cum eo conjungit; at id nomina ei congruere non potest, ut sacerdotalem absolutionem excludat eique opponatur, cum hæc vere conciliatoria sit, strictaque & propria notione *reconciliationis* titulum mereatur. Jam vero Carthaginensis concilii quarti sexagesimum caput, a Loaisa in medium allatum ei adversatur, quoniam impositio manuum presbyteri in eo *reconciliatoria nuncupatur*, dum a communione secernitur: *Reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

13. Renovat antiquos canones qui a dæmone possessos, aut violentis motibus agitatos vetant altari deservire, divinaque Sacramenta suscepturos ad illud accedere. Eos tamen concilium excipit quos imbecillitas aut morbus concutit, quin his extra ordinem motibus agitentur; nec renuit eos ipsos qui a dæmone possessi fuerant, ad sui Ordinis functiones post annum redire, quos, per id temporis, non amplius ab eo possideri constiterit.

14. Mandat, ut, in ipsa divinorum Officiorum celebratione, qui canit, aut sanctum Sacrificium offert, semper alium a tergo habeat, qui eamdem functionem obire possit, si quidem eum se male habere contigerit.

Capitis in orbem deliquia quæ in præsentia *vapores*, seu, *vertigines* nuncupantur, crebra erant in Hispaniis, hujus concilii tempore; &, quia casus hi nonnunquam presbyteris Officium peragentibus, aut Missam celebrantibus contingebant, ut huic incommodo occurreret, concilium sapienter mandavit, ut celebranti semper alius presbyter a tergo esset qui, ejus loco, siquidem opus esset, Officium obiret, aut sacrificium absolveret; atque hinc fortasse originem traximus, ut, solemnibus diebus, celebranti daretur assistens presbyter, primo quidem ob necessitatem, deinde vero ad honorem tantum.

15. Superiores, quoad annuorum conciliorum celebrationem, sanctiones instaurat, jussis, sub excommunicationis ad annum pœna, Episcopis omnibus ad ea se conferre, nisi morbus, aut ineluctabilis aliqua necessitas eos impedierit.

16. Gratiarum actiones continet quoad Deum, ac deinde quoad Regem Wambam qui *Restaurator disciplinæ ecclesiasticæ sui temporis* appellatur, & cui longa vita in hoc mundo, & æterna gloria in altero expetitur. *Reg. Tom. XV. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.* Aguirreas, *Concil. Hispan. Tom. IV.*

Concilium Bracarense, an. 675.

Concilium hoc eodem anno, & sub eodem Rege ac superius habitum fuit. Episcopi, octo numero, quorum Leodecisius, cognomento *Julianus*, primus est, novem in eos canones edidere.

Primus, Incipit a fidei professione Nicæno Symbolo consentanea, cum additione Processionis Spiritus Sancti ex Patre Filioque. Animadverti deinde volunt iidem Episcopi in ecclesiasticam disciplinam magnum abusuum numerum irrepsisse, videlicet, ut, alii lac, alii racemos offerrent vini loco, nec deessent qui populo Eucharistiam traderent quam vino diluissent, quasi id necessarium ad Communionis integritatem esset; ut presbyterorum nonnulli ad cibum potumque in consuetis mensis communibusque sumendum sacris vasibus uterentur; ut alii, nulla ecclesiasticæ consuetudinis ratione habita, sine stola Sacrum facerent; ut nonnulli, in Martyrum solemnitatibus, sibi reliquiis ad collum positis, se per diaconos albis indutos, super cathedris, in processionem ferri vellent; ut Episcoporum plerique cum feminis versarentur, quin adessent qui, quomodo ipsi se gererent, testarentur; ut eorum nonnulli personas honore dignas, suosque ipsorum fratres indignum in modum haberent, flagellis nempe laniatos vellent; ut iidem ad extremum, ordinationum causa, pecuniam exigerent; hos nimirum abusus singulos in canonibus qui sequuntur, concilium proscribit.

2. Vetat lac aut racemum, vini loco, ad Sacrificium offerri, aut Eucharistiam vino dilutam tribui; quod institutioni repugnat, in qua Christus Dominus panem & vinum sejunctim dedit. Nihil ergo aliud ad sanctum Sacrificium, quam panis & vinum aqua mixtum, ex veterum conciliorum definitione, offeretur.

3. In communibus mensis, e sacris vasibus seu bibi seu edi vetat; itemque ecclesiæ vela & ornamenta ad profanos usus adhiberi, vendi, donari; omnino, sub pœna excommunicationis, si laicus; & depositionis, si clericus aut religiosus hanc sanctionem violaverint.

Ecclesiæ jam præsto erant, eo tempore, aurea & argentea vasa quæ ad communium mensarum servitium conferre presbyteros non pudebat; hæc ipsa divino Servitio addicta vasa multo etiam majora quam hodierna, fuerint, oportet; siquidem presbyteri quorum hoc loco damnatur agendi ratio, pateois, catinorum seu paropsidum loco, utebantur. Ejusmodi pateois eamdem quoque formam ac catinis communibus fuisse necesse est; secus enim qui aliquem adhuc religionis

& fi-

& fidei sensum retinebant, vasa super quibus adorandum Christi Domini Corpus & Sanguis quievissent, horrore perciti non attigissent.

4. Presbyteros vetat Sacrum facere, sine stola utrique humero imposita, & ad pectus in crucis modum applicita, seu decussata, prout eam scilicet ordinationis die ipsa gestarunt, ut ita super pectore crucis signum deferant.

5. Ecclesiasticos, cujuscunque gradus extiterint, cum feminis, sine eorum probitatis testibus, una ipsorum excepta matre, versari vetat.

6. Diaconorum esse vult Martyrum reliquias capsa conclusas super humeris ferre, Episcopumque, siquidem eas ferre ipse voluerit, peditem cum populo incedere, quin se a diaconis ferendum curet.

Ita quidem canon hic explicari solet; reliquiarum tamen nomine, de quibus loquitur, non nuda Martyrum ossa intelligenda videntur, sed ipsum Christi Domini corpus quod sæpe *sacra reliquia* in Græcorum Euchologio & alibi nuncupatur. Haud ægre adducetur, ut in hanc sententiam descendat, qui ad Missæ sacrificii celebrandi veterem usum, ipsamque canonis quo de agitur hoc loco, vim & rationem parumper animum adverterit. Ponebantur olim in calice, dum recitabantur ea Missæ verba, *hac commixtio*, &c. particulæ duæ Corporis Christi Domini; una quidem quæ ex superiore Sacrificio reliqua fuerat, altera vero quæ ex diei sacrificio erat, simulque cum prima ponebatur in calice, ut palam fieret ex iis duabus conjunctim particulis unum idemque Sacrificium confici. Episcopus celebrans ad priorem particulam ex ecclesiæ, vel episcopalium ædium capella in qua servabatur, sumendam pergebat, sumptamque, dominicis festisque diebus, in pyxide, seu, ciborio ad altare ferebat; jam vero, ut irrepunt ubique abusus, inter Episcopos non defuere qui se a diaconis gestatos vellent, dum ipsi eam hostiæ particulam in pyxide collo apposita, vel, ut est in canonis titulo, *appensis collo reliquiis*, ferrent. Porro canonem hunc, ex ejus contextu ipso, de consecratæ hostiæ particulis, seu de ipso Christi Domini Corpore, non autem de nudis Martyrum ossibus intelligendum evincunt hæc; 1. ita canon incipit: *Bona quidem res est, divina sacerdotibus contrectare mysteria*: loquitur ergo de divinis Mysteriis; non de Martyrum exuviis quæ *divina Mysteria* nuncupari non possunt: 2. canon hic nunquam dicit *reliquias martyrum*, sed simpliciter *reliquias*; 3. vas in quo ejusmodi reliquiæ feruntur, *Dei arcam* appellat; quæ sane loquendi ratio non nisi ciborium quod Christi Domini Corpus includit, designare potest; 4. Addit si Episcopus *sanctas Dei vel quas* deferre ipse voluerit, oportere, ut eas pedes populum secutus deferat; en ipsa canonis verba: *Quod si etiam Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse a diaconibus in sellulis vectabitur, sed potius pedisequus eo, una cum populis, progressione procedente, ad conventicula sanctarum ecclesiarum sancta Dei reliquia per eumdem Episcopum portabuntur*. Estne vero simile Episcopum Sanctorum exuvias capsis admodum sæpe gravibus inclusas ipsum solum ferre voluisse atque adeo potuisse?

7. Vetat, indicta excommunicationis & exilii pœna, ne Episcopi presbyteros, abbates & diaconos fuste cædi jubeant; hujus enim generis punitiones quoad lethalia solum errata locum habere debere.

8. Simoniam prohibet, depositionis indicta pœna tum in eum qui Ordines contulit, tum in eum qui eosdem suscepit, prout Chalcedonensium canonum secundus statuit.

9. Episcopis interdicit, ne magis proprium quam ecclesiæ patrimonium cordi habeant; quod si forte suos ipsorum redditus, cum ecclesiasticorum detrimento, vel iisdem neglectis, auxerint, ecclesiam de suo compensent, necesse erit. *Ibid.*

Concilium Romanum, ann. 680.

Habitum est concilium hoc, die 27. Mensis Martii an. 680. Agathone Ecclesiam regente. Ei adfuerunt Episcopi ex Italia centum viginti quinque, & Gallia tres, videlicet, Adeodatus Tullensis, Felix Arelatensis & Taurinus Telonensis, unus e Majore Britannia, nempe, Wilfriddus, Eboracensis Episcopus qui superiore anno Romam venerat, sua ut sede se injuste pulsum conquereretur, in quam eum quidem Episcoporum amplius quinquaginta concilium, eo ipso anno 679. Romæ habitum restituerat. Singuli tres Galliarum Episcopi, in subscriptionibus, se Gallicani concilii Legatos dixerunt; quod credendi locum præbet, contra Monothelitas concilium in Galliis habitum fuisse. Quamquam Wilfriddus ipse, in sua subscriptione, se quoque Britannici concilii Legatum inscribit, tametsi ab ejus regionis Episcopis eum Romam missum esse non constet; at enim is obtinebat in ecclesiasticis Actis mos, ut ejusdem provinciæ Episcopi, licet congregati non essent, *concilii* nomine designarentur. Scripsit Romanum concilium Epistolas duas ad Imperatores, hoc est, ad Constantinum cognomento *Pogonatum*, & ad ejus fratres Heraclium & Tiberium, qui, ut is, Augusti titulo insigniti erant. Harum Epistolarum una solius Papæ, altera Papæ simul & concilii nomen præferunt.

Explicat Agatho, in prima, Ecclesiæ super Trinitatis & Incarnationis mysterii Fidem, superque duarum potissimum voluntatum quæstione consistit. Docet nempe, quemadmodum in divinis Personis tribus una tantum natura est, adeoque una tantum naturalis voluntas, una operatio, potestas una; ita, cum in Christo Domino duæ perfectæ naturæ sint, divina & humana, naturales quoque duas in eo voluntates & operationes duas esse, sed quæ tamen ipsæ contrariæ non sunt, quia Christus Dominus, quicquid humanæ naturæ est, excepto peccato, suscepit. „ Ejusmodi „ est, pergit, veræ Fidei regula quam Apostolica „ Ecclesia semper tenuit propugnavitque. “ Duarum deinde in Christo voluntatum distinctionem probat ex veteris & novi Testamenti pluribus quæ Patres explicuerunt, oraculis, quibus Chalcedonensis concilii definitionem addit.

Altera Epistola quæ Papæ & Romani concilii nomine data est, institutionem veluti quamdam continet in eorum gratiam qui ad Constantinopolitanum generale concilium deputandi erant. In ea Episcopi fusam suæ fidei professionem edunt, declarantes in Christo Domino, quippe qui perfectus Deus, perfectusque itidem homo est, duas voluntates duasque operationes esse, quemadmodum ex apostolica & evangelica traditione perceperunt.

Sub idem tempus, Benedicto Biscopio in Angliam redeunti Papa Joannem cantorem ecclesiæ S. Petri, & abbatem S. Martini, in urbe Roma, comitem addidit, jussum, quæ ejus regionis ecclesiis fides esset, diligenter inquirere, ejusque, cum Romam regressus esset, testem fore. Joannes Abbas primi Lateranensis concilii Acta secum detulit, interfuitque concilio quod Theodorus Cantuariensis die 17. Septembris an. 680. Hetfeldiæ habuit. In eo pronuntiarunt Episcopi se generalia quinque, & Papæ Martini, nempe, Lateranense contra Monothelitas, concilia suscipere; in eos anathema dicere qui in iisdem conciliis anathemate perculsi fuerant, eosque recipere qui in iisdem recepti fuerant. *Reg. Tom. XV. Lab. Tom. VI. Harduin. Tom. III.*

Concilium Constantinopolitanum, generale sextum, an. 680.

A Romano concilio de quo modo dictum est, electi qui tamquam deputati Constantinopolim pergereut, Abundantius, Joannes & Joannes alter Episcopi, Theodorus & Georgius presbyteri, Joannes diaconus, & Constantinus subdiaconus Romanæ Ecclesiæ, Theodorus presbyter, Ravennatensis ecclesiæ legatus, cum aliquibus monachis, eo pervenere die 10. Septembris an. 680. & prima sessionum octodecim e quibus concilium consistit, habita est die 7. Novembris ejusdem anni, in atrio majore Palatii cui *Trullo* nomen, *Domui* scilicet. In hac sessione non plures quam quadraginta circiter Episcopi defuere, quorum primi, Papæ Legati, nempe Theodorus & Gregorius presbyteri, & Joannes diaconus nominantur.

Adfuit concilio Imperator, stipatus officiariis tredecim, primamque sedem occupavit. Aderant ad sinistrum latus Legati Papæ, tamquam in honorificentiore parte. Tenebant dexterum latus patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Antiochenus, cum Alexandriæ deputato. Evangeliorum Libri in medio cœtu collocati. Rebus omnibus in hunc modum dispositis, Papæ Legati Imperatorem alloqui aggressi sunt, dixeruntque ante annos circiter quadraginta sex Sergium, Constantinopolitanum Episcopum, aliosque docuisse in Christo Domino unam tantum voluntatem, unamque tantum operationem esse; sanctam sedem rejecisse errorem hunc, eosque qui concilio, Constantinopolitanæ Ecclesiæ nomine, intererant, dicere debere undenam ea novitas orta esset. Lecta sunt Ephesini concilii acta.

In sessione altera quæ habita est 10. Novembris die, Chalcedonensis concilii acta lecta sunt.

In sessione tertia quæ in Novembris diem 13. incidit, lectus est Menæ, Constantinopolitani archiepiscopi, ad Vigilium, Romæ Papam, sermo, in eo versans, unam & unicam in Christo voluntatem esse. Eum Librum corruptum esse legati probarunt. Id ergo sermonis Imperator rejecit, & concilii quinti, hoc est, Con-

stantinopolitani secundi præfationem & omnia deinde acta, ad sessionem usque septimam, legi jussit. His inserti fuerant Libri duo, Vigilii Papæ nomine; ad Imperatorem Justinianum missus unus, ad Theodoram Imperatricem alter, ubi legebantur verba hæc: „ Theodoro Mopsuesteno anathema, qui non confitetur in „ Christo Domino hypostasin unam, personam unam, „ operationem unam. “ Asseruere legati iis Libris duobus falso *Vigilii* nomen inscribi, eosque Chalcedonensis concilii actis additos fuisse; id autem probarunt ex eo, quod si Vigilius unam operationem docuisset, conciliumque doctrinam hanc approbasset, unius operationis vocabulum in Fidei definitione adhibitum fuisset. Lecta est hæc universa, in eaque nihil simile compertum fuit; lecta sunt etiam Chalcedonensis concilii acta; jussitque Imperator Macarium, Antiochenum patriarcham, ejusque asseclas ex receptorum Patrum testimoniis suam, quod promiserant, sententiam probare.

In sessione quarta, habita Novembris die 15., lectæ Agathonis Papæ ejusque concilii Epistolæ duæ, quæ luculenter Ecclesiæ doctrinam super duabus voluntatibus & duabus operationibus statuunt.

In sessione quinta quæ solum 7. Decembris die habita est, Macarius Antiochenus protulit testimoniorum volumina duo, quæ e Patrum Scriptis deprompta erant; tertiumque in sequenti sessione sexta, duobus post mensibus habita, die nempe 12. Februarii an. 681. Edixere Papæ legati, quæcunque Macarius congesserat, testimonia nihil ad præsentem quæstionem facere, eorumque nullum probare unam tantum voluntatem unamque tantum operationem in Christo esse; mutilata pleraque fuisse, ut quod reapse ac suapte natura de unica Personarum Trinitatis voluntate intelligendum erat, Incarnationi accommodari posset.

In sessione septima diei 13. Februarii, lectum est volumen textuum Patrum, quod legati ad probandas voluntates duas & operationes itidem duas protulerunt.

In sessione octava cui Martii dies 7. inscripta est, ex Patriarchis duobus quæsivit Imperator, apud eosne de sensu Litterarum Papæ Agathonis ejusque concilii conveniret. Georgius, Constantinopolitanus Patriarcha fassus est se cum loca omnia eum Patrum scriptis contulisset, exemplaribus consentanea comperisse; se cum Papa ipso sentire & credere. Eadem fuit Episcoporum a Constantinopolitana sede pendentium opinio. At Macarius Antiochenus suo in errore persistens, anathemate perculsus fuit & pallio spoliatus, cum convictus esset Patrum testimonia quæ protulerat, mutilasse.

Non interfuit Macarius sessioni nonæ quæ habita est die 8. Martii, ac ne in sequentibus quidem, ad decimam quartam usque, ex ejus parte quispiam occurrit. Continuatum est in sessione nona textuum examen quos Macarius attulerat; compertumque est eos vel ab ipso mutilatos fuisse, vel quos non corruperat, perspicue voluntates duas in Christo probare. Id Basilius, Gortyniensis Episcopus, ab Imperatore notatum voluit, cum ventum est ad lectionem testimonii S. Athanasii, super iis Christi Domini verbis: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*; ubi S. hic Doctor ait: Jesus Christus membrum duarum voluntatum, humanæ quæ carnis est, & divinæ. Macarium, Patrum doctrinam adulterasse convictum omni dignitate & functione Sacerdotali excidisse pronuntiatum est.

Episcopi duodecim qui Constantinopolim, ad superiores sessiones, pervenire non potuerant, ad decimam die 18. Martii habitam convenere. In ea, Patrum testimonia a Romanis collecta & in medium allata quæ duas in Christo voluntates duasque operationes probabant, ad veritatem exacta fuere; erant ea numero triginta novem a tredecim Patribus ducta; ac deinde, in eadem collectione, Hæreticorum unam tantum voluntatem unamque tantum operationem in Christo astruentium textus enucleati.

Undecima sessio, Martii 20. die habita, superiori ipsa frequentior fuit triginta circiter Episcoporum adventu. In ea, lecta est S. Sophronii, Hierosolymitani Patriarchæ, ad Sergium Constantinopolitanum Epistola; tum lectus libellus quem Imperatori Macarius Antiochenus obtulerat, ejusque ad eumdem Principem sermonum unus. Sub hujus sessionis finem, Imperator enuntiavit se quidem sequentibus sessionibus non adfuturum, & magistratus quatuor qui ejus nomine adessent, videlicet, Constantinum & Anastasium patricios, Polieuctum & Petrum exconsules nominavit.

Ergo quatuor hi magistratus adfuere sessioni decimæ secundæ quam Martii die 22. octoginta circiter Episcopi celebrarunt. Lecta est monumentorum collectio quæ Macarius Imperatori tradiderat, quæque idem Princeps ad concilium remissa voluerat. Continebat collectio hæc Sergii ad Cyrum Epistolam, jactatos Menæ ad Vigilium, & Vigilii ad Justinianum & Theodoram sermones, & Sergii ad Honorium Epistolam, cum hujus Papæ responso. Rogarunt magistratus Episcopi, ut ab Imperatore obtinerent, ut Macarius, & quicunque in ejus sententia erant, Constantinopoli pellerentur.

In sessione decima tertia quam 28. Martii dies attulit, repetita est Epistolarum Sergii & Honorii lectio; quas cum concilium Apostolorum, Conciliorum & Patrum doctrinæ contrarias, & Hæreticorum placitis consentaneas perspexisset, tamquam ad corrumpendos animos accommodatas rejecit, exsecratumque est. Dixit anathema non solum Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo & Petro, omnibus & singulis Monothelitarum hæresi infectis, sed etiam Honorio ipsi, pronuntiantibus Patribus se in ejus ad Sergium Epistola comperisse eum omnino ejus errorem sequi, suamque ipsius impiæ doctrinæ auctoritatem addere.

Decima quarta sessio, 4. Aprilis die habita, in eo fere omnis posita fuit, ut jactatus Menæ ad Papam Vigilium sermo, itemque Vigilii ad Justinianum & Theodoram sermones, generalis concilii quinti actis inserti ad trutinam revocarentur. Omnes ad unum Patres dixerunt in eos anathema qui ejus concilii acta depravaverant, in eosque omnes qui voluntatem unam & operationem unam & unicam in Christo docent.

Polychronius, presbyter & monachus, accusatus qui Macarii errores propugnarat, in sessione quinta; die 26. Aprilis habita, accitus in jus fuit. Jussus dicere quod sentiebat, declaravit se unam tantum voluntatem unamque tantum operationem theandricam credere, spopon ditque suam se fidem per mortui resurrectionem probaturum. Accepta sponsio; allatus in medium mortuus super quo Polychronius suam fidei confessionem posuit: at mortuus non resurrexit, tametsi Polychronius ei ad multas horas insusurrasset; quamobrem concilium presbyterum in errore pertinacem videns deposuit, in eumque anathema pronuntiavit.

In sessione decima sexta quæ in Augusti diem 9. dilata fuerat, Constantinus, presbyter ecclesiæ Apameæ, metropolis secundæ Syriæ, Macarii Antiocheni discipulus & fautor, anathemate perculsus & e concilio ejectus fuit. In sessione decima septima, habita undecima Septembris die, actum id unum est, ut inter omnes de fidei definitione conveniret. Eam legit Agatho, Georgii Constantinopolitani lector notariusque. Eadem lecta rursus in sessione decima octava quæ decima sexta ejusdem mensis die habita est. Ei adfuit Imperator ipse, cum centum sexaginta & amplius Episcopis. In hac definitione, concilium declarat se recipere superiora concilia quinque; damnare novi erroris auctores, videlicet, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Constantinopolitanos, Papam Honorium, Cyrum Alexandrinum, Macarium Antiochenum, Stephanum ejusdem discipulum; approbare Papæ Agathonis ejusque concilii Epistolas duas, tamquam Chalcedonensis concilii, S. Leonis & S. Cyrilli doctrinæ consentaneas. Probat etiam concilium deciditque naturales voluntates duas, duasque operationes in Christo esse; has duas voluntates non esse contrarias; voluntatem humanam sequi voluntatem divinam & huic omnino subesse. Vetat aliam doctrinam tradi, depositionis in clericos, & anathematis in laicos inflicta pœna. Papæ legati tres, omnium primi, deinde patriarchæ, omnesque deinceps Episcopi subscripsere. Subscripsit Imperator omnium postremus, & ad executionem decretorum concilii edictum vulgavit. In hoc perspicue Ecclesiæ super voluntatibus duabus duabusque operationibus doctrinam explicat, prohibetque contrariam doctrinam disseminari, sub pœna depositionis in clericos, privationis dignitatis & proscriptionis bonorum in laicos, & exilii in privatum quemque. Episcopi, antequam recederent, synodicam Epistolam ad Agathonem Papam scripserunt. *Ibid.*

XII. Toletanum Concilium, an. 681.

Gothorum in Hispania Rex, Wamba, cum Andabastus venenum ei propinasset, per aliquod tempus, memoriæ omnisque sensus expers in lecto jacuit. Toletanus Archiepiscopus ei quem eo rerum deductum videret, pœnitentiam tribuit, monasticamque vestem imposuit. Princeps hic, in pristinam valetudinem restitutus, cum audisset, quod contigerat, se regno abdicavit, solemnique actu, Ervigium, Chindesvinti regis consanguineum, sibi successorem designavit. Ervigius, ut sibi regnum, per Episcoporum procerumque suis in ditionibus confirmationem, tutum certumque redderet, eos Toletum, primo sui regni anno qui Christi 681. erat, congregavit. Januarii dies 9. initium, & 25. finem concilio dedit. Ei adfuere Episcopi triginta

ginta quinque, Juliano Toletano præside, abbates quatuor; presbyteri duo; & diaconus unus, absentium Episcoporum vices agentes, & Palatii officiarii, Proceres quindecim. Edidit concilium canones tredecim.

Primus. Enuntiat concilii Patres se suscipere definitiones fidei quas generalia priora quatuor concilia edidere. Ervigii quoque electionem, & Wambæ abdicationem, super exhibitis monumentis, Episcopi ratas habent; approbant nempe actum, a Palatii primoribus signatum, quibus præsentibus Wamba religionis habitum & tonsuram acceperat; ejus decretum quo Ervigium successorem suum declarabat; ad Julianum Toletanum monitum super ratione qua in peragenda Ervigii unctione se gerere deberet; edendamque novi hujus Regis expositam consecrationem; declarantque proinde populos a fidelitatis jurejurando liberos quod Wambæ præstiterant; eosdemque jubent Ervigium sibi legitimum Regem agnoscere, eique hoc titulo obsequi, secus anathemate percellendos.

2. Eos qui, morbi tempore, cum etiam linguæ usu sensuque carerent, pœnitentiam susceperunt, ejus exercitationes integre servare jubet, si deinde convaluerint, & ad militaria munia regressu interdicit; ut autem ostendat iis pœnitentiam imponi posse qui cognitionis expertes sunt, infantium exemplum affert, qui licet Baptismum sine cognitione perceperint, ejus tamen obligationibus subsunt. Eam nihilominus a presbytero petentibus tantum concessam vult; ut proinde quicunque pœnitentiam iis dederit qui notitiam amiserint, excommunicationi ad annum subdendus sit.

3. Mandat, ut, qui communioni propterea privati fuere, quod alicujus in Principem aut rempublicam criminis rei essent, in ecclesiasticam communionem restituantur, cum primum eos Princeps in gratiam receperit, suæve ad mensæ honorem extulerit.

Est sane animadvertendum, hoc in canone, de iis tantum agi, qui communione spoliati fuerant, quia se aliquo in Principem, aut rempublicam crimine obstrinxerant; si enim de excommunicatione actum esset ob crimen lata quod nec Principem ipsum, nec regiminis & reipublicæ bonum spectaret, excommunicato nihil profuisset Principis favor.

4. Ordinari vetat Episcopos, ubi nullus adhuc Episcopus fuit, in ruribus peculiariter seu vicis, & in suburbiis, ne, contra ac statuunt canones, duo in eadem urbe Episcopi esse videantur. Itaque, nominatim, Episcopi, rurali in loco in quo nullus antea Episcopus fuerat, ordinationem damnat quam Emeritanus Episcopus, a Rege Wamba coactus ediderat; hanc novi episcopatus erectionem abrogat; &, nihilominus, quin novum Episcopum deponat, ei, ex gratia, episcopatum designat qui primus vacaverit.

5. Damnat aliquorum sacerdotum usum, qui pluries, eadem die, sacrificium offerentes, in postrema tantum Missa communicabant; mandatque, ut, quoties Christi Domini Corpus & Sanguinem super altari immolaverint, toties ejusdem Corporis & Sanguinis participes fiant.

Walfriddus Strabo, noni sæculi Scriptor, memoriæ tradit, in *Lib. de Reb. Eccl. cap.* 21., Summum Pontificem Leonem IV. Missas novem usque, una eademque die, dicere consuevisse. Vetitum, subsecutis temporibus, fuit, ne quis sacerdos pluries, eadem die, sacrum faceret, certis quibusdam exceptis diebus, & necessitatum casibus, atque annuente quidem Episcopo: *Sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare . . . . . Non modica res est unam Missam facere; & valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit.* Ex Gratian. *de Cons. D. I. cap. sufficit.*

6. Eam Toletano Episcopo facultatem tribuit, ut omnes Hispaniarum Episcopos ordinet, e Regis delectu, quin tamen ulla ex parte lædantur provinciarum jura, eaque lege, ut Toletanus Episcopus novum electum episcopatu dignum judicet, & hic quidem, intra menses tres, documenta percepturus metropolitano se sistat.

7. Wambæ legem abrogat quæ eos ferendi testimonii jure privabat qui, publicis rationibus ita postulantibus, arma non sumpserant; & ejusmodi quidem homines haud tamquam infames rejectos vult.

8. Vetat, ne viri conjuges deserant, nisi fornicationis causa, iisdemque minitatur fore, ut a fidelium societate, ecclesiæque communione, nisi ad eas redierint, segregentur.

9. Leges in Judæos editas renovat.

10. Iis concedit asyli jus qui se in ecclesias recipiunt, & ad triginta circum passus, ea tamen conditione, ut iis reddantur qui eosdem a se haud male habendos juraverint.

11. Excommunicatione, aliisque gravibus indictis pœnis, ethnicas plures superstitiones vetat quæ adhuc in Hispania locum habebant.

12. Mandat, ut, quotannis, provinciale concilium, Kalend. Novembr. habeatur.

13. Vota continet ad regni Ervigii prosperitatem, & gratiarum ad eumdem actiones qui concilium coegerit. Princeps hic, ut ejus decreta firmaret, edictum tulit, die 25. Januarii an. 681. datum, *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan: Tom. IV.*

XIII. Concilium Toletanum, an. 683.

Concilium hoc anno quarto regni Ervigii, scilicet, an. 683. die 4. Novembris, habitum est. Ad illud Episcopi quadraginta octo, absentium Episcoporum deputati viginti septem, abbates quinque, Toletanæ Ecclesiæ archipresbyter; archidiaconus & primicerius, denique proceres viginti sex convenerunt. Cum porro rex Ervigius libellum plura capita continentem, super quibus ut aliquid statueretur, in votis habebat, ad concilium misisset, Episcopi sanctiones, seu, canones duodecim edidere, libelli sibi a Principe exhibiti ratione habita; initio ducto a fidei confessione, scilicet a recitatione Nicæni Symboli quod ab omnibus, tum quidem, in Hispaniarum ecclesiis, Missæ tempore, canebatur.

Primus. Injuriarum oblivionem continet in eorum gratiam qui cum homine cui nomen Paulo, in regem Wambam & in publicum regimen conspiraverant.

2. Contra clericos & aulæ proceres, criminum accusatos procedendi rationem moderatur. Suis eos bonis suisque dignitatibus spoliari, in vincula vel in carcerem conjici, virgis cædi, quæstioni subdi, aliove prorsus supplicio plecti vetat, quoad in presbyterorum, seniorum & magistratuum competentium cœtu rite judicati fuerint.

3. Remittit tributorum reliqua, ad primum usque Ervigii regnantis annum, eosque omnes anathemate plectit, qui huic sanctioni refragari ausi fuerint.

4. Vetat etiam, sub anathematis pœna, regis Ervigii seu conjugi, seu filiis mali quicquam inferri.

5. Licere non vult Regum viduis iterum, vel Regi nubere; quod si quis eas sibi conjuges sumpserit, excommunicationi suberit.

Longius etiam progreditur Cæsaraugustanum concilium tertium, jubetque Regum viduas in aliquo monasterio, religionis habitum sumere, ibique reliquum vitæ tempus transigere. Id his canonibus propositum est, ut turbas antevertant quæ suboriri possent, si forte ambitiosus quispiam qui Regis viduam sibi conjugem addidisset, hac obducta causa, ejus regnum, in legitimorum successorum præjudicium, usurpare vellet. Huic tamen rationi nec fundamenti, nec roboris satis inesse videtur, ut vidua non modo viduitatem servare, sed etiam suis ingratiis, & contra ac suapte natura fertur, religioni in monasterio nomen dare jubeatur. Videtur id cum naturali divinoque jure pugnare.

6. Declarat nec servos, nec libertos, iis exceptis qui e fisco sunt, ullum in palatio, aut regiis in terris munus obire posse.

7. Ecclesiasticos deponi vult qui ut sibi illatas molestias reparent, altaria expoliant, cereos extinguunt, lugubrem in modum Ecclesiam instruunt, aut a Missæ sacrificio offerendo abstinent.

8. Episcopos, excommunicationis indicta pœna, jubet ad Metropolitanum pergere, cum ab eo vel ad aliquas, ut Paschatis, Pentecostes & Natalis Dominici, solemnitates celebrandas, vel ad Episcopos consecrandos, vel ad Regis jussa executioni mandanda vocati fuerint.

9. Confirmat duodecimi Toletani concilii canones.

10. Gaudentium, Valeriæ Episcopum qui, cum in morbum incidisset, pœnitentiæ addictus fuerat, quin ullum crimen confessus esset, suas functiones obire & sancta mysteria celebrare, secundum sanctos canones, finit. Hac oblata occasione, edita est universim lex, ut Episcopi qui periculoso morbo laborantes, pœnitentiam, per manuum impositionem, suscepissent, ad sua munia, postquam a metropolitano reconciliati essent, regredi possent; at, si ante susceptam pœnitentiam, criminis convicti essent, eamve suscipientes, se alicujus criminis reos enuntiassent, a suis functionibus abstinerent, quoad metropolitanus aliter statueret. Qui vero, cum aliqua occulta peccata patrassent, ea confessi non fuerint, traduntur ipsi sibi suæque conscientiæ, suam ut dignitatem vel abdicent, vel, occultam pœnitentiam agentes, servent.

11. Vetat, ne quis alterius Episcopi clericum retineat, recipiatve, aut ejus fugæ faveat, aut eidem delitescendi rationem suppeditet; quod non solum de presby-

presbyteris, diaconis & clericis cæteris, sed de abbatibus quoque & monachis intelligitur. Declarat deinde in fugitivorum numero non esse ponendos eos qui negotiorum causâ ad metropolitanum se conferunt.

12. Pronuntiat clericum qui, cum ei suo cum Episcopo res sit, apud metropolitanum se recipit, ab Episcopo excommunicationi subdendum non esse, antequam metropolitanus judicaverit eum excommunicatione dignum esse. Potest etiam, si forte a metropolitano læsus fuerit, ad Principem confugere. At si excommunicatus esset, priusquam vel ad synodum, vel ad metropolitanum, vel ad Regem confugeret, excommunicatus remaneret, quoad se ipse purgasset. Explicit concilium per acta Ervigio regi gratias, perque edita in ejus prosperitatem ad cælum vota. *Reg. Tom. XVII. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.* Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. IV.*

XIV. Toletanum Concilium, an. 684.

Inchoatum Concilium hoc die 14 Novembris an. 684. qui regnantis Ervigii quintus erat, ejusdemque mensis die 23. absolutum fuit. Ei septendecim Episcopi cum abbatibus sex, itemque sex absentium Episcoporum deputatis interfuerunt. Convocationis hujus concilii causa fuit eorum confirmatio quæ contra Monothelitarum errores in sexto generali concilio, Constantinopoli habito, gesta fuerant. Episcopi qui Constantinopolitanum concilium tamquam generale non habebant, quia ad illud ipsi vocati non fuerant, ejus acta examinarunt; contulere cum prioribus conciliis quatuor; approbarunt receperuntque cum observantia, & in album, post ea quatuor concilia, retulerunt. Suam deinde super Incarnatione fidem explicant, fatenturque, disertis verbis, in Christo Domino voluntates duas, divinam unam, humanam alteram, & operationes itidem duas, dicta in eos anathemata, quicunque non credunt Jesum Christum esse verum Deum & perfectum hominem in una eademque persona. Continetur id capitibus seu canonibus decem. Subscripsere Fidei definitioni quam Constantinopolitanum concilium ediderat, eamque subscriptionem una cum Libro in quo fusius fidem suam explicabant, ad Leonem Papam II. miserunt. At cum Benedictus II. Leonis successor in eo Libro locutiones aliquas comperisset quæ parum emendatæ ei visæ sunt; id sequentis concilii celebrationi locum præbuit.

XV. Toletanum Concilium, an. 688.

Habitum fuit concilium hoc die 11. mensis Maji an. 688. qui pontificatûs Papæ Sergii, itemque Egicæ, generi & successoris Ervigii, primus fuit. Ad hoc unus & sexaginta Episcopi cum abbatibus novem, Toletanæ ecclesiæ archidiacono & primicerio, presbyteris quinque quorum duo abbates erant absentium Episcoporum loco, & septendecim comitibus, se contulerunt. Coactum est in Palatii ecclesia concilium, eique Egica ipse rex adfuit. Initium concilio dedit locutionum discussio quæ Papæ Benedicto haud satis probatæ fuerant.

Prima erat hæc: „ Voluntas genuit voluntatem, ut „ sapientia sapientiam genuit. “ Ita efferebatur altera; „ Tres in Christo substantiæ sunt. “

Asseruere Toletani concilii Patres locutiones has accuratas esse, easque allatis S. Athanasii, S. Augustini & S. Cyrilli testimoniis purgarant firmaruntque. Dei voluntas, inquiunt, communis est Personis tribus, perinde ac sapientia divinæque perfectiones reliquæ; Deique voluntas nihil est aliud quam ejus natura, ejus substantia & ejus essentia. Dici proinde potest Patris voluntas Filii voluntatem genuisse, seu Filius ex Patris voluntate genitus fuisse; quemadmodum dici potest Filius e Patris natura, substantia & essentia natus, seu, genitus esse, tametsi una tantum & unica in divinis Personis tribus essentia sit.

Quod attinet ad substantias tres quas in Christo Domino agnoscunt concilii Patres, id ipsi de Corpore, de Anima & de Divinitate intelligunt. Asserunt ergo Christum Dominum, cum ex Corpore, ex Anima & ex Divinitate constet, dici posse, hac sane notione, trium substantiarum esse, quamvis, si corpus & anima humana pro una tantum natura unaque substantia sumantur, dicendum sit in eo non nisi naturas duas duasque substantias esse. Egerunt deinde Episcopi de duplici jurejurando ab Egica rege qui concilio aderat, præstito. Duo juraverat Princeps hic quæ inter se contraria videbantur. Per jusjurandum primum, Ervigio regi promiserat se ejus filiorum defensionem suscepturum contra aggressorem quemque; per alterum, suis se subditis omnibus jus redditurum recepe-rat. Verum, inquit Princeps, ut Ervigii filios defendere possim, quin jus negem pluribus quos ille vel bonis injuste spoliavit, vel in servitutem redegit, vel iniquis judiciis oppressit. Hæc ad Egicam regem Episcoporum responsio fuit, ea juramenta duo contraria non esse, quandoquidem censebatur suos se leviros non nisi secundum æquitatis leges defensurum promisisse; at, siquidem optione opus esset, juris omnibus & singulis subditis tribuendi promissionem jurejurando firmatam perviocere debere, quia publicum bonum privato præferendum est. Concilii decreta Rex per edictum confirmavit. *Ibidem.*

Concilium Cæsaraugustanum, an. 691.

Concilium hoc an. 691. Kalend. Novembr. habitum est, ediditque canones quinque.

Primus, Statuit, ut ecclesiarum dedicatio die dominica peragatur.

2. Episcopos jubet super celebrandi Paschatis die metropolitanum consulere & ad ejus, quoad hanc rem, sanctionem se conformare, ut hæc solemnitas uno & eodem ubique tempore celebretur.

3. Vetat, ne monachi, in intimum claustrum, sæculares recipiant, ibidem manendi causa, nisi perspectæ probitatis personæ sint, aut pauperes, in hospitalitatis modum.

4. Mandat, ut Ecclesiæ servi quos Episcopus manumiserit, ostendant successori, intra annum ab ejus morte, suæ manumissionis Litteras, secus in servitutem redigendi.

5. Jubet Regum viduas religiosarum habitum sumere, & se, quod iis reliquum vitæ fuerit, in monasterium concludere, ne quia in eas, siquidem in civili societate remanserint, observantiæ desit, aut ne cui eædem despicatui obnoxiæ sint. *Ibidem.*

Concilium Constantinopolitanum, dictum Quinisextum, *seu* in Trullo, *seu* Trullanum, *an.* 692.

Convocatum fuit concilium hoc imperatoris Justiniani II. jussu qui patri Constantino Pogonato, an. 684. vita functo successerat. Ei ducenti & undecim Episcopi interfuere celebrato in palatii domo, nomine *Trullo*, ubi scilicet, ante annos circiter undecim, generale concilium sextum habitum fuerat. At *Trulli*, vel, *in Trullo* nomen concilio remansit quod, rerum potiente Justiniano II. coactum fuit, & cui nomen etiam indictum *Quini Sexti*, ut palam fieret duorum illud superiorum conciliorum purum putumque supplementum fuisse. Spectarunt illud Græci tamquam generale concilium; at Latini rejecerunt, eique Papa Sergius, vehementer licet instante Justiniano imperatore, subscribere nunquam voluit. Et sane Papa nec ejus convocationis omnino particeps fuerat, nec eidem vel ipse per se, vel per legatos suos interfuerat. In eo editi canones centum & duo qui deinde disciplinæ corpus, ad Orientis ecclesias quod attinet, confecerunt. In iis Episcopi edicunt initio statim se omnia priorum sex generalium conciliorum decreta recipere; damnare errores & personas quibus in ita indicta damnatio, & Apostolorum fidem omni ex parte sartam tectam servare. Tum canones recensent quos sequi volunt, scilicet, octoginta quinque qui Apostolis tribuuntur, Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, Ephesinos, Chalcedonenses, Sardicenses, Carthaginenses, Conciliorumque Constantinopolitani sub Nectario, & Alexandrini sub Theophilo; at apostolicas Constitutiones, S. Clementis nomine utpote ab hæreticis depravatas rejiciunt, e converso, approbant S. Dionysii & S. Petri Alexandrinorum Præsulum, S. Gregorii Thaumaturgi, S. Athanasii, S. Basilii, S. Gregorii Nysseni, S. Gregorii Nazianzeni, S. Amphilochii, Timothei, Theophili & S. Cyrilli, Gennadii, patriarchæ Constantinopolitani canonicas Epistolas, editamque, in unius Africanæ ecclesiæ gratiam, a S. Cypriano ejusque concilio Constitutionem; quæ quidem esse creditur Carthaginensis concilii Præfatio in qua ait pater hic „ id sibi neminem arrogare de„ bere, ut sit episcoporum episcopus, suosve colle„ gas per tyrannicum metum ad obediendum adige„ re “

3. Canon eos qui ad diem usque 15. Januarii an. 691. conjugati fuere, quin vellent conjugium dissolvere, deponi jubet; eos vero quorum conjugia ante id temporis soluta fuerint, suum gradum servare, quin ullam tamen suæ dignitatis functionem obire possint; vetatque, ne in posterum, quicunque bis matrimonium inierit, aut concubinam post baptismum habuerit, aut viduam, repudiatam, prostitutam, captivam,

vam, conjugem duxerit, Epiſcopus, presbyter aut diaconus ordinetur, ullove alio in clerum gradu cooptetur.

4. In eos e clero, quibus cum virgine Deo conſecrata commercium fuerit, depoſitionis, & in laicos ejuſdem criminis reos excommunicationis pœnam pronuntiat.

5. Renovat antiquos canones qui vetant, depoſitionis indicta pœna, ne clerici exteras feminas apud ſe detineant, cui legi eunuchos ipſos ſubeſſe vult.

6. Eidem depoſitionis pœnæ ſubdiaconos, diaconos & presbyteros ſubdit qui matrimonium inierint; ſi quis matrimonio ſe obſtringere voluerit, id ſane faciat, antequam eorum ordinum ullum ſuſcipiat.

7. Diaconos coram presbytero ſedere vetat, niſi forte alia in urbe patriarchæ ſeu metropolitani perſonam exhibeant.

8. Provinciale concilium, ſingulis, ſemel, annis, haberi jubet.

9. Clericos vetat caupones agere; & 10. refractariis depoſitionem minitatur.

11. Vetat, ſub eadem pœna, ne quis eorum fœnori det, ne cum Judæis azymos panes comedat, ne ullo cum iis commercio aut familiaritate jungatur, ne eos, morbi tempore, arceſſat, ne eorum remedia ſumat, ne balneo cum iiſdem utatur.

12. Eamdem depoſitionis pœnam in Epiſcopos ſtatuit, qui ſuis cum uxoribus degunt.

13. Declarat, cum quiſpiam dignus compertus fuerit qui ſubdiaconus, diaconus aut presbyter ordinetur, haud jubendum eſſe promittere, ordinationis ſuæ tempore, fore, ut a conjugis ſocietate deinceps abſtineat, ne matrimonium a Deo inſtitutum, ac per ipſius præſentiam benedictum dedecoretur. Conſtitutionem hanc firmant Epiſcopi per quinti Carthaginenſis concilii, an. 400. habiti, canonem quem non intelligebant, quoniam in eo jubentur expreſſis verbis „ ſubdiaconi, diaconi, presbyteri & Epiſcopi a ſuis uxoribus „ abſtinere, *ſecundum ſtatuta vetera*, & eſſe tamquam „ eas non haberent. “ Cum porro legere deberent in eo canone, *ſecundum ſtatuta vetera*, legunt, *ſecundum terminos præſcriptos*; quod iis credendi locum præbuit Carthaginenſe concilium non vetuiſſe matrimonii uſum ſubdiaconis, diaconis & presbyteris niſi certis quibuſdam temporibus, nempe cum ad altaria accedebant, jejuniique diebus preci addictis.

14. Presbyteratui triceſimum ætatis annum, & diaconatui viceſimum quintum ſtatuit, ſecundum veteres canones.

15. Subdiaconatui viceſimum ætatis annum deſignat.

16. Neocæſarienſis concilii ſtatutum rejicit quod vetat, ne diaconi plures quam ſeptem, in qualibet, vel majorum urbium, eccleſia ſint, quia in Apoſtolorum Actis non ſit majoris diaconorum numeri mentio. Conſtantinopolitani Patres hanc explicationem damnant, contenduntque diaconos ſeptem de quibus in Actorum Libro ſermo eſt, communium tantum menſarum, non autem altarium miniſtros fuiſſe.

17. Pronuntiat clericos qui eccleſias ſuas deſeruerint, ut ad alias eccleſias migrent, ſine ſui Epiſcopi venia, in alterius eccleſiæ Catalogum referri non poſſe, ſine proprii Epiſcopi dimiſſorialibus Litteris.

18. Clericos qui ſuas eccleſias deſerere coacti fuerint, ad eas, cum primum iis liberum fuerit, redire jubet.

19. Eos penes quos eccleſiarum regimen eſt, explicare vult clero & populo ſacras Litteras, ut eos pietate veraque fide imbuat, conventus diebus ſingulis, Dominicis autem potiſſimum.

20. Si qua diſputatio ſuper fidei negotio ſuborta fuerit, eam veteribus Eccleſiæ doctoribus facem præferentibus ſolutam vult.

21. „ Non licet Epiſcopo in urbe quæ ex ejus diœ„ ceſi non eſt, publice prædicare. “

22. Clericis depoſitis ea datur venia, ut, ſi ſuorum „ criminum pœnitentiam egerint, breves capillos, ut „ cæteri clerici, deferent; at, ſi ſuis tantum ingratiis „ pœnitentiæ ſtatum amplexi fuerint, gerent, laicorum „ inſtar, promiſſam comam. “

23. „ Qui pro Ordinibus pecuniam dederunt, qui„ que acceperunt, deponentur. “

24. „ In omnes eccleſiaſticos, ſecus, ſimoniacos ha„ bendos, interdictio, ne pecuniam aut quicquam aliud „ exigant, ut ſanctam Communionem tribuant. Iidem „ prohibentur etiam equorum curſibus atque hiſtrio„ num ſpectaculis intereſſe, eorumve aliquam curam „ ſumere. “

25. Adjudicat rurales parœcias Epiſcopo qui eas regit ex annis triginta, ut ei tamen qui eas revindicare voluerit, liceat, ante hunc elapſum terminum, in provinciæ concilio probare eas ad Epiſcopum qui earumdem detentor eſt, non pertinere.

26. „ Presbyter quem, ex ignorantia, illicito ma„ trimonio obſtrictum eſſe contigerit, haud is qui„ dem deponetur; at non ei tamen licebit ullam ſui „ ordinis functionem peragere, ut proinde nec bene„ dicere ſeu publice ſeu privatim, nec communionem „ tribuere poſſit. “

27. „ Prohibiti clerici, aliter per hebdomadam ſe„ parandi, alias quam ſui ſtatus proprias veſtes, vel „ in urbe, vel per iter, deterre. “ Tum ergo, in Oriente, clerici a laicis tonſura & veſtibus diſtinguebantur.

28. „ Racemus qui cum Euchariſtia diſtribui con„ ſuevit, ſeparatim benedicetur, primitiarum inſtar, „ ex eodemque ſeparatim quoque petentibus dabitur. “

29. „ Presbyteri celebrabunt ſemper Miſſam jejuni, „ quinta ipſa majoris hebdomadæ Feria, quamvis Car„ thaginenſe concilium tertium diem hunc exceperit „ ob cauſas quæ firmæ aptæque tum quidem erant, „ ac non amplius ſubſiſtunt. “

30. „ Si presbyteri qui inter Barbaros verſantur, „ ſe a conjugibus ſeparare voluerint, communi con„ ſenſu, ſe veluti volentes erigere ſupra Apoſtolorum „ canonem qui vetat, religionis ſpecie, conjugem de„ ſeri, non iis amplius licebit, ulla prorſus ratione, „ cum iiſdem conjugibus degere, ut in hunc modum „ oſtendant ſe reapſe, quod promiſerunt, perficere „ velle. “

31. „ Cum clerici in privatarum ædium oratoriis, „ ſine Epiſcopi nutu, nec baptizare, nec Myſteria „ celebrare poſſint; qui ſecus egerint, deponentur. “

32. & 33. Is apud Armenos vigebat mos, ut ſine aqua Euchariſtiam conſecrarent, eoſque tantum qui e ſacerdotali ſtirpe erant, in clerum reciperent; has conſuetudines concilium damnat, pronuntiatque, in clericorum delectu, nihil aliud quam meritum ſpectandum eſſe. Lectores præterea prohibet in eccleſia publice legere, niſi cæſis capillis ſint, ſuique paſtoris benedictionem ſuſceperint.

34. „ Clerici vel monachi qui ſuos in Epiſcopos „ aut confratres conſpiraverint, gradu quem obtinent, „ ſpoliabuntur. “

35. „ Ad Epiſcopi mortem, metropolitanus nec „ ejus, nec ejuſdem eccleſiæ bonis potiri poterit, ſed „ ea remanebunt in clericorum cuſtodia, ad novi Epiſ„ copi electionem uſque; ſi deſint clerici, ea metro„ politanus ſucceſſori ſervabit. “

36. Conciliorum Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis conſtitutiones renovat quæ Conſtantinopolitanæ ſedi eadem quæ Romanæ ſedi, privilegia, eamdemque in eccleſiaſticis negotiis auctoritatem concedit, tribuitque ei quidem ſedi gradum ſecundum, Alexandrinæ tertium, Antiochenæ quartum; & Hieroſolymitanæ quintum.

37. „ Epiſcopi qui, ob Barbarorum incurſiones, „ ſuarum eccleſiarum poſſeſſionem inire non potuerunt, „ ſuam Epiſcoporum dignitatem gradumque ſervabunt, „ cum poteſtate clericos ordinandi. “ Hæc ſcilicet Epiſcoporum *in partibus infidelium* origo eſt.

38. Confirmatur Chalcedonenſis concilii duodecimus canon qui ſtatuit, ut urbium quas imperialis poteſtas extruxit vel inſtauravit, eccleſiæ ſequantur diſpoſitionem urbium Imperii.

39. Cum Joannes, metropolitanus inſulæ Cypri, coactus eſſet egredi cum populo, quia inſula a Barbaris capta fuerat, & ad novam urbem Juſtinianopolim, ubi conſiſteret, ſe conferre, ei ſervatur eccleſiarum Helleſponti regimen, cum eo jure, ut a provinciæ Epiſcopis eligatur; eidem ſubditur epiſcopus Cyzicenus qui a Juſtinianopolitana eccleſia pendebat.

40. „ Natus annos decem recipi monachus poteſt, „ tametſi S. Baſilius non niſi decimo ſeptimo ætatis „ anno licere voluerit monachos recipi. “

41. & 42. Iis tantum venia datur, ut ſolitarii ſint qui per annos triginta in monaſterio verſati ſunt, prohibeturque, ne tolerentur in urbibus errones qui *eremitarum* nomen ſumunt, longoſque capillos cum nigris veſtibus geſtant.

43. Recipi poſſunt omnis generis homines, majores etiam peccatores, in monaſteria, quia vita monaſtica pœnitentiæ ſtatus eſt.

44. „ Monachus, fornicationis aut initi matrimonii „ convictus pœnam a canonibus in fornicatores præ„ ſcriptam ſubibit. “

45. „ Ornari non licebit pretioſis veſtibus gemmiſ„ que puellas quæ religioſarum habitum ſumunt. “

46. „ In religioſos religioſaſque interdictio, ne egre„ diantur e Monaſterio, quin is aut ea veniam dent, „ quibus ejus regimen eſt; & in veniæ quidem caſu, „ ne exeant, niſi ſeniore comite. “

47. „ In-

47. „ Interdictio, in monachos quidem, ne in puellarum, in puellas vero, ne in virorum monasteriis dormiant."

48. „ Interdictio, ne monasteria „ Episcopi auctoritate consecrata, in profanos usus vertantur, aut sæcularibus dentur."

49. „ Ejus uxor qui Episcopus electus fuerit, ab eaque se, communi consensu, ante electionem, sejunxerit, debebit, ante viri ordinationem, in monasterium ab eo dissitum se recipere."

50. „ Aleæ clericis, sub depositionis, laicis, sub excommunicationis pœna, vetitæ sunt."

51. Iisdem, sub iisdem pœnis, interdicitur, ne spectaculis & certaminibus cum feris intersint, Mimorumve aut Saltatorum, in theatro, personas agant.

52. „ Celebranda præcipitur, omnibus per Quadragesimam diebus, præsanctificatorum Missa, exceptis sabbatis, diebus dominicis, & Annuntiationis die."

53. „ Qui infantes ad baptismi fontem susceperunt, prohibentur eorumdem matrem, si forte vidua evaserit, conjugem ducere."

54. „ Interdictio, ne quis patrui filiam, ne pater & filius matrem & filiam, aut sorores duas, ne denique fratres duo duas sorores sibi conjuges sumant."

55. & 89. Vetat concilium jejunari Quadragesimæ sabbatis, excepto sabbato sancto quo die jejunandum ad mediam noctem usque; mandatque, ut Romana ecclesia suam, quoad caput hoc, consuetudinem mutet. Fuit hæc rationum una, propter quas rejecit Romana Ecclesia concilium hoc.

56. „ Interdictio, ne comedantur ova & caseus diebus Dominicis & Sabbatis Quadragesimæ."

57. „ Interdictio, ne lac & mel ad altare offerantur."

58. „ In laicos interdictio, ne, coram Episcopo, presbytero & diacono, Eucharistiam ipsi administrent."

59. „ Interdictio, ne in capellis domesticis baptizetur."

60. & 61. Mandatur, ut gravibus asperisque laboribus onerentur qui se a dæmone possessos simulant, habeanturque, tanquam si reapse ejusmodi essent; & excommunicationi subdantur, ad annos sex, divini quique eos consulunt; qui vates hujusce generis bellua ducunt, ut rudes homines oblectent decipiantve, qui bona eventa distitant, & circulatorum genus omne.

62. 63. 64. 65. Mandatur, ut supprimantur indecentes ludi plures qui calendarum diebus agitabantur; feminarum choreæ publicæ; feminarum in viris, aut virorum in feminis larvæ; personarum usus & Bacchi invocatio, vindemiæ tempore, ut flammis devoveantur falsæ Martyrum historiæ, ab Ecclesiæ hostibus, ad Dei & Religionis dedecus, confictæ; ut omnes sermocinationes aut disputationes publicæ super Religione laicis interdicantur, impediaturque, ne ignis ad officinas domosve, novis lunis exorientibus, accendatur.

66. & 67. „ Totam Paschatis hebdomadam fideles, festivum in modum interque pietatis officia, transigent, canendis psalmis, hymnis & spiritalibus canticis, divinarumque Scripturarum lectioni in Ecclesia vacantes, quin iis, per illud omne tempus, liceat equorum cursibus, ullisve aliis publicis spectaculis interesse."

68. „ Fideles nullius animalis sanguinem comedent, depositionis in clericos, & excommunicationis in laicos indicta pœna."

69. „ Nemini licebit comburere, lacerare, aut sutoribus aliisve id genus hominibus vendere Evangeliorum Libros, nisi prorsus inutiles evaserint, quod computruerint, aut a vermibus corrosi fuerint."

70. „ Sanctuarii aditus, scilicet, altaris ambitus laicis omnibus interdicetur, præter quam Imperatori qui eo ingredi poterit oblationem suam editurus, ex usu veteri."

71. & 72. „ Interdictio, ne feminæ, in ipsa sancti sacrificii celebratione, loquantur; ne, qui ad civilium legum studium incumbunt, imitentur ethnicorum mores, ut in theatro prostent, incedantque aliter induti atque ejusmodi professionis homines in more habent; & ne Catholici hæreticas conjuges ducant, ea statuta pœna, ut eorum matrimonia irrita & nulla sint." Canon hic qui nulla declarat Catholicorum cum hæreticis matrimonia, cum Latinæ Ecclesiæ disciplina pugnat.

73. Erga crucis salutare signum veneratio commendatur; & ut ei debitus servetur honos, illud super pavimento notari prohibetur, ne nostræ victoriæ trophæum pedibus proteratur.

74. Agapas, seu charitatis convivia in ecclesiis peragi vetat.

75. Nihil ibi nisi quod deceat, & id quidem, sine perturbatione, sine conatu, cum modestia & attentione canetur.

76. Non feretur in ecclesiarum ambitu seu caupona, seu mercatorum officina; Christus enim Dominus vetuit, ne ejus Patris domus in commercii & negotiationis domum verteretur.

77. „ Christianus quisque cavere debet, ne cum feminis in balneo consistat; laici, hujus culpæ rei, excommunicatione plectentur, & clerici deponentur."

78. „ Qui baptizari cupiunt, imbuentur fidei rudimentis, ducenturque ad Episcopum, vel ad presbyteros, hebdomadæ quinta die."

79. „ Interdictio, ne dentur placentæ in Natali Domini, prætexto sanctæ Virginis partu, quæ reapse in puerperio non fuit, cum haud communi, sed ineffabili ratione pepererit."

80. „ Qui, absque necessitate, ab ecclesia continuis tribus dominicis diebus abfuerint, si clerici sint, deponentur, si laici, excommunicationi subdentur."

81. „ Sub anathematis pœna, interdictio, ne trisagio addantur ea verba: *Qui crucifixus es pro nobis*."

82. Jubet, in posterum, pingi Christum Dominum sub humana, utpote digniore quam agni quem S. Joannes digito monstravit, forma sub qua in pluribus imaginibus exhibebatur.

83. „ Interdictio, ne mortuis Eucharistia tribuatur, iis scilicet in os ingeratur."

84. „ Baptizari jubentur infantes de quorum baptismo ex certis probationibus non constiterit."

85. Conceditur servis libertas, quos domini, coram duobus tribusve testibus, manumiserint.

86. Damnantur ad depositionis pœnam clerici qui id agent commercii, ut pravæ vitæ feminas alant congerantque. Laici porro, ejusdem criminis rei, excommunicationi suberunt.

87. „ Si conjux virum deserit, ut alteri nubat, adulterii notam subit, & digna est quæ puniatur ex ecclesiæ legibus; ejus tamen vir non proinde Communione privabitur. Idem de Viro dicitur qui conjugem deserit, ut alteram ducat. Illi porro non recipientur ad Communionem nisi post pœnitentiæ annos septem, secundum gradus qui notantur in S. Basilii canone quinquagesimo septimo."

88. „ Interdictio, ne, quæcunque tandem fuerit, bellua in ecclesiam inducatur, nisi per iter, absoluta pollulante necessitate, ut sub tecto ponatur animal quod e viatoris usu est."

89. Renovatur interdictio, ne oretur die dominico flexis genibus, quod a sabbati vesperis ad finem usque Officiorum diei dominici intelligendum.

91. „ Qui aut quæ abortum sollicitaverint, homicidarum pœnæ suberunt."

92. „ Qui, sub *matrimonii* nomine, feminas rapiunt, suumve raptoribus subsidium præstant, deponentur, si clerici fuerint, & excommunicatione percellentur, si laici."

93. Damnantur eorum earumve connubia, quibus de virorum uxorumve morte certo non constat, mandaturque, ut, si post ejusmodi connubia, prior vir redierit, eum femina recipiat.

94. „ Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne eadem qua ethnici, jurandi ratione fideles utantur."

95. „ Hæretici quorum Baptisma validum judicatur, in Ecclesiam recipientur, errorum abjuratione, per scriptum, edita; iisque Spiritus Sancti sigillum dabitur, cum sancti Chrismatis ad frontem, ad oculos, ad nares, ad os & ad aures unctione; at quorum Baptisma validum non censetur, cujusmodi Eunomiani, Montanistæ, Sabelliani & Paulianistæ sunt, hi quidem excipientur ut ethnici, nempe, catechumeni fient, ac deinde baptizabuntur."

96. „ Cum omnis sit vanitas vetita iis qui se puritatem vitæ Christi Domini imitaturos in Baptismate promiserunt, prohibentur fideles proinde sibi capillos ad artem crispare, ne scandalum infirmis creent."

97. „ Prohibiti viri, ne Tuia cum uxoribus in ecclesiarum ambitu degant, easve ulla prorsus alia ratione profanent."

98. „ Interdictio, ne ducatur alterius sponsa, dum sponsus in vivis est."

99. „ Interdictio, sub excommunicationis pœna, ne servetur Armenorum mos qui carnes in ecclesiarum ambitu coctas, in Judæorum modum, presbyteris offerebant."

100. „ Interdictio, sub eadem pœna, ne inhonestæ picturæ quæ corrumpendis moribus, turpibusque „ volu-

„ voluptatibus excitandis accommodatæ sunt, effin„ gantur."

101. „ Qui Eucharistiam suscipere voluerint, eam „ in manus, crucis in modum, unam alteri imposi„ tam, non autem in vas ex auro, ullave alia mate„ ria confectum sument, cum nulla æque pretiosa ma„ teria sit atque hominis corpus, quod Christi Domi„ ni templum est."

102. Iis qui statuti sunt ad liganda & solvenda peccata, commendatur, ut suum ministerium prudenter & sapienter obeant, expendant, an pœnitentia sincera sit, eam ad peccati rationem & ad pœnitentis vires exigant, & ad regulas se conforment quas S. Basilius, in sua ad Amphilochium Epistola, super hac re tradit. Ejusmodi quidem sunt *Trullani*, seu, *in Trullo* dicti concilii canones. Iis Imperator, cinnabari, per privilegium ejus dignitati addictum, subscripsit primus. Relicta est in loco lacuna, ubi Papa subscriberet; tum subscripsere Patriarchæ quatuor, &, secundum hos, concilii Episcopi omnes. *Reg. Tom. XVII. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.*

XVI. Toletanum Concilium, an. 693.

Habitum fuit concilium hoc die 2. mensis Maji an. 693. Ei adsuere quinquaginta novem Episcopi cum abbatibus quinque, & absentium Episcoporum deputatis tribus; adfuit & ipse rex Egica, Comitibus sexdecim septus. Lectus initio statim libellus Episcopis ab eo exhibitus, ea continens de quibus eos in cœtu agere necesse erat; deinde vero longam fidei professionem, ut apud eos erat in more positum, edidere, quam canones tredecim secuti sunt.

Primus. Mandat, ut Judæi qui ad fidem venerint, a tributis quæ fisco solvere consueverant, immunes sint; at leges confirmat jam in ejus nationis homines latas qui in pertinacia persistebant.

2. Invehitur in idololatriæ vestigia, scilicet, eos impetit qui honorem saxis, fontibus aut arboribus deferebant, qui auguria observabant, aut veneficiis operam dabant.

3. Segregat, in omne vitæ tempus, a Christianorum societate eos qui contra naturam peccant, damnatque, ut subsint fustis ictibus centum, ut iis caput ad infamiam radatur, ut exilio, quoad vixerint, plectantur, addita interdictione, ne iis communio nisi in mortis articulo concedatur, & quidem postquam dignos pœnitentiæ fructus egerint.

4. Eum qui desperationis impetu abreptus se ipse occidere voluerit, Communione privat, ad menses duos.

5. Mandat, ut Episcopi ex ruralium ecclesiarum redditibus tertiam partem in reparationes impendant. Eos etiam vetat e suarum diœceseon parœciis, *pro Regis inquisitionibus*, quicquam exigere; denique prohibet, ne plures ecclesiæ eidem presbytero conferantur, ea lege, ut quæ pauciores quam decem servos habuerint, aliis addantur.

Hæc dictio, *inquisitio Regis, tributum* significat quod ecclesiæ debebant Regi solvere, cum id ipse requisisset, quodque, fere, nostris decimis, nostris donis gratuitis, nostrisque jucundis lætisque ob coronæ susceptionem gratulationibus respondebat. Quia porro contingebat interdum, ut Episcopi a suis ecclesiis ejusmodi tributa, variis obductis causis, ultra tertiam quam ex iisdem percipiebant, reddit
uum partem, exigerent; iis proinde concilium abusus hos interdicit, contentosque esse vult redditutum ad eorumdem ecclesias spectantium parte tertia, quippe quæ satis esset, seu ad reparationes, seu ad alias necessitates quas Episcopi prætexebant, ut, cum ad aulam, vel ad exercitum, vel ad concilium convocabantur, aut cum oportebat Regem suscipi, templa decorari, &c.

6. Ad consecrationem adhiberi non vult nisi album, integrum statumque & mediocris quidem magnitudinis panem, quippe qui alendo animo addictus, stomacho gravis esse non debet.

Eo spectat canon hic ut abusum corrigat qui apud Hispaniæ presbyteros nonnullos irrepserat, qui, cum panem ad consecrationem designatum sedulo parare deberent, ejus loco, suo communi pane contenti erant, e quo excerptam in orbem crustulam super altari offerebant.

7. Mandat, ut, sexto post habitum quodque concilium mense, enuntientur ejus decreta in synodo quæ ex abbatibus, presbyteris cleroque universo, cum episcopalis urbis populo, conflata fuerit.

8. In omnibus cathedralibus ecclesiis ruralibusque parœciis, quotidie, pro Rege & regia familia Sacrificium offerri jubet, excepta majoris hebdomadæ Feria sexta, qua die altaria detecta sunt & nemini licet Sacrum facere. Continet etiam sanctiones plures, ut Regum filiis res bene vertant.

9. Sisbertum, Toletanum archiepiscopum, impetit qui Egicæ regi obstrictam jurejurando fidem violaverat, conspirans cum aliis pluribus, ut & regnum & vitam adimeret. Depositum, bonis omnibus spoliatum, sibique in potestatem traditum Rex perpetuo carceri addixit; quem præterea concilium damnavit, ut communionem, nisi Rex favisset, solum moriens perciperet.

10. In eos anathema, semel, iterum ac tertio, pronuntiat qui Regum vitæ insidias struunt, quique alicui, seu in eosdem, seu in rem publicam, conjurationi se socios addunt; quos proinde cum posteris ad mancipiorum conditionem redigit.

11. Nihil aliud continet quam ad Egicæ Regis prosperitatem, eorumque qui fideles perstiterint, incolumitatem vota.

12. In Sisberti locum, cui modo Toletanus Episcopatus ademptus fuerat, Felicem, Hispalensem episcopum, ponit; Felici Faustinum, Bracarensem episcopum, sufficit; Faustino denique Felicem, episcopum Portugalliæ, successorem dat.

13. Narbonensis provinciæ Episcopos qui, pestis causa, ad concilium accedere non potuerant, ejus decretis in concilio quod ipsi Narbone cogent, subscribere jubet. Narbonense concilium edictum fert quo Toletanum confirmat. *Ibid.* & Aguirreus, *Concil. Hispan. Tom. IV.*

XVII. Toletanum Concilium, an. 694.

Habitum fuit concilium hoc die 9. Novembris anno 694. in sanctæ Leocadiæ ecclesia quæ in uno e Toleti suburbiis sita erat. Ei Egica Rex adfuit cum magno Episcoporum numero, sed quorum subscriptiones nobis non suppetunt. In eo editi canones octo.

Primus. Mandat, ut, antequam in conciliis de peculiaribus negotiis agatur, in sanctæ Trinitatis honorem triduo jejunetur; eoque temporis spatio, de Fide, de Episcoporum correctione deque spiritualibus rebus aliis habeatur sermo, quin sæculari cuipiam adesse liceat.

2. A Quadragesimæ exordio ad majoris usque hebdomadæ feriam quintam, baptisterium clausum Episcopique sigillo obsignatum vult, quin recludi possit, nisi gravis necessitas aliter postulet; clausas quoque vult per id temporis ecclesiæ fores; neque enim decere eas, quibus diebus sacrificium non offertur, apertas relinqui.

3. Episcopum quemque, Feria quinta hebdomadæ sanctæ, fratrum pedes lavandi cæremoniam servare jubet, ut se ad Christi Domini exemplum conformet.

4. Presbyteros vetat sacra vasa vel ornamenta ecclesiæ in proprium usum convertere, vendere aut dissipare, ea, secus, indicta pœna, ut communione priventur, eademque de suo restituant.

5. Vetat mortuorum missas pro vivis dici, eo animo, ut iis mors afferatur. Est hæc prohibitio sub pœna depositionis in presbyterum, perpetuique carceris & excommunicationis ad mortem usque tam in ipsum, quam in eum a quo ad ejusmodi sacrilegium patrandum excitatus fuerit.

Ea erat nonnullorum in Hispania presbyterorum impietas & inscitia, ut mortuorum Missas dicerent, & viventibus applicarent, ea mente, ut per hanc applicationem iis mortem inferrent, eaque spe fore, ut voti compotes fierent. Canon ergo hic in impiam & sacrilegam hujusmodi superstitionem editus fuit.

6. Usum renovat in eo positum, ut singulis mensibus litaniæ seu publicæ preces pro Regis prospera valetudine, pro rei publicæ bono, pro remissione peccatorum populi peragerentur.

7. Prohibet, gravibus indictis pœnis, ne Regis filiorum vitæ, eorumve bonis, post ipsius mortem, insidiæ struantur; refertque sanctionem hanc ad Reginam ipsam, siquidem hæc Regis superstes fuerit.

8. Omnes per Hispaniam Judæos damnat, suis ut bonis spolientur, & in perpetuam servitutem redigantur, ea lege, ut ne ii quorum servi fuerint, suas eos cæremonias exercere patiantur, iisdemque filios, ubi ad sept mum ætatis annum pervenerint, in Christiana religione educandos, ac deinde cum christianis in matrimonium jungendos adimant.

Huic canoni locum præbuit plurium Hispaniæ Judæorum in rempublicam & in Christianos conspiratio quam sane probavit exitus. Ut hos quoque canones confirmaret, Rex Egica edictum tulit. *Ibidem.*

Conci-

Concilium (in Anglia) *Bergamstedense*, *an.* 696.

Britovaldus, archiepiscopus Cantuariensis, Gybmundo, episcopo Roffensi, ecclesiasticisque pluribus nationis ordinibus adsistentibus, præfuit concilio huic; cui Withredus ipse, Rex Cantii, procerum pluribus comitantibus, adfuit. In eo editi canones viginti octo.

Primus, Suis Ecclesiam juribus suisque redditibus frui, pro Rege preces edi, ejusque mandatis quemque libenter obsequi jubet.

2. „ In eos mulcta qui Ecclesiæ jura violaverint, quinquaginta solidorum erit, & in eos eadem qui infregerint Regis jura. "

3. 4. 5. 6. & 7. „ Adulteri laici pœnitentiæ addicentur & excommunicatione plectentur. Si exteri fuerint, e regione pellentur; nobiles viri, hujus criminis convicti, solidorum centum, ignobiles vero solidorum quinquaginta mulctam solvent; si ecclesiasticus in hanc culpam inciderit, & resipuerit in sui ministerii functionibus persistere poterit, dummodo Baptismum conferre malitiose non distulerit, nec ebrietati deditus sit. "

8. & 9. Tonsurato qui regulam suam non servat, hoc est, monacho facultas datur, ut alio migret, modo quempiam inveniat a quo recipiatur; itemque servo ad altare manumisso, ut libertate gaudeat, & quidem ita, ut liberarum personarum instar succedere possit.

10. 11. 12. 13. & 14. „ Sub pecuniaria mulcta, aut corporali punitione, in eos interdictio qui dominicis diebus operi vacaverint, vel iter egerint. Eædem in eos pœnæ qui dœmonibus quicpiam obtulerint. "

15. & 16. „ Si dominus servo carnem præbuerit, jejunii die, servus libertate donabitur; at si ea servus suapte ipse sponte vescatur, decem solidorum mulctam solvet, aut virgis punietur. "

17. „ Fidei ab Episcopo & Rege verbis obstrictæ jurisjurandi vis & pondus inerit. "

18. „ Abbates accusati & interrogati jusjurandum ad altare edent, ut presbyteri & diaconi, in hæc verba: veritatem dico in Christo Domino, nec mentior. "

19. „ Cæteri clerici secum sument personas quatuor, ut se purgent per jusjurandum quod edent demisso capite, manuum una super altari posita, elataque altera. "

20. „ Exteri se purgabunt ipsi per se, jurejurando ad altare edito. "

21. „ Ethnici se sistent, comitantibus personis quatuor coram quibus jurabunt, flexo ante altare capite. "

22. „ Cognoscet Ecclesia de eorum causis qui ad Episcopum pertinent. "

23. „ Si quis accusat Ecclesiæ servum, hunc, modo Eucharistiam perceperit, dominus per suum tantummodo jusjurandum purgare poterit; at si eam non percepit, debebit sponsorem dare, aut virgarum pœnæ se subdere. " Reliqui canones præscribunt pœnas in fures, errones, " &c. *Reg. Tom. XVII. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III. Anglic. Tom. I.*

C O N C I L I A

SÆCULI OCTAVI.

XVII. Toletanum Concilium, an. 701. vel 704.

Vitiza, Hispaniarum rex, coegit concilium hoc in ecclesia S. Petri, prope Toletum, suum ut regnum in ordinem redigeret. Aula proinde ad illud proceres una cum Hispaniæ Episcopis convocavit; ad nos tamen non pervenerunt hujus concilii seu acta seu canones; ob eam scilicet causam, quæ communis opinio est, quia in eo sane edita fuere decreta plura pietati ecclesiæque disciplinæ contraria. Baronius aliter sentit, aitque, Vitizam qui in ipso sui regni initio se bonum & religiosum Principem exhibuerat, in concilio quod ejus jussu coactum fuerat, quicquam sanxisse quod Religioni & pietati adversaretur, haud prorsus vero similem fieri. Est ergo longe probabilius constitutiones has, æquitati licet ac sapientiæ consentaneas, ejusdem deinde Principis jussu qui eas ediderat, abrogatas fuisse, quia, cum ipse sibi nequaquam constiterit, vitæque ad licentiam ac tyrannidem effusæ rationem inierit, mures eos tellus habere noluit qui in ipsum deposuissent, si eos subsistere passus esset.

Concilium Romanum, an. 721.

Summus Pontifex Gregorius II. concilium hoc Aprilis die 5. an. 721. coegit e viginti duobus Episcopis, quorum tres exteri, nempe, Sinderadus Hispaniæ, Sedulius Angliæ & Fergustus Scotiæ. Matrimonia illicita cum feminis Deo consecratis in causa fuerunt, ut hoc concilium convocaretur, quod opinatum est eos omnes qui hujus criminis rei essent, anathemati subdendos esse; itaque Papa, ante S. Petri corpus, damnationis sententiam pronuntiavit, articulis undecim, in quibus papali anathemate plectitur, quicunque Presbyteram sibi conjugem sumpserit, eam scilicet cujus vir presbyteratu initiatus fuerit, quippe cui vetitum sit iterum nubere, vel post viri mortem, diaconissam, religiosam, commatrem, fratris uxorem, neptem, patris aut filii conjugem, consobrinam, consanguineam aut affinem, itemque qui viduam aut puellam rapuerit. Anathemate quoque plectuntur qui divinos aut præstigiatores consulunt, aut ligaminibus utuntur; qui, in apostolicarum Litterarum præjudicium, hortis locisve ad Ecclesiam pertinentibus potiuntur; quidam *Adrianus* dictus, & diaconissa nomine *Epiphania*, qui, jurejurando quod invicem obstrinxerant non obstante, matrimonium inierant; pariterque qui operam ad hoc matrimonium contulerant; clericos denique qui sibi capillos crescere sinunt.

Coegit idem Papa Romæ concilium alterum, an. 724. super magnæ existimationis monacho, *Corbiniano* nuncupato, quem ipse Episcopum ordinavit, ea addita facultate, ut ubique gentium prædicare posset, quique, cum se episcopalis dignitatis onere, ut optabat, liberare non potuisset, in Bavariam migravit, sibique sedem Frisingæ statuit.

Creditur etiam idem Papa concilium habuisse in urbe Roma ad defensionem cultus Imaginum, an. 726. ut apparet ex Papæ Adriani I. ad Carolum Magnum Epistola.

Gregorius III. habuit & ipse concilium super eadem re, & in eadem urbe, an. 732. Huic adfuere nonaginta tres Episcopi, cum presbyteris, diaconis, universoque Romano clero, nobilibus viris, consulibus & reliquis e populo. In eo statutum, ut quicunque Ecclesiæ usum, quoad sanctarum Imaginum venerationem, contemneret, eas scilicet aut subduceret, destrueret, profanaret, aut contumeliosis verbis ad risum contemptumque traduceret, Christi Domini Corpore & Sanguine privaretur, & ab Ecclesiæ communione segregaretur. Periere concilii hujus Acta, nobisque, quod illud attinet, id unum constat quod Anastasius in Gregorii III. vita, de eo scriptum reliquit. *Reg. Tom. XVII. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.*

Concilium Germanicum, an. 742.

Congregavit concilium hoc, Aprilis die 21. an. 742. dux princepsque Gallorum, Carolus Magnus; ei adfuerunt ex ipsius ditionibus Episcopi septem, videlicet, S. Bonifacius Moguntinus, Burchardus Virtsburgensis, Regenfriddus Coloniensis, Wintanus Buroburgensis, Vilebrardus Eichstadiensis, Dado Ultrajectensis, & Eddanus Strasburgensis. Ea Principis, in hujus cœtus convocatione mens erat, ut statuerentur unanimi consensu adjumenta quorum ope divina lex & ecclesiastica disciplina in integrum restituerentur, impedireturque, ne fideles a pseudo-presbyteris, ut in antecessum, deciperentur. Eo consilio, edidit concilium canones sexdecim quos alii redigunt ad septem, cujusmodi occurrunt in Labbeana Collectione & in Capitularibus quæ Balutius exhibuit.

Pri-

Primus, Episcopos a Bonifacio archiepiscopo qui titulo Legati S. Petri insignitur, institutos confirmat; mandatque deinde, ut, quotannis, coram Principe, concilium ad morum & disciplinæ reformationem, & ad redintegrationem jurium Ecclesiæ, celebretur; reddantur ecclesiis adempta bona; mali presbyteri, diaconi, cæterique clerici depravati nullam prorsus ecclesiasticorum redituum partem percipiant, sed, e converso, gradu dejiciantur & pœnitentiæ subdantur.

2. Vetat clericos arma ferre, præliari & in hostem ad bellum pergere, nisi forte delecti fuerint, ut Missam in exercitu celebrent, & Sanctorum exuvias gestent, unus scilicet duove Episcopi suis cum capellanis suisque presbyteris. Nihilominus dux quisque presbyterum sibi comitem addere poterit, qui eos judicet qui sua peccata confessi fuerint, iisdemque pœnitentias imponat. Idem canon clericos vetat venari aut nemora excurrere stipatos canibus, vel accipitres aut falcones apud se detinere.

3. Parochos jubet Episcopo suo subesse, eique, annis singulis, Quadragesimali tempore, suæ fidei omniumque sui ministerii functionum rationem reddere; semper paratos esse eum cum populo congregato suscipere, cum, e canonibus, suæ diœceseos visitationem peraget, confirmationis tribuendæ causâ; &, Feria quinta majoris Hebdomadæ, novum ab eo chrisma recipere.

4. Ignotos Episcopos presbyterosque, undecunque venerint, ante diœcesani Episcopi ejusve Synodi approbationem, ad ministerium suscipi vetat.

5. Mandat Episcopis, ut, opem ferente Comite qui ecclesiarum ad eos spectantium defensor est, Dei populum ab ethnicis omnibus superstitionibus purgent.

6. Statuit, ut utriusque sexus personæ Deo consecratæ quæ, a concilii adscripta die, in fornicationem inciderint, in carcerem conjiciantur, ubi ex pane & aqua pœnitentiam agant; ibique, si presbyteri sint, ad biennium, virgis cæsi ad sanguinem usque, sin clerici vel monachi, ter virgis cæsi, ad annum remaneant; eamdemque pœnitentiam, & quidem abraso capite, religiosæ violatæ subire cogantur. Perspicitur hinc religiosas in habitus traditione radendi consuetudinem eo nondum tempore obtinuisse.

7. Interdicit presbyteris diaconisque, ne pallia aut sagula laicalibus similia gestent, eosque vult casulas ferre, quod usitatum & commune ecclesiasticorum indumentum erat. Monachos vero & religiosas perficere jubet, ut S. Benedicti regula in eorum monasteriis servetur.

In executionem primi canonis hujus concilii, idem Carolus Magnus coegit concilium alterum, Kalendas Mart. an. 743. Liptinæ, quæ domus regia, hodie Lestina in Agro Cameracensi, cui S. Bonifacius Moguntinus præfuit. Hujus concilii meminit Hincmarus, Remensis archiepiscopus in XXXVII. ad Rodulphum Bituricensem Epistola. In eo editi canones quatuor.

Primus. Nihil est aliud quam præcedentis concilii confirmatio, Episcopis omnibus & clero promittentibus, se, prout veteres ecclesiastici canones præscribunt, accurate victuros. Se quoque S. Benedicti regulam servaturos, Abbates & monachi, itemque religiosæ receperunt.

2. Statuit, ut Princeps, præsentium bellorum causa, sumat, ad statum tempus, Ecclesiæ bonorum partem, Precarii Censusque titulo, suas ut copias sustentet, ea lege, ut Ecclesiæ aut monasteriis annuum duodecim in unamquamque familiam denariorum solidum solvat; cumque eum mori contigerit cui Ecclesiæ solum traditum fuerit, hoc ad Ecclesiam redeat, tradique nihilominus iterum possit eodem precarii titulo, si ita postulet Ecclesiæ bonum & Princeps jubeat. At canon pro certo ponit Ecclesias & monasteria quorum bona Princeps precarii titulo sumet, ex facultate quam concilium eidem concedit, nil damni pati; suumque Ecclesiæ redditum, si pauper est, omni ex parte tributum vult. Erat ergo Precarium hoc feudi genus quoddam, ad obeundum servitium, militari homini concessum, & quidem, ut eo tempore feudi genus omne, ad vitam tantum.

3. Mandat Episcopis, ut impediant puniantque adulteria, incesta & illicita conjugia. Vetat etiam christianos servos ethnicis vendi.

4. Ethnicarum superstitionum interdictionem renovat, mulctæ solidorum quindecim indicta pœna. Argenteus solidus erat, valebatque monetæ gallicæ solidis viginti quinque. Ad horum canonum calcem, teutonica lingua legitur abjurationis formula & superstitionum index quæ magis per ea tempora in usu erant, cum documento super illicitis matrimoniis, superque celebrandi sabbati interdictione. Earum superstitionum præcipua erat in eo posita, ut populi ex omnibus mortuis ipsi sibi sanctos statuerent; quæ, ut videtur, facilitatis origo fuit qua hominum pluribus quorum erat dubia sanctitas, publicus cultus iis temporibus deferebatur.

Non desunt qui an. 756. alterum Liptinæ concilium ponant. At P. Pagius, in suis, ad an. 743. num. 12. & 13. criticis adnotationibus, luculenter ostendit unum tantum concilium quod ipse ad an. 743. refert, Liptinæ habitum fuisse, nititurque nona S. Papæ Zachariæ ad S. Bonifacium Epistola.

Concilium Suessionense, an. 744.

Pipinus, Gallorum princeps & dux, coegit concilium hoc, die 2. seu 3. Martii an. 744. pro Galliæ parte quæ eidem suberat. Concilio huic Episcopi viginti tres cum presbyteris aliisque clericis adfuere; adfuit & Pipinus cum procerum præcipuis qui decretis subscripsere; S. Bonifacius Moguntinus præfuisse creditur, quamvis ejus nomen in subscriptionibus desit; adeo non sunt hæ numeris omnibus absolutæ. In eo editæ sanctiones decem quæ propemodum eædem sunt ac quas Germanica & Liptinense concilia statuerant.

Prima. Nicæni concilii Fidem, & canonica cæterorum conciliorum judicia, ad ecclesiasticam disciplinam facilius restituendam, ubique locorum indici vult.

2. Ad impediendum hæreseos progressum, synodum quotannis habitam vult.

3. Positos ait in Galliarum urbibus legitimos Episcopos, & Abelem quidem Remensis, Ardebertum vero Senonensis Ecclesiarum archiepiscopos ordinatos, ad quorum judicium, cum res tulerit, confugiatur. Placet etiam monachos & religiosas suis redditibus pacifice frui, nec dissolutos clericos esse; eosdemque nec sæcularibus vestibus indutos incedere, nec venationi vacare.

4. Laicis fornicationes, perjuria, falsa testimonia interdici. Presbyteris qui parœcias incolunt, in mandatis dat, suo ut Episcopo subsint, ei quotannis, in Quadragesima, quomodo se gesserint, rationem reddant, ab ea sancta Olea & Chrisma petant, eum denique, cum visitationem agit, excipiant.

5. Exteros clericos presbyterosve qui a diœcesano Episcopo approbati non fuerint, recipi vetat.

6. Mandat Episcopis, ut ad ethnicæ superstitionis extirpationem invigilent.

7. Cruces incendi jubet quas Adalbertus in agris fixerat.

Erat Adelbertus hic natione Gallus. Episcopum se dictitabat, fuitque erroribus & efficta ad pietatem hypocrisi populos seducebat. Ecclesias suo ipsius nomine consecrabat, parvasque cruces & parva oratoria in agris, prope fontes aliisque in locis statuebat, in quæ cum Episcoporum contemptu populum congregabat. Impostor hic una cum quodam Clemente qui seductor & ipse erat, in Suessionensi concilio tamquam hæreticus damnatus fuit.

8. Clericos vetat habere domi feminas, præter quam matrem, sororem, neptem.

9. Prohibet, ne laici apud se feminas Deo consecratas detineant. Eosdem vetat alterius viventis viri conjugem ducere, quia vir conjugem repudiare non potest nisi adulterii causa. Hæc postrema verba argumento sunt persuasum fuisse concilii Patribus, in adulterii casu ex conjugis parte, liberum fuisse viro novum matrimonium inire; ac, re quidem vera, eorum temporum Episcopi super matrimonii insolubilitate haud satis edocti erant.

10. Eum qui concilii leges violaverit, a Principe, vel ab Episcopis, vel a Comitibus judicandum pronuntiat. *Reg. Tom. XVII. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III.*

Concilium Romanum, an. 744.

Papa Zacharias qui an. 741. Gregorio III. successerat, cum Episcopis quadraginta, presbyteris viginti duobus, diaconis sex, omnique reliquo Romano clero, an. 744., vel, ut alii numerant, 743. hoc in ecclesia S. Petri concilium habuit; explicuitque ipse causas quibus ad eum cœtum convocandum adactus fuerat, quæ scilicet eo demum redigebantur, ut orthodoxa Fides & ecclesiastica disciplina custodirentur; edidit ergo, hac mente, sequentes canones quindecim quos concilium unanimi voce approbavit.

Primus, & Secundus. „ Episcopi non degent cum „ feminis, ut suum ministerium contemptibile red„ dant. Eadem erit presbyterorum & diaconorum ra„ tio quibus matres tantum aut consanguinearum pro„ ximas apud se detinere licebit. “

3. Clerici nec secularia indumenta, nec longos capillos deferant.

4. „ Episcopi qui a Papa ordinati fuerint, se, quotannis, die 15. Maji, Romam conferent, modo non absint ab urbe longius; secus eo scribere satis erit, suam ut submissionem testentur.“

5. „ Qui presbyteri conjugem, diaconissam, religiosam, aut spiritalem commatrem duxerit, tradetur anathemati, privabiturque Corpore & Sanguine Christi Domini; nullusque cum eo presbyter communicare poterit, aliter deponendus.“

6. „ Eadem statuitur in eum pœna qui neptem, consobrinam, socrum, aut conjugis sororem duxerit.“

7. „ In eos anathema qui virgines aut viduas rapiunt.“

8. „ Anathema in clericos & monachos qui sibi capillos excrescere sinunt.“

9. „ Anathema in eos quoque qui festa celebrant, anni die prima, ethnicorum instar.“

10. „ Itidem in eos anathema qui filias nuptui Judæis dant, iisve Christianas servas vendunt.“

11. „ Habebuntur ordinationes, Quatuor anni Temporibus, exterumque clericum Episcopi, sine diœcesani Episcopi dimissoriis Litteris, ordinare non poterunt.“

12. „ Dissidia, si qua inter ecclesiasticos fuerint, non a sæcularibus, sed ab Episcopis judicabuntur; erit autem dissidentium Episcoporum judex Papa. Clericus qui Episcopum male in se animatum noverit, poterit apud Episcopum qui propius aderit, sibi consulere, secundum canones; quod si ejus judicio negotium subdi non libeat, illud ad Sanctam Sedem deferri poterit.“ De Italiæ Episcopis intelligi debet canon hic.

13. „ In Episcopum, presbyterum, diaconum, ad sancta mysteria celebranda venientes, interdictio, ne baculis utantur, aut operto capite sint, dum ad altare consistunt.“

14. „ Episcopus aut presbyter, cum orationem dixit quæ Missæ initium dat, non amplius altare deserere debet, finiendamve Missam alteri demandare; at prosequi debet ad finem usque, aliter pœnam suspensionis a Communione Corporis & Sanguinis Christi Domini subiturus.“

15. „ Instauratur Summi Pontificis Gregorii II. in concilio, an. 721. Romæ habito, sanctio qua matrimonia inter consanguineos in vetitis gradibus, & cum personis Deo consecratis interdicuntur.“ Subdit Papa Zacharias „ se quidem auditione accepisse Papam S. Gregorium Germaniæ populos, in fidei ab iisdem susceptæ exordio, conjugia in quarto consanguinitatis gradu inire passum esse; at nihil tale in Romanæ Ecclesiæ archiviis comperisse, „ *ibid.*

Concilium Romanum, an. 745.

S. Bonifacius, Moguntinus, cum Carolum Magnum impulisset, ut concilium habendum juberet, in quo clerici plures hæretici quos Adalbertus, in Suessionensi concilio damnatus, seduxerat, ad examen vocarentur, duas misit ad Papam *Zachariam* Litteras, rogans, ut ad Carolum Magnum Principem scriberet, qui memoratos impostores duos, Adalbertum & Clementem quorum pravos mores erroresque Bonifacius ad vivum exprimebat, in carcerem conjectos vellet.

Adalbertus suas ungues suosque capillos cum S. Petri reliquiis deferendos honorandosque præbebat; & accedenti cuique, confessionis edendæ causa, nihil opus esse dicebat sua eum peccata accusare; se enim abditissimas quasque cogitationes perspectas habere; eumque proinde posse de suscepta absolutione certum domum redire. Clemens vero canones, concilia & Patrum scripta rejiciebat, contendebatque se posse Episcopum esse, quamvis ei essent filii duo quos ex adulterio susceperat; christiano homini licere fratris viduam sibi conjugem addere; Christum Dominum, ad inferos descendentem, damnatos omnes, ipsosque idololatras ab eo carcere liberasse; denique plures alios errores super prædestinatione potissimum obtrudebat. Papa Zacharias, lectis S. Bonifacii Litteris quas ad eum presbyter Deneardus attulerat, concilium coegit in urbe Roma, cui adfuere Episcopi septem, presbyteri septendecim, diaconi clerusque universus. In eo Adalbertus & Clemens, depositi & anathemate perculsi fuere una cum omnibus sectatoribus. Papa Zacharias ad S. Bonifacium misit concilii Acta quibus Epistolam, postrema Octobris die an. 745. datam addidit. *Ibid.*

Concilium Cloveshoniense in Anglia, an. 747.

Cuthbertus, archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc an. 747., Septembri ineunte mense cui Anglicæ nationis Episcopus alter interfuit; Ethelbaldus, Marciensium rex ei adfuit ipse cum regni proceribus. Ibi lecta est S. Bonifacii ad archiepiscopum Cuthbertum epistola, aliæque duæ quas Papa Zacharias ad omnes Magnæ Britanniæ incolas scripserat, ut eos ad mores suos reformandos adduceret; Episcopi porro, cum de necessitate cui suberant, ut sui ministerii officiis facerent satis, atque ita aliis exemplo essent, inter se contulissent, contexuere triginta canones qui sequuntur.

Primus. „ Episcopi officium suum, suique ministerii functiones omnes cum sollicitudine & vigilantia perficient; studiosius accuratiusque Dei servitio quam sæcularibus negotiis vacabunt, documentisque & exemplis ad populorum qui eorum curæ concrediti sunt, formandos mores incumbent.“

2. „ Eos quamvis diœceseon limitibus invicem segregatos, pacis & charitatis vincula consociabunt.“

3. „ Suarum quisque diœceseon visitationem, quoquo anno, peragent, & operam dabunt, ut ethnicarum superstitionum vestigia de medio funditus tollant.“

4. „ Abbates & Abbatissas monebunt, ut a sua quisque regula vivant, monachisque & monialibus quibus præsunt, exemplo præeant.“

5. „ Monasteria non negligent, quorum, per vim, sæculares potiti sunt: ea visitabunt, si opus fuerit, curabuntque, ut ibidem presbyter adsit cujus ope iis qui in iisdem degunt, nihil eorum desit, quæ ad salutem necessaria sunt.“

6. „ Non ordinabunt presbyteros, clericos, monachos, nisi de eorum vitæ probitate, deque eorumdem doctrina mentisque viribus, in antecessum, certi fuerint.“

7. „ In monasteriis tam virorum quam puellarum, lectiones & scholæ ad juventutis institutionem habendæ sedulo, quæ Ecclesiæ, prout opus habuerit, utilitati esse possint.“

8. „ Deserent presbyteri sæcularia negotia, ut Ecclesiæ servitio, altaris officio, divinoque cultui se totos dedant. Domus oratorii ejusque ornamentorum curam sument; lectioni, preci, Missarum celebrationi, psalmorum cantui vacabunt; servitium abbatibus & abbatissis præstabunt, suæque curæ concreditos commonebunt, & ad virtutem tam exemplis quam sermonibus pertrahent.“

9. „ In sui regiminis locis omnibus nuntiabunt Dei verbum, & Sacramenta administrabunt, caventes, ne vino se ingurgitantes, luxui præter modum addicti, vel in sermonibus parum de dignitate solliciti sæcularibus aut monachis scandalo sint.“

10. „ Non symbolum tantum, Dominicam orationem, Missæ itemque Baptismi preces, quæque in Sacramentorum administratione servantur, cæremonias populo sibi concredito tradent, sed vulgari etiam lingua explicabunt.“

11. „ Sacerdotalia munia in eumdem ubique modum edentur, & in Baptismi quoque administratione consensio servabitur. Qui ad hunc suscipiendum accedent, ea docebuntur quæ ipsos scire necesse est; iisque qui se infantibus patrinos dant, declarabitur, quid sibi velit diabolo ejusque pompis abrenuntiare, quæque sit Fides quam profiteri debent.“

12. „ Presbyteri, divinum officium obeuntes, non declamabunt in theatri modum; sed modeste simpliciterque, pro Ecclesiæ usu, concinent. Qui canere non possunt, satis habebunt legentes pronuntiare.“

13. „ Totius anni festa, quo ipso die in Romano Martyrologio notantur, & e Romanæ Ecclesiæ ritu servabuntur.“

14. „ Dominicus dies ubique celebrabitur, ita quidem, ut unice in divinum servitium impendatur. Omnes eo die abbates & presbyteri in sua quisque Ecclesia consistent, ibidem sacra mysteria celebraturi, nisi eos ineluctabiles causæ egredi cogant; & sic porro de cæteris majoribus festis, quibus populus in ecclesiam, Dei verbum auditurus convenit.“

15. „ Canentur diei noctisque canonicæ Horæ septem, eadem ubique locorum in psalmodia, seu, in Psalmorum cantu ratione servata; ita scilicet, ut, in officiorum recitatione, non aliæ preces quam quæ e sacris Litteris ductæ, vel e Romanæ Ecclesiæ usu sunt, admisceantur. Ecclesiastici porro, monachi, moniales precibus quas pro se ipsis edent, alias addent pro Regibus & pro universo Christiano populo.“

16. „ Ro-

16. „ Rogationes, seu, litaniæ a clero populoque, „ magna cum reverentia, Aprilis die 25. nempe, „ S. Marci die, triduoque ante ascensionem fient; „ per eos dies jejunabitur ad Nonam usque, Missa „ celebrabitur, &, processionis ordine, crux Sancto- „ rumque reliquiæ deferentur, quin his cæremoniis „ profani cantus misceri liceat. “

17. „ S. Gregorii, cum incidet, ejusque discipuli „ S. Augustini, mensis Maji die 28. festum celebra- „ bitur. His diebus duobus, a servilibus operibus ab- „ stinebitur; & in litaniis, post S. Gregorii nomen, „ illud S. Augustini, patris & doctoris Anglorum re- „ citabitur. “

18. „ Quatuor Temporum jejunia iisdem diebus & „ in eumdem modum servabuntur, atque in Romana „ Ecclesia servantur; cavebiturque, ut de iis populus „ moneatur. “

19. „ Suis monachi superioribus suberunt, ex eo- „ rum instituto vivent, & in vestitu modestiam ser- „ vabunt, quin vana, sæcularium instar, ornamenta „ conquirant. “

20. „ Episcopi monasteriis quæ in eorum diœcesi- „ bus sita sunt, invigilabunt, dabuntque operam ut „ ibi in pace vivatur; ut monachi ad laborem & ad „ spiritales lectiones incumbant; ut ne sæcularibus „ eo facilis aditus sit, neve ædes hæ poetarum, musi- „ corum mimorumque recessus sint. Ingressus, in „ puellarum domos, laicis potissimum, vetitus est; „ mandaturque, ut eædem bonis potius legendis libris „ Psalmisque canendis, quam multicoloribus pannis, „ qui civilis societatis vanitati inserviant, acu pingen- „ dis vacent. “

21. „ Instructa ad sobrietatem erit religiosorum & „ religiosarum, itemque ecclesiasticorum mensa, ad „ quam non convenient nisi absoluta hora Tertia, „ scilicet, ad meridiem, nisi infirmitas aliter postu- „ let. “

22. „ Monebuntur monachi, religiosæ & clerici, ut „ ad Christi Domini Corpus & Sanguinem suscipien- „ dum assidue se comparent; arguenturque qui, ne „ ad sacram mensam accedant, male vivunt, & pec- „ cata confiteri ac resipiscere negligunt. “

23. „ Cohortationibus excitabuntur ad crebram Com- „ munionem non solum pueri qui suæ nondum inno- „ centiæ jacturam fecerunt, sed etiam qui natu gran- „ diores sunt, & qui in cœlibatu, vel in matrimonio „ vitam agunt, quique peccare desinunt, ne, si hoc „ iis salutare alimentum desit; effœtis viribus defi- „ ciant, secundum ea Christi Domini verba: *Nisi man-* „ *ducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus San-* „ *guinem, non habebitis vitam in vobis.* “

24. „ Sæculares qui se stiterint, ut monasticum ha- „ bitum suscipiant, eo diligentius a monasteriorum „ superioribus probabuntur, quod semel receptos non „ amplius nisi ob graves causas, & e synodi quidem „ judicio, dimittere poterunt. “

25. „ Episcopi, a concilio reversi, perficient, ut „ ejus decreta in peculiari presbyterorum, abbatum „ & præpositorum cœtu enuntientur; quod si forte „ ipsi suarum diœceseon abusus quosdam reprimere „ nequeant, eos deferent ad concilium, coram ar- „ chiepiscopo ceterisque omnibus, ut iisdem reme- „ dium afferatur. “

26. Contendebant nonnulli se per eleemosynas pos- se canonicas pœnas ad peccatorum satisfactionem a presbytero impositas imminuere aut commutare. Na- scentem abusum hunc damnat concilium, statuitque su- per eleemosyna principia plura e Patrum scriptis de- prompta, quorum edita fuerat lectio. Primo, eam ero- gari vetat eo animo, ut liberius peccetur, quantumvis in parvi momenti rebus. Secundo, eam edi non vult de male acquisitis bonis. Tertio, non magis eam per- agi sinit, ut canonicæ pœnitentiæ satisfactio diminua- tur, jejuniumve & alia expiatoria opera quæ Domini sacerdos ob crimina imposuit, evitentur. Vult ergo eleemosynam pœnitenti adjumento esse, ut suorum morum correctionem acceleret, divinamque indigna- tionem quam pravis operibus provocaverat citius fle- ctat; quia scire debet, quo vetitorum operum plus ipse sibi permisit, eo se magis debere ab iis ipsis quæ permissa sunt, abstinere; & quo majora quæ patravit, mala sunt, eo copiosiores bonorum ejus operum fru- ctus esse debere. Bene quidem habet Psalmos sæpe cani, genua sæpe flecti recto & sincero animo, quoti- dieque eleemosynam tribui; at non ob hæc tamen bo- na opera, a jejunio secundum Ecclesiæ regulas impo- sito abstinendum est; & carnem quæ, quia præter mo- dum eidem blanditi sumus & morem gessimus, nos ad peccatum impulit, in eoque detinuit, affligi macerari- que per jejunium necesse est, ut ita per eam ipsam quamprimum culparum nostrarum veniam obtineamus.

27. Eos quoque concilium damnat qui putabant suæ se pœnitentiæ satisfacere per alias personas quæ pro ipsis Psalmos canebant, aut jejunabant. „ Sciat quis- „ que, inquit, eam ipsam carnem quæ ad peccatum „ traxit, pro peccati ratione puniendam esse, siqui- „ dem eam in futuro sæculo ab æterno Judice puniri „ nolumus. Si enim liceret pro peccatis fieri per alium „ satis, facilius divites quam pauperes æternam salu- „ tem consequerentur, contra expressam veritatis sen- „ tentiam: *difficilius est divitem in cælorum regnum in-* „ *gredi, quam camelum per acus foramen transire.* “ Pro- nuntiatur in canone, tametsi qui canit, non intelligat latina Psalmorum verba, suam tamen eum mentem ad ea quæ generatim a Deo petenda sunt, referre posse; quod probat, in Angliæ ecclesiis, eo tempore publi- cum Officium latine peractum fuisse. Verum, quia Psalmi in Saxonicam quoque linguam conversi erant, ea proinde lingua, nonnulli Psalmos, privatis in preci- bus recitabant.

28. „ Vetitus quisque frequentiores communitates sta- „ tuere, quam per redditus, seu quoad victum, seu „ quoad vestitum sustentari possint; vetitique mona- „ chi & religiosæ sæcularia & profana indumenta ferre, „ inventasque ad luxum rationes & ornamenta, con- „ tra proprii status usum, suis in vestibus affectare. „ Æque protenditur ad clericos interdictio hæc. “

29. „ Jussi religiosi religiosæque, qui post statum „ tempus, in laicorum domibus commorantur, ad mo- „ nasteria regredi in quibus professionem ediderunt, „ seu suapte ipsi sponte egressi, seu per vim egredi „ coacti fuerint, quin redeuntes non suscipere quis- „ piam possit. “

30. Lubet in sæcularibus & regularibus ecclesiis om- nibus; quaque die, & ad canonicas Horas singulas, non solum pro personis Deo consecratis, verum etiam pro Regibus, pro Principibus, pro toto populo preces edi, & sacrificia ad requiem animarum defunctorum offerri. *Ibid. & Anglic. I.*

Concilium Vermeriense, an. 753.

Pipinus cum se Regem renuntiandum curasset, in Childerici locum qui in Sithivensi, nempe, S. Berti- ni monasterio habitum sumere coactus fuit, concilium convocavit, sui regni anno secundo, Christi scilicet 753. Vermeriæ, quæ domus regia, in Suessionensi diœ- cesi. Eo confluxere numero plures Episcopi, abbates & proceres; & concilii quidem Patres edidere unum & viginti canones quorum plerique super matrimonio versantur; sed qui probant Ecclesiæ regulas, super hujus Sacramenti indissolubilitate, non satis eo tempo- re perspectas fuisse.

Primus. „ Qui in tertio consanguinitatis gradu ma- „ trimonium inierunt, separabuntur; at, postquam „ pœnitentiam egerint, iis liberum erit cum aliis ma- „ trimonium inire. Non separabuntur qui matrimo- „ nium inierunt in quarto gradu; at erunt tamen ejus- „ modi conjugia deinceps vetita. “

2. „ Qui cum conjugis suæ filia commercium ha- „ buit, rem seu cum matre, seu cum filia non am- „ plius habere potest, nec alteri seu mater, seu filia „ nubere possunt. At conjux, si, postquam novit vi- „ rum cum ejus filia peccasse, cum eo commercium „ non habuit, potest iterum nubere, nisi continentiam „ servare malit. “

3. „ Presbyter qui neptem duxit, separabitur & de- „ ponetur. Si quis eam deinde duxit, separari ab ea- „ dem debet; qui tamen si continentiam servare non „ potest, cum alia potest novum matrimonium inire. “

4. Quacunque ratione femina velum susceperit, il- „ lud custodire debet, nisi forte suis ingratiis velata „ fuerit; &, in hac facti specie, presbyter qui eam „ ita velaverit, deponetur. Si ea velum sumpsit, si- „ ne viri consensu, in hujus potestate erit eam ad „ illud aut servandum, aut deponendum adigere. “

5. „ Si mulier cum aliquo conjuravit de viri mor- „ te, & hic se defendens aggressorem occidit, idque „ probare potest, ei licet conjugem repudiare, & aliam „ sibi conjugem sumere. “

6. „ Vir liber qui puellam servam duxit, liberam „ putans, poterit aliam ducere: itemque mulier quæ „ servum duxit, liberum rata. “

7. „ Servus qui propriam servam concubinam ha- „ bet, eam deserere potest, ut domini servam ducat. „ Melius tamen se gereret, si sua cum serva matri- „ monium iniret. “ Perspicitur hoc loco captivos ha- buisse interdum & ipsos captivas suas.

8. „ Si libertus cum domini captiva peccat, adigi „ potest a domino, ut eam ducat. “

9. „ Si mulier virum sequi renuit, qui in aliam „ provinciam migrare, suumve dominum sequi jube- „ tur,

„ tur, ea quidem, vivente viro, non poterit alteri „ nubere, et vir quem ea sequi noluit, aliam conju„ gem ducere, pœnitentiæ se subdens, poterit. “

Pater Cointius, Fleurius aliique auctores, contendunt novi ineundi matrimonii libertatem quam Episcopi per hunc canonem, ejusdemque concilii nonnullos alios concedunt, intelligi non debere, nisi postquam conjugum alteruter e vita migravit; at hæc interpretatio sustineri non potest, & simplex horum canonum lectio satis persuadet ibi de matrimonii, etiam utroque vivente conjuge, ineundi libertate sermonem esse. Faciunt igitur hi canones, ut innotescat, quam parum, eo sane ignorantiæ tempore, notæ fuerint Ecclesiæ regulæ, præsertim quod attinet ad matrimonii insolubile vinculum, illud scilicet ex christianæ moralis doctrinæ capitibus quod maximis apud barbaras nationes contradictionibus obnoxium fuit.

10. „ Si filius cum noverca rem habuit, neuter „ conjugium inire poterit; at maritus aliam conju„ gem ducere poterit; at id eum non facere satius „ est. “

11. „ Qui conjugis filiabus, ejusdemque conjugis so„ roribus abutuntur, conjugium inire non possunt, ac „ ne eæ quidem quibuscum peccarunt. “

12. „ Qui cum duabus sororibus commercium ha„ buit, neutram habebit, etiamsi earum una sit ejus „ conjux. “

Ex his posterioribus canonibus duobus constat exclusionem a matrimonio pœnitentiam fuisse quæ ob gravia crimina imponebatur.

13. „ Servam qui sciens & volens, sibi conjugem „ libere sumpsit, retinere debet. “

14. „ Episcopi qui sede carent, & regionem per„ currunt, presbyteros non ordinabunt: &, si, quos „ ordinarunt, idonei fuerint, rursus ordinabuntur. “ Dubio procul hi ambulantes Episcopi ordinationem episcopalem suscepisse, & vere episcopi esse non censebantur.

15. „ Presbyter depositus Baptismum, in necessita„ tis casu, administrare potest. “

16. „ In clericos interdictio, ne arma deferant. “

17. „ Si conjux queritur virum nunquam matri„ monium consummasse, eant ambo ad crucem; &, „ si, quod ait femina, cum vero congruere compertum fuerit, separentur; ea vero faciat, quod vo„ luerit. “

Crux ad quam mittit canon, probatio quædam est, *probatio crucis* dicta, quia cum ei personæ duæ se subdebant, ambæ stabant, crucis in modum extentis brachiis, dum divinum Officium peragebatur, quæque e duabus brachia seu corpus prima movisset, causam perdebat. Et portento simile ejusmodi probationes a concilio firmari.

18. „ Qui cum conjugis consobrina rem habuit, se„ paretur ab ipsa conjuge, nec aliam ducere pos„ sit. Quam habuit, conjux, quod maluerit, id fa„ ciet. “

Ad hujus canonis calcem occurrunt verba hæc: „ id „ Ecclesia non recipit. “ Est hæc, ut videtur, quæ in textum irrepserit, adnotatio; cui sane similes antecedentium canonum pluribus subdi potuissent.

19. „ Cum sponsi captivi, quia dominis aliis ven„ diti, separati fuere, si rursus conjungi possint, ex„ timulandi cohortationibus sunt, ne novum conjugium „ ineant. “

20. „ Si, qui e scripto manumissus fuit, captivam „ sibi conjugem sumpserit, eam, postquam liberta„ tem obtinuit, repudiare non poterit, ut aliam du„ cat. “

Est in textu *chartellarius*. Servi, seu, captivi qui per scriptum quod *charta ingenuitatis* appellabatur, libertate donati fuerant, *chartularii*, seu, *chartellarii* nuncupabantur; quemadmodum *denariales* vocabantur qui manumissi fuerant, projecto denario coram Rege.

21. „ Qui conjugem passus fuerit velum sumere, „ non poterit aliam ducere. “ *Ibid.*

Concilium Vernoriense, an. 755.

Perfecit Pipinus rex, ut concilium hoc Julii die 11. an. 755. qui ejus regni quartus erat, cogeretur, ad quod omnes Galliarum Episcopos convocavit, tametsi, quot eidem adfuerint, haud constet, quia subscriptiones omnino desunt. Eo spectavit concilium, ut veterem disciplinam restitueret, magnumque abusuum numerum reformaret. Hac mente canones edidit viginti quinque.

Primus, „ Unicuique civitati, scilicet, unicuique „ alicujus momenti urbi suus erit episcopus; & quod „ inde consequitur, Episcopus unus idemque plures „ episcopatus possidere non poterit. “

2. „ Prælati omnes obedient iis ex Episcopis qui in „ metropolitanorum locum statuti fuerint, dum abusi„ bus, pro canonum ratione, remedium aliter afferá„ tur. “

Perspicitur ex hoc canone metropolitani potestatem simplicibus Episcopis tributam fuisse, ob eam, ut videtur, causam, quia magnæ sedes plures, cujusmodi Remensis erat, a clericis occupabantur qui interdum tonsura tantum insigniti erant.

3. „ Episcoporum cuique, intra cujusque diœce„ seos fines, tam in clerum quam in monachos & „ laicos, ad morum correctionem, potestas erit. “

4. „ Habebuntur quotannis concilia duo; unum „ mense primo, Martio scilicet, coram Rege, & in „ loco quem ipse delegerit; alterum prima Octobris „ die, Suessione, vel alibi, prout inter Episcopos in „ mensis Martii concilio convenerit. “

Hoc Martii mensis concilium generale Episcoporum & Procerum cœtus erat qui *Campus Martis* nominabatur; eaque de causa Regis arbitrio relinquitur, ut ejus ipse locum designet. Mandavit hoc ipso anno Pipinus, ut ejusmodi cœtus non nisi Majo mense haberetur. Itaque non amplius *Campus Martius*, *Campus Martis*, ut ante consueverat, sed *Campus Madius*, *Campus Maji* dictus fuit.

5. „ Episcopi invigilabunt, ut in virorum ac puel„ larum monasteriis regula custodiatur. Si abusus cor„ rigere non possunt, eos metropolitano denuntiabunt; „ si ne metropolitanus quidem potest iisdem remedium „ afferre, suas ipse super hac re querelas deferet ad „ concilium quod reos excommunicatione plectet, de„ ponetque. “

6. „ Prohibitæ abbatissæ habere monasteria duo, „ suove e claustro egredi, nisi forte hostium incursio„ nibus expositæ sint. Cum aliquam abbatissam Rex „ ad aulam vocabit, semel in anno, & ex Episcopi „ quidem consensu, illuc ea pergat, suumque ad mo„ nasterium, quamprimum poterit, revertatur, quin „ per iter consistat. Nec magis religiosæ ipsæ e clau„ stro pedem efferent; & si qua in grave aliquod er„ ratum inciderit, pœnitentiam agat in monasterio, „ prout Episcopus judicaverit. Quod si qua iis causa „ subsit, ut Regem aut synodum alloquantur, eo sæ„ culares mittent, ac ne ad aulam quidem se confe„ rent, dona ferendi specie, satis habentes ea mitte„ re. Si quæ puellarum monasteria in ea sint pauper„ tate, ut ibidem regula servari nequeat, Regem de „ re monebit Episcopus, ut per suas ipse eleemosy„ nas, prout par erit, suppetias ferat. “

Apparet, ex hoc canone, jam tum institutam consuetudinem fuisse, ut quorumdam monasteriorum abbates & abbatissæ, quotannis, Regi donum offerrent.

7. „ Publicum in iis tantum locis baptisterium „ aderit quæ Episcopus designaverit; at, in neces„ sitatis casu, presbyteri ubique baptizare pote„ runt. “

8. „ Presbyteri nec baptizare, nec Missam dicere „ sine proprii Episcopi venia, poterunt, ejusque sy„ nodo interesse debebunt, secus, pœnis obnoxii quas „ sancti canones statuunt. “

9. „ Qui communicat cum clerico aut laico quem „ suus Episcopus communione privavit, excommuni„ cationem & ipse subit. Ejus dona nemo accipere, „ ei nemo pacis osculum dare, eum nemo salutare, „ cum eo nemo una orare debet. Qui se injuste ex„ communicatum putat, ad metropolitanum confugere „ potest; interim vero excommunicationem servet; si „ quis eam contempserit, ad exilium a Rege damna„ bitur. “

10. „ Non ea dabitur monachis venia, ut Romam „ aut alio se conferant, nisi ab abbate missi. Si mo„ nasterium, per abbatis negligentiam, a regula ita „ descivit, ut illud Episcopus ad eam revocare non „ possit, per hunc licebit monachis qui ex eo discedere „ voluerint, ad aliud monasterium transire, ut suam „ ibi salutem curent perficiantque. “

11. „ Qui se sibi capillos amputasse dicunt, ut Do„ mino deservirent, & sua tamen adhuc bona reti„ nent, quin suum vel inter clericos qui Episcopo „ subsunt, vel inter monachos nomen dent, alteru„ trum facient, sub excommunicationis pœna. Virgi„ nes quæ velum sumentes se Deo dediderunt, in „ puellarum monasteria & ipsæ ingredientur. “

12. „ Ecclesiam clerici non mutabunt, alteriusque „ ecclesiæ clericus non recipietur. “

13. „ Episcopi ambulantes quibus nulla diœcesis „ est, nullam functionem edere poterunt, nisi diœce„ sano Episcopo veniam dante, suspensionem aliter „ subi-

„ subituri. Clericus aut laicus qui cujuspiam hujus „ generis Episcopi defensionem suscipiet, excommunicationi subierit, quoad se corrigat. “

14. Ea datur facultas, ut iter equis, bobus & curribus, die dominica, peragatur; ut cibaria parentur, perficiaturque quod ad domorum & personarum nitorem ac dignitatem congruit. At, ea sancta die, ruris opera interdicuntur.

15. „ Laicorum, seu nobiles seu e vulgo sint, matrimonia publice fieri debent. “

16. „ In clericos interdictio, ne villici sint, ne, „ scilicet, sæcularibus negotiis se misceant, nisi id „ eos facere Episcopus aut abbas ad ecclesiarum, orphanorum aut viduarum utilitatem jubeat. “ Est hic Chalcedonensis concilii canon tertius.

17. „ Non relinquetur ecclesia sine Episcopo, ultra menses tres, nisi ita se res habeat, ut aliter fieri non possit. “ Est & hic Chalcedonensis concilii vicesimus quintus canon.

18. Instauratur Carthaginensis concilii tertii nonum caput quod clericos vetat suas ad laicorum tribunalia causas deferre, sine Episcoporum aut abbatum venia.

19. „ Servabuntur ecclesiarum immunitates. “

20. „ Abbates & abbatissæ, si monasteria quibus „ præsunt, regia sint, Regi, sin episcopalia, Episcopo administrationis bonorum ad monasteria ipsa „ spectantium rationem reddent. “

Regia erant regiæ fundationis monasteria, aut quæ sub peculiari Principis patrocinio posita fuerant; Episcopalia vero quæ ab Episcopis de eorumdem ecclesiæ bonis fundata, aut peculiariter Episcopo ejusque ecclesiæ submissa fuerant.

21. „ Penes Episcopum erit parœciarum quæ in ejus „ diœcesi sunt, dispositio. “

22. „ Peregrini a portorio immunes erunt. “

23. „ Viduarum, orphanorum & ecclesiarum causæ „ a Comitibus cæterisque judicibus omnium primæ expedientur. “

24. „ Interdictio, ne pecunia tribuatur, ut ad ecclesiastici ministerii gradum aliquem, quicunque „ tandem fuerit, perveniatur. “

25. „ Nec Episcopi, nec abbates, ac ne laici quidem ipsi ullum salarium sument, ut suum cuique „ jus reddant. “

Occurrunt, in Capitularibus, his canonibus additi quinque; at iidem omnino sunt ac Metensis concilii, an. 756. habiti, postremi quinque.

Concilium Metense, an. 756.

Concilium hoc, ut in ejus titulo dicitur, post Vernoriense, Pipino regnante, coactum est; quo anno, haud est memoriæ proditum; eum Balutius hujus Principis quintum putat qui in æræ communis annum 756. incidit. Labbæus triennio ante, hoc est, an. 753. illud habitum vult. Est etiam varietas in canonum numero. Eos decem numerat Capitularium editio; octo tantum Conciliorum Collectio; sunt hi partim civiles, partim ecclesiastici, ut in conciliorum nonnullis aliis, quia cœtus in quibus editi, constabant ex Episcopis simul & laicorum primoribus.

Primus, Ad graves pecuniarias mulctas, vel ad carcerem damnantur homines liberi qui cum suis ad Baptismum vel ad Confirmationem commatribus & matrinis incesta perpetrant; quod evincit in Confirmationis Sacramento patrinos & matrinas extitisse. Servi porro & liberti hujus criminis rei damnantur ad virgas vel ad carcerem; quos si dominus recidere passus fuerit mulctæ solidos sexaginta ipse Regi solvet, Si homo liber haud ab hoc errato se corrigit, interdicitur, eadem statuta pœna; ne domum recipiatur, neve cum eo cibus sumatur.

2. „ Superiorum ordinum ecclesiastici, ejusdem incestus criminis rei, deponentur; cæteri cædentur „ fustibus, aut in carcerem conjicientur. “

3. „ Episcopi archidiaconus cum Comite monebit „ presbyteros reliquosque clericos, ut ad concilium „ se conferant. Si quis e presbyteria obsequi renuat, „ eum Comes, ejusve defensorem adiget, ut sexaginta solidorum mulctam, ad regiæ Capellæ emolumentum, solvat; perficietque Episcopus, ut presbyter „ aut clericorum quilibet refractarii, ex canonibus, „ judicentur. Si quis incestuosum presbyterum aut „ clericum aliumve accusaverit, jubebit accusatum „ Comes, cum Episcopi legato, Regi se sistere, qui „ reum ad aliorum correctionem puniet. “

4. „ Interdictio, ne quid tributi pro annona æque „ ac pro transitu vacuorum curruum, equorum onerariorum, aut peregrinorum qui Romam vel alio se „ conferunt, exigatur. Interdictio pariter, ne hi po„ stremi ad pontium, aggerum, pontonum tractum „ detineantur, superve sarcinula quam gestant, turbentur; quod si quis hoc ex capite iis insultaverit, solvet mulctæ solidos sexaginta, quorum dimidium peregrino, regiæque Capellæ dimidium alterum adjudicabitur. “

5. „ Quoad monetam, libra viginti duobus tantum solidis constet; & ex his solidis viginti duobus, monetarius unum habeat, & reliquos domino „ reddat. “

Ex hac constitutione judicari potest, quanti solidus esset, quandoquidem argenti pondo libra, scilicet marcæ duæ non nisi solidos viginti duos conficiebant, atque adeo solidos olim viginti tantum; quod in causa fuit, ut *viginti solidorum* summa, libræ nomine designaretur. Marca, seu bes romanus, seu selibra francica semper est habita semi-libra; at varietatem subiit pro vario libræ pondere. Quadruplex erat usui potissimum in Galliis marca; Trecensis, cujus usus in rusticanis nundinis; Lemovicensis, Rupellensis & Turonensis quæ cæterarum maxime communis evasit; hinc nobis *libra turonica*. Ex hac ipsa constitutione id quoque perspicitur penes procerum quosdam jam tum id juris fuisse, ut nummos cudi juberent.

6. „ Mandatur, ut sua cuique privilegia serventur. “

7. „ Omnibus tam laicis quam ecclesiasticis judicibus commendatur, ut justitiam accurate reddant, „ partibus, sub corporalis punitionis pœna, prohibitis, ejus petendæ causa, in prima instantia, & antequam a Comite ejusque assessoribus judicatæ fuerint, ad Regem accedere. “

Comitis assessores hoc loco *Rachemburgii* nuncupantur. Designabantur etiam teutonico nomine magistratus subalterni qui cum Comite judicabant. In Caroli Magni Capitularibus nominantur *Scabini*, unde *Echevinorum* nomen apud Gallos perstitit.

8. Prohibentur pariter ecclesiastici, sub eadem pœna, ad aulam pergere, ut de domini aut superioris sui judicio conquerantur, nisi legatum dominus suo nomine mittat. *Ibidem*.

Concilium Compendiense, an. 757.

Concilium hoc Pipinus rex haberi jussit in urbe Compendio, parlamenti, vulgo, seu generalis cœtus occasione, quam eo convocaverat; eidemque Georgium episcopum, & Sacellarium Joannem, sanctæ sedis legatos adesse voluit, ut plus ponderis sanctionibus ibidem edendis adderet. Ex privilegio quod hoc in concilio S. Chrodegandus, Metensis Episcopus, suo Gorgiensi monasterio concessit, quodque Episcoporum viginti subscriptione firmatum est, Præsulum qui eidem interfuere, numerum novimus. In eo editi canones, in Conciliorum quidem Collectionibus, octodecim, in Capitularium vero Editione, unus & viginti numero sunt; at postremi tres ad Metense concilium in quo tres primi sunt, profecto spectant.

Primus, Non separantur sponsi qui quarto consanguinitatis gradu conjuncti sunt; bene vero, cum unus in tertio, & alter in quarto est.

2. Idem quoad eos statuitur qui matrimonium in iisdem affinitatis gradibus inierunt.

3. „ Vir conjugem repetere potest, quæ absque „ ejus consensu velum sumpsit. “

4. „ Si socer nurui quæ liberæ conditionis fuerit, „ maritum dederit, ei alii propinqui, si ipsa voluerit, alium dare virum poterunt. “

5. „ Si vir liber servam conjugem duxit, liberam „ ratus, aliam ducere potest; eademque est quoad feminam lex, quæ servo nubit, liberum rata. “

6. „ Vassallus qui conjugem ducere jussus e feudo „ in quo morabatur, ea deinde relicta, ut se apud „ sui prioris domini propinquos reciperet, hoc in „ loco aliam duxit, hanc posteriorem retinere potest. “

7. „ Si quis conjugem cui cum Ipsius fratre commercium fuisse comperit, repudiavit, & aliam duxit quam virginem non invenit, posterior femina „ hæc ejus legitima sponsa est; quod si tertiam duxerit, cogetur ad secundam redire; & tertia, cui „ voluerit, nubere poterit. “

8. „ Qui adulterium cum fratris conjuge perpetravit, nunquam matrimonium inire poterit, æque ac „ femina adultera; at hujus feminæ vir aliam conjugem ducere poterit. “

9. „ Baptismus ab homine administratus qui se „ presbyterum dictitabat, nec baptizatus fuerat, validus est, quemadmodum Papa Sergius definiit. “

10. Matrimonium patri interdicitur qui nurum corrupit; itemque nurui, quia non declaravit quod ei conti-

contigerat ex parte soceri; at filio ea datur venia, ut aliam conjugem ducat.

11. „ Puella, quæ, dum libere erat, velum sumpsit, in Religione remanebit. “

12. „ Qui generum, aut nurum ad Confirmationem tenuit patrini titulo, separari debet a conjuge, quin ipse vel ea novum conjugium inire possint. “

13. „ Si vir eam conjugi veniam dedit, ut in Religionem ingrederetur, & velum sumeret, potest aliam ducere; idemque de femina sentiendum est. “

14 & 15. „ Qui, cum matre & filia, vel cum sororibus duabus commercio pollutus, deinde matrimonium inierit, se a conjuge separare debebit, nec novum matrimonium inire poterit; eidemque pœnæ suberunt feminæ quibuscum peccavit, si incestus consortes fuerint. “

16. „ Leprosus cujus uxor sana est, pati, si velit, potest eam alteri nubere. “

17. „ Cum femina virum nunquam matrimonium consummasse contendit, negante viro, credendum viro est. “

18. „ Qui lege *Faida* jubentur in aliam regionem fugere, novum matrimonium inire non poterunt, itemque feminæ quas deseruerunt. “

Designabatur *Faida* nomine jus quod ejus propinquis qui occisus fuerat, dabat lex, ut occisorem persequerentur, ipsique justitiam sibi conquirerent.

Cernuntur in hujus concilii canonibus pluribus decisiones quæ cum Ecclesiæ doctrina, super insolubili matrimonii vinculo, parum congruunt. Dum hoc ipsum Compendiense Concilium celebraretur, ad Pipinum pervenere Imperatoris Constantini oratores, qui ad eum, inter alia dona, misit organa ad illud usque tempus in Galliis ignota. *Ibidem*.

Concilium Attiniacense, an. 765.

Attiniaci, ad Axonam, in Remensi Diœcesi, concilium hoc habitum fuit. Nobis, ad ejus acta quod attinet, nihil superest præter viginti septem qui ei adfuerunt, Episcoporum nomina, mutuoque ab iisdem obstrictam fidem, fore scilicet, ut, cum eorum quempiam mori contigisset, suos unusquisque presbyteros centies psalterium recitare, & Missas centum celebrare juberet; & Episcopus Missas & ipse triginta diceret. *Conventus*, inquiunt Patres Labbæus & Harduinus, *hoc anno* (765.), *apud Attiniacum villam habiti meminerunt plerique, sed in eo quid actum sit, nemo prodit*. Hinc perspicitur, quam ridicula sit imaginatio D. Voltaire qui in suæ Generalis Historiæ Cap. V. pronuntiare non dubitat confessionem auricularem expresse, primum, per Attiniacensis concilii canones præscriptam fuisse.

Concilium Calichytense, an. 783.

Concilium hoc habitum fuit, Adriano I. Ecclesiam regente, & Carolo Magno rerum potiente, an. 785. ut statuit Wilkins, Conciliorum Magnæ Britanniæ Tomo primo, vel an. 787. Labbæi sententia, vel etiam an. 782. si Cellerio fides. Cætui huic Aeliwaldus, Northumbriæ rex adfuit, cum Gregorio Ostiensi, & Theophilacto Tudertensi, Adriani Papæ legatis, Episcopis sex, absentis Episcopi deputato, abbatibus, Comitibusque. In eo viginti qui sequuntur, editi canones.

Primus, „ Fiet Nicœnæ Fidei, doctrinæque in sex generalibus conciliis receptæ & statutæ professio. “

2. „ Administrabitur Baptisma, quod ad ejus formam ac tempus attinet, prout canones præscripserunt. Omnes fideles Symbolum & Orationem dominicam memoriæ commendabunt, patrinique & matrinæ in ea erunt obligatione, ut super utroque infantes edoceant quos ad Baptismi fontem tenuerint. “

3. „ Suam bis in anno synodum habebit Episcopus, suamque diœcesim quotannis lustrabit, suos ut diœcesanos erudiat, a malo avertat, ad bonum pertrahat, & inter eos funditus omnes abusus evellat. “

4. „ Clerici, seu, canonici, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, & monachi, Orientalium monachorum usum, in vitæ ratione vestituque, servabunt, ut sit inter eos canonicosque distinctio. “

5. „ Seligentur, a diœcesani Episcopi sententia, perspectæ virtutis abbates & abbatissæ, qui regant monasteria, in abbatum & abbatissarum locum, quos mori contigerit. “

6. „ Presbyteros & diaconos Episcopi eos tantum ordinabunt qui idonei dignique fuerint, addicentque ecclesiæ ad quam eos ordinarunt, quin eas ab iisdem deseri sinant. “

7. Horæ canonicæ, stato tempore, & cum reverentia in omnibus ecclesiis recitabuntur. “

8. „ Servabuntur ecclesiis privilegia quæ iis a sancta sede concessa fuerint; non autem quæ nequam homines contra canones usurpaverint. “

9. „ Ecclesiastici, jejunii diebus, haud clam comedent, nisi necessitas ita postulet. “

10. „ Fideles panem, non crustam tantum ad Missam offerent. Altaris ministri non ei deservient nudis cruribus, sanctumque Sacrificium in calice & patena ex bubulo cornu confectis non offerent. Episcopi suis in conciliis, seu, synodis sæcularia negotia non judicabunt. “

11. Extimulantur cohortationibus Reges, suum ut regimen ad justitiæ leges exigant, Ecclesiamque honore afficiant.

12. In ordinem redigitur Reges eligendi ratio; mandatur, ut iis honor deferetur & obedientia præstetur; in eos conspirationes prohibentur; conspirantes Episcopi deponuntur, eorumque conspirationis participes perpetuæ excommunicationi subduntur.

13. Commendatur divitibus & potentibus, ut e justitiæ regulis judicent, quin cujusquam rationem habeant, aut munera accipiant.

14. Vetantur fraudes, rapinæ, violentiæ, tributa injusta super Ecclesia; ejusque omnibus membris, Regibus, Episcopis, presbyteris & laicis pax & concordia commendatur.

15. „ In eos omnes anathema qui incestuosa & illegitima conjugia contrahunt. “

16. „ In spurios interdictio, ne bonorum ad eos spectantium a quibus in lucem emissi sunt, heredes sint. “

17. „ Fideles decimam, utpote a Deo præscriptam, solvent; ab usura vero, a falsis ponderibus falsisque mensuris abstinebunt.

18. „ Christiani, quæ ediderint vota, fideliter exequentur. “

19. „ Evellentur omnes ethnicorum rituum reliquiæ. “

20. „ Si quem absque pœnitentia vel absque confessione mori contigerit, pro eo non orabitur. “

Miserunt Episcopi canones hos ad Adrianum Papam per Epistolam in qua testantur se quidem eos Episcopis, abbatibus, senatoribus, Ducibus, totique per regnum populo proposuisse, seque eos servaturum neminem non promisisse. *Reg. Tom. XVIII. Lab. Lab. Tom. VI. Hard. Tom. III. & Anglic. Tom. I.*

II. Nicænum Concilium, generale septimum, an. 787.

Inchoatum fuit concilium hoc die 24. Septembris an. 787. in ecclesia sanctæ Sophiæ, Adriano I. summum pontificatum tenente, & Constantino, imperatoris Leonis & imperatricis Irenes filio, regnante. Papæ legati duo, Petrus, Romanæ Ecclesiæ archipresbyter, itemque Petrus, presbyter & abbas monasterii S. Sabæ in urbe Roma, in concilii Actis, tamquam Adrianum Papam repræsentantes, omnium primi nominantur; secundum hos, Tarasius, Constantinopolitanus patriarcha; tum cæterorum Orientis patriarcharum deputati. Concilio huic trecenti septuaginta septem Episcopi, cum Imperatoris commissariis duobus, pluribusque archimandritis, abbatibus & monachis, adfuere. Ejus convocationi præcipuam causam attulit Iconoclastarum hæresis, adeo persecutionibus celebris quas excitavit; quamque imperator Leo Isauricus ex Musulmanis hauserat, apud quos, Judæorum nequitia, originem duxerat. Hi nimirum Christiani nominis hostes qui publicum cultum imagini Christi Domini exhibitum ferre non possent, Califo Yezido persuaserunt, omnibus quæ in Christianorum ecclesiis aderant, picturis delari jussis, ejus regnum diuturnum fore. Califus, huic promissioni fidem addens, perfecit, ut omnes in ecclesiis publicisque locis picturæ, quam late patebat ejus Imperium, supprimerentur. Insistere hujus barbari principis vestigiis imperator Leo Isauricus, ejusque filius Constantinus Copronimus, mandantes, ut Christi Domini, B. Virginis, Sanctorumque in cælis cum Christo ipso regnantium imagines, ubicunque extitissent, flammis devoverentur, ea obducta causa, quod eas honore affici idololatria esset. In hanc ergo hæresin habitum est hoc secundum Nicænum concilium.

PRIMA SESSIO.

Illud aperuit Constantinopolitanus patriarcha, Tarasius, in sessione prima. Episcopos hortatus est, ut omnem, seu in verbis, seu in doctrina, novitatem rejicerent, Ecclesiæque quæ errare non potest, & in qua utique & minime, seu dubiæ incertæque in utramque partem contentiones non agnoscuntur, traditioni mordicus adhærerent. Lecta est Epistola, Imperatoris ejusque matris Imperatricis nomine, ad concilium missa, lectæ pariter summi Pontificis Adriani Litteræ; peractaque lectione hac, in medium prodire jussi Basilius Ancyræ, Theodorus Myræ, & Theodosius Armorionis Episcopi qui, superiore anno, Iconoclastarum partes susceperant; at qui declararunt se, postquam quæstionem expenderant, imaginibus honorem cultumque deferre, ægro animo ferentes se in alia sententia fuisse. Suam fidei professionem singuli tres ediderunt, & Theodosius quidem Armorionensis in sua comparationem adhibuit sane dignam quæ proferatur. „ Si Imperatorum imaginibus, inquit, in provincias „ urbesque delatis, occurrit cereis & odoramentis in„ structus populus, non ut pictis tabulis, sed ut Im„ peratori honorem exhibeat; quanto potiore jure, „ Christi Domini, Servatoris Deique nostri, sanctæ „ ejusdem Matris, omniumque sanctorum & beato„ rum Patrum imagines in Ecclesiis pingendæ sunt? “ Audiit etiam concilium alios septem Episcopos qui mœroris multum testati sunt, quod se Iconoclastis addidissent, quorumque receptio in aliam sessionem remissa fuit.

SECUNDA SESSIO.

In sessione altera, quæ die 26. Septembris habita, Gregorius, Episcopus Neocæsariensis, is ipse qui in pseudo concilio Constantinopolitano, an. 754. primas tenuit, in medium prodiit, se reum fassus est, & veniam petiit. Eum Tarasius ad sequentem sessionem remisit, ut suum abjurationis libellum afferret. Lecta est deinde Adriani Papæ ad Constantinum & Irenen Epistola in qua statuebat imaginum cultum, contendens eum Romanæ Ecclesiæ a S. Petro traditum fuisse. Ejusdem etiam Papæ ad Tarasium Epistola lecta fuit. Cum legati ex eo quæsiissent, eamne approbaret, respondit Tarasius Papam, in utraque, Ecclesiæ traditionem, super imaginum cultu, perspicue explicare; se quoque expendisse, quid super hoc articulo sacræ Scripturæ docerent, cumulateque persuasum habere imagines adorari oportere, affectione relata scilicet, latriæ cultu soli Deo reservato. Universum concilium declarationem hanc & Papæ Litteras approbavit.

TERTIA SESSIO.

Gregorius Neocæsariensis suam fidei confessionem legit, in sessione tertia quæ Septembris die 28. habita fuit; tumque ei locus, æque atque Episcopis septem redditus qui in prima sessione se stiterant. Lecta deinde Tarasii ad Orientales Epistola in qua, præter suam fidei super Trinitate & Incarnatione confessionem, se ab imaginum cultu stare nitide pronuntiabat; lecta pariter ad hanc Epistolam Orientis, Episcoporum responsio, profitentium, apostolicarum trium Orientis sedium nomine, se quidem recipere œcumenica concilia sex, illudque rejicere quod *septimum* nuncupabatur, videlicet, *pseudo-concilium Constantinopolitanum*, *ann.* 754. Lecta item Theodori, Hierosolymitani patriarchæ synodica Epistola, ad Alexandrinum & Antiochenum, ut moris erat, patriarchas missa. Perspectum in ea fuit eum sex œcumenica concilia, quin alia profiteretur, amplexum esse, Ecclesiæque traditiones, ad Sanctorum, eorumdemque tum reliquiarum tum imaginum venerationem quod attinet, suscepisse. Papæ legati declararunt eas duas Epistolas, tamquam Tarasii & Adriani Litteris consentaneas sibi probari; Deoque gratias egerant, quod Orientales orthodoxam, quoad imagines, fidem tenerent.

QUARTA SESSIO.

In sessione quarta quæ Kalend. Octobris habita, cum patriarcha Tarasius, ad Ecclesiæ traditionem super imaginibus ostendendam, Patrum libros afferri jussisset; ductum initium a sacrarum Litterarum oraculis, de Seraphin, a quibus Arca fœderis tegebatur, & interna templi pars ornabatur; lecta deinde Patrum testimonia, unum S. Joannis Chrysostomi, ubi de S. Meletii imaginibus sermo est, quas fideles secum ferebant, & in cubiculis in quibus dormiebant, pingendas curabant; unum S. Gregorii Nysseni, ubi se quidem ait sæpe numero, semperque cum fletu, sacrificii Abrahæ picturam vidisse; unum S. Asterii Amaseensis, unum S. Cyrilli, unum S. Gregorii Nazianzeni, &c. Inter excerpta sane quæ legi jussa, nonnulla sunt quæ Scriptoribus tribuuntur quorum fœtus minime sunt; ut, inter cetera, S. Athanasio adscriptus sermo qui miraculi narrationem continet quod Bergyti contigisse traditum super Christi Domini imagine, a Judæis pertusa, e qua egresso sanguine ægrotantium plures in pristinam valetudinem restituti. At id contra auctoritatem decisionis concilii nihil conficit, quæ scilicet veris & authenticis monumentis satis firmatur; &, quamvis in quibusdam scriptis adjudicandis erratum sit, conveniat, nihilominus, necesse est eos qui eorumdem auctores sunt, non aliam quam Ecclesiæ doctrinam, super imaginum cultu, reapse in animo habuisse. Nihil ergo aliud Nicænis Episcopis exprobrari potest quam eos haud satis critices peritos fuisse. Alios præterea bene multos veterum &, ut aliquos nominemus, S. Nili & S. Maximi Sermones & Litteras concilium legi jussit; atque in S. Maximi quidem Actis memoriæ proditur eum & Monothelitas Episcopos qui eumdem convenerant, ante Evangelia, crucem, & Christi Domini, sanctæque Virginis imagines genua flexisse, has salutasse, manuque tetigisse, ut ea confirmarent de quibus mutuo consenserant. Leontii, Neapolis in Cypro Episcopi, testimonium quod legatis requirentibus lectum fuit, luculenter externum imaginum cultum statuit, pravasque omnes quæ eidem tribui possent, notiones rejicit, ostendens cultum hunc esse ab eo prorsus alium quem Deo præstamus; neque enim ad imaginem ipsam referri, sed ad rem quam exhibet, quemadmodum Imperatoris imagini præstitus honos non in ejus imagine consistit, sed ad Imperatorem progreditur qui per imaginem refertur. Joseph tunicam osculatur & patriarcha Jacob, non ex amore vel ad honorem erga illud indumentum, sed erga Joseph quem sibi præ manibus esse putabat ejus tunicam osculatur. In eumdem modum Christiani omnes, Christi, vel Apostolorum vel Martyrum imaginem salutantes, salutationem hanc referunt ad Christum ipsum, ad Apostolos, ad Martyres, perinde ac si eos ob oculos haberent; & hæc intentio in salutatione & adoratione spectanda. Allata fuere ejusdem auctoris opera plura quæ ejus orthodoxiam testabantur; deinde vero lecta sunt Anastasii, Antiocheni Episcopi loca nonnulla in quibus ipse adorationem quam hominibus sanctisque Angelis tribuimus, ab ea clare distinguit qua Deum prosequimur. Adoratio quæ Sanctis persolvitur, purum putumque honoris argumentum est; quæ autem Deo præstatur, latriæ seu servitii cultus est, qui ei uni debetur, ut inquit Moses: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Lecta sunt etiam aliquot alia Patrum testimonia; tum vero, Euthymius, Sardicensis Episcopus, legit, concilii nomine, fidei confessionem cujus articulus qui imagines spectat, his verbis conceptus est; „ Recipimus pretiosæ & vivificæ Crucis figuram, „ Sanctorumque reliquias & eorumdem imagines; has „ amplectimur & salutamus ex sanctæ Dei Ecclesiæ „ veteri traditione; e nostrorum scilicet Sanctorum „ Patrum doctrina, qui eas susceperunt, mandarunt„ que, ut in omnibus ecclesiis & in omnibus locis in „ quibus Deo servitium solvitur, ponerentur. Eas ho„ noramus & adoramus, Christi Domini nempe, ejus „ sanctæ Genitricis & Angelorum imagines, qui qui„ dem Angeli, quamvis incorporei, justis tamen ho„ minibus tamquam homines apparuerunt; itemque „ Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, cæterorum„ que Sanctorum, qui per eorum imagines nobis eos „ ipsos in mentem revocant, nosque eorumdem san„ ctitatis participes quodammodo efficiunt. “

QUINTA SESSIO.

Quinta sessio quæ Octobris die 4. est, in eo fuit posita, ut ex plurium monumentorum lectione demonstraretur Iconoclastas, dum sanctas imagines impugnarunt, id unum affectos esse, ut Judæos, Saracenos, Ethnicos, Manichæos, aliosque nonnullos Hæreticos imitarentur. Ea sessionis hujus conclusio fuit, ut sanctæ imagines in pristinum locum restituerentur, in solemnibus fidelium processionibus deferrentur; earum una in cœtu medio poneretur, ibique ab omnibus salutaretur; omnia denique Iconomachorum scripta ad flammas damnarentur.

SEX-

SEXTA SESSIO.

Sextæ Sessionis tempore, quæ in Octobris diem 6. incidit, versatum concilium in legenda Refutatione definitionis fidei quam an. 754. Iconomachi ediderant. Hæc Refutatio tributa erat in tomos sex. Initio statim in ejusmodi definitiones impugnatus fuit œcumenici septimi Concilii titulus quem Iconoclastæ suo cœtui tribuebant. „ Qua unquam ratione, Refutationis „ verba sunt, œcumenicum appellari concilium pot- „ est quod a cæterarum ecclesiarum Episcopis nec re- „ ceptum, nec approbatum, sed potius anathemati ad- „ dictum fuit, ad quod Papa qui tunc Romanam Ec- „ clesiam administrabat, nec ipse per se, nec per Epi- „ scopos qui apud eum sunt, nec per suos legatos, „ nec per encyclicam Epistolam, quæ est conciliorum „ consueta lex, operam suam contulit? &c. " Præcipui porro maximique momenti oppositio erat quam ex Eucharistia Iconoclastæ ducebant, ajentes eam unam quæ permissa sit, Christi Domini imaginem esse. Refutationis auctor respondet nec Apostolorum nec Patrum quempiam dixisse sacrificium incruentum imaginem esse Corporis Christi Domini. Non id, inquit, ab eo didicerant; non iis ipse dixit: „ Accipite, co- „ medite, comedite imaginem Corporis mei; sed, ac- „ cipite, & comedite: hoc est Corpus meum. " Est ergo demonstratum nec Dominum, nec Apostolos, nec Patres unquam dixisse incruentum sacrificium quod a Sacerdotibus offertur, Christi Domini imaginem esse; cum e converso illud esse proprium ejus Corpus & proprium ejusdem Sanguinem pronunciaverint. Verum quidem est Patrum nonnullos sibi visos esse designare posse *antityporum* nomine oblatas res, antequam consecrarentur, hoc est, appellare posse figuras & imagines quasdam quæ has res consecratas, videlicet, Christi Domini Corpus & Sanguinem repræsentant; & post consecrationem easdem res proprium Corpus & proprius Sanguis Christi Domini nominantur, quia ejusmodi esse creduntur, & reapse ejusmodi sunt. Quod ait Refutationis auctor, Patrum nullum unquam *imaginis* nomen Eucharistiæ tribuisse, accuratum non est; hanc scilicet eorum nonnulli imaginem, alii symbolum appellarunt; nec defuere qui *signum* & *Sacramentum* dicerent; at is dubio procul id sibi vult, Patrum nullam Eucharistiæ tribuisse nomen *imaginis simplicis*, *vocem communisque*, quæ solummodo exemplar exhibet, quin contineat. Realem ergo Christi Domini in sancta Eucharistia præsentiam credebant Nicæni Patres, nec Iconoclastas, quasi contra sentirent, accusabant. Quod autem ab his hæreticis opponebatur nec peculiares preces, nec cæremonias ullas in Ecclesia ad imaginum consecrationem esse, hac responsione refellitur, alia bene multa apud Christianos existere quæ suo tantum nomine, sine consecratione, sine precibus, sancta sunt; ejusmodi est Crucis figura quam adoramus, cujusque signum in nostra ipsorum fronte notamus, vel digito in aere conficimus, ad dæmones expellendos. Idem de imaginibus sentiendum est; eas honoramus ob nomen quod gerunt, & ob id quod repræsentant. Ita salutamus, amplectimurque sacra vasa, tametsi nullam benedictionem perceperint, ea spe fore, ut eadem osculati sanctificationem aliquam recipiamus. Haud benedicunt Græci, hoc ipso tempore, seu cruces, seu imagines, seu sacra vasa. Bene multas tam sacræ Scripturæ quam Patrum auctoritates contra imaginum cultum Iconomachi proferebant; respondet ad singulas Refutationis auctor ostendens aut ea testimonia solum idolorum cultui adversari; aut ex apocryphis operibus deprompta esse.

SEPTIMA SESSIO.

Lecta est in sessione septima quæ Octobris die 13. an. 787. habita, confessio fidei concilii, superque imaginibus decreta duo. Fidei confessio nihil aliud quam Nicænum Symbolum est; at illud sequuntur anathemata in hæreticos pronuntiata qui in Ecclesia deinde prodierunt; peculiariter, in Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Severum, Petrum eorumque sectatores. Origenis etiam, Evagrii & Dydimi errores, Sergius, Honorius, Cyrus & cæteri qui in Christo Domino duas voluntates duasque operationes non agnoverunt, anathemate perculsi sunt. Subsequitur super imaginibus decretum quod his verbis conceptum est: „ Omni „ quoad fieri potuit, adhibita cura diligentiaque, de- „ cidimus sanctas imagines, seu ex colore, seu ex „ phrygiis operibus, seu e quavis congrua materia „ contectas exponi debere, tamquam figuram crucis „ Domini nostri Jesu Christi, tam in Ecclesiis, super „ sacris vasibus & vestibus, superque parietibus affi- „ xibusque, quam in domibus & in viis; videlicet, „ Christi Domini, ejus sanctæ Matris, Angelorum „ omniumque Sanctorum imagines; quo enim sæpius „ hi suis in imaginibus conspiciuntur, eo magis qui „ has intuentur, ad exemplarium reminiscentiam af- „ fectionemque excitantur. Salutatio & adoratio ho- „ noris his imaginibus præstanda est, non autem vera „ latria quam postulat fides nostra, quæque divinæ „ tantum naturæ convenit. At iisdem imaginibus thus „ & luminare apponetur, quemadmodum quoad Cru- „ cem, Evangelia, sacrasque res cæteras fieri solet; „ omnino ex pia veterum consuetudine; imaginis enim „ honos ad exemplar migrat; & qui imaginem ado- „ rat, id adorat quod eadem exhibet. Ejusdem est „ Sanctorum Patrum doctrina, & Catholicæ Ecclesiæ „ traditio, ubique diffusa. Ita quidem S. Pauli præ- „ ceptum sequimur, traditiones quas accepimus, reti- „ nentes. Qui ergo aliter sentire aut docere audent, „ qui, ut hæretici, Ecclesiæ traditiones abolent, qui „ novitates inducunt, qui eorum aliquid adimunt quæ „ in Ecclesia servantur, Evangelium, Crucem, Ima- „ gines, aut Reliquias Sanctorum Martyrum, qui „ sacra vasa aut veneranda ministeria profanant; hos, „ si Episcopi aut clerici fuerint, deponi, si monachi „ aut laici, excommunicationi subdi jubemus. " Legati, omnesque Episcopi qui concilio aderant, trecenti quinque, relatis in numerum nonnullis, in absentium Episcoporum locum, presbyteris diaconisque, subscripsere decreto huic super quo possunt adnotationes confici quæ sequuntur: Primo, in eo fit de planis tantum picturis, non item de statuis mentio, quia, ut videtur, nondum aderant in ecclesiis statuæ, hujus concilii tempore, vel tam paucæ, ut haud visum sit de his sermonem haberi oportere. 2. Nec de sanctæ Trinitatis, nec de Patris aut Spiritus Sancti imaginibus decretum loquitur, quia tum quidem non erat in more positum, ut pingerentur. 3. Cultus imaginum Christi Domini, Sanctorumque, per hoc decretum statutus, non est is quidem absolutus sed relatus, hoc est, non ad imaginem ipsam, sed ad id refertur quod per eam exhibetur. 4. Adoratio externa quæ Cruci redditur, non latriæ cultus, sed simpliciter adoratio honoris est quo eam afficimus osculati & ad eamdem prostrati, quam scilicet esse meminimus per quam nos Christus redemit. Galliarum Episcopi sentiebant hoc in capite cum hujus concilii Patribus, cum dicebant Crucem, ex Sanctorum Patrum traditione, honorari & adorari, non eo tamen cultu & adoratione quæ ad solam Divinitatem pertinet.

Decreto quoad imagines firmato, scriptæ sunt Epistolæ duæ, Tarasii totiusque concilii nomine, ad Imperatorem & Imperatricem una, ad Constantinopolitanum clerum altera, significandi causa quæ gesta fuerant. Ad Imperatorem data Epistola id summatim continet quod Iconoclastæ ad imaginum excidium egerant, & anathemata in eos, cæterosque hæreticos pronuntiata; explicat deinde adorationis vocabulum, ostenditque adorare & salutare, duo synonyma verba esse. Dicitur in primo Regum Libro, David, prostrata facie, ter Jonathan adorasse & osculatum esse; &, in Epistola ad Hebræos, Jacob adorasse verticem baculi Joseph. Leguntur apud S. Gregorium Theologum hujusmodi locutiones: honorate, inquit, Bethleem, & adorate præsepe. Cum ergo nos Crucem salutamus, subdunt concilii Patres, & canimus: " adoramus Cru- „ cem, Domine, & adoramus lanceam quæ tibi latus „ perfodit; " pura putaque salutatio est, ut ex eo palam fit, quod instrumenta hæc labris contingimus. Tum vocis, adoratio, multiplicem notionem distinguunt, definiuntque dicentes, Sacram Scripturam, dum ait; „ Dominum Deum tuum adorabis, eique soli „ servies, " spectare adorationem indefinite, tamquam æquivocum nomen quod aliis convenire, pluresque significationes suscipere potest; at ad eum tantummodo servitium redigit quod ei, & quidem soli præstamus, quodque *latriam* nuncupamus.

OCTAVA SESSIO.

Habita est octava sessio Constantinopoli, in Magnoræ palatio, Octobris die 23. Huic adfuit Irene Imperatrix cum Imperatore filio, conciliique patres admodum humaniter & eloquenter ambo allocuti sunt. Lecta est, horum jussu, fidei definitio, elata voce, ut a populo qui aderat, audiretur. Episcopi conclamarunt unanimes, Apostolorum, Patrum omniumque orthodoxorum fidem in ea contineri. Ei prima subscripsit Imperatrix, & post eam, Constantinus Imperator ejusdem filius. Concilium porro non imaginum cultum tantummodo per solemne decretum hoc approbavit; edidit

edidit præterea ad Ecclesiæ disciplinam in integrum restituendam sequentes canones viginti duos.

Primus. Confirmantur veteres canones, eorumque executio commendatur; sunt autem Apostolorum, Conciliorumque tum generalium sex, tum denique particularium canones. Lubet etiam eos anathemate plecti quos iidem canones anathemati subdunt; eos deponi quos deponunt, eos pœnitentiæ addici quos iidem addici jubent.

Canonem hunc non recipit Romana Ecclesia, quippe quæ canonum qui Apostolis tribuuntur, quinquaginta priores tantum ut authenticos spectat, nec eos approbavit quos Constantinopolitanum concilium edidit, nec Chalcedonensis concilii vicesimum octavum, nec Quinisexti pariter concilii canones.

2. Expendetur, an is quem placet ad Episcopatum extolli, psalterium calleat, an statuerit ad canonum & sacræ Scripturæ lectionem incumbere, suamque vitam & documenta quæ populo tradere debet, ad eosdem canones sacrasque Litteras conformare.

3. Nullæ declarantur Episcoporum, presbyterorum seu diaconorum electiones omnes a Principibus editæ; & Episcopos quidem eligi & ordinari vult a provinciæ Episcopis omnibus, aut saltem tribus, si longius iter, aut alia necessitas plures convenire non patitur.

4. „In Episcopos interdictio, ne aurum, argentum, „ aliudve quicpiam ab Episcopis, clericisve, aut mo„ nachis exigant qui eorum jurisdictioni subsunt; ne „ quem suis functionibus interdicant, aut separent „ pravo aliquo animi impetu abrepti, ulliusve eccle„ siæ fores claudant, impediendi causa, quominus di„ vinum Officium in ea peragatur; omnino, eam pœ„ nam subituri, ut, quemadmodum alios habuerint, „ & ipsi habeantur."

5. Ecclesiasticos in ultimum locum rejectos vult qui e donis vanitatem trahebant, quæ ecclesiæ, ordinationis ergo, tribuerant, eosque contemnebant qui nihil dederant; ea lege, ut, si recidant, majorem pœnitentiam subeant. Idem canon pœnas toties in simoniacos decretas renovat.

6. „ Habebuntur quotannis provincialia concilia, „ Principibus quidem ea impedire volentibus excom„ municationem, Metropolitanis vero qui iisdem adesse neglexerint, pœnas canonicas subituris."

7. Ponentur reliquiæ in omnibus ecclesiis in quibus non adsunt; nullamque ecclesiam Episcopi consecrabunt, sine Martyrum reliquiis, depositionis indicta pœna.

8. Interdictio, ne admittantur, seu ad communionem, seu ad precem, seu ad Ecclesiam Judæi qui, postquam baptizati fuere, suam religionem clam profitentur. Vetatur præterea, ne eorum filii baptizentur, aut emantur eorumdem servi. Si quis eorum tamen ex animo ad fidem venerit, tum ei, tum ejus filiis Baptisma conferri poterit.

Canon hic impetit Judæos quosdam qui resipiscentiam, christianæque religionis professionem simulabant; at, clam, judaizabant, Sabbatum scilicet, cæterasque judaicas cæremonias servabant.

9. Mandatur, ut Constantinopolis episcopale palatium omnes Iconoclastarum Libri deferantur, ibidem cum hæreticorum libris cæteris custodiendi; & nemo non prohibetur eosdem celare, sub pœna depositionis, si Episcopus, presbyter aut diaconus fuerit, & excommunicationis, si monachus aut laicus.

10. „ Interdictio, ne ceteri clerici ad Missam in „ privatis oratoriis dicendam, sine proprii eorumdem „ Episcopi, aut patriarchæ Constantinopolitani venia, „ suscipiantur; qui vero eam facultatem obtinuerunt, „ ut apud hujus urbis proceres degerent, non sibi su„ ment ullum temporale negotium, sed ad puerorum „ aut domesticorum institutionem, sanctamque Scri„ pturam iisdem legendam unice incumbent."

11. „ Unicuique ecclesiæ suus erit œconomus; &, si „ cui desit, metropolitani erit Episcopis, & Patriar„ chæ metropolitanis œconomum dare. Idem servabi„ tur in monasteriis."

12. „ Vetiti, nullitatis indicta pœna, Episcopi & „ abbates vendere aut donare Principibus, aliisve, suæ „ ecclesiæ suive monasterii bona."

Contigerat, turbarum tempore quas Iconoclastæ excitaverant, episcopales ædes & monasteria in cauponas converti, addicique profanis usibus. Est hæc canonis decimi tertii materies.

13. Mandat, ut ædes hæ, & monasteria hæc in pristinum statum restituantur, excommunicationis, aut, suspensionis in detentores statuta pœna.

14. „ Nemo, tonsuratus, in ecclesia super ambone „ seu pulpito leget, quia lectoris ordinem susceperit. „ Eadem erit monachorum ratio; lectorem tamen ab„ bas, in suo monasterio, per manuum impositionem „ ordinare poterit, modo ipse sit presbyter, & ma„ nuum impositionem, tamquam abbas, ab Episcopo „ acceperit. Corepiscopi quoque ordinare lectores po„ terunt, ex veteri consuetudine, annuente Episcopo."

Animadverti hoc in canone possunt tria. Primum, Græcos dare consuevisse tonsuram, separatim, & sine ullo prorsus ordine. Secundum, lectorum ordinationem peractam fuisse per manuum impositionem tantum, non autem iisdem tradito Prophetarum Libro. Tertium, abbates potuisse ad suorum monasteriorum servitium lectores facere, &, quod inde consequitur, conferre minores ordines.

15. „ Unus idemque clericus in duabus distinctis „ ecclesiis non inscribetur, nisi forte ruri, ubi ei ve„ nia dabitur, ut ecclesiis duabus ob hominum rarita„ tem deserviat. Qui vero deservit urbis ecclesiæ, nec „ satis ad victum habet, professionem deligere debet „ quæ ei ad subsistendum adjumento sit, quemadmo„ dum de S. Paulo dicitur, *Act.* 20. *v.* 34. *Sicut ipsi* „ *scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant; & his qui* „ *mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*

16. Interdicuntur omnibus clericis, nullo prorsus excepto, magnificæ vestes & multicolores serici panni, & odorem exhalantium oleorum usus; & quia non deerant qui aliorum in vestitu modestiam deridebant, eos quidem puniri jubet. Monet canon olim personas omnes Deo consecratas simpliciter & modeste indui consuevisse; quodcunque indumentum non ob necessitatem, sed ob venustatem sumitur, superbiæ & vanitatis suspicionem parit, ut S. Basilius ait.

17. Vetatur, ne quis audeat operam dare, ut oratoria seu capellæ construantur, quin ad ea perficienda satis fundorum suppetat; Episcopique ejusmodi ædificia impedire jubentur.

Spectat canon hic potissimum monachos qui sua monasteria deserebant, & alia construenda curare volebant, ut regiminis honorem consequerentur, aliis scilicet imperarent & præessent.

18. „ In feminas, seu liberas, seu servas, interdi„ ctio, ne in episcopalibus ædibus, aut in monasteriis „ habitent."

19. Nihil sumetur ob collatos ordines, vel ob receptionem in monasteria, sub depositionis pœna quoad Episcopos & abbates qui presbyteri sunt; in abbates vero qui presbyteri non sunt, & in abbatissas ea statuta pœna, ut e suo monasterio pellantur, & in alio ponantur. Accipi tamen id poterit quod parentes pro dote dant, aut quod religiosus suis propriis de bonis affert; ea lege, ut quod datum fuerit, monasterio remaneat, seu qui in illud ingreditur, ibidem permaneat, seu inde egrediatur, nisi forte, cur egrediatur, Superior in causa sit.

20. Vetat, in posterum, monasteria duplicia virorum feminarumque; ita nihilominus, ut ea subsistere sinat quæ fundata jam sunt, e S. Basilii regula. Vetat præterea monachum in feminarum monasterio dormire, & solum cum sola religiosa cibum sumere.

21. „ Suum monachi monasterium non deserent, ut „ ad alia migrent, neque in ea recipientur, absque „ abbatis cui subsunt, nutu. Eadem erit religiosarum „ ratio."

22. A Christianorum conviviis, cantuum musicorumque instrumentorum quæ ad lubricitatem trahunt, genus omne arceri jubet. Vetat etiam monachos ad mensam cum feminis solos sedere, nisi ita omnino postulet earumdem feminarum spiritale bonum, vel consanguinitas, vel itineris causa.

Patriarcha Tarasius, Adriano Papæ, per Epistolam, eorum rationem reddidit quæ in Nicæno concilio gesta fuerant; & Adrianus quidem illud approbavit, confirmavitque. Misit etiam ad Carolum Magnum, aliosque Latinæ Ecclesiæ Principis concilii exemplaria, latine reddita. Concilium hoc suscipere Galliarum Episcopi renuerunt, ob causas plures; 1. quia Occidentis Episcopi nullam in eo partem habuerant, ac ne vocati quidem ad illud fuerant; eique Papæ tantum legati adfuerant; 2. quia idem concilium ex omnibus Ecclesiæ partibus congregatum non fuerat, ejusque decisio cum universæ Ecclesiæ sententia non congruebat; 3. quia Galliarum usus is quidem erat, ut imagines haberent, at nullum tamen seu relatum seu absolutum cultum iis exhiberent; 4. ob *adorationis* vocabulum quod Nicæna eadem Synodus, de cultu loquens qui debetur imaginibus, adhibuerat.

Rationum momenta hæc Episcopi, suis cum querelis, ad Carolum Magnum detulerunt, qui mandavit eorum aliquibus, ut ea colligerent quæ super hac re sancti Patres dixerunt. Prodiit hæc collectio tertio post anno, quam concilium habitum fuerat, nempe, 790. tributa in Libros quatuor qui *Libri Carolini* dicti. Biennio post, opus hoc, omnino vel ex parte, Carolus Ma-

lus Magnus per Angilbertum, abbatem Centullensem, ad Papam Adrianum misit, rogans, ut ad difficultates quas concilii decreto opponebant Galliarum Episcopi, responderet. Responsum in articulos singulos dedit Papa, ostenditque Nicænos Patres ne latum quidem unguem a Romanæ Ecclesiæ veteri traditione recessisse. Responsum hoc haud Galliæ ecclesiam adduxit, ut sententiam mutaret, hujusque regni Episcopi, in concilio, an. 794. Francofurti habito, decretum, super imaginum cultu, Niceno prorsus oppositum ediderunt. Labente tantum sæculo nono, vel ineunte decimo, Gallicana Ecclesia se Græcis & Romanis, quoad imaginum cultum, addidit. *Reg. Tom. XIX. Lab. Tom. VIII. Hard. Tom. IV.*

Concilium Forojulii, seu, Aquileja, Forojuliense, an. 791. vel 796.

Paulinus, Aquilejæ patriarcha concilium hoc, Forojulii, in sanctæ Virginis ecclesia, cum suis suffraganeis habuit. Illud aperuit fusa ejus oratio qua significavit se, quem ex longo jam tempore, quominus haberet concilia, bellorum incommoda impedierant, arripuisse pacis momentum, ut unum cogeret in quo statui Fides propugnarique posset contra novos errores duos quorum unus is erat, Spiritum Sanctum e Patre tantum, non item a Filio procedere; alter, Christum Dominum, adoptione solummodo, Dei Filium esse. Statuit ipse Fidei dogmata, id explicans quod Nicænum concilium suo in Symbolo super iisdem dixit; immoretur autem potissimum in articulo Spiritus Sancti, super cujus divinitate suam haud clare mentem Nicæna Synodus aperuerat; quod apertius satiusque Constantinopolitana præstitit, eum inquiens cum Patre & Filio adorandum esse. Quia porro posterior hæc Synodus id unum dixerat Spiritum Sanctum ex Patre procedere, nonnullique hinc occasionem sumebant proponendi non eum procedere etiam a Filio; additum est deinde Symbolo, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Docet Paulinus ejusmodi explicationes seu additiones non esse interdictionibus oppositas, quas toties concilia iterarunt, ne qua fidei nova professio conderetur; quia qui has additiones ediderunt, non aliam doctrinam fovebant, eoque tantum spectarunt, ut Nicæni ipsius Symboli sensum verbis clarioribus exhiberent. Post hanc animadversionem, Paulinus ostendit, allatis *Sacræ Scripturæ* oraculis pluribus, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, quia alioquin personis his duabus consubstantialis non esset; quod dici non potest, quando quidem Pater, Filius & Spiritus Sanctus unum & idem naturæ sunt, & sanctæ Trinitatis operationes indivisibiles sunt & inseparabiles. Deinde, quin Felicem & Elipandum nominet qui Christum Dominum dividebant in duos, naturalem unum, adoptivum alterum, eos confutat Psalmi verbis his quibus Dei Filius, factus Homo designatur: „ Tu es semper idem, anni que tui non transibunt. “ Edidit concilium canones quatuordecim.

Primus. Simoniam damnat, vetatque, ne, ordinationis ergo, quicquam sumatur.

2. Pastores vult, per vitæ excellentiam, sui gregis exemplar esse, quemadmodum ejusdem lumen per documenta sunt.

3. Eosdem vult ab immodico vini usu potissimum abstinere, ea, si inemendabiles fuerint, indicta pœna, ut honoris, quo gaudent, gradu spolientur.

4. Eos vetat apud se detinere feminas alias quam quæ per Nicænum canonem quintum permissæ sunt.

5. Clericorum nullum sæculi negotiis implicitum vult.

6. Haud magis licere clericis vult se muneribus immiscere quæ a civilis societatis hominibus, vel a terrarum orbis Principibus obeuntur; eosdemque ne dum venationi, profanis cantilenis, musices instrumentis, aliisque ejusmodi ludis vacare vult, sed potius oblectationem suam in sacris legendis Litteris, canendisque Hymnis & spiritualibus Canticis ponere.

7. Episcoporum nullum eo progredi vult, ut presbyterum, diaconum aut abbatem deponat, quin Aquilejensem patriarcham prius consuluerit.

8. Vetat clandestina, interque consanguineos edita matrimonia; jubetque inter sponsalia & matrimonii celebrationem satis temporis intercsse, ut commode expendi possit, consanguinei sponsi, necne, sint; eos qui in vetitis gradibus matrimonium iniisse comperti fuerint, separari & pœnitentiæ subdi; remanere, si fieri potest, innuptos; at, si filios habere velint, nec possint in cœlibatu vivere, iisdem licere vult matrimonium cum aliis inire. Matrimonium nullum fiet, inscio loci parocho.

9. Nemo matrimonium ante pubertatis ætatem contrahet; cavendumque, ne nimia sit inter contrahentes ætatis disparitas, ut adulteriis occasiones vitentur.

10. Qui se ab uxore separat, fornicationis causa, novum matrimonium, ea vivente, inire non potest, quia Christus Dominus viro licere volens uxorem dimittere, non item licere voluit aliam ducere, quemadmodum S. Hieronymus animadvertit. Porro rea femina non potest iterum nubere, vel post viri mortem.

11. Puellæ aut viduæ, quæcumque sit earumdem conditio, quæ nigrum habitum, in continentiæ signum, semel sumpserunt, obstrictum in ejus susceptione votum servare debent, quamvis ab Episcopo consecratæ non fuerint. Quod si clam nubant, aut in depravatione vivant, e legum rigore punientur; ab iis quibus nupserint, separabuntur, &, dum vixerint, pœnitentiæ subdentur; ut Episcopo tamen liceat, pro pœnitentiæ fervore, indulgentia cum iis uti. At iisdem in mortis articulo, Viaticum concedetur. Addit concilium feminam nullam posse, inscio Episcopo, religiosæ habitum sumere. Apparet ex hoc canone veterem Aquilejæ proximarumque provinciarum consuetudinem fuisse, ut personæ Deo consecratæ nigri coloris habitum ferrent.

12. Interdictio, ne quis omnino in puellarum monasteria pedem inferat, sine facultate diœcesani Episcopi qui ne ipse quidem in ea, nisi presbyteris ejusve clericis comitantibus, ingredietur. Nec abbatissæ nec religiosæ egredientur, Romam aut alia veneranda loca adeundi specie, peregrinationis ergo. Quæ contra fecerint, pœnam canonicis legibus latam subibunt, anathemate, vel excommunicatione plectentur, aut honoris gradu quo insignitæ fuerint, privabuntur, pro culpæ gravitate. Eos æque spectant hæ pœnæ, qui sine Episcopi nutu, in religiosarum monasteriis ingrediuntur.

13. Inchoabitur dominici diei cultus ad sabbati vesperas, ab hora scilicet qua Vesperæ per sonitum indicuntur; at non proinde sabbatum, intermisso opere, celebrabitur, quod adhuc rustici nonnulli facere consueverant. Servabuntur etiam festa cætera ab Episcopis aut pastoribus annuntiata; transigentur in prece, bonorumque operum exercitatione; atque his quidem diebus conjugati continentiam servabunt.

14. Decimarum & primitiarum solutionem commendat, nonnullisque veteris Testamenti allatis textibus firmat. *Ibid.*

Concilium Francofurti ad Menum, Francofordiense, anno 794.

Congregatum fuit concilium hoc ineunte æstate anno 794. Imperatoris Caroli Magni jussu, qui omnium suæ obedientiæ provinciarum, videlicet, Galliæ, Italiæ, Germaniæ & Angliæ Episcopos ad illud accivit; qui numero trecenti circiter adfuerunt. Adfuit Imperator ipse, cum Theophilacto & Stephano, Adriani Papæ legatis; ut proinde diu concilium hoc in Gallia tamquam generale spectatum fuerit. Adfuere pariter inferiorum ordinum plures doctrina præstantes viri quos inter Alcuinus. In eo damnata Elipandi Toletani, & Felicis Urgelitani hæresis, in adoptione posita, quam Dei Filio tribuebant; editique canones quinquaginta sex.

Primus. Errorem damnat Elipandi, Archiepiscopi Toletani, & Felicis, Episcopi Urgelitani, contendentium Christum Dominum non naturalem, sed solum adoptivum Dei Filium esse.

2. Nicæni concilii secundi quod *Constantinopolitanum concilium* appellat, doctrinam rejicit, super imaginum cultu, pro certo ponens illud imaginibus eumdem adorationis & servitutis cultum tribuere qui sanctissimæ tantum Trinitati debetur. En hujus canonis verba: „ Quæsitum est, quid sentiendum de novo quo-„ dam concilio, Constantinopoli, a Græcis habito, in „ quo anathema in eum dicitur qui Sanctorum imagi-„ nibus servitium & adorationem non exhibet quæ „ divinæ Trinitati exhibetur; id nimirum unanimi „ consensu damnarunt concilii Patres, hanc adoratio-„ nem & hanc servitutem omni prorsus ratione sper-„ nentes rejicientesque. “ Liquido constat Francofurtensibus a Patribus Nicænos, quoad imaginum cultum, damnari, ex falsa solum hypothesi, adscriptoque iisdem errore a quo sane longe aberant. Gallorum Episcoporum plerique haud græce sciebant, adeoque de Nicæni concilii quod *Constantinopolitanum* nuncupat, Actis ex infideli tantum versione judicarunt. Constantini, Cyprii Episcopi sententiam legerunt, his verbis expressam: „ Suscipio amplectorque cum honore san-„ ctas & venerandas imagines, secundum cultum & „ adorationem qua consubstantialem & vivificam Tri-„ nitatem prosequor. “ Jam vero textus præcise contrarium

trarium habet : „ Amplector cum honore sanctas & „ venerandas imagines , & Latriæ adorationem soli „ Trinitati defero . In eos excommunicationem pro- „ nuntio qui sentiunt , quique loquuntur aliter . “ Ex Carolinis Libris perspicitur ob hanc Cyprii Constantini sententiam, priorem in modum lectam , Gallos Episcopos in secundum Nicanum concilium male animatos fuisse , falso ratos illud eam cui non reclamaverat, approbasse.

3. Tassilonam refert, Bavariæ ducem qui in monasterium conjectus fuerat , in medium concilium prodiisse , petiisse criminum veniam quæ tum in Gallorum publicam ram , tum in Pipinum & Carolum Reges patraverat , sinamque Ducatus Bavariæ puram & simplicem abdicationem exhibuisse. Ei, proinde, Carolus Magnus ignovit, actusque qui in id editus, expedita voluit exempla tria.

4. Eo spectat , ut monopoliis occurrat , & populo solatium afferat. Imperator , e concilii santentia , taxavit annonæ pretium ; scilicet , avenæ modium , ad denarium unum ; hordel, ad duos ; secalis , ad tres ; tritici, ad quatuor; & panem, ratione habita; vetans, ne quis unquam ejusmodi merces , val penuriæ tempora , carius venderet.

5. Novos denarios , Principis jussu cusos in commercium recipi jubet, dummodo justi ponderis , & e puro argento sint.

6. Episcopo mandat , ut jus suæ diœcesis abbatibus & clericis raddat , cum ipsius officiariis qui cum eo judicabunt. Quod si quis ejus judicio acquiescere noluerit, ab eo ad Metropolitanum, tandemque ad Principem appellare poterit.

7. Vetat, ne Episcopi extra diœceses suas commorentur, suasve Presbyteri ecclesias deserant.

8. Ursionam Viennensem inter & Elisantum Arelatensem, super Matropoleon quibus præerant , limiribus, dissidium componit; preoi, scilicet, in eamdem rem, a summis Pontificibus Gragorio, Zosimo, Leone & Symmacho quorum lectæ Epistolæ , statutum fuerat; ut nimirum Vienna suffraganeos quatuor haberat, & Arelate novem. Erant etiam Episcopis Tarantasiæ, Embroduni, utisque quæ Aquæ Sextiæ, contentiones, quæ pariter Papæ judicio ramissæ fuera.

9. Petrum, Veredunansem Episcopum spectat accusatum, qui in conjurationem contra Carolum Magnum conspirasset. Mandatum , ut cum Episcopis duobus tribusve, aut suo saltem cum archiepiscopo qui Trevirensis erat, se ipse purgarat . At ia cum neminem qui cum eo jurare vellet, comperisset , hominem misit qui pro ipso *Dei judicium* , quæ tunc locutio erat, experiretur . Eodem tempore suam coram Deo innocentiam testatus est, Dominumque obsecravit , ut, in suæ innocentiæ testimonium , homini quem ipse miserat, opem ferret. Episcopi homo, sine Regis aut concilii mandato egressus , ut *Dei judicium* experiratur , sospes & incolumes rediit ; quod aum Principem impulit, ut Episcopum in gratiam raciperat , suæque humanitatis officiis complecteretur . Cujusmodi esset hoc *Dei judicium*, haud constat , utrum singulare certamen, an crux, an denique ferrum candens; at est animadversiona dignum nec Regem nec concilium sua illud auctoritate firmare voluisse; ejusdem tamen rationem habuisse.

10. Magenardo, seu, Mainardo, Rothomagensi archiepiscopo mandat , ut Gerboldum deponat qui se Episcopum venditabat , sed qui suæ tamen ordinationis nullum testem proferre poterat, atque adeo se nunquam diaconum & presbyterum canonica ordinatum fuisse confessus erat . Est , quod Gerboldus hic idem esse credatur, ac Gerboldus, qui , sub id temporis , Eboricensi sede abdicata , a Carolo Magno Fontenellensem abbatiam, & vectigalium maritimis in portubus receptoris munus obtinuit.

11. Monachos vetat sæcularibus negotiis se se immiscere , suisque e monasteriis egredi litis causa, nisi id in eorum regula expressum sit.

12. Vetat, ne se quispiam raclusum faciat sine Episcopi & abbatis consensu, qui in reclusionis locum ingradiendi rationem ipsi moderabuntur . Constat Episcopum ad reclusionis cæremoniam peragendam ipsum se contulisse, simmque sigillum ad reclusi januam appossuisse; hæc ipsa nonnunquam obturabatur.

13. „ Dormiet abbas in dormitorio cum monachis, „ e S. Benedicti ragula. “

14. „ Dabitur opera , ut in monasteriis celiararii „ seu procuratores eligantur qui avari non sint , sed „ quos Regula postulat. “

15. „ In monasteriis in quibus adsunt sancta corpo- „ ra , sit , oportet, oratorium in elaustro, ubi peculia- „ re officium , quotidie, peragatur. “

16. „ Prohibentur abbates, ob ingressum in raligio- „ nem pecuniam exigere . “

17. Cum a Rega mandabitur , ut abbas eligatur , „ non fiet electio nisi a diœcasani Episcopi con- „ sensu. “

18. „ Quæcunqua peccaverint monachi , vetantur „ abbates eos mutilare, iisdemve oculos eruere velle. “

19. „ In clericos & monachos interdictio , ne ad „ cauponas , bibendi causa, se conferant. “

20. „ Sciet Episcopus canones & quod ejus officium „ spectat. “

21. „ Servabitur dies dominicus, a sabbati vesperis „ ad usque sequentis diei vesperas. “ Mos erat, tunc temporis, at sabbato & in festorum vigiliis, hora nona, ab opera cessaratur.

22. „ Intardicitur, ne Episcopi in ruribus pagisque „ statuantur. “

23. „ Interdicitur, ne aliorum servi recipiantur , „ aut ordinentur absque heri consensu. “

24. „ Clerici & monachi in sua quisque professione „ permanebunt. “

25. Commendat omnibus, ut decimam solvant, ejusque solutionis negligentiæ famem tribuit qua regnum nuper afflictum fuerat.

26. „ Ab iis ecclasiæ reparandæ, qui earum benefi- „ cia possident. “

27. „ In clericos interdictio, ne, absque Episcopi „ nutu, ab una ad aliam ecclesiam migrent. “

28. „ Nemo ordinabitur nisi ad peculiarem eccle- „ siam. “

29. „ Cordi habebit Episcopus quisque sibi concre- „ ditum populum, suosque potissimum clericos edoce- „ re, ut semper adsint inter eos idonei dignique qui „ ad canonica munia eligantur. “

30. „ Si clericus cum laico litigat , Episcopus & „ Comes causam dijudicabunt. “

31. „ Nec conjurationes nec insidiæ struentur , & „ si qua conflata fuerit , dabitur opera , ut disjicia- „ tur. “

32. „ Monasteria ad canones exigentur. “

33. „ Tradetur Catholicæ Ecclesiæ fides, super san- „ cta Trinitate, fidelibus omnibus, itemque dominica „ oratio & Symbolum. “

34. „ Teratur pedibus avarities & cupiditas. “

35. „ Exercebitur hospitalitas. “

36. Qui infamia notati sunt , accusatores esse non „ poterunt. “

37. „ Erit curæ, ut, in necessitatis casu , reconcilia- „ tio pœnitentibus concedatur. “

38. „ Presbyteri in suos Episcopos perduelles non „ communicabunt cum claricis capellæ Regis. “

39. „ Presbyteros qui in delictis comperti fuerint, „ Episcopus judicabit ; quod si negotium in ejus tri- „ bunali finiri non potest , deferetur ad concilium in „ quo definitiva judicetur. “

40. „ Curabunt Episcopi & presbyteri, ut orphanæ „ puellæ a piis feminis educentur. “

41. „ Prohibiti Episcopi suis ab ecclesiis ultra heb- „ domadas tres abesse; &, post Episcopi mortem, id „ unum ad ejus hæredes pertinere poterit quod ipse „ ante susceptum episcopatum possidebat, facta etiam „ hypothesi non eum de his ipsis rebus in Ecclesiæ fa- „ vorem disposuisse. “

Perspicitur ex hac constitutione , ut ex aliis pluribus, quantopere semper Episcopi necessaria judicata fuerit residentia; quidque sollicitudinis afferretur, ne, quod de Ecclesiæ bonis parsimonia raservaverat , ad laicos deveniret ; debet id in Ecclesiæ & pauperum emolumentum cedere.

42. „ Interdictio , ne novis Sanctis honos exhibea- „ tur , in eorumve honorem , capellæ erigantur , iis „ exceptis quos in Ecclesia veneratione dignos red- „ didere authentica martyrii Acta , aut vitæ san- „ ctitas. “

43. „ Destruentur arbores & nemora ethnicis divi- „ nitatibus consecrata , quemadmodum canones man- „ dant. “

44. „ Cum arbitri alecti fuerint, stabitur eorumdem „ judicio. “

45. „ Non jubebuntur pueri jusjurandum edere , „ quod faciunt Gontbadingiani, scilicet , Burgundiones „ qui Gondebaudii legem sequuntur a quo puerorum „ jusjurandum in probationem admittebatur. “

46. „ Quod attinet ad virgines , qua nempe ætate „ iis valum dari possit, & cuinam exercitationi ad an- „ num usque vicasimum quintum addici debeant , id „ servabitur, quod in canonibus notatum est. “

47. „ Explorabunt Episcopi, quæ vitæ in abbatiss „ ratio , quæ parum a regula vivunt , idque Regi si- „ gnificabunt, ut deponantur. “

48. „ Oblationes quæ in Ecclesia fiunt , ab iis di- „ stribuentur quibus id officii Episcopus demandave- „ rit, & non ab aliis. “

49. „ Nemo evehetur ad sacerdotium, ante tricesi-
„ mum ætatis annum. “

50. „ Debent omnes ad solemnis Missæ finem, sibi
„ mutuo pacem dare. “

Dabatur adhuc eo tempore per osculum pax; et eam non dabant viri feminis quæ eamdem ipsæ sibi invicem dabant.

51. Haud recitabuntur ante oblationem, seu, offer-
„ torium, nomina. “

Videtur hæc explicatio propius accedere ad litteram textumque qui ita habet: *De non recipiendis nominibus, antequam oblatio offeratur*. Sunt tamen auctores qui ita exhibendam canonis mentem putent: „ non recitabun-
„ tur eorum nomina, qui oblationem ediderunt, ante-
„ quam presbyter offertorii preces recitaverit. “ Nituntur aliquibus monumentis quæ hunc sensum determinare videntur, cujusmodi Papæ Innocentii I. decretum est quod eorum nomina qui oblationem attulerunt, ante recitari vetat quam presbyter eam Deo per suas preces obtulerit.

52. „ Non est credendum tribus tantum linguis ora-
„ ri posse, quia Deus adorari potest per omne lin-
„ guarum genus, & homo, siquidem justa postulet,
„ exaudiri. “

Homines quosdam impetit canon hic, qui contendebant eum nisi linguis tribus orari posse. Haud nominat concilium has linguas tres; et fuisse creduntur hæ, hebraica, græca & latina, quæ tamquam cæterarum sanctissimæ spectabantur, cum ob sacrum textum, tum ob titulum super Christi Domini cruce positum qui scilicet hebraice, græce & latine scriptus erat.

53. „ Nec Episcopo, nec presbytero licet sanctos
„ canones ignorare. “

54. „ Ecclesiæ quas liberi homines ædificarunt, do-
„ nari aut vendi possunt; sed ea conditione tantum,
„ ut ecclesia non destruatur, in eaque officium quoti-
„ die peragatur. “

Patitur concilium solummodo vendi ecclesiæ ædificium ipsum materiale dictum, sed ea lege, ut nec diruatur, nec profanis usibus addicetur.

55. Exponit concilio Rex sibi per Adrianum Papam licere sua semper in aula Engelramum archiepiscopum detinere; rogatque Patres, ut sibi quoque per eos liceat apud se episcopum Hildeboldum habere, cujus in gratiam, eamdem facultatem e sancta Sede obtinueret. Universum concilium ad ecclesiarum bonum annuit.

Perspicitur ex hoc canone, quam strictæ obligationis esse censeretur Episcoporum residentia, quandoquidem Carolus Magnus oportere credidit, et super ea dispensationem, in sui Archicapellani gratiam, e Papa obtineret, eamque in concilio firmandam curaret. Archicapellanus hic Engelramus erat, Metensis episcopus, qui hoc loco *archiepiscopus* nominatur, ob sanctæ Sedis privilegium, quæ ei, quemadmodum etiam Chrodegando & Drogoni, Metensibus itidem episcopis duobus, hunc titulum cum pallio concesserat. Hildeboldus porro Coloniensis episcopus erat.

56. Concilium, Regis rogatu, Alcuinum, ob ejus in ecclesiasticis rebus eruditionem, in societatem & in precum communionem recipit. *Ibid.*

Concilium Aquisgranense, an. 799.

Cum Felix Urgelitanus nec in concilio quod in hanc rem hoc ipso anno, Romæ, nec in alio quod Urgeli habitum fuit, adduci potuisset, ut heresin abjuraret; Episcopi qui hoc posterius concilium conficiebant, eum etiam atque etiam rogarunt, ut suam causam propugnaturus ad illud accederet quod an. 799. Aquisgrani, ubi Carolus Magnus Paschatis festum celebraverat, habitum est. Felicem ergo, cum ad concilium se contulisset, Imperator adegit, ut cum Alcuino, coram congregatis episcopis, disputaret. Perduravit disputatio a ferie secunda ad sabbatum usque. Felicem victum, quicumque aderant, judicarunt, unus Felix fuit qui de sua ipsius clade non conveniret. Eum ergo concilium, pertinacem videns damnavit & episcopatu deposuit; et is dejectione hac revocatus ad mentem, se errasse non sine lacrymis fassus est, & quam potuit, clarissimis humillimisque verbis palinodiam cecinit; scripta Fidei confessione in Epistolæ modum, quam ad Ecclesiæ suæ presbyteros, diaconos cæterosque fideles mittit, & in qua se *Felicem olim episcopum, quamvis indignum* nuncupat: exponitque, quemadmodum Episcopi, a Carolo Rege missi eum, ut Aquisgranum se conferret, impulerant; quæ concessa libertas, suam ut sententiam defenderet; quæ sibi a concilii Episcopis exhibita bonitatis specimina; quæ rationum via eum devicerat; refert præterea, quid actum in Romano concilio, coram Papa Leone III. & Episcopis quinquaginta septem; se deinde veritatis vi, universæque Ecclesiæ consensu convictum prorsus ex animo ad hanc redire, suæque sinceræ resipiscentiæ Deum testem velle; se proinde non amplius sensurum docturumve promittit Christum Dominum, secondum carnem, adoptivum, seu, nuncupativum Dei Filium esse sed crediturum, e sanctorum Patrum doctrina eum esse, in utraque natura Dei verum & unicum filium, personalis naturarum duarum, divinæ & humanæ quæ in ipso sanctæ Virginis sinu facta est, unionis causa. Clerum ergo populumque Urgelitanum hortatur, ut ut hanc doctrinam cum universa Ecclesia amplectatur, Dei miserationem in ejus gratiam imploret, operamque det, ut scandalum de medio tollatur, quod ipse inter fideles, per errores suos, excitaverat; hos nempe fatetur haud abfuisse a Nestorii deliramentis qui purum tantummodo putumque hominem Christum credebat. *Ibid.*

CON-

C O N C I L I A

S Æ C U L I N O N I.

Concilium Aquisgranense, an. 802.

REfecit Carolus Magnus, ut hoc concilium, seu hic generalis cœtus, Novembri mensa an. 802. baberetur. Ei S. Paulinus, Aquilejensis apiscopus, tamquam Papæ Leonis III. non autem Adriani I. ut in nonnullis exemplaribus legitur, lagatus præfuit. Episcopi suis cum presbyteris diaconisque, Abbates cum monachis eos comitantibus, & Imperator cum Ducibus Comitibusque, seorsim inter se contulerunt, cœtusque veluti tres conflarunt. Episcopi, Imperatoris jussu, omnium canonum Collectionem legerunt, recaperuntque se ita mordicus adhæsuros. Ab abbatibus lecta S. Benedicti regula quæ reformationi normam præberet; denique plurium suæ ditionis populorum leges Imperator lectas voluit; tum, horum trium cœtuum consacutiones perspiciens, mandavit, ut abusus qui inter laicos, in claro & in monasteriis grassabantur, secundum canones, reformarentur; ut canonici ad canones, & monachi ad S. Benedicti regulam, suæ vitæ rationem exigerent. Episcopi, in suo peculiari cœtu, per editum viginti duobus articulis Capitulare docuere, quomodo presbytari parœciis præfecti se gererent; eorum præcipuæ constitutiones ejusmodi sunt.

I. & II. „ Orabunt omnes ad unum presbyteri, „ absque ulla prorsus intermissione, pro Imperatoris „ incolumitate & prosperitate, pro Principibus ejus „ filiis filiabusque, æque ac pro Episcopo diœce„ sano. “

III. & IV. „ Dabit operam presbyter quisque, suæ „ ut acclasiæ nitorem ac dignitatem servet, suumque „ populum dominicis festisque diebus edoceat. “

VII. „ Tribuentur decimæ in partes tres, quarum „ primam sibi vindicabit acclesiæ sustentatio, alteram „ pauperes & peregrini, tertiam presbytari. “

XII. & XIII. „ Presbyterorum nullus, ob Baptis„ matis aliorumque Sacramentorum administrationem, „ quicquam exiget; omnesque in Ecclesia permane„ bunt, ad quam ordinati fuere. “

XV. XVI. XVIII. & XIX. „ In presbyteros in„ terdictio, ne cum feminis degant; ne se sponsores „ statuant; ne ad laica tribunalia litigent; ne arma „ gerant; ne in cauponas ingrediantur; denique ne „ jurent. “

XXI. & XXII. „ Presbytero cuique id erit curæ, „ ut iis congruam pœnitentiam imponat, qui ei sua „ peccata confessi fuerint, nec sinat ægrotantium quem„ piam mori, quin ei Viaticum administraverit. “

Capitulare boc in titulo *Capitulare Episcoporum* dicitur, quia editum fuit ab Episcopis ad presbyterorum institutionem qui eorum sollicitudini concrediti erant; at ast, quod ei suam Imperator auctoritatem addidisse credatur, ut certam ejusdam executionem firmamque redderet. Refertur ad eumdem Aquisgranensem cœtum Capitulare aliud quod de ecclesiasticis tantum negotiis agit, divisumque ast in articulos septem. Per articulum primum, recipit Carolus Magnus baud se divisurum ecclesiarum bona, quæ ditiores videbantur, quod faciendum laicorum aliqui proposuerant. Per secundum, assentitur Episcoporum electionem e clero & populo fieri; & per tertium, ecclesiasticorum bonorum custodem & vindicem se declarat, eademque usurpari vatat. Tres qui sequuntur, articuli querelas in Chorepiscopos editas, latumque in eosdem decretum continent. In iis Imperator ait se iterum iterumque propositis in Chorepiscopos querimoniis defatigatum misisse archiepiscopum Arnonem ad Leonem Papam quem super hoc negotio consuleret; Papæ vero responsum ejusmodi fuisse, Chorepiscopis nec presbyteros, diaconos, subdiaconos ordinandi, nec ecclesias dedicandi, nec virgines consecrandi, nec confirmationis conferendæ, nec episcopalis ullius functionis obeundæ potestatem esse; & quicquid per usurpationem facere contenderant, rursus a legitimis Episcopis fieri oportere, absque ullo id iterendi metu, quod nullum erat; eumdere Papam mandasse, ut omnes Chorepiscopi damnarentur, & in exilium pellerentur, sibi tamen satius videri, ut eos Episcopi majora bumanitate complecterentur, iidemque in presbyterorum numero ponerentur, ea conditione, ut nullam episcopalem functionem, sub depositionis pœna, in posterum aggrederentur. Id nimirum, subdit Imperator, in concilio, apostolica auctoritate, Ratisbonæ habitu statutum fuit; pronuntiatum scilicet, chorepiscopos non esse episcopos, quia nec ad episcopalem aliquam sedem, nec a tribus episcopis ordinati fuerant. Nos ergo, prosequitur Princeps, mandavimus, e Papæ Leonis, nostrorum episcoporum aliorumque subditorum nostrorum sententia, ut nullo chorepiscoporum liceat Confirmationem conferre, presbyteros, diaconos aut subdiaconos ordinare, virginibus velum dare, sanctum Chrisma conficere, ecclesias aut altaria consecrare, vel populo in publica Missa benedictionem impertiri; omnino, sub pœne nullitatis & ab omni acclesiastico gradu depositionis quoad chorepiscopos, quia hæc munia singula episcopalia sunt, & quia chorepiscopi sunt puri putique presbytari. Quamobrem episcopi eos iterum confirmabunt aut ordinabunt quibus manus imposuerunt chorepiscopi, & sic porro, quin vereantur, ne Sacramenta iterent, quia scriptum ast spectari non debere tamquam iteretum quod probatur non factum fuisse. Hæc tamen adeo præcisa mandata non obstitere, quin longo deinceps tempore chorepiscopi in Gallia subsisterent. Occurrunt, ad medium sæculum nonum, Richoldus, chorepiscopus Remensis, Vitaus, chorepiscopus Camerecensis, & Augalramus, chorepiscopus Lingonensis. In eo positus abusus arat, quod hi chorepiscopi qui vulgo presbyteratus ordine tantum insigniti erant, episcopales omnes functiones sibi aliquando arrogabant; ob banc proinde causam declaratum ast ordinationes ab iisdam editas nullas esse. Agit articulus septimus idemque postremus de ratione qua presbyter accusatus se purgare debebat, deque testium & accusatorum qualitate. Statuitur nempe, ut, si accusatoris est quem canones postulant, & coram episcopis, per congruum testium fide dignorum numerum, crimen probat de quo presbyterum accusat, hic canonica judicatur.

Datum ast Capitulare hoc an. 803. At generalis cœtus, seu concilium quod Aquisgranure, superioris anni mense Novembri, convocatum fuaret, adhuc babebatur, ut probat vetus manuscriptus codax in quo legitur Capitulare hoc editum fuisse in magno Aquisgranensi concilio cui Paulinus Aquilajensis, tamquam sanctæ sedis Legatus præfuit: *Factum in magno synodo, quando Paulinus patriarcha Aquilejensis vices apostolicæ sedis tenuit in Aquis.* Man. Remense apud Balutium, *Tom. I. p.* 379.

Concilium Arelatense, an. 813.

Carolus Magnus, an. 811. encyclicam ad omnes sui regni archiepiscopos Epistolam miserat in qua eos rogabat, ut sibi significarent, quemadmodum ipsi eorumque suffraganei, super Baptismo & cæremoniis quæ eum præcedunt & comitantur, presbyteros & populos erudirent. Tractatibus pluribus occasionem dedit Epistola hæc. Biennio post, Senatum, cœtumve, vulgo Parlamentum, Aquisgrani congregavit, in quo mandavit, ut haberentur concilia quinque in metropoleon ad ejusditionem spectantium præcipuis, Arelata, Moguntiæ, Remis, Turonibus, seu, Cæsaroduni, & Cabilloni; eorumque decreta ad se perferrentur. Quinque concilia hæc an. 813. habita sunt; in iisque editæ constitutiones ad encyclicam Epistolam referuntur quæ biennio ante ad omnes archiepiscopos missa fuerat. Habitum fuit Arelatense concilium, die 10. Maji, in S. Stephani ecclesia. Ei præfuit Joannes, urbis archiepiscopus, cum Nebridio Narbonensi; hi se gloriosissimi piissimique Principis Oratores, uterque, dicunt. Editi sunt hoc in concilio canones viginti sex.

Primus, Fidei professionem continet, cum additione *ex Patre & Filio.*

2. Ad canendas Missas, fundendasque pro rege Carolo, & regia familia preces, generalem in ecclesia cœtum indicit.

3. Archiepiscopum quemque jubet suffraganeos suos cohortari, ut ad presbyteros populosque super Baptismate

mate, superque omnibus Fidei mysteriis recte instituendos, per sanctæ Scripturæ studium, se comparent; quia inscitia, utpote parens errorum omnium, esse non debet in presbyteris quibus aliorum demandata institutio est. Hos ergo sanctam Scripturam & Canones scire oportet, &, dum populos edocent, iisdem exemplo præire.

4. & 5. Vetant, ne laici, hoc est, patroni, ex ecclesiis parochos pellant quibus earum curam Episcopi concrediderunt, aliosve substituant, absque proprii eorumdem Episcopi judicio; itemque, ne dona exigant, ut aliquarum ecclesiarum regimen persbyteris tradant, quia sæpe contingit sua laicos cupiditate adigi, ut ministros sacerdotalibus functionibus indignos præsentent.

6. Episcopum quemque operam dare vult, ut canonici & monachi e suo quisque instituto vivant.

7. Mandat, ut ad servitium in puellarum monasteriis exhibendum, bonis moribus, provectaque ætate homines eligantur; ut presbyteri qui ad ea se conferent Missam celebraturi, ea absoluta, statim egrediantur; ut juniori nulli clerico aut monacho in hæc monasteria accessus pateat, nisi consanguinitatis causa.

Perspicitur, ex hoc canone, religiosarum ecclesias, eo adhuc tempore, intra monasteria ipsa extitisse.

8. In canonicorum, monachorum, aut religiosarum monasteria plures quam domus vulgo pati possit, recipi vetat.

9. Jubet unumquemque, e suarum manuum labore, Deo decimas & primitias offerre.

10. Non solum in civitatibus, scilicet, magnis in urbibus, sed in omnibus quoque parœciis Dei verbum prædicari.

11. Eos omnes separari qui incestuosa matrimonia contraxerunt, adigique præterea, ut pœnam subeant quam veteres canones statuerunt.

12. & 13. Unumquemque, quod in ipso erit, operam dare, ut inter Episcopos, Comites, clericos, monachos, universumque populum pax servetur; in hunc finem, Comites, judices, totumque populum Episcopo obedire, conjunctisque viribus agere, ut justitia custodiatur.

14. Famis, alteriusve necessitatis tempore, quemque, pro suis facultatibus, iis alimenta, qui ad ipsum pertinent, suppeditare.

15. Mensuras & pondera esse ubique locorum æqualia & justa.

16. Dominicis diebus nullum prorsus mercatum haberi, nec magis lites agi; & neminem non ab omnibus servilibus & ruralibus operibus abstinentem, ad Dei cultum, & ad ea quæ ad hunc aliqua ratione referuntur, solum incumbere.

17. Episcopos singulos, semel in anno, suæ quemque diœceseos visitationem peragere, oppressorumque pauperum patrocinium suscipere, adhibita etiam regiæ potestatis auctoritate ad eos reprimendos quos precibus monitisque flectere non potuerint.

18. Presbyteros clave conclusum sanctum chrisma servare & nemini tribuere medicinæ specie, quia Sacramenti genus est quod alii quam presbyteri tangere non debent.

Concilia, Moguntinum & Trevirense addunt bene multos persuasum habere facinorosos qui se sancto chrismate abluerint, aut ex eo biberint, nunquam detegi posse; quæcunque in id inquisitio fiat; idque in causa fuisse, ut, qui alicujus criminis rei erant, sanctum chrisma obtinendum curarent. Est hæc rationum una propter quas mandatum est, ut illud apposita clave custodiretur.

19. Oportere ait, ut parentes filios & patrini filiolos erudiant, ii quidem, quia eos genuerunt, hi vero, quia pro iisdem respondent.

20. Suas antiquis ecclesiis decimas & cætera bona servat, quorum possessione gaudent.

21. Quod mortuorum in basilicis sepulturas spectat, id servatum vult quod veteres Patres mandarunt.

22. Super publicis & sæcularibus litigiis judicia in ecclesiarum propylæis & in ecclesiis ipsis exerceri vetat.

23. Potentes viros, ut Comites, Vicarios, Judices, Centuriones, pauperum bona publice tantum emere vult, coram Comite, iisque qui inter cives præcipui sunt.

24. Episcopis singulis mandat, ut suæ diœceseos presbyteris & diaconis invigilent, profugos clericos adigant, ut ad suum quisque episcopum redeant, eosdemque repetentibus reddant.

25. „ Si quis, beneficii, hoc est, ususfructus titu„ lo, possidet alicujus ecclesiæ bona, non ad repara„ tiones tantum, verum etiam ad novæ ecclesiæ, si „ opus fuerit, constructionem conferet. "

26. „ Qui publici criminis convicti sunt, publi„ cam ejus pœnitentiam, ex canonibus, agere de„ bent. "

„ Hi sunt, inquiunt Arelatensis concilii Episcopi, „ reformationis articuli quos, paucis, notavimus Im„ peratori exhibendos. Eum rogamus, iis ut si quid „ deest, addat, & si quid minus congruit, id corri„ gat; at, si, in iisdem articulis, prudentes utilesque „ sanctiones occurrunt, obsecramus obtestamurque, „ ut eas executioni mandatas velit. "

Concilium Remense, an. 813.

Habitum est Remense concilium, medio circiter mense Majo. Vulfarius, ejus urbis archiepiscopus, ei præfuit; Episcoporum qui eidem adsuere, numerus haud scripto traditus. Antequam aperiretur, jejunatum est, de more, triduum, ut Spiritus Sancti lumen imploraretur; tum vero quadraginta quatuor qui sequuntur, editi canones.

Primus, & 2. „ Suam Christiani quique fidem & „ dominicam Orationem callere debent. "

3. „ In eo singuli clerici ordine ad quem promoti „ sunt, ecclesiæ deservire debent. "

4. 5. 6. & 7. Sancti Pauli Epistolas in concilio legi jussum, ut palam fieret, qua eædem ratione a subdiaconis in ecclesia legendæ. Lectum pariter Evangelium, ad diaconorum documentum; & ut sacra Mysteria, majore cum dignitate, celebrare presbyteri docerentur, ordo Missæ itemque Baptismatis in examine positus.

8. 9. 10. & 11. Ut recti ordinis ratio apud canonicos, apud monachos, apud pastores in integrum restitueretur, lecti canones, Sancti Benedicti Regula, Sancti Gregorii Pastoralis Liber, & Patrum sententiæ plures.

12. & 13. Administrandæ Pœnitentiæ exposita ratio, ut presbyteri perciperent, quemadmodum confessiones audire deberent, & ex canonibus pœnitentiam imponere. Hac oblata occasione, sermo habitus de capitalibus peccatis octo, ut eorum discrimen oculis subjiceretur, & ab iisdem aversio animis inspiraretur.

Animadvertendum veteres numerasse capitalia peccata octo, quia vanam gloriam superbia distinguebant.

14. & 15. Commendatur Episcopis, ut, diligentius accuratiusque, sanctorum Patrum lectioni, divinique verbi prædicationi se addicant. Quia vero plures contexendis sermonibus pares non erant, eos Iubet sanctorum Patrum Homilias prædicare, easque in vulgarem linguam conversas, ut intelligi possint.

16. Commendatur Episcopis & presbyteris, ut, sedulo, expendant, quomodo peccatorum confessionem audire, & pœnitentiam imponere debeant.

17. & 18. „ Episcopi & abbates, dum cibum su„ ment, indecentes scurrilitates edi non sinent; sed „ excipient pauperes suam ad mensam, pietatis lectio„ ne interim edita; fietque ab iisdem, ante convivium „ quod sobrium sit, oportet, ciborum benedictio; „ deinde vero gratiarum actio. "

19. „ Episcopi & judices acriter intendent animum, „ & perspicient, quid judicandum, quidque Dei ju„ dicio relinquendum. "

20. „ In presbyteros interdictio, ne a minore titu„ lo ad majorem migrent. "

21. „ Presbyter, suum qui gradum suamve eccle„ siam emerit, deponetur. "

22. „ Presbyteri commorari non poterunt nisi cum „ matre tantum, aut cum sorore, aut cum cæteris de„ nique personis quæ nulli prorsus suspicioni subsint, „ prout Nicæna synodus statuit. "

23. „ Abbates, in victu vestituque, & in omni „ vitæ ratione, Dei & Imperatoris voluntatem sequen„ tur. "

24. „ Statuentur superiores, secundum canones. "

25. & 26. „ Monachi & canonici non hac illac va„ gabuntur, nec ad caupones divertent. "

27. „ In urbibus & monasteriis presbyteri & mona„ chi non plures erunt, quam sustentari possint. "

28. „ Prohibetur avarities & cupiditas. "

29. „ In monachos interdictio, ne pergant ad litium „ loca, ad laicorum judicium audientias, seu, tribu„ nalia scilicet. "

30. „ In presbyteros & monachos interdictio, ne „ sæcularibus se negotiis immisceant. "

31. „ Discernendi peccatores quibus publica, qui„ busque occulta solum pœnitentia imponenda. "

32. „ Abstinebitur a turpi & usurario lucro. "

33. „ Con-

33. " Confugietur ad Imperatoris pietatem, ut puellarum monasteriis necessaria compararentur; ad earumdemque castitatis custodiam invigilabitur. "

34. „ Vivent viduæ, pro ut earum statui congruit, sub Episcopi auctoritate. "

35. „ Dominicis diebus, servilia opera non edentur; non pergetur ad judiciorum loca; non fient publicæ donationes; nullus denique mercatus habebitur. "

36. „ Boni illegitimis rationibus acquisiti donationes, in Ecclesiæ gratiam editæ, nullæ erunt; eique reddetur donata res ad quem pertinebit, pœnitentiæ addictis usurpatoribus, pro culpæ gravitate. "

37. „ Qui ad se trahit, per mendacia, quod ad Ecclesiam pertinet, id ei restituet; & si quis fraudulenter, & occulta cupiditatis sensa favens, Ecclesiæ donaverit, ei reddet Ecclesia quicquid acceperit. "

38. „ Solvetur ad apicem decima. "

39. „ Nemo petet, accipietve munera, suum ut jus cuique reddat. "

40. „ Augebuntur preces & oblationes pro Imperatore ejusque filiis. "

41. „ Obsecrabitur Imperator, ut faveat, annuatque, ut e Pipini sanctione, solidi de quibus in lege sermo est, denariis quadraginta non æstimentur, quia id nempe pluribus perjuriis falsisque testimoniis occasioni est. "

Ex lege Salica, valebant solidi denariis quadraginta; & id erat in animo, ut mulctæ quas ea lex imponebat, hac ratione solvi juberentur; quod ad perjurium reos adigebat, ut se mulctæ subducerent.

42. „ Rogatur etiam Imperator, ut impediat, ne quis neget iis hospitium, qui ad ejus servitium pergunt, aliisque quibus eo opus fuerit. "

43. & 44. „ Rogabitur itidem Princeps, ut suorum veterum Capitularium executionem urgeat, quo id perficiat, ut lites prompte finiantur, falsique testes reprimantur. "

Concilium Moguntinum, *an.* 813.

Die 8. seu 9. Junii an. 813. concilium hoc in claustro ecclesiæ S. Albani, martyris, congregatum fuit. Ei adfuere triginta Episcopi, abbates viginti quinque, pluresque laici, Comites & Judices. Cœtus præsides fuere Hildeboldus Coloniensis qui sibi archiepiscopi sacri palatii titulum sumit, quia archicapellanus erat; Riculfus, archiepiscopus Moguntinus; Arno, archiepiscopus Salisburgensis, & Barnarius, Episcopus Wormatiensis. Quo facilius omnia negotia in ordinem redigerentur, tributus est cœtus omnis in classes tres. In prima, erant Episcopi cum aliquibus a secretis; legeruntque una omnes sanctum Evangelium, Epistolas Actaque Apostolorum, canones, plura Patrum opera, & inter alia, S. Gregorii Pastorale, ut ex his fontibus adjumenta sumerent quorum ope in clero interque populum, Fidei itemque morum puritas restitueretur. In altera classe, aderant abbates cum probatæ virtutis monachis, legentes S. Benedicti regulam, agentesque inter se de ratione qua ecclesiastica disciplina pristino robori redderetur. Denique, in tertia, Comites erant & Judices qui conjunctim civiles leges discutiebant, expendentes finientesque eorum omnium causas qui ad eos confluebant.

Edidit concilium canones quinquaginta sex quorum plerique ad quæstiones ab Imperatore propositas responsa sunt.

De Fide, de Spe, & de Charitate agunt priores tres.

4. „ Servabitur in Baptismatis administratione Romanus ordo, & illud quidem, e Leonis Papæ decreto, in Paschate & Pentecoste solummodo conferetur, etsi quovis tempore baptizari possint qui in periculo sunt. "

5. „ Christifideles inter se pacem & unionem servabunt. "

6. „ Si Episcopi pueros comperiunt qui parentum successione frustrati fuerint, ob legata pia, per sollicitationem, vel aliter ab iis edita, huic malo, quantum in ipsis erit, remedium afferent; quoad ea vero quæ corrigere ipsi non poterunt, ad Principem confugient. "

7. „ Emi non poterunt pauperum, minusve potentium personarum bona, nisi in cœtu publico, ut omnis vexatio evitetur. "

8. „ Episcopis laici, quod ecclesiarum regimen, viduarumque & orphanorum defensionem spectat, parere debent; itemque Episcopi Comitibus, in justitiæ administratione, suppetias ferre. "

9. „ Clerici canonici vivent secundum canones, suisque superioribus obedient; iis una omnibus mensa & dormitorium unum erit. Qui ex Ecclesiæ bonis retributiones percipiunt, nempe, qui beneficia possident, a regula non eximentur. In suo omnes claustro commorabunt; diebus singulis, a mane ipso lectionem & quod iis præceptum fuerit, audituri convenient: legetur iis comedentibus; iidemque obedientiam quibus subsunt, præstabunt, secundum canones. "

10. „ A sæculi voluptatibus abstinebunt clerici, nec spectaculis, aut indecentibus conviviis intererunt; usuram & omne sordidum lucrum, itemque amorem pecuniæ, sæcularia negotia, honores, invidiam, odium & alienæ famæ obtrectationem vitabunt. Haud dona accipient ob Sacramenta, & in vestitu, in incessu, in sermone modesti erunt. Inviolatam castitatem servabunt, cavebunt a feminarum colloquiis, indefessique ad studium, ad psalmodiam, ad cantum & ad aliorum institutionem incumbent. "

11. „ Vivent abbates una cum monachis, e Sancti Benedicti regula, prout in concilio promiserunt, & quantum humana imbecillitas patietur. Monasteria a decanis regentur, quia præpositi sibi nimium auctoritatis arrogant. "

12. „ In monachos interdictio, ne ad laicorum judicum tribunalia se conferant; eaque ne abbas quidem adire poterit, nisi annuente Episcopo. Vetantur pariter monachi suis e claustris exire, extraque monasterium bibere & comedere, sine abbatis venia. "

13. „ Abbatissæ & religiosæ quæ professionem, secundum S. Benedicti regulam, ediderunt, hanc regulam ipsam servabunt; cæteræ insistent canonicorum regulæ, nec e monasteriis pedem efferent, sine Episcopi facultate. " Aderant ergo jam tum religiosæ canonicissæ, præsertim in Germania & in Belgica, ubi, reapse, collegiales plures Canonicissarum ecclesiæ adhuc subsistunt.

14. „ In clericos & monachos interdictio, ne villici aut procuratores sæcularium negotiorum sint; ne ferantur ad ludos; ne canibus aut avibus ad venationem incumbant; ne vestes gerant quæ eorum statui parum congruant; ne falsis ponderibus falsisque mensuris utantur; ne denique injusta litigia aggrediantur. "

15. 16. 17. 18. „ Commendatur perfectionis sollicitudo, voluptatumque, sæcularium negotiorum & pseudo-prophetarum fuga. "

19. „ In canonicorum, monachorum & religiosarum monasteria non plures recipientur, quam quibus eadem alendis sint. "

20. „ Legati Principis operam dabunt, ut, concorditer cum diœcesanis Episcopis, expendant, an canonicorum, monachorum & puellarum monasteria bene sita sint, & intra ambitum habeant, quicquid eorum earumve necessitas qui ibidem degunt, postulare potest; ut ne opus habeant ad id alibi quærendum egredi. "

21. „ Scire debet Episcopus, qui canonicorum numerus in monasterio abbati suppetat; eos, si se monachos facere voluerint, Episcopus & abbas monasticam regulam servare jubebunt, si minus, vivent iidem omnino, ut canonicos decet. "

22. „ Clerici acephali seu errones, hoc est, qui nec Regis servitio addicti sunt, nec Episcopis aut abbatibus subsunt, in carcerem ab Episcopo conjicientur, quod si parere renuerint, excommunicationi, ad archiepiscopi judicium usque, subdentur; sin archiepiscopus eos corrigere nolit, arctius concludentur, quoad aliter concilium aut Imperator mandaverint. "

23. „ Qui tonsurati fuere tamquam canonici, vel tamquam monachi, quin suum ipsi assensum præberent, remanebunt in clero, vel inter monachos. At vetatur, ne quis deinceps tonsuretur, quin legitimam ætatem habeat, & quin ipse aut ejus dominus assentiantur. " Tum quidem, qui etiam non assentientes clero aut monasteriis addicti fuerant, ibidem permanere jubebantur.

24. „ Id servabitur quod in sanctis canonibus quoad clericos notatum est qui Imperatorem adeunt. "

25. „ Quamvis Episcopus absit, aut ægrotet, aut alia de causa prædicare non possit; non est tamen omittenda, dominicis festisque diebus, in populorum gratiam prædicatio. "

Probat constitutio hæc adhuc eo tempore raro factum, ut alii quam Episcopi prædicarent.

26. „ Poterunt presbyteri in puellarum monasteriis congruo tempore Missam dicere, ac deinde suas ad ecclesias redibunt. "

27. „ Pres-

27. „ Presbyteri conclusum tenebunt sanctum chrisma, ullamve ejus partem nemini dabunt, obdu⁽la remedii aut maleficii causa, sub depositionis pœna. "

28. „ Orarium (stolam), tamquam peculiarem suæ dignitatis notam, semper presbyteri ferre debent. "

29. „ Laici presbyteros suis ex ecclesiis non pellent, nec in eas inducent, sine Episcopi consensu. "

30. „ Laici non exigent a presbyteris dona, quos præsentabunt, ut alicui ecclesiæ deserviant. "

31. „ Episcopus quisque sua in diœcesi inquiret accurate de clericis in ea commorantibus; ac si quos profugos compererit, eos ad Episcopos suos remittet. "

32. Litaniæ penes Græcos idem significant quod Rogationes penes Latinos. At inter exomologeses & litanias id interest discriminis, quod exomologeses ad peccatorum tantum confessionem fiunt, litaniæ vero ad gratiam, quæcunque fuerit, a Deo petendam. Utræque tamen per idem vocabulum designantur. "

33. „ Peragetur, trium dierum spatio, magnæ litaniæ processio; nec in ea incedetur equo, aut pretiosis vestibus, sed nudis pedibus & sub cinere ac cilicio. " Rogationes hoc loco *magnæ Litaniæ* nomine significantur.

34. & 35. „ Servabitur jejunium Quatuor Temporum, hebdomada prima Martii, secunda Junii, tertia Septembris, eaque Decembris, quæ ante Natalis Domini vigiliam est. Qui cætera jejunia quæ indicentur, contempserit, excommunicationi subherit, prout in Gangrensi concilio statutum est. "

36. „ Festa quibus ab opere abstinendum, hæc sunt: Pascha & hebdomada tota, Ascensio, Pentecostes ut Pascha, S. Petrus & S. Paulus, S. Joannis Baptistæ nativitas, Sanctæ Mariæ Assumptio, S. Michaelis dedicatio, S. Remigius, S. Martinus, S. Andreas, in Natali dies quatuor, octava Domini, scilicet, Circumcisio, Epiphania, Purificatio, Sanctorum festa, quorum reliquiæ in parœcia sunt, itemque ecclesiæ dedicatio. "

Animadversione dignum est nondum occurrere in hoc albo nisi B. Virginis festa duo, Apostolorum itidem duo, & notatum cerni S. Remigii festum inter S. Michaelis & S. Martini festos dies; quod argumento est tum quidem hujus sancti episcopi translationem, Octobri mense, celebriorem fuisse quam diem ejus mortis, qui in Januarium incidit.

37. Dominicis diebus vetitæ nundinæ ac tribunalia, itemque cujusquam ad mortem aliamve pœnam vetita iisdem diebus damnatio. "

38. „ Cum Deus decimæ solutionem mandaverit, eam solvere negliget nemo. "

39. „ Eo audaciæ nemo deveniat, ut ab Ecclesia reum abstrahat, ad quam confugit, vel ad mortem aliamve pœnam damnet. Reparabit is tamen malum quod egerit. "

40. „ Vetita ad lites tribunalia in Ecclesia, in domibus eidem proximis, seu in ejusdem atrio. "

41. „ Interdictio, ne veterum Ecclesiarum bona Oratoriis nuper extructis dentur. "

42. „ Quicunque ecclesiastica beneficia possident, ad ecclesiæ reparationes contribuere, eique decimam, & reliquos census solvere debent. "

43. „ Presbyter Missam solus canere nequit; quomodo enim dicere posset, *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, & ejusmodi alia, si unus ipse Missæ interesset? "

44. „ Monebitur identidem populus, ut oblationem peragat, & pacem suscipiat, quia remedium animis oblatio est, & pax quæ recipitur, unanimitatem & concordiam designat. "

45. „ Presbyteri monebunt fideles, ut Symbolum & Dominicam orationem ediscant; iis qui hæc neglexerint, jejunia aliasque pœnitentias imponent; in hunc finem, parentes seu ad monasteriorum, seu ad presbyterorum scholas mittent filios qui suam ipsi fidem percipiant, domique alios edoceant; eam vero qui non poterunt aliter discere, vulgari lingua discent. "

46. „ Ad ebriositatis funditus evertendum vitium, quod cæterorum omnium fons & origo est, ebriosi excommunicationi subdentur. "

47. „ Jussi patrini filiolos catholicæ Religionis veritatibus imbuere. "

48. Inhonestæ cantiones, in ecclesiis potissimum, interdictæ. "

49. „ In clericos interdictio, ne alias quam in canonibus permissas feminas apud se detineant. "

50. „ Episcopi, abbates, aliique ecclesiastici vicedominos, præpositos, advocatos seu defensores eligent homines virtute præditos, fideles, justos, ad humanitatem compositos, cupiditatis expertes, mendacio & perjurio minime obnoxios; eosque destituent, si male fungantur officio suo. "

51. „ Interdictio, ne ab uno in alium locum transferantur Sanctorum corpora, sine Principis & Episcoporum nutu, ac sine concilii venia. "

52. „ Interdictio, ne mortui sepeliantur in ecclesiis, nisi fuerint Episcopus, Abbas, presbyter, aut fideles laici. "

53. „ Jubentur Episcopi incestuosos sedulo inquirere, & ex ecclesia ejicere, dum ad resipiscentiam venerint. "

54. „ Interdictio, ne quis matrimonium contrahat in quarto consanguinitatis gradu; qui post hoc decretum id egerint, separabuntur. "

55. „ Suum nemo filium, suamve filiam levabit e Baptismi fonte, suamve filiolam, commatrem, eamve cujus filium aut filiam ad Confirmationem præsentaverit, sibi conjugem sumere poterit. "

56. „ Qui carnis peccatum cum filiola patraverit, duasve sorores duxerit, matrimonium, deinceps, inire non poterit; eadem in feminam statuta pœna, quæ duobus fratribus, aut patri & filio nupserit. "

Concilium Turonense, an. 813.

Quo mense, qua die concilium hoc habitum fuerit, quis eidem præsuerit, haud constat; hunc tamen Turonensis ipsius urbis archiepiscopum fuisse haud dubium est. Adfuere, cum magno abbatum & presbyterorum numero, Episcopi plures qui unum & quinquaginta canones hos ediderunt.

Primus, „ Hortationibus excitantur populi, ut imperatori Carolo Magno fideles sint, assidueque pro ejus incolumitate Deum orent. "

2. „ Debent Episcopi, quoad fieri per eos potest, Evangelium & S. Pauli Epistolas memoriter scire, quibusque explicantur, sanctorum Patrum opera sæpe legere. "

3. „ Non licet Episcopo canones & S. Gregorii Pastorale ignorare, quod iis veluti speculum esse debet, in quo se ipsi nunquam non spectent. "

4. „ Episcopus sibi concreditum populum prædicatione instituere, exemploque ad virtutem permovere debet. "

5. 6. 7. & 8. „ Episcopi mensa ad sobrietatis regulas exigenda est; ei addenda sancta lectio; ad eam suscipiendi pauperes & peregrini. Venatio, musice, & profana oblectamenta cætera Episcopis interdicta. "

9. „ Presbyteri & diaconi recta suorum Episcoporum exempla imitari debent, quippe qui eorumdem officiorum legibus subsunt. "

10. & 11. „ Episcopus, tamquam fidelis œconomus, Ecclesiæ bona sedulo administrare debet. Ei licet ex Ecclesiæ thesauro, coram presbyteris & diaconis, id extrahere quod ad familiæ & ad ejusdem ecclesiæ pauperum sustentationem necessarium est. "

Ex hoc canone compertum fit redditus bonorum Ecclesiæ in communi thesauro positos fuisse, e quo Episcopus qui eorum dispensator erat, nihil depromere, nisi præsentibus presbyteris diaconisque debebat.

12. „ Nemo presbyteratu initiabitur, quin ad tricesimum ætatis annum pervenerit, & apud episcopatum antea perstiterit, quoad suas functiones perciperet, certoque constaret ejus mores cum regulæ ratione congruere. " Cernitur hoc loco seminariorum imago quæ multo post instituta fuere.

13. „ Alterius diœcesis presbytero haud venia dabitur, ut Missam dicat, nisi commendationis Litteras secum afferat. " Erant hæ *formatæ Litteræ* quarum usus adhuc vigebat.

14. „ Si presbyter a minore titulo ad majorem transierit, plectetur eadem sententia quæ in Episcopum pronuntiaretur qui tenui relicta sede, potiorem sibi arrogaret. "

15. „ Quicunque presbyter ecclesiam suam per pecuniam obtinuerit, ejiciendum curans qui eam possidebat, deponetur. Nec clericus ullus nec laicus ecclesiam administrandam presbytero dare poterit, sine Episcopi nutu. "

16. „ Ecclesiæ cujusque decimis utentur presbyteri, annuente Episcopo, prout pauperum & ecclesiæ rationes postulaverint. "

17. „ Episcopus quisque Homilias, ad sui populi institutionem, habebit; quas, ut intelligantur, in Teutonicam linguam, seu in linguam romanam rusticam vertendas curabit. " Appellabatur autem *lingua romana rustica*, seu *romanensis* locutio, latinus sermo corruptus; unde gallicus sensim conflatus est.

18. „ In id Episcopi diligenter incumbent, ut ea presbyte-

„ byteros doceant quæ Baptismi sacramentum spectant. “

19. „ Monendi presbyteri, ne, cum Sacrum fecerint & ipsi communicaverint, Domini Corpus infantibus tribuant, aliisque indiscriminatim, quicunque aderunt, ne, siquidem inter eos fuerint qui criminibus infarti sint, Eucharistia, ne dum sit iis remedio, damnationem in eosdem pertrahat. “

Ostendit canon hic eorum plerosque qui Missæ interesant, adhuc in eadem communicasse, servatumque pariter fuisse veterem usum infantibus distribuendi quod ex Eucharistia, post generalem communionem, superesat. Is usus per hunc canonem interdictus. Duodecimo tamen sæculo Eucharistia adhuc infantibus tribuebatur; & Odo, Parisiensis Episcopus, vetat in synodo an. 1175. ne Hostiæ, vel non consecratæ, infantibus dentur.

20. „ Presbyteri clave claudent sanctum Chrisma, ne quis ex eo sumere possit; quia complures autumant reos qui eo se abluerint, aut ex eodem biberint, detegi omnino non posse. “

21. „ Presbyteri cauponas non ingredientur, ut ibidem edant aut bibant, secus canonica sententia percellendi. “

22. „ Cum omnes Episcopi in palatium convenerint, decernant oportet, quem potissimum pœnitentialem Librum sequi debeant, ut pœnitentias statuant. “

23. „ Clerici & canonici qui in episcopatu versantur, degent omnes in claustro, cubabunt in eodem dormitorio, & in eodem triclinio comedent, ut facilius ad officium se conferant. Iis Episcopus, pro suis facultatibus, victum vestitumque parare debet. “ Id ostendit canonicos tunc in commune vixisse, ob Episcopi sui oculos.

24. „ Eadem erit canonicorum ratio, qui in monasteriis vivunt, sub abbatum regimine. “

25. „ Reformabuntur monasteria quæ a regulæ severitate remissa sunt, quorumque abbates ut canonici potius quam ut monachi vivunt. “

26. „ Eidem legi suberunt abbatissæ & religiosæ quæ professionem editam negligunt. “

27. & 28. „ Haud citius dabitur junioribus viduis velum; itemque virginibus, ante vicesimum quintum ætatis annum, citra necessitatem. “

29. „ In religiosarum monasteria clerici non ingredientur, nisi ut ibidem Missam celebrent, aliove ecclesiastico officio fungantur; statimque ac suas functiones obierint, egredientur. “

30. „ Abbatissæ suis e monasteriis pedem non efferent, absque Episcopi facultate, nisi forte ut Imperatorem adeant. “

31. „ Is tantum canonicorum, monachorum & religiosarum numerus cui sustentando domus sit, recipietur. “

32. „ Ita fideles vivent, mutuam ut pacem & concordiam servent. “

33. „ Comites & judices suis Episcopis, propter amorem Dei, obedientes esse, eorumque & consilia sumere & opinionem audire; Episcopi vero honorifice Comites & judices habere debent. “

34. „ Comites & judices monebuntur, ne indignos homines, aut e populi fœce quoslibet apud se testimonium ferre patiantur, quia ejusmodi personæ admodum vili pretio pervinci possunt, ut falsum testimonium ferant. “

35. „ Christifidelium nullus aut accipere, aut exigere dona potest, ut suum cuique jus tribuat. “

36. „ Monebitur quisque, suam ut familiam, suosque pauperes alat atque sustentet. “

37. „ Orandum flexis genibus, præterquam die Dominica & Paschali tempore, quo is est ecclesiæ totius usus, ut oret quisque stans. “

38. „ Fideles monere debent presbyteri, ne ecclesiam ingredientes rumorem edant, ut in ea modeste se gerant, nec solum a gerris & obtrectationibus abstineant, verum etiam a pravis omnibus cogitationibus mentem amoveant. “

39. „ In laicos interdictio, ne sua tribunalia in ecclesia, vel ad ejusdem fores teneant. “

40. „ Interdictio, ne, diebus dominicis, tribunalia pateant, aut nundinæ celebrentur. “

41. „ Sæcularis potestatis est incestuosos, parricidas & homicidas reprimere, qui pœnitentiæ a presbyteris impositæ se subdere nolunt. “

42. „ Docebunt presbyteri populos, id quod ad hominum belluarumve sanandos morbos, per magiam, usui est, ad eorum valetudinem conferre non posse. “

43. Interdicitur jusjurandum.

44. Datur opera, ut impediatur, ne pauperes a potentibus opprimantur; mandaturque, ut ad Imperatorem confugiatur, rogandi causa, ut ipse eorum causas expendi jubeat.

45. Jubetur quisque justis ponderibus & mensuris uti.

46. „ Solvetur Parochis decima; perficientque Beneficiarii, ut ecclesiæ & monasteria quorum reditus percipiunt, reparentur. “

47. „ Nemo non jejunia ob publicam necessitatem indicta servabit. “

48. Damnatur vinolentia & crapula, ponunturque ob oculos mala quæ inde promanant.

49. Monentur domini, suos ut subditos humaniter habeant, nedum vexent & opprimant.

50. „ Ter saltem in anno, laici, nisi sua eos crimina impediant, communicabunt. “

51. „ Expendimus, sedulo, inquiunt Episcopi, e Principis monito, an quispiam esset qui bonis quæ ejus parentes Ecclesiæ donaverant, ab aliquo e nobis spoliatum contenderet; at super hac re nullam in nos querelam deteximus; nemo enim fere unus est qui Ecclesiæ sua bona tribuat, quin ususfructus titulo de Ecclesiæ bonis recipiat, quantum dedit, vel etiam duplum triplumve; & post ejus mortem, filii aut consanguinei, pro ut cum ecclesiæ superiore convenit, eodem jure gaudent. His quoque hæredibus nos ea parentum bona a quibus per legem exclusi sunt, in beneficium (hoc est, in feudum) daturos obtulimus. “

Concilium Cabillonense, an. 813.

Hujus concilii prorsus ut Turonensis Actis deest mensis & dies. Episcopi Galliæ Lugdunensis ei adfuere cum abbatibus, ediderruntque canones sexaginta sex quorum plures animadversione admodum digni sunt.

1. 2. 3. 4. & 5. „ Episcopi, sine intermissione, ad Sacræ Scripturæ, canonum, & Pastoralis S. Gregorii lectionem incumbere debent; suis populis exemplum præbere eosque per prædicationem edocere; scholas præterea, ex Imperatoris mandato, instituere, in quibus Litteræ, & Sacræ Scripturæ doceantur; ut ibi formentur docti homines qui contra hæreses Ecclesiam tueri, atque adeo Antichristo ipsi obsistere possint. Debent etiam humilitatem & religionem, totius oris & corporis habitu, præseferre, se irreprehensos reddere, & ab omni turpi sordidoque lucro abstinere. “

6. „ Exprobratur, inquiunt Episcopi, nostrorum fratrum aliquibus qui, avaritiæ causa, ad nuntium sæculo remittendum nonnullos adducant, ut Ecclesiam suis bonis donent; par est has suspiciones ab omnium animo penitus amoveri . . . . . Ecclesia, ne dum fideles spoliare, debet, tamquam bona mater, pauperes, infirmos, orphanos & viduas alere; quia scilicet Ecclesiæ bona sunt peccatorum redemptio, patrimonium pauperum, clericorum in communitate viventium stipendium. Iis Episcopi tamquam propriis uti non debent, sed tamquam bonis quorum iis concredita est administratio. “

7. „ Pœnitentiæ subdentur qui, in Ecclesiæ favorem, donationes ab aliquibus extorserunt quos permoverunt, ut se Deo consecrarent; reddenturque hæredibus bona. “

8. „ Si triticum aliasve merces presbyteri in apothecas conferunt, non id ea mente facere debent, ut congesta carius vendant, sed ut in pauperes, penuriæ tempore, distribuant. “

9. & 10. „ Ecclesiasticis interdicitur, quidquid eorum oculis aut auribus illecebræ argumento esse possit; sobrietatemque exercere & prædicare jubentur. “

11. „ Prohibentur Episcopi suas causas ad sæcularia tribunalia deferre, nisi forte ut pauperibus, viduis & orphanis subsidio sint. Eadem statuitur in presbyteros & diaconos, multoque apertius, in monachos interdictio. “

12. „ Vetita presbyteris, diaconis & monachis villicatio. “

13. „ Nuntiatum nobis e nostris fratribus aliquos iis quos ordinant, eam legem imponere, ut jurent se sacris ordinibus dignos esse; contra canones nihil acturos; Episcopo qui eos ordinat, ecclesiæque in qua ordinantur, obedientiam præstituros. Vetamus ejusmodi jusjurandum quod incommodis obnoxium est. “

14. „ Episcopi, diœceses suas visitantes, cavebunt, ne cuipiam oneri sint. “

15. „ Archidiaconi nullum censum, seu, retributionem a parœciarum presbyteris exigent; id enim tyrannidem potius quam æquitatis ordinem sapit; quia, si, quæ S. Petri Apostoli sententia est, suum „ Epi-

„ Episcopi clerum non debent dominationis animo excipere, id multo minus archidiaconis congruit. “

Contraria tamen consuetudo prævaluit in diœceseon plerisque, in quibus parochi quoddam visitationis jus archidiacono solvunt.

16. & 17. Vetus etiam erat in aliquibus ecclesiis mos, ut presbyter quisque, pro balsamo qui sancti chrismatis confectioni inserviebat, & pro ecclesiarum luminari, quotannis, Episcopo tres quatuorve denarios daret. Alibi, unusquisque presbyter denarios duodecim aut quatuordecim in censum solvebat. Has omnes exactiones concilium prohibet.

18. Mercedes pariter seu mulctas, ab iis qui decimam non solvebant, vel ab incestuosis exigi vetat, quod Episcoporum nonnulli faciebant, e condicto cum Comitibus quibuscum has ipsas mulctas partiebantur. Eos concilium communione privandos pronuntiat qui renuunt decimam solvere & incestuosos pœnitentiæ subdendos, quin pecuniariæ mulctæ exigantur.

Legitur in concilii textu: *VVadios excipi ne*. *VVadium*. seu, *VVadius*, seu, *gadium*, id significat quod Gallice *gage*, Latine *pignus*, merces dicitur.

19. „ Episcoporum & abbatum terræ ac vineæ a decima ecclesiæ solvenda immunes non erunt. Familiæ debent ecclesiæ decimam solvere, in qua earum infantes baptizati sunt, & in qua eadem, per anni cursum, Missam audiunt. “

20. „ Episcopis & Comitibus mutua pax commendatur. “

21. „ Comites & judices haud personarum acceptione trahentur, nec dona recipient, sed e justitia judicabunt. Justos tantum & integros officiarios subalternos habere studebunt, ut ne quid detrimenti populus ex eorum avaritie patiatur. “

22. „ Mandatur monachis, ut e S. Benedicti regula vivant. “

23. „ Ordinationes notatis temporibus peragentur. “

24. „ Sciendum est ex Imperatore, cuinam solvenda mulcta pro Episcopi, presbyteri, diaconi aut monachi cæde. “

25. „ Aliquibus in locis, peragendæ canonicæ pœnitentiæ, itemque peccatores excommunicandi & reconciliandi, secundum præscriptum per canones ordinem, mos abrogatus est. Imperatoris patrocinium præsidiumque, ut ordo hic restituatur, implorandum est. “

26. „ Ecclesiæ non debent in partes tribui inter terrarum hæredes in quibus extructæ sunt; quod ita interdum ad scandalum fit, ut unum & idem altare dividatur in partes quatuor quæ suum singulæ presbyterum habent. Si qua lis fuerit, ecclesiam Episcopus interdicere debet, usque eo dum contendentes consentiant. “

27. „ Iterari non magis Confirmatio debet quam Baptisma. “

28. „ Interdictio, ne matrimonium in gradibus per canones vetitis contrahatur. “

29. „ Habenda ratio graduum consanguinitatis & affinitatis quos æque femina ac vir contrahunt. “

30. „ Interdictio, ne captivorum matrimonia solvantur, cum, eorum dominis consentientibus inita sunt, quamvis iidem aliorum dominorum servitio addicti sint. “

31. „ Neque vero separabuntur a maritis conjuges quæ filios ad Confirmationem tenuerunt, per errorem aut dolo malo, eoque consilio, ut a viris separarentur; at, quoad vixerint, pœnitentiæ subdentur. “

32. „ Gravi, inquit concilium, abusui occurrendum est. Nonnulli non omnia presbyteris quibus confitentur, peccata declarant; at, quoniam homo ex animo & corpore constat, confiteantur quisque, necesse est, peccata quibus corpus instrumento fuit, & quæ, cogitatione tantum, patrata sunt. “

33. „ Ajunt aliqui Deo, presbyteris alii sua quemque peccata confiteri debere; utrumque magno cum fructu fit in Ecclesia; ita scilicet ut nostra singuli peccata Deo qui is demum est qui ea remittit, eademque, ex Apostoli institutione, alii aliis confiteamur, oremusque alii pro aliis, æternæ salutis ergo. Itaque confessio quæ Deo fit, peccata purgat; quæ autem presbytero, rationem docet qua ea purgari necesse est; Deus enim, salutis & sanctitatis auctor, hanc sæpe largitur per invisibilem suæ potestatis operationem, sæpe etiam medicorum opera. “

Quod hoc loco de confessionis quæ Deo peragitur, utilitate concilium ait, confessionis presbytero edendæ necessitatem non impedit, de qua scilicet in præcedenti canone loquitur, inquiens debere quemque sua omnia tam carnis quam mentis peccata sacerdotibus confiteri.

34. „ In ullo prorsus, at potissimum in pœnitentiæ judicio, personarum acceptioni locus esse non debet. Animorum medici imitari debent corporum medicos qui, sine personarum acceptione, ferrum & ignem adhibent, cum ad sanandum ægrotum ita facto opus esse judicant. Salutarem ergo congruamque pœnitentiam imponere sacerdos debet, eam scilicet exigens ad sacram Scripturam, ad canones, ad Ecclesiæ consuetudinem, ad animi pœnitentium fervorem, ad eorumdemque de suo ipsorum macerando corpore sollicitudinem. “

35. „ Abstinendum est, ipso pœnitentiæ tempore, non a vino & carne solum, quorum usus tum quidem vetitus, sed ab omni etiam potione omnique cibo, quibus mollities allici consuevit. “

36. „ Damnantur qui peccant dedita opera, sibique impunitatem e suis eleemosynis pollicentur; prætexentes sacram Scripturam dicere *eleemosynam extinguere peccata, quemadmodum aqua extinguit ignem*. Verum id quidem est, inquiunt concilii Patres, de fragilitatis peccatis, at non item de iis quæ eo prorsus animo perpetrantur, ut deinde per eleemosynam redimantur; quia qui ita peccant, videntur Deum mercede conducere, ut sibi liceat impune peccare. Non ergo peccandum, ut eleemosyna erogetur, sed eroganda eleemosina, quia peccatum est. “

37. „ Presbyteri legent sæpe concilia quæ esse debent eorum vitæ eorumdemque prædicationum regula. “

38. „ Ad Pœnitentiæ administrationem, standum est antiquis canonibus, sacris Litteris & Ecclesiæ usui, rejiciendique pœnitentiales Libri quorum errores certi & auctores incerti sunt; qui sane Libri sunt causa mortis plurium, quia ob gravia peccata leves tantum pœnitentias imponunt; quique, proinde, quæ Prophetæ locutio est, cubitis pulvillos, capitibusque pulvinaria supponunt in omnium gratiam, ut animos perdant. “

39. „ In omnibus, etiam solemnium festorum Missis pro defunctis orabitur. “

40. „ Presbyteri depositi concludentur in monasteria, ut pœnitentiam ibidem agant; quod si sæcularent in medium vixerint, excommunicationi subdentur. “

41. „ Non recipietur presbyter qui in alienam diœcesin pergit, nisi secum afferat Episcopi sui dimissorias Litteras quæ rectam ejus vitam, causamque testentur, ob quam, suam ipse diœcesin deserit. “

42. „ Interdictio, ne tribuantur adimanturve presbyteris ecclesiæ, absque Episcoporum consensu. “

43. „ Declarantur nullæ & sine effectu ordinationes a Scotis vel Hibernis editæ, qui se Episcopos dicunt; quia ejusmodi ordinationes erroribus pluribus & simonia infectæ censebantur. “

44. „ Prohibentur presbyteri villicos, aut secretarios agere seu ab epistolis, seu a publicis actis; in cauponis bibere, nundinas frequentare, Romam aut Cæsarodunum pergere, sine Episcopi nutu. “

45. „ Scatent fere abusibus peregrinationes quæ Romam, vel ad Sanctum Martinum Turonensem instituuntur. Sunt ecclesiasticorum nonnulli qui putant se, statim atque ea sancta loca inviserunt, sua peccata expiasse, sesque in functiones quas sua ipsi culpa amiserunt, restituendos esse. Laicorum quidam sibi ad impune peccandum ex his peregrinationibus præsidium quærunt. Sunt etiam divites qui, pecuniæ ad hæc itinera congerendæ specie, pauperes opprimunt; nec desunt pauperes qui has peregrinationes non alio animo peragunt, quam ut liberius mendicent. Rogatur Imperator, ut hujusmodi abusus reprimat; laudanturque qui e confessariorum suorum consilio, & pœnitentiæ studio in has peregrinationes incumbant. “

46. „ Cavendum est, ne diutius a suscipiendo Corpore & Sanguine Christi Domini abstineatur; at timendum, ne indigne suscipiatur, ac se quisque probet, oportet, ut ea digne suscipiat; & se ad communionem per corporis & animi puritatem comparet, atque adeo a matrimonii usu aliquot ante diebus abstineat, quam ad sanctam mensam accedat. “

47. „ Omnes & singuli, iis exceptis quos gravia crimina indignos reddunt, Feria quinta hebdomadæ sanctæ communicare debent. Est hæc Ecclesiæ mens, quæ, eo die, peccatores reconciliat, ut ad Communionem admittat. “

Nota-

Notari potest hoc in canone morem olim obtinuisse, ut, Feria quinta majoris hebdomadæ, generalis Communio fieret.

48. „ E Sancto Jacobo & Patrum traditione, presbyteri debent infirmos ungere oleo quod Episcopus benedixerit; nec negligendum est remedium hoc quod animi & corporis morbos sanat. "

49. „ Interdictio, ne Missa privatis in domibus celebretur. "

50. „ In votis est, ut diei dominicæ sanctificationem Imperator per authenticam & solemnem constitutionem præcipiat. "

51. „ Monentur Præsules dominique, suis ut subditis magna charitatis specimina exhibeant. "

52. „ Jubentur abbatissæ religiosas suas cum sanctitate ac pietate ducere, iisque imprimis exemplo præire, non ignorantes se debere Deo earum rationem reddere. "

53. „ Declaratur sequentes canones ad canonicissas spectare quæ nullam regulam professæ sunt. "

54. „ Abbatissæ magnam suarum communitatum curam præferent, suasque religiosas rebus ad vitam necessariis instruent, ne, si minus ita se gesserint, religiosæ ipsæ in peccatum incidant. "

55. & 56. „ Prohibentur abbatissæ & religiosæ ullum virum alloqui, seu clericum, seu laicum, nisi interdiu, coram testibus, & solum ab hora prima ad Vesperas usque. "

57. „ Abbatissa non egredietur e monasterio, sine Episcopi, ejusve magni Vicarii venia, nisi ad aulam accita sit, eive per locorum distantiam non liceat veniam hanc obtinere. "

58. „ Abbatissa perficere studebit, ut hospitia quibus religiosæ opus habent, extruantur aut reparentur. "

59. „ Religiosæ simul omnes recitabunt canonicas Horas singulas, ad sanctorum Librorum lectionem animum applicabunt, in eodem dormitorio cubabunt, & spiritali collationi quotidie intererunt. "

60. „ Presbyteri in puellarum monasteria non ingredientur, nisi ut suas ibidem functiones edant. "

61. „ Religiosæ nullo cum viro suis in cubiculis comedent: quod si quando necesse fuerit, in exedra ad colloquia patente fiet, & coram testibus; si ejusmodi exedra nulla sit, exstruetur. "

62. „ Religiosæ non egredientur e monasterio, nisi necessitate ita postulante, & abbatissa annuente. "

63. „ Nemo, seu clericus, seu laicus in puellarum monasteria ingredi poterit, nisi adsit ibidem agendi necessitas. "

64. „ Ostiaria eligetur religiosa cujus provecta ætas, vitæque ratio supra omnem reprehensionem sit. "

65. „ Abbatissa, quid agere debeat, ex Episcopo quæret, eique obediet secundum canones. "

66. „ Edentur preces pro Imperatore, pro ejus filiis, & pro reipublicæ bono. "

Ejusmodi sunt canones conciliorum quinque quæ in Galliis, ann. 813. Caroli Magni jussu habita. Eos Episcopi ad hunc Principem miserunt, rogantes, ut eos executioni mandandos curaret; qui, ut id solemnius faceret, Aquisgranum, Septembri ejusdem anni mense, generalem cœtum convocavit, in quo eos canones, præsente se, expendi voluit; ex iisque confecit Capitulare articulorum viginti septem qui nihil sunt aliud quam eorumdem canonum confirmatio & compendium veluti quoddam; his addidit articulos duos qui in iis conciliis quinque pertractati non fuerant. Primus exploratum vult, verum, necne, esset, quod ferebatur, in Austria, presbyteros ad revelandas furum confessiones, detegendosque proinde fures pecunia adduci. Animadversione digna est Constitutio hæc, prout ostendit, quam sancte integreque custodiendum confessionis secretum judicaretur. Articulus secundus inquiri pariter in eos jubet qui, juris specie, quod *faida* dicebatur, turbas & seditiones, dominicis festisque diebus, æque ac ferialibus excitabant; quod omnino impediendum. Nuncupabatur *faida*, in barbaris legibus, jus quo gaudebant occisis hominis consanguinei, ut ejus mortem per occisoris necem ulciscerentur. *Reg. Tom. XX. Lab. Tom. VII. Hard. Tom. IV.*

Concilium Aquisgranense, *an.* 816.

Imperator Ludovicus Pius convocavit concilium hoc ad quod, Septembri mense hujus an. 816. Episcopi convenere. Eos Imperator hortatus est, ut regulam ederent pro canonicis, & ad id necessarios Libros suppeditavit. Demandata fuit provincia hæc Amalario, Metensis ecclesiæ presbytero qui se tamen intra Patrum & conciliorum excerpta continuit; Aquisgranenses Episcopi extremam manum regulæ, seu potius regulis imposuerunt; sunt enim duæ, pro canonicis una, pro religiosis canonicissis altera.

Prima constat articulis centum quadraginta quinque quorum priores centum tredecim nihil sunt aliud quam ab Amalario edita excerpta; qui subsequuntur, ipsius concilii Constitutionis sunt.

Can. 114. Primum omnium Patres falsam opinionem evertunt quæ nonnullorum animis insederat, qui, sibi exprobrata in servandis Evangelii præceptis negligentia, respondebant ea præcepta ad monachos tantum clericosque spectare; ostenduntque arctam viam unam esse quæ ad vitam ducit, & ad hanc quidem vitam nisi per ejusmodi viam pervenire neminem posse; adeoque oportere; ut laici perinde ac clerici & monachi per eamdem incedant, siquidem volunt in futura vita felices esse; quod probant e pluribus sacræ Scripturæ textibus, promissisque quæ edit in Baptismate Christianus quisque, se Satanæ ejusque pompis & operibus abrenuntiare.

115. Licet canonicis linteam subuculam ferre, carne vesci, dare & accipere, bona possidere proprietatis jure; non item monachis qui peculiarem omnium rerum abdicationem profitentur.

116. „ Cum Ecclesiæ bona sint fidelium vota, peccatorum pretium, pauperum patrimonium, qui eorum administratione gaudent, magnam eorumdem curam sumere debent, quin ex iis quicquam ad proprium usum detorqueant. Claustra, ubi canonici degere debent, accurate conclusa erunt; ita scilicet, ut nemini liceat nisi per januam ingredi aut egredi. "

117. „ Aderunt in interiore parte, dormitoria, triclinia, cellarii & omnia loca cætera iis necessaria qui in commune vivunt. "

118. „ Sedulo curabunt superiores, ut ecclesiarum servitio redditibusque respondeat canonicorum numerus; ne, si æquo majorem eorum numerum, per vanitatem, congesserint, impares sint expensis cæteris, ipsisque canonicorum necessitatibus, qui ad victum idonea non recipientes, evaderent errabundi & in moribus depravati. "

119. „ Recipientur in clerum nobiles viri, quin humili conditione, aut ex Ecclesiæ familia homines excludantur, qui digni comperti fuerint, quoniam apud Deum non est personarum acceptio. "

120. „ Clerici qui patrimonium aut Ecclesiæ bona, per Episcopi veniam, possident, victum tantummodo & eleemosynarum partem percipient. Qui tenent Ecclesiæ bona absque patrimonio, Ecclesiæque perutiles sunt, victum habebunt vestitumque, cum eleemosynarum parte; quoad cæteros qui & patrimonio & Ecclesiæ bonis carent, Prælatorum erit iis omnia quibus indiguerint, comparare. "

121. 122. & 123. „ Canonici eamdem cibi & potus quantitatem, absque ulla personæ acceptione, recipient; habebunt, universim, in dies singulos, vini libras quatuor, hoc est, ænophori gallici quadrantes circiter tres, quæ Parisiensis mensura est; quod si vineæ in provincia desint, iis dabuntur cervisiæ libræ tres, & vini libra una. "

124. „ Studebunt canonici virtutibus animum exornare, cavebuntque, ne per nimiam in vestibus elegantiam & concinnitatem, Religionis dignitati decus afferant; ut extremam etiam, ex alia parte, immunditiam & negligentiam vitabunt. "

125. „ Nullum cucullum gestabunt, quæ monachorum vestis est, quia rectus ordo postulat, ut sui quisque status habitum, eumque ab Ecclesia præscriptum deferat. "

126. & 131. „ Assidui singulis officii horis intererunt, seu diu, seu noctu; &, statim atque æris campani signum audierint, ad modestiam & reverentiam compositi, in Ecclesiam accurrent. "

132. „ Se gerent in ecclesia, tamquam coram Deo Angelisque quos dubitari non potest in loco præsentes esse in quo celebrantur Mysteria Corporis & Sanguinis Christi Domini. "

133. „ Seu legant, seu canant, seu psallant, magis operam dabunt, ut populo exemplo sint, quam ut e suavi vocis concentu vanitatem trahant; & ad legendum canendumque, qui melius has functiones obire poterunt, eligentur. "

134. „ Qui canonicis Horis adsistere, ad collationem venire, a superioribus jussa facere, mensæ statis horis adesse negligent, qui e claustro egressi fuerint, extra dormitorium cubaverint, sine venia & ineluctabili necessitate, monebuntur semel, iterum, denique tertio; si hæc monita nihili fecerint, „ publi-

publice argueotur; sio in pravitate perstiterint, ad panem & aquam redigetor eorom victua omnis; tum, iis dilciplina dabitur, siquidem ætas & conditio patiantur; si minoa, satis habebitur eos a communitate segregare & jejunio addicere. Ad extreoium, si eo devenerint, ut corrigi omnino nolint, extructo in bunc fioem intra claustrum carcere concludentur; deinde vero ad Episcopum, canonice damneodi edducentur. “

135. „ Quod attinet ad pueros & juniores clericos qui in communitate vel aluntur, vel educantur, perficient superiores, ut in claustri cubicolo degant, duce ac magistro perspectæ virtutis sene, cui, si eoa negligat, acriter increpito alius substituetur. “

136. „ Absolutis diurnis officiis, pergeot omnes canonici ad Completorium, quo peracto, ad dormitorium se conferent, ubi cubabunt, seorsim quisque. Aderit in dormitorio, per totam noctem, acceosa lampas. “

137. „ Cantores diligenter cavebunt, ne aoimi dotes turpibus vitiis inquinent, sed eas potius bumilitate, castitate, sobrietate, omoi denique virtutum genere decorare studebunt. Eligentur e senioribus, qui statis horis edlint cantorum scholæ, impediantque, ne, qui cantum discere debent, tempus in inutilibus rebus terant. “

138. „ Ecclesiæ Prælati seligent bonis moribus homines quibuscum communitatum sibi concreditarum curam partiantur, nulla gradus quem in communitate obtinent, vel ætatis, sed solum personalis meriti ratione habita. “

139. „ Præpositi dabunt prompte, magnaque cum charitate, quicquid fratribus dare debent. “

140. „ Prælatus cellerarium, seu procuratorem, integræ vitæ hominem qui Deom timeat, qui prudens, vigilaos, promptus, humilis, quique nec avarus nec prodigus sit, nominabit. “

141. „ Episcopi, Christi Domini in Evangelio verborum memores, *hospes fui, & suscepistis me*, hospitale, e decessorum exemplo, statuent in quod eum pauperum numerum recipiant quam Ecclesiæ redditus pati poterunt. Eo canonici suorum fructuum, atque adeo oblationum decimam partem conferent; oonsique ex iis eligetur; tum ut pauperes advenasque recipiat, tum ut hospitalis temporalia administret. Si clerici, nullo non tempore, pauperum pedes levare non possunt, id in Quadragesima saltem facient; & bac de causa hospitale ita situm erit, ut ab iis facile adiri possit. “ Est hæc, ut creditur, hospitalium origo, quæ apud cathedrales ecclesias fundata sunt, & a canonicis administrantur.

142. „ Prælatus operam dabit, ut peculiares ædes infirmis & senibus quibus deerunt, in claustro sint; eos fratres visitabunt & solabuntur; iidemque ex ecclesiæ subsidiis ibidem sustentabuotur. “

143. „ Prælatus ostiarium deliget, e canonicis, perspecta probitate virum qui, sine venia, ingredi aut egredi sinet; &, post Completorium, claves ad superiorem deferet. “

144. „ Feminæ non poterunt in claustrum ingredi, multoque minus ibidem comedere aut dormire; easque canonicorum nullus sine testibus alloquetur. “

145. Postremum boc bujus regulæ caput communis ad bonorum operum prosecutionem, vitiorumque fugam hortatio est, simulque eorum collectio quæ in superioribus articulis præscripta sunt.

Canonicissarum Regula,

Caoonicissarum, seu, religiosarum quippe quæ castitatis voto obstrictæ erant, regula viginti octo canones seu articulos continet. Horum prioree sex excerpta quædam sunt Epistolarum S. Hieronymi ad Eustochium, ad Demetriadem & ed Furiem; Epistolæ S. Cypriani, quæ inscribitur, *de Moderamine Virginum*; Sermonis S. Cæsarii, ad religiosas missi, itemque alterius Sancti Athanasii ad Christi Domini sponsas. Reliqui easdem fere constitutiones continent, ac caooonicorum regula, quantum sexus discrimen patitur.

Can. 7. „ Abbatissis id alte enimo repositum erit se non alia de causa supra cæteras a Domino constitutas esse, quam ut vitæ integritate iisdem exemplo sint; & earum agendi rationi invigilent; ut earumdem vitie corrigant, earumqoe temporalibus & spiritualibus necessitatibus consulant. In monasterii negotia non nisi statum tempus impendere, sed ejusdem temporis multum preci, lectioni, aliisque pietatis exercitationibus tribuere debent. Si communitatis rationibus adiguntor, ut sæculares alloquantur, id cum gravitete & modestia facient, sororum duebus tribusve præsentibus. “

8. „ In monasterium puellas tantum morum probitate commendatas recipient, nec eas sinent continentiæ voto se obstringere, nisi postqoam iis regulam legerint, eas probaverint, iisdemque ad obligationes suas edíscendas adjumenta suppeditaverint. “

9. „ Operam dabunt, ut postulantes iie sua bona disponant, ut oe, hoc ex capite, monasterium ingressæ turbentur. Quod si religiosarum eliqua dat Ecclesiæ sua omnie bona, quin vel usumfructum sibi reservet, ex ecclesiæ redditibus ei dabitur ad victum satis. Sua sibi bone servare eadem, si velit, poterit; at ea conditione, ut procuratione, per publicum Actum, propinquorum aut amicorum aliquem muniat, qoi ejus bona ipsi administret, ejusdemque, apud judicem, jura defendat. “

10. „ Religiosæ meminerint, oportet, se sponte castitatis voto obstrictas ei legi subesse, ut semper in monasterio permaneant, ibique, prout earum animus & corpus ferunt, Domino serviant; nihilque sibi prodesse corpus velare, si peccato se mancipantes animum inquinent, sibique quod vetitum est, concedant. Evitent ergo desidiam, mentis avocationes & cætera vitia omnia; alternisque vicibus in Psalmorum cantu, in manuum labore, & in sanctis lectionibus occupentur. In eodem omnes dormitorio cubabunt, et in peculiari cubili singulæ; in eodem una triclinio comedent, nisi eas morbus aut ætatis effœtæ vires impediant; legetur mensæ tempore, ad quem silentes accumbent, ad lectionem intenta mente; quotidie ed collationem pergent in que legetur aliquis ad pietetem permovens Liber; si qua in errato fuerit, pro errati gravitate punietur. Quæ nobilis conditionis extiterint, haud iis se præferent quarum genus nihil habebit quod emineat. Eadem erit earum ratio quæ virtute aut scientia cæteris præstant, animo reputantes donum id esse quod e Deo acceperunt, cujus causa debent ei gratias agere, non intumescere. “

11. „ Tam accurata erit earum monesterii clausura, ut eo ingredi, vel inde egredi nemo, nisi per januam, possit. “

12. & 13. „ Nulle erit inter eas quoad potum cibumque distinctio. Dabuntur unicuique, in dies singulos, panis, itemque vini, siquidem ibi commune est, libræ tres; at sterilitatis tempore, vini quidem libræ duæ tantum, vel etiam una; quod deerit, supplebit cervisia. Vescentur piscis carne, herbis & leguminibos, si tamen haberi possint; quod ebbatissæ arbitrio relinquitur. Lana iis & linum parabitur, suas ut vestes ipsæ conficiant, exceptis ægrotantibus infirmisque quæ non habent ad bæc elaboranda opera virium satis. “ Erat earum vestibus niger color.

„ In id in primis iocumbent abbatissæ, ut sancta religiosis quas moderantur, exempla præbeant, vitia omnia ex earum animo evellant, in eoque omnes virtutes serant. Eas docebunt, ut superbiam, avaritiam, invidiam, odia, obtrectationem, multiloquia, nes, scurrilitates, vanos sermones & ejusmodi cætera evitent quibus ad perditionem trabuntur qui se ed ea terri sinunt; sed, e converso, charitatem, humilitatem, patientiam, castitatem, sobrietatem, benignitatem, obedientiam, suavitatem, denique cæteras omnes virtutes sectentur quibus eorum solidua exercitatio, qui ad cælestem patriam contendunt, contineri debet. “

15. „ Religiosæ, cum fervore, ed ecclesiam pergent, ut ibi canonicas Horas recitent, ad primum æris campani sonitum; ibique nil agent quod non loci sanctitati respondeat. “

16. „ Religiosæ in mentis & cordis prece potissimum versari debent. “

17. „ Religiosæ, servato silentio, se in dormitorium recipiant, post Completorium, nec detinebuntur, ut colloquantur, aot quicquam rumoris edant. “

18. „ Abbatissæ illarum religiosarum vitia minime dissimulabunt; ee potius corrigent, atque adeo radicitus extirpabunt. “

19. „ Abbatissæ, perinde atque earum inferiores, omnem familiaritatem & omne non necessarium colloquium cum viris peculiariter evitabunt. “

20. „ Nominabit Abbatissa tres quatuorve perspectæ probitatis canonicissas, quibus præsentibus cæteræ viros alloqui poteruot qui ed eas necessaria perferunt. “

21. „ Laicas famules habere canonicissis licet; at invigilandum, ne hæ famulæ quibus adeundæ urbis facultas est, illinc in monasteria mundanas quasdam

„ ratio-

„ retiones efferant quæ uccasioni sint, ut earum domine prolabantur.“

22. „ Commendatur peculiariter puellularum educatio quæ in monasteriis instituuntur; proponiturque tamqusm christianæ ad quam eædem formandæ sunt, educationis exemplar, ea quam S. Hieronymus in sua ad Lætam Epistola præscribit.“

23. „ Commendatur religiosarum cura quæ vel ægrotant, vel ætate provectæ sunt.“

24. & 25. „ Abbetissæ ad regiminis ferendum pondus aliquas perspectæ virtutis religioses sibi addere debem.“

26. „ In ustierias eligentur religiosæ quæ consenuerint, quarumque virtus emineat.“

27. „ Presbyteri qui Missam canonicissis dicere debent, prope communitatem degent, eamque non ingredientur, nisi ut sancta Mysterie celebrent. Officii & Missæ tempore, velum aderit quod canonicissas celabit. Si qua confiteri voluerit, id faciet in ecclesia, nt e cæteris videatur. Infirmarum confessiones in earumdem eubiculis audiri poterunt; at presbyter suorum gestorum testes diaconum & subdiaconum secum habebit.“

28. „ Instituetur hospitale monasterio proximum; intraque monasterium locus erit pauperibus feminie excipiendis eddictus; ut canonicissæ, Quadragesimali saltem tempore, earum pedes lavare possint.“ Religiosæ, ad hujus hospitalis sustentationem, impendebant oblationum decimam, quæ in earum monasterium conferebantur.

Harum duarum regularum exemplum Imperetor ed Metropolitanos misit, cum encyclica Epistola, per quam ita mandat, ut e suarum quisque provanciarum Episcopis prælatisque aliis cœtum habeant, in eo memoratas regulas lectas velint, singulis canonicorum & canonicissarum communitatibus accurata earum exempla præbeant, invigilentque, ut ibidem eædem serventur. Hujus Epistolæ exemplaria tria, ad Metropolitanos tres, scilicet, ad Sicairum Burdegalensem, ad Magnum Senonensem, & ad Arnonem Salisburgensem missa ed nos pervenerunt.

Concilium (in Anglia) *Celichytense*, *an.* 816.

Habitum est concilium hoc, Julii die 27. en. 816., mandante Quenulfo, Merciensium rege qui eidem interfuit ipse per se; Vulfriddus, erchiepiscopus Cantuariensis præfuit, adsistentibus plurium Anglia provinciarum Episcopis duodecim; adfuere pariter procerum multi, præter abbates, presbyteros diaconosque. In eo editi qui sequuntur. cenones undecim.

1. „ Catholicam in eo Fidem doctrinamque quam veteres canones continent, exponunt Episcopi, eamque se non solum servaturos sed etiam aliis tradituros recipiunt.“

2. „ Ecclesias recens extructas diœcesanus Episcopus consecrabit, aquæ benedictæ aspersione, cæterisque quas Rituelis Liber præscribit, adhibitis cæremoniis. Ibi Eucharistie cum reliquiis in pixide, seu capsule servabitur; ac, si desint reliquiæ, Eucharistia ab Episcopo consecreta, sufficiet, quippe quæ Christi Domini Corpus & Sanguis est. Aderit ibidem etiam pictura eliqua, ut, cui Sancto dedicata sit ecclesia, vel altare, significetur.“

3. „ Fideles, ut pecem & unanimitetem servent, haud satis habebunt in eumdem modum credere, sed, in sinceritate & in Dei timore, dictis etiam & factis consentient.“

4. „ Eligent Episcopi, in sue quisque diœcesi, ebbates & abbatissas, e communitatis consensu.“

5. „ Haud sinentur Scoti ullam ecclesiasticam functionem edere, seu baptizare, seu Missam celebrare, seu Eucheristiam distribuere, quia eos ordinatos fuisse non constat.“

6. „ Non abrogabuntur judicia quæ Episcopi in synodo pronuntieverint; & quivis alius actus, crucie signo confirmatus, inviolate servebitur.“

7. „ Episcopi, abbates & abbatissæ nullum ecclesiarum & monasteriorum fundum alienare poterunt, nisi ad hominis vitæ tempus, & quidem e communitatis consensu; eoque spectentes tituli monasterio remanebunt.“

8. „ Monasteria in quibus regularis vita semel instituta fuerit, in hoc semper statu persistent; abbas & abbatissa ab Episcopo benedicentur.“

9. „ Episcopus quisque judiciorum quæ in concilio edita fuerint, exemplum trahet cum erchiepiscopi nomine qui ei præfuerit, cumque anni adscriptione, quo congregatum fuerit.“

10. „ Ad Episcopi mortem, ejus bonorum decima pars pauperibus debitur, seu pecude, seu speciebus eliis contineatur. Menumittentur ejus omnia Anglicana mancipie, habebiturque in singulie Ecclesiae cætus, ad æris campani sonum, ut ibidem reciteutur Psalmi triginte. Quisque Episcopus & abbas quisque Psalmos sexcentos & Missas centum & viginti dici jubebunt; manumittent servos tres, & solidos tres singulie dabunt. Unusquisque monachus, aut clericus uno die jejunabit, ut in cælesti regno locum, per commune suffregium, defuncto comparet.“

11. „ Alienæ diœceseos parœcias Episcopi non usurpabunt, nullamque in iis episcopalem functionem edent, cujusmodi sunt, ecclesias consecrere, presbyteros ordinare, &c. Excipitur Archiepiscopus, quie caput Episcoporum est qui ab eo pendent. Magni momenti negotia presbyteri, sine sui Episcopi nutu, non aggredientur. In Baptismi administratione, haud satis habebunt super infantium caput equam effundere; sed eos in lavacrum immergent, Dei Filium imiteti, qui ter in Jordanem immersus fuit.“

Apparet, ex hoc canone, ex eo tempore in aliquas per Angliam ecclesias Baptismum per infusionem induci cœpisse. *Ibid. & Angeer. Tom. I.*

Imperator Ludovicus Pius, an. 817. senatum, vulgo Parlamentum Aquisgrani habuit, in quo Imperetoria titulum filio natu majori, reliquis autem duobus, suarum ditionum partes duas, Pipino Aquitaniam, & Ludovico Bavariam contulit. Edito in id ectu, Gallicanorum ebbatum plures, de recti ordinis in monasteriis restituendi retione inter se collocuti edidere statuta octoginta in conciliorum collectionibus memorata, quorum hæc præcipue & enimadversione digniore sunt.

Primus. „ Abbates, cum redierint, totam, quam late patet, S. Benedicti regulam legent; eamque, postquam ipsi probe perceperint, suis a monachis servandam curebunt.“

2. „ Eam quicunque e monachis facile poterunt, memoriæ commendabunt.“

3. & 4. „ Officium peragent ex hac regula; adlaborabunt suis ipsi manibus in re culinarie & pistoria, officiisque cæteris; & suas congruo tempore vestes detergent.“

5. „ Nunquam recubabunt post Matutinum, nisi forte ante consuetam horam surrexerint.“

6. „ Haud se radendos curabunt, per Quadragesimam, nisi Sabbato Sencto; quod enim reliquum erit, die quaque decima quinta radentur.“

7. „ Poterit iis Prior balnei usum concedere.“

8. 10. & 78. „ Monachi, ægrotantibus exceptis, nullo unquam tempore, vel in monasterio, vel extre monasterium, volucres comedent; præter quam in Dominico Nateli & in Paschate, quatriduo tantum, cum id cibi monasterium parere poterit. Nec fructus, nec acetariam, extre convivium, comedent.“

11. „ Non erit statum tempus ad venem monechis incidendam; id, cum opus fuerit, fiet; ac tum quidem dabitur eliquid extra ordinem ei cui sanguis emissus fuerit.“ Est in textu *specialis consolatio*. Dicebatur *consolatio* cænula, merenda, jentaculum quod interdum ægrotantibus, vespere, concedebatur. Haud omissum deinceps in monasticorum Breviariorum Kalendariis noteri singulis mensibus diem quo vena monachis incideretur; atque hic quidem dies ibi dicitur *dies ager*, seu, *dies minutionis*, hoc est, ægrotationie, seu, emissi sanguinis dies.

12. „ Cum necessitas postulabit, laboris cause, cumque dicetur defunctorum officium, dabitur monachis poculum, vel in Quadragesima, post prandium, ad vesperas, & ante Completorii lectionem.“

Hæc, jejunii diebus quibus primum fideles potu ebsque cibo contenti erent, vespertinæ refectionis, seu, cænulæ origo est.

13. „ Cum arguetur a Priore monachus, dicet *mea culpa*; se ad ejus pedes abjiciet & veniem petet; tum, Prioris jussu, in pedes erectus, ei cum humilitete respondebit.“

14. „ Quicquid peccaverint monechi, non flagellabuntur nudi corem aliis.“

15. & 16. „ Monachi non iter agent sine comite; non erunt patrini; nec feminas salutantes osculabuntur.“

18. & 39. „ Consueti jejunii diebus, quarte nempe & sexta feriis, levior erit eorum labor. Quadragesimali tempore, laborebunt ad Nonam usque; tum, absoluta Missa, cibum sument.“

20. „ Eorum indumenta nec vilia erunt nec pretiose, sed ed honestam mediocritatem composita.“

21. & 22. „ Ita dabuntur levis texturæ panni duo, nempe duæ ex panno rectis ac trensversis cancella-

„ tim

„ tum filis contexto subuculæ; duæ tunicæ, seu, inferiores habitus; cuculli duo, vel etiam tres qui in monasterio usui sint; lacernæ ad externum usum duæ, femoralium, seu, subligaculorum, itemque calceorum paria duo; ad noctem, chirothecæ, hiberno tempore, manicæ hiberno; scapulare, seu, superior vestis, endromedes duæ, seu, pelliceæ vestes, pendentes ad talos usque; fasciæ quibus femora, præsertim in itinere, sibi cingebant, crepidarum ad æstivum nocturnum usum paria duo, & cilicina ad hiemem saga, hoc est, gallicæ, seu, ligneæ soleæ; ad tergendas vestes sapo. Aderit semper adaps in monachorum alimento, præter quam feria sexta, viginti ante Natale Dominicum dierum spatio, & a Quinquagesimæ die Dominica ad Pascha usque. (Concessus erat in Gallia monachis, ob olei raritatem, adipis usus. Ex hac etiam constitutione perspicitur nondum eo tempore abstinentiam a carnibus die sabbati obtinuisse.) Iisdem dabitur cervisiæ mensura duplex, si vinum parari non possit. “

Est in textu *roccus*, ut scapulare, seu, superior habitus exprimatur. Et sane, credidere nonnulli, quod gallice dicitur *froc*, a vocabulo *roccus*, seu, *reccus* conflatum fuisse. At satius aptiusque derivatur id nominis a *floccus*, seu, *froccus*, quod monachorum & rusticorum indumentum erat.

23. & 24. „ Lavabunt sibi invicem pedes in Quadragesima, ut alio tempore. Feria quinta majoris hebdomadæ, Abbas religiosorum suorum pedes lavabit & osculabitur, deinde vero iis ad potum ferviet. “

Pedum lotio in his constitutionibus & alibi *mandatum* dicitur, quia, dum hoc humilitatis & charitatis opus peragebatur, canebantur ea Christi Domini verba, *mandatum novum do vobis*, *&c.* Itaque *mandatum facere* significat alicui pedes lavare. Potum autem Feria quinta hebdomadæ sanctæ iis proferre quibus loti sunt pedes, mos est qui in ecclesiis bene multis adhuc subsistit.

25. „ Monachorum portione abbates contenti erunt, in eumdem modum vestiti erunt cubabuntque, ac laborabunt, nisi utilius occupati fuerint. “

26. „ Non comedent cum hospitibus ad monasterii fores, sed in triclinio, eorumdemque hospitum ratione habita, fratrum portiones augere poterunt. “

27. „ Non ibunt nisi raro & in necessitate, ad invisenda rustica prædia; & monachorum nullum ad eorum custodiam relinquant. “

28. „ Lectio fiet in triclinio, ad primam & secundam mensam. “ Hæc secunda mensa eorum erat qui in prima legerant & deservierant.

31. „ Trahetur præpositus e monachorum numero; eique, tam intra quam extra monasterium, præcipua erit post abbatem auctoritas. “

34. & 35. „ Ingressus in monasterium haud facile novitio concedetur; hospitum servitio, in eorumdem statione, per dies aliquot addicetur. Committet consanguineis suorum bonorum administrationem, quæ disponet, ex regula, post probationis annum. Tum solum monachalem tonsuram suscipiet & habitum sumet, cum obedientiæ votum edet. Post professionem, triduo caput & faciem cucullo teget. “

Quod hoc loco *cucullus* dicitur, nihil aliud esse videtur, quam monachorum scapulare quod capiti humerisque tegendis inservit, quodque interdum *cuculli*, interdum *scapularis* nomine designatur. Eo spectabat ceremonia hæc, ut juniores professi monerentur oportere, ut deinceps oculos, quoad terrenas res, clausos haberent, & se tamquam mundo mortuos spectarent.

36. & 37. „ Pueri qui ad religiosam vitam designantur, offerentur ad altare a patre & matre, Offertorii tempore. Parentes pro infante, coram laicis testibus, petitionem edent; & hanc ipse, cum ætas ei fuerit, confirmabit. Ita quidem oblati pueri haud carne vescentur, nisi infirmitatis causa. “

40. „ Monachis, ob crimina inclusis, præsto erit cubiculum ad ignis usum, & proximus locus aliquis, ubi poterunt in id incumbere quos iisdem mandabitur. “

44. „ Cellas, hoc est, parva monachorum aut canonicorum monasteria abbates habere poterunt, dummodo haud pauciores quam religiosi vel canonici sex in iisdem cellis convivant. “ Hæc nimirum prioratuum a monasteriis pendentium origo est.

46. „ Non aderit schola in monasterio, nisi in puerorum gratiam qui ibidem oblati fuere. “ Id, ut videtur, intelligendum de internis scholis, quoniam externæ quidem & publicæ non deerant in monasteriis pluribus.

47. „ Feria sexta majoris hebdomadæ, pane tantum & aqua jejunabitur. “

49. „ Omnium quæ tam ecclesiæ quam monachis data fuerint, decima pars in pauperes distribuetur. “

54. „ Nominabuntur superiores *nonni*. “ Hoc *nonni* vocabulum honoris & reverentiæ est, quod ad nos venit ab Ægypti monachis.

57. „ Panis libra, antequam coquatur, triginta solidorum erit, libræ scilicet cum dimidio, seu unciarum octodecim, post coctionem vero, unciarum sexdecim. “

Solidi viginti, ex denariis duodecim in solidos singulos, libræ pondus æquabant, &, quod inde fit consequens, solidi triginta pares erant libræ ejusque dimidio.

62. & 67. „ Abbas, præpositus & decanus, tametsi presbyteratu initiati non sint, benedictionem lectoribus impertientur, qui eam stantes suscipient. “

68. „ Eulogiæ, hoc est, ad altare oblati, & non consecrati panes in triclinio distribuentur; & hæc quidem distributio a presbyteris fiet. “

69. „ In capitulo, legetur initio statim Martyrologium, deinde Regula, vel Homiliarum aliqua. “

74. „ In Missa stabitur ad *Sanctus*, & genu flectetur ad *Pater*. “ Tum quidem in Missa nondum alia quam Hostiæ cum Calice, proxime ante *Pater*, elevatio erat.

75. „ Nemo in monasterium per pecuniam recipietur. “

His sanctionibus æque propemodum ac S. Benedicti regulæ, subsecutis temporibus, auctoritas fuit. Eas recepit Italia ipsa; & auctor *Chronici Montis Cassini*, qui de iis loquitur, etsi septuaginta duas tantum numeret, ab Occidentis monachis, tamquam ipsam S. Benedicti regulam, servatas ait. S. Benedicto Anianensi, & Arnulo, Nermonteriensi abbati Imperator in mandatis dedit, ut omnia per ejus imperium monasteria visitarent, & ad hæc nova statuta disciplinam exigerent.

Concilium Parisiense, an. 825.

Habitum fuit concilium hoc, Ludovico Pio regnante, & Eugenio II. Pontifice, Kal. Novembr. an. 825. Ex Episcopis qui eidem adfuere, Jeremias tantum Archiepiscopus Senonensis, Jonas Aurelianensis, Halitgarius Cameracensis, Freculphus Lisiacensis, & Adegarius in Actis commemorantur; at multo plures adfuisse haud potest dubium esse. Ei convocando causam præbuit, super imaginibus, quæstionis examen. Lecta in eo est Adriani Papæ ad Imperatorem Constantinum & Irenem Epistola; notatumque, ut eos merito vituperaverat qui imagines aspernabantur, ita prudentiæ regulas eumdem prætergressum esse, mandantem, ut iis superstitiosus cultus exhiberetur. Lecta etiam scripta plura, Carolo Magno rerum potiente, super imaginibus edita, inter alia, Carolini Libri; Episcopi porro censuram cui Nicænum concilium secundum in his subditur, approbarunt, & Adriani Papæ ad eosdem Libros responsa haud satis firma compererunt; deinde vero Michaelis Imperatoris ad Ludovicum Pium Epistolam, & complura tam Sacræ Scripturæ quam græcorum latinorumque Patrum super imaginibus loca legerunt quorum collectionem ediderunt, ut decisionibus suis quas ad capita quindecim redegerunt, vim & robur adderent.

In iis æque eos impugnant qui imagines abrogatas volebant, atque eos qui, contendentes se S. Gregorii Magni, quoad Serenum, Massiliensem Episcopum, vestigiis insistere, easdem superstitioso cultu prosequebantur. Nimirum Episcopus hic imagines a suo populo adorari videns, ex Ecclesia sustulerat, flammisque devoverat; ejus sollicitudinem approbat S. Gregorius, quia reapse imagines adorandæ non sunt; at factum arguit, inquiens imagines in ecclesia collocari, ut, qui legere nesciunt, eas picturas intuentes, id percipere possint quod in Libris legere nequeunt. Eam ergo consuetudinem concilium servatam vult, ut imagines in ecclesiis ponantur; at eas adorari vetat; ac, ne quem adorationis vocabulum in errorem inducat, eam explicat, ostenditque soli Deo exhibendam esse, quin tamen moderatum quemdam erga imagines cultum improbet, cujusmodi esset eas in decenti loco ponere, ornare apteque tenere. Excipit ab hoc numero crucis imaginem, hanc quidem adorandam propugnans, quia Christus Dominus eidem affixus fuit, tametsi rationum pleræque quibus imagines non esse colendas statuit, crucis etiam cultum impugnent. Erroris accusat Nicænum secundum concilium, quod dixerit imagines solum coli & adorari licere, verum

etiam

etiam sanctas esse, & accedentibus sanctitatem asserere. Adrianum denique Papam notat, qui hujus concilii decreta confirmaverit, & superstitiosum imaginum cultum approbaverit.

Concilii Episcopi Collectionem hanc, cum Epistola ipsorum nomine scripta, ad Imperatorem Ludovicum per Episcopos duos miserunt, quorum unus Halitgarius Cameracensis fuit, alter Amalarius de cujus sede non constat; est enim alius ab Amalario Trevirensi qui tunc ad plures abierat. Ad eum miserunt eodem tempore Litterarum exempla duo quas ipsi contexuerant, Papæ nomine ad Imperatorem Michaelem unam, Imperatoris Ludovici nomine ad Papam alteram. Continentur in prima partes tres, videlicet, ratio, auctoritas & consilium. Ita vero suam super imaginibus sententiam explicant, ut dicant, jam inde ab Ecclesiæ exordio, nec præceptum, nec vetitum esse imagines haberi; iis honorem nec exhiberi, nec negari licere; easdemque a nemine servari posse, nisi ut edoceatur, eumque sibi in mentem revocet quem repræsentant. Huic fere gemina est Epistolæ, Ludovici Imperatoris nomine, ad Papam forma. Ejusmodi sunt Parisiensis concilii, super imaginibus, Acta quæ a Jeremia Senonensi & a Jona Aurelianensi Romam allata sunt. Horum Præsulum duorum legationem quomodo summus Pontifex Eugenius II. susceperit, haud constat; at certum est, ex una parte, eum nihil egisse quod secundi Nicæni concilii auctoritatem lædere posset, & ex altera, credidisse se prudenti œconomia cum Gallis Episcopis uti debere, eosque, quin se ab ipsorum communione sejungeret, tolerasse. Ejus successores se in eumdem modum gesserunt; ac Nicolaus I. qui anno 858. sanctam sedem conscendit, ab Adone, Viennensi Archiepiscopo, pallium petente postulavit, ut priorum sex generalium conciliorum auctoritatem agnosceret, quin de secundo Nicæno quod generale septimum est, loqueretur. Diu ergo deinceps in Gallia, quod attinet ad caput hoc, ita res habuit; ut nempe crux honoraretur, imagines servarentur, eas confringentium impietas damnaretur, eædemque in ecclesiis, ad decorationem, documentumque, honorifice ponerentur; at nullo tamen externo & religioso cultu afficerentur.

Industrii quidam controversiarum ad Fidem spectantium Scriptores sibi visi sunt Gallos Episcopos excusare posse, favorabiliter eorum sententiam interpretantes, ajentesque eos non rejecisse nisi immodicum cultum quem, aut per ignorantiam, aut per animi præoccupationem putabant a Græcis imaginibus exhiberi. Ita quidem fortasse statui de aliquibus potest, at de omnibus profecto non potest; nec sane nobis excusari posse videntur, saltem omnino: Primo, qui sentiebant haud licere ullum externum & religiosum cultum Sanctorum imaginibus reddi; 2. qui Papam Adrianum I. accusabant, quasi in sua ad Constantinum & Irenem Epistola imagines superstitiose adorari jussisset; 3. qui ad impugnandum imaginum cultum, suamque sententiam roborandam, in medium afferebant S. Basilii textum in quo S. Doctor se Sanctorum imagines, secundum Sanctorum Apostolorum traditionem honorare & adorare testatur in hæc verba: *Figuras imaginum eorum honoro & adoro; specialiter hoc traditum a Sanctis Apostolis & non prohibitum*; 4. denique qui crucem quæ Christi Domini mortem exhibet, adorantes, hoc est, honorantes, renuebant ejus imagines honorare, „ Christum ajentes super cruce, „ non autem super ejus imagine mortuum esse; “ quasi vero Christus ipse super lapideis, ferreis, aureis argenteisque quibus honos cultusque defertur, occubuisset. Jam vero, si veræ Crucis imaginem honorari licet, cur ipsius Servatoris imaginem honorari vetitum fuerit? Episcopi qui ita sentiebant, haud nobis videntur omni ex parte excusari posse, quia, si paulo minus præjudiciis abrepti fuissent, diligentiusque animum intendissent, veritatem ipsam acu tangere potuissent.

Hujus concilii Acta impressa fuere Francofurti, an. 1596. apud hæredes Andreæ Wechel, ex veteri codice manuscripto. P. Labbeus satis habuit Bellarmini scriptum referre, suæque Collectioni non nisi Imperatoris Ludovici ad Papam Eugenium II. Epistolam, traditumque Jeremiæ Senonensi & Jonæ Aurelianensi documentum inseruit. P. Harduinus & ipse duo tantum monumenta hæc protulit cum adnotatione P. Sirmundi, super Parisiensi concilio quod male ad an. 824. refert. An. 1608. Goldastus iterum edidit Parisiensis concilii Acta, in *imperialium super Imaginibus Constitutionum Collectione*, Francofurti typis impressa; eidemque concilio *D. de la Lande* locum tribuit in *Supplemento Conciliorum Galliæ*, quod ann. 1666. Parisiis prodiit.

Concilium Engilheimense, an. 826.

Imperator Ludovicus, cum Junii die 1. an. 826. Engilheimum, seu, Ingelheimium, regiam ad Seltzium domum, venisset, senatum, gallice Parlementum, cum Germanicæ proceribus ibidem habuit, editque articulis septem Capitulare quod apostolica auctoritate confirmatum, Conciliorumque Collectionibus insertum fuit.

Horum articulorum secundus & tertius pœnas in eos statuunt qui, factis aut dictis, clericorum vel monachorum quempiam male exceperint.

Quartus eos qui religiosam rapuerint aut dedecoraverint, itemque horum criminum fautores impetit.

Quintus eum publicæ pœnitentiæ addicit qui blasphemias in Deum evomuerit; conjectumque in carcerem vult, quoad pœnitentiam absolverit.

Sextus Missam in privato oratorio, sine diœcesani Episcopi facultate, celebrari vetat.

Septimus privilegia clericis a præcedentibus Regibus, vel a Ludovico imperatore concessa confirmat. *Reg. Tom. XXI. Lab. Tom. VII. Hard. Tom. IV.*

Concilium Romanum, an. 826.

Novembris die 15. an. 826. habitum fuit concilium hoc. Ei præfuit Eugenius II. septuaginta duobus Italiæ Episcopis, presbyteris octodecim, diaconis sex, aliisque pluribus clericis adsistentibus. In eodem canones triginta octo, fere omnes ad ecclesiasticæ disciplinæ reformationem editi.

1. 2. & 3. „ Non eligentur Episcopi, nisi quos recte facta & doctrina commendaverint. Iis ad agendum regulæ loco erit S. Gregorii Pastoralis Liber. „ Presbyter qui, ut ordinaretur, munera dederit, sacerdotii honore privabitur, itemque qui eadem acceperit. “

4. „ Episcopi insciti a metropolitano, presbyterique, diaconi & subdiaconi a proprio episcopo suspendentur, ut iis satis temporis ad ediscendum suppetat. Si minus suis obeundis muneribus pares evaserint, canonice judicabuntur, videlicet, suspendi poterunt. “

5. „ In episcopi electione veteres canones servabuntur, ut scilicet eorum nullus nisi e cleri populique consensu ordinetur. “

6. „ Episcopi non ultra hebdomadas tres, extra ecclesiam suam morabuntur, nisi forte metropolitani jussu, vel ad servitium Principis. “

7. „ Clerici in claustro ecclesiæ proximo degent; idem omnibus dormitorium, idem triclinium, officinæ eædem erunt; eorumque curæ Superiores idonei & episcopo subordinati præerunt. “

8. „ Episcopi in parœciis non nisi ex incolarum consensu parochos statuent. “

9. „ Is tantum canonicorum numerus in ecclesias recipietur, cui sustentando sint. “

10. „ Nullus presbyter ordinabitur, sine beneficii titulo, videlicet, quid id pro stata ecclesia, vel pro monasterio fiat. “

11. „ Presbyteri legent & meditabuntur assidue divinas Litteras. Ludo abstinebunt ac voluptate quam e ludo ipso spectando percipere possent. “

12. „ Presbyteri nec usurarii, nec venatores erunt. Ad ruralia opera non incumbent, nec domo egredientur nisi sacerdotali habitu induti, ne sæcularium injuriis expositi sint, & ut semper prompti sint expeditique ad sua obeunda munia. “

13. „ Non poterunt in jus acciri testes ob sæcularia negotia, nisi necessarii testes sint ipsi. “

14. „ Presbyteri, convicti criminis quod depositione dignum sit, deponentur, ponenturque ab episcopo in loco, ubi pœnitentiam agant. “

15. „ Ecclesiasticorum quivis, pravi commercii suspicione laborans, monebitur a superiore, semel, iterum ac tertio; si minus resipuerit, canonice judicabitur. “

16. „ Episcopi parœciarum aliorumque pietatis locorum bona ad proprium usum non detorquebunt, ex iisque nihil præter consuetudinis rationem percipient. “

17. & 18. „ Prohibiti presbyteri, quavis obducta causa, ullius eorum qui se stiterint, oblationes respuere; & Episcopi, dimissorias clericis dare, nisi ab aliquo alio episcopo petiti fuerint, ne errones evadant; has porro dimissorias Litteras, ne adulterari possint, Metropolitanus, Papa, aut Princeps firmabunt. “

19. & 20. „ Episcopi & presbyteri, cum instituti sint, ut Dei laudes concinant, bonisque operibus „ va-

vacent, deligent aliquem negotiorum peritum & bene moratum virum qui causarum ad eos & ad eorumdem ecclesias spectantium curam agat; quem si presbyteri sibi comparare non potuerint, eorumne prava agendi ratio in causa sit, exquirent Episcopi; ac reos nacti punient ex canonum regula. "

21. „ Monasteria vel oratoria pendebunt a fundatoribus quibus id juris erit, ut cum Episcopi approbatione presbyteros ibidem statuant. "

22. „ Excommunicatione plectuntur qui invadunt Ecclesiæ bona. "

23. „ Episcopi sollicitudinem conferent, ut hospitalium, aliorumque pietatis locorum quæ in eorum diœcesibus sunt, visitationem peragant. "

24. „ Quoad pietatis loca quæ derelicta sunt, siquidem a sæcularibus pendent, hos monebunt Episcopi, ut ibidem presbyteros statuant, iisdemque sustentationem comparent. Si, postquam monitii fuerint, differant trium mensium spatio, quin iis ullum presbyterum dent, Episcopus eorum curam suscipiet, ac de re Principem certiorem faciet, ut ad eorumdem curandum servitium sibi auctoritatem conquirat. "

25. „ Restituentur ecclesiæ, aut pietatis loca quæ vetustate corruerunt. "

26. „ In Episcopos interdictio, ne novos annuos census presbyteris, aut clericis, aut pietatis locis imponant. "

27. „ Non ponentur abbatum titulo in monasteriis nisi viri qui monachorum erratis cognoscendis & corrigendis sint. Hi quidem Sacerdotes erunt, ut majore ad recti ordinis statutorumque custodiam auctoritate polleant. "

28. & 29. „ Operam dabunt Episcopi, ut monachi qui solum habitu tales sunt, regulam servent in monasterio e quo egressi sunt, eosve in alia mittant; ut, cum se Deo voverint, monasticum habitum sumpserint, sibi capillos tondendos curaverint, e statu vivant quem amplexi sunt. In eumdem modum se gerent quoad feminas quæ religionis habitum seu velum sumpserunt; at non retinebuntur in monasteriis qui in ea per vim conjecti suere, nisi crimen aliquod hac pœna dignos reddiderit. "

30. „ Sanctificabitur dies Dominicus, ita quidem, ut ab omni servili opere & ab omni negotiatione abstineatur. "

31. „ Trudentur in carcerem, quicunque diei Dominici sanctitatem violaverint. "

32. „ Interdictio, ne in religione retineantur qui per vim eidem addicti sunt. "

33. „ Laicorum nullus in loco sedebit in quo presbyteri cæterique clerici in ipsa Missæ celebratione consistunt, scilicet, in presbyterio; cum locus hic reservatus sit, ut ibidem honorifice & cum libertate divinum Officium fiat.

34. . Instituentur scholæ in episcopatibus, parœciis locisque cæteris in quibus necessariæ judicabuntur, delectis magistris qui ad litteras liberales artes Ecclesiæque dogmata docenda idonei sint. "

35. „ Nonnulli, potissimum feminæ, festos dies in balneis, choreis inhonestisque cantionibus transigebant, quos potius in precem ecclesiarumque frequentationem impendere debuissent; mandat concilium presbyteris, ut hunc abusum corrigant. "

36. „ Vir se ab uxore separare non debet nisi fornicationis causa; at possunt ambo, communi consensu, religiosum uterque statum amplecti, cum Episcopi facultate, qui seorsim stationes iis designabit. "

37. „ Interdictio, ne quis eodem tempore conjuges duas, aut conjugem simul & concubinam habeat. "

38. „ Mandatum editum, ut separentur qui vetitis in gradibus matrimonia contraxerunt, ea indicta pœna, ut anathemate percellantur & communione priventur. " Petronaxus, Ravennatensis archiepiscopus, his decretis primus subscripsit. *Lab. Tom. VII. & VIII.*

Concilium Parisiense, an. 829.

Concilium hoc, die 6. Junii an. 829. Imperatoris Ludovici Pii jussu, congregatum fuit. Ex hujus Principis diplomate certum fit habitum esse in ecclesia S. Stephani *de Gressibus*, & quidem ab Episcopis viginti quinque, metropolitanis scilicet quatuor, eorumque suffraganeis. Metropolitani autem erant Ebbo Remensis, S. Aldericus Senonensis, Rennardus, seu Rognoardus Rothomagensis, & Landranus Turonensis; qui una cum cæteris edidere sanctiones quasdam quas tribuerunt in libros tres, quæque documenta potius e sacra Scriptura, Patribus conciliisque deprompta, quam canones sunt. Continet Liber primus articulos quinquaginta quatuor, secundus tredecim, tertius viginti septem.

1. „ Haud satis ad æternam salutem est, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, cæterosque omnes articulos in Symbolo enuntiatos credere. Sunt etiam bona opera necessaria, quia fides sine operibus mortua fides est. Fides quidem præcedere debet; at eam opera sequantur, oportet. Judicari hinc potest, ad quas pœnas damnabuntur qui suam fidem non solum pietatis operibus non exornant, sed etiam per prava facta dedecorant. "

2. & 3. „ Dei sancta Ecclesia Corpus est cujus caput est Christus Dominus. Eam, quemadmodum nos docent sancti Patres, regunt potestates duæ, sacerdotalis & regia. "

4. & 5. „ Episcopi primum omnium in se ipsis id reformare debent quod cum eorum dignitatis excellentia non congrueret. Hi quidem sunt Apostolorum successores & vicarii; sunt in salutis tramite populi duces & magistri; veritatis defensores & vindices, erroris hostes, Ecclesiæ ornamentum & columnæ, Cœli janitores, quibus cælestis Regni claves concreditæ fuerunt. Boni episcopi sunt qui episcopatum non prehensatione obtinuerunt, sed per vitam sanctam promeruerunt; qui se nec dignitate inflari, nec labore qui ab eo imponitur, frangi sinunt; qui minus honoribus frui student, quam sarcinam ferre, eo animum applicantes, ut suæ curæ concreditos cognoscant, doceant, corrigant. Sancte licet Episcopus vivat; si minus eos audet arguere qui male vivunt, cum iisdem ipse se perdet. Quid autem ei proderit haud ob propria peccata puniri, si pœnæ ob aliena subest? "

6. „ In Ecclesiæ quidem exordio, nemo ad fidem & Baptismi Sacramentum admittebatur, quin institutio præcederet; at, cum fides hoc jam tempore ubique stabilita sit, & Christianorum filii ante rationis ætatem ad baptismum recipiantur; supplendæ sunt institutiones quarum in ipsa baptismi susceptione capaces non erant. "

7. „ Ad hujus Sacramenti administrationem, accurate servabuntur a canonibus notata tempora, quæ sunt festa Paschatis & Pentecostes; qui contra fecerint, punientur, nisi cum humilitate se corrigant. Ei legi subsunt patrini, suos ut filiolos edoceant, quorum nempe rationem Deo reddere debent. Quamobrem ipsi sciant, oportet, quæ religionis officia sint. "

8. „ Interdictio, ne violentur, in posterum, canones qui ab Ordinibus eos arcent qui in morbo baptizati suere, aut qui per cupiditatem tantum, vel extra præscripta tempora se baptizandos curarunt. "

9. & 10. „ Operam dabunt presbyteri, ut, qui baptismum susceperunt, in ejus susceptione promissa perficiant; eosque, cum ad rationis ætatem pervenerint, commonebunt, ut secundum obligationes vivant, quas per hoc sacramentum contraxerunt. "

11. & 12. „ Episcoporum electiones & ordinationes ab omni simoniæ labe immunes erunt; & qui secundum canones ordinati fuerint, sine intermissione exemplo & institutioni quam suis populis præbere debent, insistent. "

13. 14. & 15. „ Non erunt avari; hospitalitatem exercebunt; ad proprios usus non ea trahent quæ Deo consecrata & pauperum sustentationi addicta sunt. "

16. „ Si quid consanguineis donare voluerint, id sument de bonis tantum quæ, antequam Episcopi essent, possidebant, aut quæ per hæreditariam successionem, episcopatus sui tempore, acquisierunt. "

17. „ Non alienabuntur Ecclesiæ bona, nisi urgeat extrema necessitas, consentiente provinciæ primate, præsentibusque finitimis Episcopis. "

18. „ Pastor ita possidere debet Ecclesiæ bona, ut se ab iis possideri non sinat; eademque non ipse sibi, sed aliis possideat. " Desinant ergo ambitio & zelotypia nobis dicere: habent ecclesiæ bonorum nimis. Si recte impenduntur ecclesiarum bona, Ecclesiis haud nimium bonorum est. Proh mirum! Mundi ambitio numquam satis bonorum habet, & Christi Domini Ecclesiam nimis habere contenditur.

19. „ Secreta malignitas sæpe inferiores trahit, ut prælatos obtrectent. At Episcopi invigilare ipsi sibi debent, ne per mensæ vestiumque luxum, aut per alias vanitates his sermonibus occasionem præbeant. "

20. & 21. „ Episcopi semper clericos habeant, oportet, qui in eorum cubiculo recubent, ut ipsorum vivendi rationis testes sint; debent suo cum clero

„ cibum sumere, nec ab eo recedere, ut cum laicis „ comedant. Sua ab ecclesia sine necessitate non abierunt; extraque hos necessitatis casus, canonicas Horas suis cum clericis dicent; iis quotidie super sacra Scriptura collationes edent, & cum iisdem versentur. "

22. Cum essent qui quererentur Episcopos non deesse qui sibi a laicis præsentatos ordinare renuerent, statutum fuit, at, si, post examen, idonei comperti essent, eos Episcopus non ordinare non posset; si minus, allatis probationibus, ineptos ostenderet.

23. Hortatur concilium Episcopos, ut erga sibi concreditum gregem suo faciant officio satis, nec dominatione cum ovibus suis utantur.

24. Eosdem monet, suo ut gregi corporaliter & spiritualiter opitulentur.

25. In aliquibus diœcesibus, archidiaconi aliique Episcoporum ministri, de sua magis explenda avaritie, quam de populorum salute sollicitti, exactionibus eosdem premebant. His Episcopis concilium mandat, ut eos impediant.

26. „ Habebuntur, saltem semel in anno, concilia, „ & hæc habendi facultas ab Imperatore petetur. "

27. „ Chorepiscopi nec Confirmationem conferre, „ nec alias Episcopis reservatas functiones edere debent, propterea quod hi quidem non Apostolorum, „ sed sexaginta duorum discipulorum successores sunt. "

28. & 29. „ In presbyteros & monachos interdictio, ne colonias teneant, aut negotientur; & in „ monachos peculiariter, ne cui ecclesiastico aut sæculari negotio se immisceant, nisi urbani Episcopi „ mandatum, vel necessitas ita postulent; in presbyteros, ne suis ab ecclesiis recedant; & in Episcopos, ne eos alibi occupent, cum divini Servitii eorumque salutis detrimento, qui, eorumdem absentiæ „ tempore, sine confessione aut sine baptismate mortem occumbunt. "

30. „ Episcopus quisque provinciali concilio discipulos suos præsentabit, ut ex eorum institutione de „ ipsius ad eos edocendos sollicitudine judicetur. "

31. „ Non prædicabitur Evangelium, retributionis „ causa. Oblationum & decimarum quartam partem „ Episcopi, sine magna necessitate, non sument; sed „ eas distribuent, ut ad ecclesiæ bonum, & ad pauperum solatium impendantur. "

32. Presbyterorum plures iis quorum confessiones audiebant, alias pœnitentias quam quæ a canonibus præscriptæ sunt, imponebant, quibusdam Pœnitentialibus errorum plenis utentes. Episcopis concilium mandat, ut ejusmodi Pœnitentiales Libros perquirant, inventosque flammis devoveant.

33. „ Episcopi, extra necessitatis casum, non debent „ manus imponere, ut Spiritum sanctum tribuant, nisi „ jejuni sint, non autem postquam comederint, quemadmodum in aliquibus provinciis fieri consuevit, quod „ omnino non decet. Nec magis Confirmationis sacramentum, nisi Paschatis & Pentecostes solemnibus diebus conferre debent. "

34. Veteres contra impudicitiæ crimina canones instaurantur.

35. Super presbyterorum aliorumque clericorum qui depositi fuerint, vita, sedulo, Episcopi invigilabunt, „ eolque canonicæ pœnitentiæ subdent. " Nimirum plures nihili depositionem faciebant, & sæcularem in modum vivebant, crimini se dedentes.

36. „ Erroneorum pariter clericorum licentiam repriment, ab Episcopis licet, abbatibus, aut Comitibus recepti essent; atque in id quidem, Imperatoris „ subsidium petent, quoad Italiam potissimum, ubi „ clerici e Germania & Galliis profugi libere suscipiebantur. "

37. „ Abbates qui, per superbiam, suo Episcopo „ obedire detrectaverint, aut a Synodo corrigentur, „ aut prælaturæ qua gaudent, honore per superiorem „ auctoritatem spoliabuntur. "

38. „ Commendatur clericis modestia, honestas, omnium omnino spectaculorum fuga; prohibeturque, ne „ recens velatæ feminæ in religiosarum antistites eligantur. "

39. „ Prohibentur presbyteri quidem viduas velare „ & virgines consecrare, sine Episcopi consensu; abbatissæ vero viduis & virginibus velum dare. "

40. 41. 42. & 43. „ Vetantur feminæ, ne ipsæ se „ velent, ut Ecclesiæ deserviant; & presbyteri, ne feminas quæ se ita velarunt, audere sinant ullum in „ ecclesia servitium præstare. Jubentur Episcopi abbatissas e summo cum nam jure punire quæ non verentur ipsæ viduis aut virginibus velum dare. "

44. „ Interdictio, ne viduis statim a viri morte velum detur. Tricesima, ex Imperatoris edicto, expectanda dies, quia tum demum iis liberum est, ut „ nubant, aut Deo se consecrent. "

45. „ E nobis alii, inquiunt Episcopi, a viris fide „ dignis auditione acceperunt, alii suismet oculis ipsi „ viderunt, in aliquibus provinciis, feminas, contra „ divinam legem & canones, ad altare accedere, impudenter sacra vasa tangere, sacerdotalia indumenta „ presbyteris exhibere; &, quod longe indignius contraque omnem rationem est, Domini Corpus populo „ distribuere; & alia facere quæ memorari turpe esset. „ Mandatur omnibus Episcopis, ut pro viribus admitantur, ne amplius ejusmodi abusibus in eorum diœcesibus locus sit. "

46. „ In canonicos & monachos interdictio, ne, sine „ Episcopi nutu, religiosas invisant. Religiosæ confessionem non edeut nisi in ecclesia, coram testibus qui „ ad aliquam distantiam aderunt. Si qua eas infirmitas „ impedierit, quominus in ecclesia confiteantur, aderunt & in cubiculo testes, dum confessionem peragent. „ Nullo modo congruit monachum deserere monasterium, ut se ad religiosarum confessiones excipiendas „ conferat, aut clericos laicosque, Episcoporum & presbyterorum canonicorum judicium declinantes, ad monachos qui sacerdotes sunt, edendæ confessionis causa, pergere; monachis enim id unum licet eorum „ confessiones audire qui de ipsorum communitate sunt. "

47. & 48. „ In presbyteros interdictio, ne privatis „ in ædibus, aut in hortis, quod plures faciunt, Missam „ dicant. Sacrum fieri non alibi licet quam in ecclesiis, præter quam in itinere, aut in necessitatis casu. „ Prohibentur pariter Missam dici, quin adsistens aliquis præsto sit qui respondere possit. "

49. „ Unusquisque presbyter unam tantum ecclesiam habere poterit, quemadmodum Episcopus unum „ tantum episcopatum habet. "

50. „ Obsecratur etiam atque etiam Imperator, ut „ sua usus auctoritate diem dominicum sanctificatum „ velit; & hac mente, gravibus indictis pœnis, prohibeat, ne per eum sanctam diem lites agiteutur, nundinæ celebrentur, rura colantur, quicquam plaustro „ asportetur. "

51. „ Interdicitur, ne quis modios aut sextarios habeat, quorum alia mensura sit, scilicet, ad accipiendum magnos, ad dandum autem aut vendendum „ parvos. "

52. „ Damnatur iniquitas & avaritia Comitum & Episcoporum provinciarum occidentalium Galliæ, qui „ subditis suis prohibebant, ne, messis aut vindemiæ „ tempore, frumentum & vinum majore quam ipsi taxaverant, pretio venderent; adeoque sibi datum volebant, denariis quatuor, frumenti modium qui duodecim valere poterat. "

53. Inter usurarios rejicitur dives qui, famis tempore, tritici modium renuit pauperi mutuum dare, nisi hic se, post messem plures modios redditurum recipiat, ad exæquationem usque currentis pretii modii quem acceperat.

54. „ Interdictio, ne, qui publicæ pœnitentiæ subsunt, ad patrini aut matrinæ officium seu in Baptismo, seu in Confirmatione admittantur. Firmantur „ hæ singulæ Constitutiones auctoritatibus pluribus; atque ita quidem conficitur actorum Parisiensis concilii Liber primus. "

Liber secundus peculiariter de Regum erga subditos, subditorumque erga Reges officiis agit. Sunt hæc ex Jonæ, Aurelianensis Episcopi qui concilio aderat, Tractatu ad verbum ducta. Inscribitur Tractatus hic, *Institutio* Regia, & ad juniorem Pipinum, Aquitaniæ regem mittitur.

1. 2. 3. 4. & 5. „ Id omnium primum, inquit concilium, Regi propositum esse debet, ut recte ipse se „ regat, ut domum suam moderetur, ut bonum aliis „ exemplum præbeat. Suum cuique jus, sine personarum acceptione, reddere debet; se exterorum, viduarum, orphanorum defensorem ostendere; latrocinia reprimere; adulteria punire; nec impudicas personas, nec scurras apud se detinere; parricidia & „ perjuria exterminare; ecclesiis patrocinari; pauperes „ alere; regni negotiis homines ad æquitatem factos „ præficere; prudentes & sobrios senes sibi consiliarios „ eligere; suæ indignationis effecta differre; e justitiæ „ legibus & cum animi robore patriam defendere; catholicam Fidem sartam tectamque servare; filiorum „ suorum impietates non tolerare; statas horas preci „ dare, nec extra convivii tempus comedere. Scriptum „ est enim: *væ regioni cujus Rex puer est, cujusque Principes mane ipso comedunt.* "

6. Monentur viri principes, & cujusque generis homines, ut erga proximum charitate referti sint, eique nec injuriæ, nec dedecoris quicquam afferant.

7. Deploratur Christianorum calamitas qui tantopere Christi Domini legem negligunt.

8. Commendatur subditis, ut Principi qui suam a Deo potestatem accepit, obsequium profiteantur.

9. Pronuntiatur ærumnas publicas & mutationes quæ sæpe contingunt in regnis, ut scilicet ad alios Principes transferantur, peccatorum populi & Principum effecta esse.

10. Inter errores rejicitur Christianorum quorumdam opinio, qui putabant eos qui baptizati fuerant, quæcumque tandem crimina perpetrassent, aliquando salvos fore, nec nisi ad certum tempus in inferis remansuros, eo scilicet elapso, Deum misericordia cum iis usurum.

11. Fideles hortatur concilium, ut ad ecclesiam conveniant, precibus adfuturi; monetque, ut ad observantiam compositi ibidem consistant.

12. Arguuntur qui, dum in æcclesia perstant, nullam precibus attentionem præbent quæ ad Deum mittuntur.

13. Qui, longioris distantiæ causa, ad ecclesiam proficisci non possunt, monentur, ne Deum proinde orare desistant, quippe qui ubique locorum orari potest.

Actorum Parisiensis concilii Liber tertius, per Episcoporum Epistolam, ad imperatores Ludovicum & Lotharium, *invictorum Augustorum* titulo, missam incipit. Quia simul ad eum mittebant articulos quos concinnaverant, hos in Epistola vix innuerunt, cui tamen addidere septem articulos Libri primi, quos tamquam ad utilitatem præcipuos spectabant; aliosque viginti confecerunt quorum executionem ab eo postulabant. Ex his ergo articulis viginti septem constat Actorum hujus concilii Liber tertius. Priores septem sunt 4. 34. 52. 29. 50. 47. & 44. Libri primi.

In reliquis viginti, ab Imperatore petunt Episcopi, suos ut filios & aulæ proceres jubeat sacerdotalem potestatem & dignitatem vereri; iis in animum revocans animarum curam Episcopis commissam esse; hos, secundum Apostolos, ecclesiarum fundatores esse; per hos ea nobis innotescere quæ Deus vult; hos esse fidelis populi capita, veritatis defensores, eorumque parentes qui in catholica Fide regenerati sunt; ut velit inter Episcopos & eorumdem populos, nullo non tempore, pacem, concordiam & unanimitatem servare; eos sinere, saltem semel in anno, in quaque provincia, ad ecclesiarum utilitatem, & disciplinæ incolumitatem coire; in aptioribus Imperii locis tribus, publica gymnasia, ejus auctoritate, instituere; ipsorum legatis ad profugos clericos, in Italia potissimum, inquirendos vim & robur addere; impedire, ne monachi, presbyteri cæterique clerici tam sæpe palatium frequentent; nonnullos episcopatus qui non amplius subsistebant, quia suis bonis spoliati fuerant, restituere; perturbationibus finem imponere quæ in aliquibus locis diœceseon Alitgarii & Haugarii, quorum unus Cameracensis, alter Noviodunensis Episcopi erant, grassabantur; eorum furorem compescere qui, ut suo facerent odio satis, aut sibi illatas injurias ulciscerentur, suorum inimicorum sanguinem privata auctoritate effundebant; rectum ordinem in monasteriis tueri, & impedire, ne laicorum culpa quibus donata erant, deperirent; domesticas, atque adeo palatii capellas supprimere; suo fideles exemplo adducere, ut ad Corporis & Sanguinis Christi Domini communionem accederent; ad bonos pastores ecclesiis, dignas abbatissas puellarum monasteriis, prudentes perspicacesque ministros regimini dandos sedulo incumbere; suosque ipse filios in Dei timore educare. Significant, postremo loco, Ludovico Pio necessitatem continendi potestates duas intra utriusque fines, ajentes id recto ordini potissimum obstaculo esse, quod, ex longo jam tempore, ecclesiasticis negotiis se Principes immiscebant, & Episcopi se ultra quam debebant, in negotiis temporalibus occupabant.

Eodem an. 829. Wormatiæ, seu, Augustæ Vangionum, cœtum habuit Imperator, ut, per imperialem auctoritatem, ex Episcoporum, Procerum, & Legati Papæ consensu, quod utilius in constitutionibus visum fuerat, confirmaret. Edidit hac mente Capitulare cujus notari possunt articuli qui sequuntur.

1. „ Qui absque Episcopi consensu presbyteros suis „ in ecclesiis statuunt, aut ex iisdem ejiciunt, Impe- „ ratoris bonum, seu mulctam graviorem solvent. “ In textu legitur *harmiscara*, quod significat gravem mulctam pecuniariam, & nonnunquam honorariam quæ imponebatur potissimum ob magna crimina, jussis nempe reis, aperto capite, nudisque pedibus & cruribus processionem subsequi, ephippio aut cane humeris imposito. Est credendi locus voces *hacheria* & *hachee*, quæ Gallis deinde usui ad mulctam significandam, ex *harmiscara*, per corruptionem, conflatas fuisse.

5. Jussa, sub mulctæ pœna, solutio decimæ; & quoad eos qui fruuntur Ecclesiæ feudis, solutio nonæ, præter decimam, sub feudi amittendi pœna.

8. Turbari non poterit Ecclesia in boni possessione quod post annos triginta pacifice possidet.

Imperator & Episcopi qui cœtui, seu concilio huic adfuere, statuerunt etiam, ut, qui conjugem deseruisset, vel, ut aliam duceret, occidisset, publicam, relictis armis, pœnitentiam ageret; sin obluctaretur, in carcerem truderetur, quoad Imperator de re cognovisset. Vetitum præterea, ne deinceps frigidæ aquæ examen, seu probatio, ut hactenus fieri consueverat, adhiberetur.

Legitur in quodam abbatiæ S. Remigii Remensis codice manuscripto, Papam Eugenium II. instituisse probationem hanc, ut impediret, ne super reliquiis juraretur, neve manus altari imponeretur. Mabillonius, ex hujus manu scripti codicis auctoritate, quem putat ad nonum sæculum pertinere, hujus examinis ritus recenset. Canebatur Missa cui aderant accusati & communicabant; at eos presbyter, antequam communione donaret, obtestabatur, sanctæ Trinitatis, earumque omnium rerum nomine, quæ sanctiores & observantia digniores in christiana Religione sunt, ut eam ne reciperent, si culpæ rei erant, cujus accusabantur. Nihil respondentes communicabat, inquiens, „ Corpus hoc & Sanguis hic Domini nostri Jesu Chri- „ sti sit hodie in probationem tibi. “ Absoluta Missa, aquam benedicebat, ferebatque ad edendi examinis locum; jussosque ex ea bibere, deinde, cum aquam in quam immergendi erant, exorcizasset, in eam immergebat ipse, Christum Dominum rogans, ut impediret, ne eos, siquidem rei erant, aqua reciperet. Cæremonia hæc, tam quoad presbyterum, quam quoad accusatos, servato jejunio, peragebatur. Imperatoris decretum haud generatim servatum fuit, quandoquidem Hincmarus, aliquanto post, ab Hildegario, Meldensi episcopo, super hac probatione consultus affert rationum momenta plura ad ostendendum frigidæ aquæ judicium admitti posse.

Concilium Thionvillense, seu, *apud Theodonis villam*, *an.* 835.

Concilium hoc ab Imperatore Ludovico Pio convocatum fuit, perficiendi causa, ut abrogarentur quæ in eum gesta fuerant, cum, per Lotharii filii molimina, in Compendiensi conciliabulo, an. 833. depositus fuit. Adfuere quadraginta quatuor, tam archiepiscopi quam episcopi; & Drogo Metensis præfuit cum Hettio, archiepiscopo Trevirensi. Ebbo, Remensis archiepiscopus, omnium quæ in Imperatorem acta, præcipuus auctor, in cœtum perductus eximere se non potuit, quin, ut cæteri omnes Episcopi, scriptum ederet, quo improbaret patratum in hujus Principis personam facinus, qui concilium Metas translatum voluit, ut conciliis quæ animo versabat, splendorem adderet.

Concilii Præsules, die dominica quæ Quadragesimæ initium præcedebat, cum Imperatore Proceribusque, in S. Stephani Ecclesiam quæ Cathedralis est, coivere. In Missa media, Drogo ambonem conscendit, legitque, coram populo, Episcoporum omnia ad Imperatoris restitutionem scripta; eo conscendit Ebbo ipse, damnavitque, vivæ vocis sono, quemadmodum jam scripto fecerat, indignam suam quoad Imperatorem agendi rationem, fassus eum Principem injuste depositum, & pœnitentiæ ob supposita crimina addictum fuisse; tum vero, archiepiscopi septem super Imperatore unam singuli e septem ad pœnitentium reconciliationem præscriptis Orationibus recitarunt. Cæremonia hac ad exitum perducta, Patres ad concilium in Theodonis villa continuandum rediere. Imperator suam eo querelam in Episcopos misit, facinorum præcipuos auctores quæ in ejus personam Compendii & Suessione patrata fuerant. Rei in jus acciti, eorumque nonnulli depositi fuere. Ebbo se ipse deposuit, suamque abdicationem scripto tradidit. *Reg. Tom. XXI. Lab. Tom. VII. Had. Tom. IV.*

Concilium Aquisgranense, *an.* 836.

Februario mense, an. 836. Aquisgranum Episcopi convenerunt, Imperatoris Ludovici jussu, qui negotia de quibus acturi erant, ipse proposuit. Quia porro negotia hæc ad Ecclesiæ ministrorum itemque temporalium Principum officia referebantur; tributa proinde fuerunt in partes duas hujus concilii decreta, quod *secundi Concilii Aquisgranensis* nomine notum est. Nihil ea novi continent; aliud nempe non sunt quam veteres canones quibus ut pristinum robur redderetur, opera data est. Complectitur prima pars Capitula, seu, Capitularia duo. Capitulare primum super Episcopis constitutiones includit; dividiturque in titulos duos, quorum primus id pertractat quod Episcopi facere, & secundus, quod scire debent. En hujus primi Capitularis articulos aliquot.

1. „ In-

1. „ Interdictio, ne episcopatus donis, aut aliter „ ambiatur."

3. & 4. „ Episcopus hospitalitatem exercere debet; „ &, ubicumque fuerit, pauperes suscipere & alere „ debet; altercationes quoque & litigia evitet, opor„ tet."

6. „ Episcopi ignominiosæ vinolentiæ vitio obnoxii „ deponentur."

Ad ea quod attinet, quæ Episcopus scire debet, notantur Religionis dogmata, Sacra Scriptura, peccatorum remedia, Canones, & S. Gregorii Pastoralis Liber.

Capitulare alterum sanctiones continet super ratione qua inferiores clerici, itemque monachi & religiosæ se gerere debent.

1. „ Tam canonicorum quam monachorum abbates „ Episcopis subesse debent."

2. & 3. „ Monachi ecclesiasticis aut sæcularibus ne„ gotiis, nisi Episcopus annuat, se immiscere non de„ bent; multoque minus diœcesanum Episcopum, quod „ eorum nonnulli faciunt, contemnere."

5. „ Presbyteri qui ecclesiis præsunt, parochi scili„ cet, ut ne pueri, qui baptizati fuerint, moriantur, „ ut iidem ab Episcopo Confirmationem suscipiant, „ ediscantque Orationem Dominicam & Symbolum. „ Super suorum omnium parochianorum vita & mori„ bus invigilare debent. Si quis in morbum incide„ rit, operam dabunt, ut confiteatur, & Extremam „ Unctionem recipiat. Si morbus ad mortem vergit, „ animæ commendationem super ægroto peragent, ei „ Eucharistiam tribuant, eumdemque, post mortem, „ christianæ sepulturæ dabunt." Conferebatur ergo tunc Extrema Unctio ante Viaticum, nec, ad eam conferendam, evidens periculum expectabatur.

Secundi Aquisgranensis concilii Capitulare tertium de Regis, de Principum ejus filiorum, deque ipsius ministrorum officiis agit. Hujus Capitularis articuli præcipui sunt.

1. „ *Regis* gloriosum nomen iis tantum convenit qui „ eum bonitate & justitia regunt. Crudelis & injustus „ Princeps non nisi odioso *Tyranni* nomine dignus „ est."

2. „ Rex in primis statutus est, ut Dei populum „ secundum æquitatem gubernet, ut pacem incolumem „ servet, ecclesiarumque & Dei servorum patronus „ & vindex sit."

9. „ Monemus Magnitudinem tuam, inquiunt ad „ Imperatorem Episcopi, ut recte pastores eligas qui „ ecclesias administrare debent; secus enim ignominia „ clerum afficeres deprimeresque, & Religionem in „ discrimen adduceres."

10. „ Eamdem tibi sollicitudinem commendamus ad „ abbatum, vel abbatissarum delectum. Hac de re „ peculiariter rationem reddes."

11. & 12. „ Annitere etiam, ut scite prudenterque „ ministros eligas quibuscum regiminis onus partiris. „ Hac, eos deligas qui Deum timeant, qui bonum „ exemplum præbeant, quique ex condicto dent ope„ ram, ut, quæ Dei voluntas est, imperii splendo„ rem, tui nominis gloriam, totiusque populi bonum „ comparent. Potissimum vigila, ne qua sit inter eos „ seu zelotypia, seu dissensio."

13. „ Eo quoque animum refer, ut inter Principes „ filios tuos pacem & concordiam foveas, iisque, „ quæ David Salomoni filio, aut suo Tobias, monita „ præbe."

17. „ Tuam itidem Clementiam obsecramus, ut ec„ clesiasticos, nisi aliqua necessitas urgeat, per sa„ ctum Quadragesimæ tempus, tranquillos relinquas." Loquuntur Episcopi de militaribus expeditionibus, aut de cœtibus qui nonnunquam in Quadragesima indicebantur.

22. „ Sumi deberet Domini corpus dominicis die„ bus singulis; quamobrem corrigatur, oportet, quan„ tum ratio patietur, contrarius mos; ne quis a Sa„ cramentis recedens, etiam a salute recedat." *Ibid.*

Concilium in Villa-Colonia, an. 843.

Carolus Rex, cum ejus regni annus quartus excurreret, an. scilicet 843, interfuit concilio huic quod, aliquorum sententia, Culaniæ in Turena, ad agrum Viennensem, vel, ut P. Sirmundus statuit, in Villa-Colonia, prope urbem Cenomanum, habitum fuit. In eo Princeps hic addidit Capitulare quod ipse, & quicumque aderant, Episcopi & Proceres sua singuli subscriptione firmarunt. Continet articulos sex quos Præfatio antecedit, in qua Princeps Ecclesiam cum navi comparans quæ modo procellis agitatur, modo malacia fruitur, ipsam ostendit ejus a quo regitur, nempe Christi Domini subsidio indigere. In memoratis sex sui Capitularis articulis, multus est in cultu & obsequio quod Deo debetur; in ecclesiarum, quæ sumenda, cura; in veneratione quæ altarium ministris deferri debet, suisque iisdem privilegia servandi, aut nova concedendi necessitate; in populorum suos erga Reges, Regumque erga populos suos officiis. A nemine, quicunque fuerit, nullaque prorsus obducta causa, sibi quicquam contra jus fasque propositum vult; jubetque de re ab iis qui scire possent, se moneri, ne circumveniatur, vel ut iis quæ contra facere potuerit, remedium afferat. *Ibid.*

Concilium Lauriacum, an. 843.

Concilium hoc, Octobri mense an. 843. habitum addidit canones quatuor, anathemate refractariis indicto.

Primus, Publicos divinæ legis transgressores impetit, eosque qui in ecclesiasticis tribunalibus convicti criminum, renuerent eorumdem judicium subire.

2. Eos qui in regiam dignitatem moliti fuerint, nec satis pro facinoris gravitate fecerint.

3. Eos qui regiæ potestati quæ, secundum Apostolum, a Deo instituta est, obsequi recusaverint.

4. Eos qui id violare ausi fuerint quod ad Ecclesiæ tranquillitatem, sacerdotale robur, & regiam dignitatem servandam concilium statuit. *Ibid.*

Concilium Thionvillense, seu, in Theodonis villa, ann. 844.

Habitum est concilium hoc, Octobri mense, ann. 844. prope Thionvillam, seu, Theodonis villam, in loco qui vulgo *Juiz*, latine *Judicium*. Ei Lotharius imperator, ejusque fratres reges duo, Ludovicus & Carolus interfuerunt. Drogo, Metensis Episcopus, præfuit. In eodem sanctiones, seu canones edidit sex.

Primus est ad memoratos Principes cohortatio, qui rogantur, ut inter se pacem & charitatem servent, atque ita turbis finem afferant quas eorum divisio excitaverat in Ecclesia quæ Christi Domini Sanguine redempta, tantoque labore ac studio a Regibus eorumdem decessoribus ad unitatem redacta fuerat.

2. Principibus commendatur, ut episcopatuum, ob eorum dissidia, vacantium sedes quamprimum repleant, perficiantque, ut ad eos, qui expulsi fuerant, regrediantur, rogaturque, eodem tempore, ut simoniam eliminent, & in rebus omnibus canonum dispositionem sequantur.

3. Obsecrantur, ut laicis adimant monasteria quæ iisdem donata fuere, in eorumque regimen abbates & abbatissas restituant; atque in eorumdem locum, si forte in recepta administratione minus recte se gesserint, alios sufficiant.

4. Ecclesiarum privilegia servari petunt Episcopi, ultro recipientes se, pro cujusque facultatibus, subsidia, in gravi quoque Imperii discrimine, suppeditaturos.

5. Rogant, ut, si, ob hæc ipsa discrimina, tum quidem monasteria laicis adimi, iisque abbates, aut abbatissæ reddi omnino non possint, liceat saltem Episcopis in quorum diœcesibus ea monasteria sita sunt, eorumdem curam suscipere, ut reparationes fiant, divinum Officium celebretur, & monachi sustententur.

6. Postulant, ut Ecclesiæ suum vetus robur redintegretur, ecclesiasticusque ordo, regia potestate fultus, id omni in re facere possit, quod ad populorum salutem necessarium est. *Ibidem.*

Concilium Vernetiense, ann. 844.

Carolus rex cogi jussit concilium Vernotii ad Oisum, mense Decembris ann. 844. Ebronius, Episcopus Pictaviensis ei præfuit tamquam archicapellanus palatii, quamvis adesset Venilo, archiepiscopus Senonensis. Episcopi qui hujus concilii convocationem ut Regis singulare beneficium spectabant, suum ei gratum animum testati sunt, & ad restituendam Ecclesiæ disciplinam canones duodecim ediderunt.

Primus Episcopi Regem hortantur, ut misericordiæ suavitate severitatem temperet, suumque populum, Davidis, Ezechielis, suique avi Caroli Magni exemplo, e justitiæ legibus regat.

2. & 3. Eum rogant, ut commissarios mittat qui ad clericorum & monachorum reformationem incumbant.

4. „ Cogentur vagantes monachi ad monasteria sua „ regredi; quod si habitum deseruerint, suave ipso„ rum culpa expulsi fuerint, & nolint id perficere

„ quod Deo promiserant, concludentur, quoad se corrigant. “

5. „ Qui religiosas sibi conjuges sumpserint, excommunicatione plectentur, publicæ pœnitentiæ subdentur, nec Viaticum nisi ad mortem suscipient, si sui tamen errati eos pœnituerit. “

6. „ Raptores, quia ecclesiasticam excommunicationem contemnunt, summo civilium legum jure reprimentur. “

7. „ Religiosæ quæ, falsa quadam pietatis specie, virilem habitum sumunt, sibique capillos amputant, juridice solum admonebuntur, quippe quæ id ex ignorantia potius quam pravo consilio faciunt; cum eas ab Ecclesiæ corpore segregari oporteret, si hac in re per malitiam agerent. “

8. „ Episcopi, certiores facti suorum confratrum nonnullos a belli servitio infirmam corporis valetudinem excusare, ab eoque alios per ipsum Regem exemptos fuisse, hunc Principem rogant, ut sibi per eum liceat subditorum aliquem suis hominibus ducem dare. “ Ebronius, concilii præses, & Lupus, Ferreriensis abbas, qui ejusdem canones elucubravit, ipsi per se, eodem anno, prælio prope Engolismam inito adfuerant; in quo Lupus quidem captus fuit.

10. Rogant etiam Regem Episcopi, ut Remensis ecclesiæ, jamdudum pastore destitutæ, suisque haud ita pridem bonis spoliatæ vacationi provideat; & Agii, Aurelianensis episcopi qui ex ejus palatii presbyteris fuerat, ordinationem approbet; ajentes ordinationem hanc a Venilone, Senonensi archiepiscopo peractam fuisse, suffraganeis consentientibus, clero testimonium perhibente, populo denique deposcente.

11. Remittitur ad frequentius concilium Drogonis, Metensis episcopi, & Imperatoris Letharii archicapellani negotium, qui nempe Litterarum vi quas a Papa Sergio obtinuerat, apostolicus in Caroli regno vicarius haberi volebat.

12. Finem faciunt Episcopi, Regem humillime comprecati, ut rapinas & alia complura crimina quæ divini Numinis indignationem in populos trahebant, impediat; imprimis vero ut e sæcularium manibus bona tollat, quæ ad ministrorum altarium aliorumque Dei famulorum sustentationem, ad pauperum & peregrinorum solatium, ad captivorum redemptionem, ecclesiarumque instaurationem, Deo Principes aliique fideles obtulerant. *Ibidem.*

Concilium Bellovacense, *an.* 845.

Convocavit Rex Carolus concilium hoc Aprili mense an. 845. Provinciarum duarum, Remensis & Senonensis, Episcopi adfuere cœtui, & Hincmarum, ex antiqua nobilitate prognatum, & Bernardi, Tolosani Comitis, consanguineum in Remensem Archiepiscopum elegerunt; tum edidere sanctiones octo quas Carolus Rex se servaturum, perque omnes sui regni ecclesias propagaturum recepit. Fidem obstrinxere, quod in iis erat, Episcopi se, quod Regi in iis octo articulis promittebant, fideliter executuros.

Petunt a rege Carolo Episcopi, per articulum primum, ut, quod ejus antecessores fecerant, iis omnem quam canones tribuunt, auctoritatem servet; per secundum, ut ne sinat Episcopos, ab præteritum erratum aliquod, dedecorari; per tertium, ut iis eorumque ecclesiis id reddi jubeat quod iisdem, seu sub ejus regno, seu sub regnis præcedentibus, ablatum fuerat; per quartum, ut illegitima, si qua unquam de rebus ad ecclesias pertinentibus dederit, mandata revocet, nec amplius deinceps quicquam tale præcipiat; per quintum, ut pravas omnes consuetudines, exactionesque in ecclesias ab ejus tempore inductas supprimat, & has ipsas in libertatem restituat, qua sub Ludovico Pio, ejusdem patre gaudebant; per sextum, ut eas ab aggressoribus & oppressionem minitantibus defendendas suscipiat; per septimum, ut privilegia confirmet quæ ecclesiis tum ejus pater, tum ipse concesserant; per octavum, ut, si forte vel is, vel ipsi, humana imbecillitate ita ferente, non autem suadente malitia, violarent statuta hæc, ejusmodi erratum communi sententia corrigeretur. Porro Meldense concilium quod Bellovacensis constitutiones refert, de duabus prioribus alte silet; at alias quatuor addit quæ inter octo præcedentes non reperiuntur; quarum una postulat, ut alienationes & commutationes bonorum Ecclesiæ, vacantis sedis tempore, nullæ & irritæ declararentur. *Ibidem.*

Concilium Meldense, *an.* 845.

Carolus rex, Junii die 17. an. 845. haberi jussit in Meldensi ecclesia concilium hoc; cui quidem Metropolitani, Venilo Senonensis, Hinc-marus Remensis, & Rodulphus Bituricensis cum suis suffraganeis adfuerunt, & octoginta canones ediderunt, in hunc numerum relatis iis quos concilia, paulo ante, in Theodonis villa, in Villa-Colonia, Lauriaci & Bellovaci celebrata confecerant. Vernotienses canones collectioni huic inserti non sunt, quia nondum ad Regis & populi notitiam venerant; quod mirum videtur, quandoquidem Vernotiense concilium a Rege Carolo congregatum fuerat. En canones qui Meldensis concilii proprii & peculiares sunt.

25. „ Tam bene morata sit, oportet, Episcopi domus, ut clerici & hospites qui in eam recipientur, nihil notare possint quod iis exemplo non sit. “

26. & 27. „ Significandum Regi est oportere, ut, cum per aliquam urbem transit, in episcopatu hospitetur, non ibidem tamen feminas secum hospitio receptas velit, nec ipse ibi diu commoretur, & direptionem impediat. “

Contingebat sæpenumero, ut Reges quos iter facere vel propria, vel publicæ rationes cogebant, ad Episcopales ædes diverterent, feminas, conjugatosque in easdem receptos vellent, & ibidem diu morarentur; adeoque eorum per urbes transitus comitatui direptionis occasio esset. Concilii Episcopi suas super hac re querimonias humiliter ad Regem deferunt, significantes prohiberi canonibus feminas in clericorum, &, potiore quidem jure, in Episcoporum domos ingredi.

28. Obsecratur Rex, ut Episcopos liberius quam antea, Quadragesimæ potissimum & Adventus tempore, suis functionibus vacare patiatur.

29. „ Corrigenda est aliquorum Episcoporum negligentia, qui in ea prava consuetudine sunt, suas ut diœceses aut raro visitent, aut nunquam visitent ipsi per se. “

30. Veteres super Episcoporum translatione leges renovantur.

31. „ Episcopi suis metropolitanis observantiam præstare debent, quæ iis debetur, secundum canones. “

32. „ Principes sinant, oportet, Episcopos habere concilia in quaque provincia, semel saltem aut iterum, quoque anno. “

33. „ Episcopus qui sine causa quæ cum ratione congruat, concilio interesse neglexerit, ab officio suspendetur. “

34. „ In sacrarum Scripturarum interpretatione, seu de scripto, seu verbo tenus, non licet a communi sanctorum Patrum sententia vel latum unguem recedere; quorumdam proinde monachorum reprimenda præsumptio est, qui, ut sibi nomen quærant, novitates vendidant. “

35. „ Episcopus quisque operam dabit, ut apud se idoneum integrisque moribus virum habeat qui presbyteros quibus demandata est populorum cura, ad omnem Fidei puritatem, divinorumque præceptorum executionem instituat. “

36. Jubentur hi presbyteri, nempe parochi, non nisi raro suis ex ecclesiis egredi, ut offerre sancta Mysteria, eademque populis dispensare semper parati sint.

37. & 38. „ Prohibiti, depositionis indicta pœna, clerici arma ferre, & Episcopi super sanctis rebus jurare. “

Episcopi & presbyteri super sanctis rebus, videlicet, super cruce reliquiisque, quod appellabatur *jurare super sacra*, jusjurandum non obstringebant; sed solum coram sanctis rebus, *inspectis sacris*, jurabant. Itaque nihil erat, cur jurantes manum attollerent, quod laici faciebant, ut crucem & reliquias altari impositas tangerent.

39. Damnantur perjuria.

Quia super sanctis rebus jurandi mos tum quidem communis erat, contingebat sæpenumero, ut esset perjuriis locus, & ubi ægrotantes pristinam valetudinem recuperabant, & possessi liberabantur, perjuri de repente a maligno spiritu corriperentur.

40. 41. & 42. Mandatur, ut Regi significentur omnino tria; primum, quoad hospitalia quæ ad nihilum redacta erant, ea potissimum quæ Hibernorum aliqui pro suæ nationis hominibus in Gallia fundaverant; alterum, ut ad restituenda monasteria permoveatur, quæ, postquam proprietatis jure privatis hominibus data fuerant, a regulæ custodia exciderant; tertium, ab eo obtinendi causa, ut commissarios in provincias

mittat,

mittat, quorum opera reddantur ecclesiis adempta bona.

43. „ Per virtutem Sanguinis Christi Domini, interdicendum est laicorum primoribus iisque omnibus qui in electionibus gaudent suffragii jure, ne unquam in simoniaci ordinationem consentiant. Qui enim, inquit Sanctus Gregorius, ecclesiæ dignitates vendunt, & qui emunt, pari pœna digni sunt. “

44. „ Impediendi sunt chorepiscopi, ne sanctum chrisma conficiant; ne Spiritum Sanctum tribuant; ne ecclesias consecrent; ne ordines conferant, nisi ad subdiaconatum usque; iidemque ne id quidem facere debent, nisi Episcopi jussu, & in locis quæ canones notent; at, in diœceseos ambitu, pœnitentiæ impositioni, & peccatorum conciliationi vacare poterunt. “

45. & 46. „ Episcopi ob sanctum Chrisma nihil omnino, ne denarium quidem, exigent. Congruit tamen, suo ut Episcopo munus aliquod presbyteri, statis anni temporibus, dent. Interdictum, ne sanctum Chrisma alio die, quam Feria quinta majoris hebdomadæ conficiatur. “

47. „ Dum Episcopus in vivis est, nemo, cleri populique placitum, aut potentis alicujus laici mandatum prætexens, œconomum instituere poterit qui ejus ecclesiæ bona administret. Si adeo infirmus Episcopus sit, suis ut functionibus vacare non possit, Metropolitani erit, cum ejusdem Episcopi consensu, huic incommodo providere. “

48. „ Præter quam in morbi casu, neminem nisi in ecclesiis, ubi baptismales fontes adsunt, & præscriptis quidem temporibus, presbyteri baptizabunt. “

49. „ In laicos, sub excommunicationis pœna interdictio, ne suarum ecclesiarum presbyteros in ruralium locationum procuratione, vel in sæcularibus indignisque negotiis occupent. “

50. & 51. „ Clerici qui in aliam diœcesin migrant, sine *formatis Litteris* non recipientur; nec dabitur iis venia, ut vel altari deserviant; iidem ad alios ordines haud promovebuntur, nisi proprii Episcopi canonicas Litteras exhibuerint. “

52. „ Si qui proceres, absque canonicis Litteris, clericos ad ordinationem præsentant, hos Episcopus in suas diœceses remittet, ut ibi ordinentur. Quicunque e diœceseos parœciis pluribus, absolute, nempe, quin peculiari ecclesiæ addicti sint, ordinari petunt, rejicientur; quique ad titulum ordinari petierint, haud voti compotes fient, nisi postquam annum, saltem, in clero ad regulas exacto, vel in episcopali urbe transegerint, ut certo de eorum doctrina & moribus constare possit. “

53. „ Canonici, seu in urbe, seu in monasterio, communem vitam servabunt, ex Ludovici Pii, Aquisgrani edita, Constitutione. “

54. „ Tituli cardinales qui in urbibus & suburbiis sunt, parœciæ scilicet, ad Episcopi dispositionem omnino spectabunt. “

55. „ Omnibus christifidelibus vetita usura est. “

56. „ Episcopi neminem, nisi ob certum & manifestum crimen, ecclesiastica communione privabunt; ac nisi e metropolitani & comprovincialium consensu, anathema pronuntiabunt; est enim pœna quæ imponi non debet nisi ob insignia crimina quæ minime speratur aliter corrigi posse. “

57. „ Aulam monachi non adibunt, absque diœcesani Episcopi facultate, qui etiam cavere debet, ne diutius iidem ruralibus in domibus commorentur, prætexentes sibi in id obedientias suppetere. “

58. „ Suum ad servitium Rex clericos canonicos non recipiet, quin eorumdem Episcopus assentiatur. “

59. „ Monachus e suo monasterio expelli non poterit, inscio inconsultoque Episcopo ejusve Vicario, qui expulso monacho vitæ rationem statuet, ne omnino se perdat. “

Agitur, in hac Constitutione, de monachis quorum desperata correctio est. Is adhuc, eo tempore, mos vigebat, ut, qui ejusmodi erant, religioso habitu spoliarentur, & e monasterio pellerentur.

60. „ Canonicæ pœnitentiæ subduntur qui monasteriorum, ecclesiarum, aliorumque sanctorum locorum januas perfringunt; quique seu deposita, seu quidpiam aliud exportant; itemque qui presbyteros aliosque clericos dedecorant, aut male habent. “

62. „ In eos statuitur excommunicationis pœna, qui usurpant ecclesiæ bona, usque eo dum ea restituerint; in eos quoque qui renuunt ecclesiæ, ob prædia quæ ab ea tenent, tributa & decimas solvere, quibus ædium reparationibus & clericorum sustentationi consulat. “

Debebatur decima quidem, communi jure; annua vero pensio, seu nona fructuum pars, tamquam dominicus census, seu clientare munus ob terras quas ecclesia alicui concesserat.

63. Ex canonibus & imperatoris Ludovici constitutione, nemo presbyteros adigere poterit, ut ob decimas oblationesque fidelium, vel ob ea quæ ecclesiæ ad sepulturæ locum data fuerint, aliquem censum solvant.

64. 65. 66. 67. 68. 69. & 70. „ Raptores, adulteri, & religiosarum corruptores puniuntur e canonum jure summo. Ad eas quod spectat, quæ, sub religionis velo, videri student ita vivere, ut religiosas decet, quamvis re delictis ac depravationa vitam agant, Episcopus, regia, si opus fuerit, potestate suppetias ferente, eas jubebit quibusdam in locis vivere, ubi personas ad pietatem compositas suæ ipsarum agendi rationis testes habeant. Quod si pravorum earumdem morum non evidentes quidem probationes, sed solum suspiciones ei suppetant, eas adiget, ut secundum leges se purgent, monebitque, ut religiosius in posterum vivant. Qui adulterium cum femina perpetravit, quam deinde, mortuo ejus viro, sibi conjugem sumit, pœnitentiæ subdendus est; si ad viri mortem conjulerint, aut consanguinei sint, in pœnitentia, quoad vixerint, permanebunt, absque ulla spe fore, ut aliis matrimonio jungantur. “

71. „ Dabit Episcopo cuique Rex suo sigillo munitas Litteras quarum vi eidem ad sui ministerii exercitationem, cum opus habuerit, publici officiarii non suppeditare non poterunt. “

72. „ Nemo in ecclesiis, tamquam hæreditario jure, sepulturæ dabitur; sed ii tantum quos ea dignos, ob vitæ sanctitatem, Episcopus, aut parochus judicaverint. Nulla fiet in tumulis fossio, ad extrahenda mortuorum ossa; nihilque pro sepulture exigetur; at si quid in elemosynam consanguinei, vel hæredes obtulerint, id recipi, quin tamen petatur, poterit. “

73. „ Servabuntur conciliorum & Christianorum Principum, nominatim vero Constantini, Theodosii, Childeberti leges in Judæos latæ. “ Referuntur hæ leges, ad hujus canonis calcem, cum pluribus in eamdem rem Patrum & conciliorum decretis. Episcopi, super hoc negotio, Aurelianense concilium tertium laudantes, inquiunt S. Lupum Trecensem ei præfuisse, cum is tamen S. Lupus Lugdunensis fuerit.

75. „ Optandum esset, inquit concilium, ne Rex suarum regalium ædium capellas laicis conferret; at si, quibusdam de causis abusus hic evelli non potest, impediendum saltem est, ne hi laici decimas percipiant, & ne eas impendeant, suos ut canes suasque concubinas alant. “

76. Rogatur Rex, ut vetet, ne Comites aliique judices audientias suas teneant, post Feriam quartam cinerum, post Quadragesimæ initium scilicet, quo manus omnibus pœnitentibus imponuntur, ut, per reliquum hoc sanctum tempus, pœnitentiæ exercitationibus & divinis Officiis vacent.

77. „ Celebrabitur, ad dies octo, Paschatis solemnitas, nec a servilibus solum operibus, verum etiam a venatione & commercio, per id temporis, abstinebitur; omnino sub excommunicationis pœna. “

78. & 79. Præcipitur, ut ecclesiastica omnia Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularia, omnesque præsentis concilii sanctiones serventur, sub pœna depositionis quoad clericos, & exilii quoad laicos.

80. Episcopi qui non ita loquebantur, nisi quia ponebant tamquam certum fore, ut Rex eorum decreta firmaret, eum reapse, ut id perficeret, obsecrarunt; at procerum præcipui, perspicientes, iis quidem receptis, necesse fore, ut ipsi abbatias & alia quibus fruebantur. ecclesiæ bona desererent, tantopere hujus Principis animum sollicitarunt, ut tandem canones qui eos spectabant, confirmare renueret, eosque tantum approbaret, qui eosdem non afficiebant. Hallucinatus est ergo Pater Longueval, *Hist. Eccl. Gallic. Tom. V. p.* 519. dum absolute ac sine ulla distinctione pronuntiavit Carolum regem his Constitutionibus subscripsisse, & se perfecturum, ut servarentur, promisisse. Confirmatæ quidem fuere in concilio quod 14. Februarii die an. 846. Parisiis habitum fuit; at non melius servatæ sunt. Cum Carolus rex parlamentum, seu, generalem cœtum in Remenses diœceseos locum, Epernai dictum, an. 846. seu 847. convocasset; laici proceres delectum fecere canonum qui ad eos non referebantur omnino, vel parum eorumdem negotia attingebant, eum catalogum ad Episcopos miserunt, iisque

que significarunt Regem & se eos tantum canones servare velle, qui novendecim numero sunt. *Ibid.*

Concilium Moguntinum, an. 847.

Ad initium Octobris mensis an. 847. Rhabanus, archiepiscopus Moguntinus, concilium, Ludovici, Bavariæ regis jussu, congregavit, ut ad Ecclesiæ disciplinam reformandam incumberet, comperiretque adjumenta quibus ecclesiasticorum bonorum usurpationem impediret. Adfuere cœtui Episcopi duodecim Moguntinæ sedis suffraganei, chorepiscopi, abbates, presbyteri aliique clerici. Ut Dei gratiam ad se traherent, triduum jejunarent, processionibus interim editis; cumque inter eos convenisset, ut in quaque diœcesi, pro Rege, Regina eorumque filiis ter mille quingentæ Missæ dicerentur, & mille septingenta Psalteria recitarentur, in S. Albani monasterium, consuetum conciliorum locum, coiverunt. Rerum varietas de quibus acturi erant, eos impulit, ut se dividerent in classes duas; Episcoporum unam, qui, cum secretariis, Sacræ Scripturæ, canonibus & Patrum scriptis legendis vacabant; abbatum alteram, cum delectis monachis, qui S. Benedicti regulam evolvebant, expendebantque, qua demum ratione ejus observantia restitui posset. Ex his collationibus sequentes triginta & unus canones prodiere.

Primus. „ Omnium bonorum fundamentum est Fides. At, quamvis Deo sine fide nemo, quod ait S. Paulus, placare possit, Fides operibus indiget, sine quibus mortua est. Episcoporum imprimis est operam dare, ut Fidei puritatem servent. “

2. „ Debent Episcopi canones qui recepti sunt, legere & intelligere, & identidem veritates ad Fidei morumque puritatem custodiendam accommodatas populo prædicare. Quamobrem Episcopi singuli super paradiso, super inferis, super futura resurrectione, superque operibus quæ hominem quemque æterna vita dignum aut indignum reddere possunt, Homilias præ manibus habeant, necesse est, eosque in rusticam romanam, vel teutonicam linguam convertat, ut ab omnibus eorum auditoribus percipiantur. “ Quia plures ejus sæculi tum Episcopi, tum presbyteri concinnandis Sermonibus haud satis idonei erant, in votis erat, ut iis, saltem, Sanctorum Patrum Homiliæ, in vulgarem linguam translatæ præsto essent, quas scilicet populo legerent, quarumque ope necessaria documenta eidem traderent.

3. „ In omnibus parœciis, ex ordine Romano, administrari Baptismus debet, ita scilicet, ut edantur ante Baptismum præscripta scrutinia; ut solum in Paschate & Pentecoste, nisi urgeat necessitas, baptizetur; ut baptizandi jubeantur dæmoni ejusque operibus & pompis abrenuntiare. “ Dæmonis pompæ, inquit concilium, sunt fastus, superbia, vana gloria; ejusdem opera sunt adulterium, fornicatio, ebriositas, &c.

4. „ Necessarium sane est, ut pax inter Christianum populum vigeat; siquidem non habemus omnes nisi Patrem unum qui in cælis est, & matrem unam quæ Ecclesia est. Commendatur, peculiariter, Episcopis & Comitibus, hoc est, judicibus, ut inter se consentiant, & in suorum munerum exercitatione, quod ad Dei servitium pertinet, se mutuo sustentent. “

5. Communione privantur quicumque in Regem, in Imperii ministros, & in ecclesiasticas potestates, conjurationem confecerint.

6. „ Quoniam Rex institutus a Deo est Ecclesiæ bonorum defensor & custos, ea tueri debet, ut suum ipse dominium tuetur. “

7. „ Ea Episcopis potestas erit, ut hæc bona, secundum canones, gubernent dispensentque; & cum ad sui ministerii functiones indiguerint laicorum officio, hi quidem iisdem obedient. “

8. „ Clerici qui, suæ ordinationis tempore, nihil possidebant, quique, dum episcopatum tenuerunt, aut ex quo in clero sunt, terras, aliosve fundos, suo nomine, emerunt, hos Ecclesiæ relinquent; at de bonis quæ iis donata fuerint, aut quæ per successionem a consanguineis acceperint, pro arbitratu statuere poterunt. “

9. Renovatur Africani concilii canon, super servorum manumissione.

10. „ Decima, quippe quam Deus mandavit, accurate solvetur, eam Episcopus, ut fidelium oblationes, & ecclesiæ reddiius, tribuet in partes quatuor; unam sibi sumet, alteram in clericos, tertiam in pauperes, quartam in ecclesiæ fabricam conferet. “

11. „ Haud suis terris suisque decimis spoliabuntur ecclesiæ veteres, ut novis eædem oratoriis tribuantur, sine Episcopi ejusque concilii consensu. “

12. „ Prohibitus, depositionis indicta pœna, presbyter ecclesiam emere, aut pecuniam dare, ut ex ea presbyterum a quo legitime possidetur, expellat, eamdemque sibi vindicent; itemque prohibiti clerici & laici, sine Episcopi venia & approbatione, presbytero ecclesiam dare. “

13. „ Episcopus quisque operam dabit, ut canonici & monachi e regulis vivant; a carnis peccatis abhorreant, nec se sæcularibus negotiis immisceant; ne accedant ad tribunalia, nisi forte ut viduarum & orphanum ibidem defendant; ne aleis, ornatu qui eorum statui non congruat, epulis, vino, venatione cum canibus aut avibus, &c. delectentur. Nos quidem hæc omnia iis interdicimus. Pauperes suam ad mensam recipiant, in eaque sanctæ lectioni locus sit, oportet. “

14. „ Nihil proprii monachis erit; iidemque non poterunt parochiales ecclesias, nisi consentiente Episcopo, possidere. Episcopo rationem reddent titulorum ecclesiarumve in quibus statuti fuerint; venientque ad concilium quod is indicet. “ Perspicitur hoc loco monachos, annuente quidem Episcopo, parochos in titulum esse potuisse.

15. „ In Gregorii Papæ Decretis leguntur hæc: *Si clericus sibi capillos crescere sinat, anathema sit.* Quamobrem mandamus, ut hi clerici puniantur, coganturque suum pristinum statum recipere, quem deseruisse videbantur. “

16. „ Abbatissa cui monasterium in urbe est, e claustro non egredietur, quin Episcopus ejusve vicarius assensum præbeant, nisi ei ita ab aula mandatum sit; cumque egredietur, super religiosarum quæ ei comites fuerint, agendi ratione invigilabit. Eadem studium conferet, ut regula in monasterio servetur; ut religiosæ ibidem divini Officii omnes & singulas Horas concinant, cubentque in eodem dormitorio, infirmis exceptis. “

17. & 18. „ Episcopi, abbates, Comites eorumque officiarii non poterunt pauperum bona deinceps emere, nisi in publico cœtu, & coram testibus; ne pauperes opprimantur, coganturque suis ingratiis sua bona vendere, adeoque ad indigentiam redacti, latrociniis se dedant. “

19. „ Arguendi judices qui se muneribus corrumpi sinunt. “

20. „ Suus erit parricidis locus in quo asperam pœnitentiam acturi consistant; nec amplius arma ferre, aut novum matrimonium inire poterunt. “

In usum abierat, ut parricidæ hac illac errantes, ferreisque circulis onusti, medio in mundo, viverent; quod in causa erat, ut ipsi se flagitiis pluribus dederent; hanc consuetudinem concilium revocat.

21. 22. & 23. Ancyrani, Elibertani, Agathensis, Ilerdensis conciliorum, super fornicariis, homicidis, aliisque peccatoribus, canones instaurantur.

24. „ Qui presbyteram interfecerit, aget annorum duodecim pœnitentiam. Si factum negat, & liberæ conditionis sit, se per jusjurandum purgabit, cum duodecim personis jurans, si servus, super vomeribus duodecim, ad ignem candentibus incedens se purgabit. “

Fuisse constat rationes duas quibus se accusatus per ferrum candens seu ignitum purgaret; erat prima, ut ferrum ad ignem rubens nudis manibus ferret; erat altera, ut nudis pedibus super vomeribus, ad ignem pariter excandentibus incederet.

25. Eidem pœnæ subduntur qui presbyteros gradu dejectos a quibus variæ peregrinationes, pœnitentiæ causa, instituuntur, interimunt.

26. „ Presbyteri ægrotantium qui versantur in mortis periculo, Confessionem audire debent. Est iis deinde ob oculos ponenda quam meruissent, pœnitentia, non tamen imponenda, satisque habendum eos ad eamdem peragendam, siquidem convaluerint, cohortari. Tum vero, ne iis misericordiæ janua claudatur, iisdem Extrema Unctio & Viaticum e Sanctorum Patrum Decretis, tribuantur, necesse est. “

27. „ Qui ob crimina ad mortem damnati fuerint, communionem suscipere poterunt, si vere pœnitentes, Deoque peccata confessi sunt: iidem nec sepultura, nec ecclesiæ precibus post mortem, nec sancti sacrificii oblatione privabuntur. “ Reis, ad mortem damnatis non ea semper facultas concedebatur, ut confessionem apud Sacerdotes ederent. Est hæc fortasse ratio ob quam hoc loco de iis tantum sermo est, qui Deo confessi non fuerant, inquit Pater Longueval, in sua *Gallicanæ Ecclesiæ Historia*, *Tom. V. pag.* 149. At, si ita res habet, dicendum erit reis, iis

quo-

quoque qui Sacerdotibus confessi non erant, communionem concessam fuisse; quod nobis quidem videtur difficultatem parare quam historicus non attigit.

28. „ Incestuosi correctionis impotes ex Ecclesia ejiciantur, quoad pœnitentiam egerint; si suis in depravationibus animum obfirmaverint, post presbyterorum monita, ad eos reprimendos, secularis potestatis vis adhibeatur. "

29. „ Si, qui viduam duxit, peccat cum conjugis filia, vel cum duabus deinceps sororibus matrimonium init, aut cum fratris uxore, cum consobrina, cum amita, cum nuru, separari debet, &, in pœnitentiam, nunquam conjugium contrahere poterit. "

30. „ Interdicitur, ne quis, deinceps, in quarto consanguinitatis gradu, matrimonium ineat. "

31. „ Pœnitentia peccatis respondere debet, nec imponenda levis ob peccata gravia; discernendum est etiam inter peccatores qui publicam & qui secretam pœnitentiam agere debent, pro ut eorum peccata vel publica sunt, vel occulta. "

Has omnes Constitutiones ad Ludovicum Bavarum miserunt Episcopi, rogantes, ut eos, auctoritate qua pollebat, adhibita, servari juberat. Iis synodicam Epistolam addidere, inter cætera, conquerantes observantiæ parum sanctia locia deterri. Fuldenses Annales ponunt, Octobri mense anni sequentis 848. Moguntiæ concilium aliud, occasione doctrinæ Gothescalchi qui in eodem damnatus fuit. Hoc in concilio statutum est, ut hic Monachus ad Hincmarum, Remensem archiepiscopum in cujus diœcesi sacerdotalem ordinem susceperat, remitteretur. Rhabanus, eodem tempore, synodicam Epistolam ad Hincmarum misit, in qua exponit Gothescalchum dicere Dei prædestinationem tam ad malum quam ad bonum referri; nec deesse, in terris, homines qui ob hanc prædestinationem cujus vi præcipites ad mortem aguntur, se ab errore ac peccato in quo versantur, emendare non possunt, perinde ac si eos Deus inemendabiles ab initio fecisset.

Concilium Papiense, seu, *Ticinense*, *an.* 850.

Concilium hoc, an. 850. ad finem vergente, Lothario & Ludovico Angusto rerum potientibus, habitum fuit. Angilbertus, Mediolanensis archiepiscopus, ei præfuit cum Theodomaro, Aquilejensi patriarcha, & Josepho, episcopo & Archicapellano totius Ecclesiæ. Baronius ait hujus nominis Episcopum, ann. 844. & 853. Eporediæ fuisse. Hujus concilii Patres edidere canones viginti quinque.

Primus. „ Aderunt Episcopo, in cubiculo, & ad secretiora servitia, bonæ famæ presbyteri & clerici, qui eum assidue vigilantem, orantem, Sacræ Scripturæ studio vacantem intueantur, ejusdemque sanctæ vitæ testes & imitatores sint. "

2. „ Celebrabit Episcopus Missam non dominicis solum præcipuisque per annum festis diebus, sed singulis, si fieri potest, orabitque, peculiariter, pro se, pro cæteris Episcopis, pro Regibus, pro omnibus Ecclesiæ pastoribus, pro iis qui ejus presbyteris commendati sunt, & potissimum pro pauperibus. "

3. „ Moderata mensa contentus erit; & convivis sobrietatis exemplum præbebit, nedum eos ad edendum & bibendum sollicitabit; non admittet ad mensam ridicula nugigerulorum & mimorum spectacula, sed in ea peregrini, pauperes & infirmi conspicientur. In eadem legetur Sacra Scriptura; suosque ipse convivas deinde pietatis sermonibus detinebit, ut iidem se eodem tempore corporale & spiritale alimentum sumpsisse gaudeant. "

4. „ Nec aves, nec canes, nec æquos, nec pretiosas vestes, nec quidquid fastum luxumque sapit, consectabitur. Erit in sermone simplex & verax, iis Evangelii locutionibus utens: *est*, *est*, *non*, *non*, seu, *Deus scit*, cum aliquid certo pronuntiari opus est. "

5. „ Sine intermissione, ad canonicarum Scripturarum, & religionis dogmatum meditationem incumbet, ut presbyteros & clericos cæteros in iisdem instituat. "

6. „ Ad populum, prout ejus intellectio fert, dominicis festisque diebus concionem habebit. Curabit, ut archipresbyteri omnia familiarum capita visitent, ut qui publicorum criminum rei comperti fuerint, publicam pœnitentiam agant; occulta vero peccata confiteantur iis quos ipse, aut ejus archipresbyteri delegerint; qui, si quid difficultatis offenderint, Episcopum consulent; Episcopus autem finitimos confratres, aut metropolitanum, aut etiam provinciæ synodum consulet, si ita postulet difficultas. "

7. „ Urbis rurisque presbyteri super pœnitentibus invigilabunt, ut perspiciant, quemadmodum impositam pœnitentiam peragant; an, ad suorum peccatorum expiationem, eleemosynas & alia bona opera edant; quæ eorum contritio, quæ lacrymæ, ut iisdem pœnitentiæ tempus imminuant aut protrahant. Reconciliatio vero non e presbyteris, sed ab Episcopo solum fiet, pro ut in veteribus canonibus præscriptum est; nisi mortis periculum adsit, aut Episcopus absit, & pœnitens, cum pietate, reconciliari petierit. "

8. „ Presbyteri ægrotos monebunt, ut Sacramentum a S. Jacobo Apostolo commendatum, scilicet Extremam Unctionem postulent; aut eam pœnitentibus non concedent, nisi postquam conciliati fuerint, ac Domini Corpus & Sanguinem sumpserint. Ægrotanti, si requirat morbi ratio, sanctam Unctionem Episcopus suis ipse manibus administrabit. "

9. „ Renovantur veteres canones qui pœnitentes, dum pœnitentiæ subsunt, matrimonium inire vetant; & quia contingebat interdum parentes renuere suas filias in matrimonium dare quamvis se offerret occasio, easque in paterna ipsa domo impudicitiæ se dedere; præcipitur, ut, si pater aut mater in filiæ corruptionem consenserint, publicam uterque pœnitentiam agat, antequam ea nubere possit. "

10. „ Raptores eorumque socii communionem in morte percipere poterunt, si vere pœnitentes sint, eamque religiose petant; at nunquam raptor eam quam rapuit, sibi legitime conjugem sumere poterit. "

11. „ Spectat ad loci Episcopum, in quo crimen patratum fuerit, pœnitentiam imponere; ejusdemque erit ad omnes Episcopos in quorum diœcesibus reus terras possidet, scribere, nec eum, utpote ob crimen excommunicatum, ad suam communionem admittant. "

Editus fuit canon hic ad eorum eludendam fraudem qui terras in variis diœcesibus possidentes, dicebant Episcopo qui eos ob aliquod crimen pœnitentiæ subdere volebat, eam se jam ab alio recepisse.

12. Pronuntiatur eos omnes qui sancti Altaris communione privati, & publicæ pœnitentiæ addicti sunt, nec arma ferre, nec causas judicare, nec publicum ullum munus obire, nec cœtibus interesse, nec se ad alios conferre posse. Ea tamen conceditur iisdem venia, suis ut domesticis negotiis vacent, nisi forte suorum criminum enormitate perculsi, eorumdem curam sumere nequeant.

13. Distinguuntur parœciarum genera duo; aliæ nuncupantur *minores tituli*, *plebes aliæ*, seu baptismales; priores quidem administrari jubet a simplicibus presbyteris, posteriores vero ab archipresbyteris qui, præter suarum parœciarum curam, super minoribus etiam parœciis invigilare debebant, earumque rationem Episcopo reddere. Adeo necessaria judicatur archipresbyterorum inspectio, ut Episcopus, etsi harum baptismalium ecclesiarum, uno eodemque tempore, ac matricis seu cathedralis ecclesiæ curæ suscipiendæ par sit, satis tamen habere debeat super hac per se ipsum invigilare, ut episcopatus functiones & onera cum aliis partiatur.

14. Quoniam monasteriorum tam ad viros quam ad feminas spectantium pleraque seu ab Episcopis, seu a laicis diruta fuerant; ea concilium reparari jubet, imprimis vero quæ Episcoporum potestati suberant; ita scilicet, ut, ad primam synodum, eorum quæque restituta sint. Episcopis quoad caput hoc negligentibus excommunicationem minitatur.

15. „ Hospitalia ab iis administrabuntur quos eorumdem fundatores designaverint; quod si fundationis bonis hæredes potiri contigerit, ad eorum usurpationem reprimendam, Imperatoris auctoritas implorabitur. "

16. „ Quoad monasteria & hospitalia, sub sacri palatii patrocinio a fundatoribus posita, satis habetur ad impediendos Principes, ne ad eorum aversionem conferant, iis significare, si neminem habent in hoc sæculo, a quo judicentur, eos Deum in altero judicaturum. "

17. „ Accurate solventur decimæ; earumque distributionem Episcopus secundum canones, non pro suo ipsius arbitratu peraget. "

18. „ Non tolerabuntur clerici acephali, qui nempe nullius Episcopi disciplinæ subsunt, quamobrem seculares qui sibi sua in domibus celebrata volunt divina mysteria, monebuntur, ut ad id officii eos tantum adhibeant qui ab Episcopis examinati fuerint,

„ rint, habuerintque commendatitias eorum Litteras a „ quibus Ordines susceperint.

20. „ In laicos, indicta excommunicationis pœna, „ interdictio, ne presbyteris denariorum fisci & vectigalium receptionem, sua ipsorum negotia, & ejusmodi alia munia demandent, Judæosque committant „ qui criminales causas inter Christianos judicent, ab „ iisque tributa exigant."

21. Usurariis mandatur, ut id restituant quod per usuram acquisierint; quod si minus ipsi, dum viverent, fecerint, id facere jubentur hæredes, saltem ex dimidio, eorumque, per eleemosynas, peccata redimere. Concilium quidem id solum innuit quod hactenus actum erat; subdit tamen eum qui in posterum fœnori dare convictus fuerit, si laicus extiterit, excommunicatione plectendum, sin presbyter aut clericus, & ab Episcopo monitus, haud se correxerit, suo gradu privandum.

22. Implorabitur Imperatoris in eos subsidium qui viduas orphanosque, quorum fibi tutelam conquisierunt, cum tueri debeant, opprimunt.

23. „ Episcopi retinendos curabunt vagos clericos „ monachosque qui errores, quacunque transeunt, dis„ seminant, aut inutiles quæstiones proponunt. Eos „ deinde ad metropolitanum duci jubebunt, ut tam„ quam pacis Ecclesiæ perturbatores puniantur."

24. „ Prohibentur pater & mater juniores filios gran„ dævis puellis maritos dare, quia sæpe fiebat, ut, „ sub matrimonii filiorum velo, soceri nuribus abute„ rentur."

25. Ad asperrimam pœnitentiam damnantur veneficæ quædam quæ se, suæ artis vi, amorem aut odium inspirare jactabant, quasque hominibus vitam ipsam adimere suspicio erat. Mandatur, ut ejusmodi feminæ in mortis tantum articulo reconcilientur, ac tum quidem solum, cum dignos pœnitentiæ fructus egerint.

Imperator Ludovicus qui huic concilio aderat, in eo Capitulare edidit quod deinde ejus pater Lotharius confirmavit. Constat illud articulis quinque quorum duo ad ecclesiastica negotia referuntur. Eorum unus Comitibus omnibusque publicis ministris mandat, ut ad peregrinorum, pietatis ergo, Romam pergentium securitatem invigilent; prælatos alter ad aulam convenientes vetat vexationibus hospites premere, & ab iis quicquam nisi solventes exigere. *Reg. Tom. XXI. Lab. Tom. VIII. Hard. Tom. V.*

Concilia Suessionensia, an. 851. & 853.

Horum conciliorum primum congregatum fuit occasione Pipini junioris, nepotis Caroli Regis, filii Pipini, Regis Aquitaniæ. Inhumanus hic adolescens, jampridem, in patris regno perduellionem fovebat, cum a Sanchio, Vasconiæ Comite, captus fuit, traditusque regi Carolo qui, ex Episcoporum procerumque consilio, detonsum in S. Medardi Suessionensis monasterium an. 851. conclusit. Hoc Episcoporum consilium designat Hincmarus synodicæ sententiæ titulo: quod eos in concilii modum convenisse significat, ut de junioris ejus Principis puniendi ratione statuerent. At is evasit e monasterio an. 852., opem ferentibus monachis duobus qui proinde tamquam inemendabiles ejecti & a sacerdotio depositi in alio concilio quod in eadem urbe, an. 853. habitum fuit.

Adfuit cœtui Carolus Rex cum Metropolitanis tribus, Episcopis viginti tribus & Abbatibus sex. Metropolitani tres erant Hincmarus Remensis, Venilo Senonensis, & Amaurius Turonensis. In eo habitæ sessiones octo in ecclesia monasterii S. Medardi, qui concilio locus electus fuerat. Ejus integra nobis acta non suppetunt, sed eorum tantum epitome, quæ in iis octo sessionibus gesta sunt. Posita sunt, primo loco, tredecim canones seu decreta concilii, quæ compendiarium in modum continent, quicquid ibidem, seu quoad ecclesiastica negotia statutum fuit.

1. Actum est initio statim de ordinationibus ab Ebbone peractis, postquam depositus fuerat; hæ pronuntiatæ nullæ irritæque; ac definitum legitime ordinatum fuisse.

2. Cum significatum esset Herimanum, Nivernensem Episcopum, morbo correptum esse quo adigebatur, ut ageret absona & indigna plura, suæque ecclesiæ curam negligeret; jussus est Venilo Senonensis, ejus metropolitanus, Episcoporum aliquibus comitantibus, Nivernum ire, ut ejus ecclesiæ negotia in ordinem redigeret, Episcopumque Herimanum, per æstatem, tempestatem ejus malo minime adversam, Senonensi in urbe custodire, ut ejus agendi rationem, quoad fieri per eum posset, moderaretur.

3. Quia Venilo Senonensis Burchardum, utpote haud bonæ famæ hominem, Carnatensem Episcopum ordinare renuebat, mandatum fuit, ut illuc commissarii mitterentur qui ejus electionem ad examen revocarent, ut eum Venilo, pro ut ipsi de re tota relatum esset, haud cunctatus ordinaret.

4. Cum S. Aldricus, Cenomanensis Episcopus, paralysi correptus, ad concilium scripsisset, suam ut absentiam excusaret, seque Episcoporum precibus commendaret, archiepiscopus Turonensis, ejus metropolitanus, jussus fuit eum convenire, &, quicquid necessarium esset, in Cenomanensi ecclesia perficere.

5. S. Medardi monachi duo qui juniori Pipino suppetias tulerant, ut e loco evaderet in quem, Carolo rege mandante, conclusus fuerat, Rothado, Suessionensi, curante, per ejus archidiaconum, ad concilium perducti, a sacerdotio depositi, & seorsim in dissita monasteria relegati sunt.

6. Cum Carolus Rex de Remensis ecclesiæ diacono quodam, falsas ejus nomine Litteras scripsisse accusato, apud Synodum conquestus esset, huic interdictum fuit, ne a diœcesi recederet, quoad se purgasset, satisve fecisset.

7. Mandatur, ut quamprimum divinus cultus in urbibus & in utriusque sexus monasteriis restituatur, rogeturque Rex, ut commissarios mittat, qui locorum præsentem statum, una cum diœcesano Episcopo, expendant, abusuumque quos ipsi reprimere non potuerint, correctionem ad proximum concilium & ad regiam potestatem referant.

8. „ Ecclesiæ fruantur in omne tempus immunitati„ bus & privilegiis quæ, per concessionem Principum, „ obtinuerunt."

9. „ Si minus ecclesiæ, multiplicis necessitatis cau„ sa, in suas veteres possessiones restitui possunt, iis „ decimæ saltem & pascua reddentur."

10. „ Interdictio, ne tribunalia sanctis in locis, do„ minicisque aut festis diebus habeantur."

11. „ Non impedientur Episcopi, quominus eos pu„ niant qui aliquid contra ecclesiæ disciplinam ege„ runt, seu liberi, seu servi sint."

12. „ Incestuosi, aliique hujusmodi criminum rei „ qui Episcoporum examen subire recusaverint, ad „ illud a publicis judicibus adigentur, ne criminum „ impunitas iterum peccandi occasio fit."

13. „ Interdictio, ne qua ecclesiasticorum bonorum „ permutatio, sine Regis assensu, fiat."

Posita sunt, ad horum canonum calcem, eorum excerpta quæ in octo hujus concilii sessionibus gesta, itemque Capitulare quod ibidem a rege Carolo editum fuit. Continet hoc articulos duodecim qui totidem ad commissarios documenta sunt, qui quoquo mittendi erant, ut ecclesias & monasteria cum diœcesano Episcopo visitarent, canonicorum & monachorum numerum, eorum vivendi rationem & sustentationem statuerent, ædificia repararent, bonaque & vastationes expenderent quas Normanni iisdem intulerant.

Constat ex hoc Capitulari, canonicorum & canonicissarum collegiales ecclesias seu communitates monasteria nuncupatas fuisse; adeoque, tametsi collegiatæ veteres ecclesiæ hoc nomine designatæ comperiantur, non id tamen argumento esse in iisdem ecclesiis ab origine monachos extitisse.

Concilium Carisiacense, an. 853.

Carolus rex, Cadurcum ad Oisnm, seu Carisiacum Suessione profectus, cum Episcoporum & abbatum nonnullis, ibidem una cum ipsis concilium habuit in quo subscripsit articulis quatuor quos Hincmarus Remensis contra Gotescalchi doctrinam ediderat.

Est hæc articuli primi vis & ratio, Deum, per suam præscientiam, e perditionis massa delectis iis quos, per suam gratiam, ad æternam vitam prædestinavit, in eadem perditionis massa, per suæ justitiæ judicium, cæteros reliquisse, quos, per suam præscientiam, noverat perituros; at non eos tamen ipsos ad pereundum prædestinasse, quamvis iisdem æternam pœnam, quia justum id est, prædestinaverit; ac proinde non esse agnoscendam nisi prædestinationem unam tantum, quæ scilicet ad gratiæ donum, vel ad justitiæ retributionem pertinet; quod si perditionis massa evasit humanum genus, non id a Deo derivari qui rectum & peccati expertem hominem fecit, ei liberum arbitrium contulit, eum in paradiso collocavit, eumdemque in justitia perseverare voluit; sed ab homine ipso qui libero quo instructus erat, arbitrio abusus peccavit lapsusque est. Pronuntiatur, in altero, nos amisisse in primo homine libertatem quam per Christum Dominum recuperavimus; & quemadmodum libero ad bonum arbitrio fruimur, cum illud gratia prævenit, adjuvat, ita nobis idem & ad malum inest, cum illud ipsum a gratia deseritur; hoc autem liberum esse, quia per gratiam

tiam liberatam sanctumque est. Docetur, in tertio Deum velle omnes ad unum homines salvos fieri, prorsus excepto nemine, quamvis omnes haud salvi fiant; alios quidem per divini Reparatoris gratiam, æternam salutem consequi, alios autem per suam ipsorum culpam perire. Ita denique quartus habet, quemadmodum nemo unus inter homines est, nemo fuit, nemo erit, cujus Christus Dominus naturam non sumpserit, ita neminem esse, neminem fuisse, neminem fore pro quo ipse passus non sit, tametsi non omnes per ejusdam passionis mysterium redempti sint; quod si non omnes per hoc mysterium redempti sunt, non id fieri, quasi pretium sufficiens non sit, sed propterea, quod infideles eosque qui non credunt ea fide quæ per charitatem operatur, quia salutaris medicina quæ ex nostra infirmitate divinaque virtute coalescit & constat, suapte natura omnibus quidem prodesse potest, at eos tantum sanat a quibus sumitur. De hoc concilio, in *Annalibus S. Bertini*, ad an. 853. sermo est; ibique hi quatuor articuli summatim occurrunt. *Lab. Tom. VII. Hard. Tom. V.*

Edidit D. Martene, cum nonnullis Flori, Lugdunensis ecclesiæ diaconi Opuscula, Acta cujusdam concilii, Cadurci, seu, Carisiaci, contra errores Amalario tributos habiti, quorum præcipuus erat, eum Christi Domini eucharisticum Corpus in tria distincta corpora divisisse.

Concilium Vermeriense, an. 853.

Hoc in concilio quod Augusto mense an. 853. habitum fuit, Carolus rex relecta voluit Capitula quæ ipse in Suessionensi promulgari jusserat, quaque una omnium voce probata fuere. Hoc idem concilium vetat S. Alexandri Leberaviæ, seu Lieuriæ, in Alsatia, monasterium, precarii & beneficii titulo, Conrado tribui, quia illud abbatiæ S. Dionysii Fulradus abbas donaverat, & hanc donationem summus Pontifex Stephanus confirmaverat. Leberavia hoc tempore Nanceji primatiali ecclesiæ unita est.

Concilium Romanum, an. 853.

Die 8. Decembris an. 853. Papa Leo IV. Romæ in ecclesia S. Petri, concilium habuit, sexaginta septem Episcopis adsistentibus, quos inter aderant quatuor quos imperator Lotharius miserat. Joannes, Ravennæ Episcopus, cum eo se conferre non potuisset, deputavit, pro se, diaconum, nomine *Paulum*, qui omnium primus post Leonem Papam & imperatorem Lotharium subscripsit. Ediderunt Episcopi canones quadraginta duos quorum primi triginta octo iidem sunt ac qui a Papa Eugenio II. an. 826. editi fuerant. Ens tamen concilium auxit aliquibus additionibus quæ seorsim impressæ fuerunt in Lucæ Holstenii Romana editione, & in sequentibus in quibus posita sunt primo quidem Acta omnia concilii an. 826. deinde vero Acta concilii an. 853. cum adnotatione hac, canones 39. 40. 41. & 42. esse 1. 2. 3. & 4. hujus postremi concilii canones.

39. Statuitur, ut, quo propius ad veterum decreta accedetur quæ, ad ejusdem ecclesiæ servitium, majorem clericorum numerum ordinari vetant, quam reditus & oblationes fidelium ferunt, expungatur supervacaneus presbyterorum numerus, qui Romæ versabantur, a propioribus Episcopis ordinati, quorumque tertia pars erat ad obeundum servitium satis.

40. „ Omnes baptismalium ecclesiarum presbyteri,
„ vel qui simplicibus oratoriis deserviunt, conveniunt
„ ad sui diœcesani Episcopi synodum, seu in urbi-
„ bus, seu ruri degant. “

41. „ Laici in ecclesiis quæ ab ipsis pendent, alte-
„ rius diœcesis presbyteros, absque Episcopi consen-
„ su, non ponent; atque id quidem, excommunica-
„ tionis in laicos, & depositionis in presbyteros statu-
„ ta pœna. “

42. „ Eadem pœna in abbates aliosque patronos ec-
„ clesiasticos pronuntiatur; afferturque rationis loco,
„ presbyteros collocari non posse nisi ab iis qui eos
„ ordinandi & corrigendi jus obtinent. “ Processit deinde concilium contra Anastasium, Romanæ Ecclesiæ presbyterum, & cardinalem titulo S. Marcellini, qui ex annis quinque relicta Roma, sibi domicilium, invito Papa, Aquilejæ statuerat. Cardinalis hic depositus fuit. *Lab. Tom. VIII. Hard. Tom. V.*

Concilium Valentinum, in Delphinatu, an. 855.

Cum Valentiæ, in Delphinatu, Episcopus multorum criminum accusatus esset, Prælati, Lotharii imperatoris jussu, in eam urbem, die 8. Januarii an. 855. ut in eam procederent, convenerunt, Remigio Lugdunensi, Agilmaro Viennensi, & Rollando Arelatensi primas tenentibus. Dijudicata accusati Episcopi causa cujus exitus ignoratur, editi fuere canones viginti tres; sex super doctrina, super disciplina reliqui.

1. Declarant Episcopi se omnem verborum novitatem rejicere, & sacræ Scripturæ iisque qui eam perspicue explicuerunt, S. Cypriano, S. Hilario, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, cæterisque Catholicis doctoribus adhærere, superque præscientia Dei, prædestinatione & quæstionibus reliquis quæ eorum fratribus scandalum creant, non alia sensa fovere quam quæ in Ecclesiæ sinu perceperunt.

2. Probant, Scripturæ auctoritate, Deum cognovisse, ab omni æternitate, opera bona quæ boni, & mala quæ mali homines acturi erant; prævidisse pariter bonos tales fore per ipsius gratiam, æternamque mercedem, per eamdem gratiam percepturos; improbos autem per suam ipsorum malitiam tales futuros, perque ejus justitiam ad æternam pœnam damnandos; atque inde inferunt Dei præscientiam nemini necessitatem imponere, ut nequam sit; ac si pravi scelestique homines damnantur, non id ob Dei præjudicium, sed ob propriæ eorumdem iniquitatis meritum fieri; si pereunt, non eos propterea perire, quia boni esse non potuerint, sed quia boni esse noluerunt, & quia, vel ob actualia ipsorum peccata, vel ob originale ipsum, in perditionis massa remanserunt.

3. Confitentur, secundum S. Paulum cujus verba laudant, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem reproborum ad mortem; quod explicant, ajentes in eorum delectu qui salvi fiant, misericordiam Dei præcedere eorumdem meritum, & in eorum damnatione qui pereunt, eorumdem demeritum præcedere justum judicium Dei; Deum non ordinasse, per suam prædestinationem, nisi quod per suam gratuitam misericordiam, aut per suum justum judicium facturus erat; eum in malis hominibus solum prævidisse malitiam, quia hæc ipsorum est, & non eam prædestinasse, quia eadem ab eo non est; quod attinet ad pœnam quæ eorum prava opera sequi debet, eumdem, quia scit omnia, hanc prævidisse, & quia justus est, eamdem prædestinasse. Addunt se non modo non credere aliquos a divina potestate prædestinatos ad malum esse, quasi vero aliud esse non possint, sed, cum Arausicano concilio, iis anathema dicere qui tantum malum credunt.

4. Eorum doctrinam improbant qui suis in scriptis paulo ante docuerant Sanguinem Christi Domini effusum fuisse etiam pro impiis qui in sua impietate mortui sunt, a mundi exordio ad Servatoris passionem usque; asserunt ergo pretium hoc datum fuisse pro iis solummodo qui in eum credunt, prout ipse Christus Dominus apud S. Joannem ait, *cap.* 3. *v.* 14. Rejiciunt Hincmari articulos quatuor, eliosque novendecim articulos Joannis Scoti, quippe qui potius ineptorum syllogismorum conclusiones quam fidei propositiones sint, postulantque, ut novitatum auctores reprimantur.

5. & 6. Firmiter credendum docent baptizatos omnes fideles vere Christi sanguine ablutos esse, quia in Ecclesiæ Sacramentis nihil inutile, nihil illusorium est, sed omnia in iisdem vera & cum effectu conjuncta sunt; nihilominus, ex hac fidelium & redemptorum multitudine, alios æternam salutem consequi, quia in sua redemptione, per Dei gratiam, perseverant; alios ad beatitudinem non pervenire, quia in fidei salute, quam ab initio perceperunt, persistere noluerunt, seu quia redemptionis gratiam, prava doctrina, corruptaque vita, inutilem reddiderunt. Quoad gratiam, per quam fideles salvi fiunt, & sine qua nulla unquam ratione prædita creatura recte vixit; & quoad liberum arbitrium in primo homine debilitatum; & Domini nostri gratia sanatum, plena constantique fide confitentur id se credere quod Patres per sacræ Scripturæ auctoritatem docuerunt, Africanumque & Arausicanum concilia, summique Pontifices tenuerunt. Rejiciunt, cum contemptu, indecentes quæstiones super his negotiis e Scotis propositas, a Joanne Scoto scilicet, quem tamquam turbarum dissidiorumque auctorem spectabant, quæ in Ecclesia grassabantur.

7. Mandat, ut, ad ecclesiasticum robur servandum quod suam in Episcopis vim amittit qui nec moribus, nec scientia insigniti sunt, rogetur Princeps, ut electionum libertatem clero populoque relinquat; seligantur Episcopi in cathedralis ecclesiæ clero, vel in diœcesi, vel in proximis saltem locis; ac, si clericus addictus servitio Principis in Episcopum sumitur, de

ejus vita doctrinaque accurate metropolitanus inquirat, ne indignum ordinet.

8. „ Qui potiti fuerint Ecclesiæ bonis, excommu„ nicationi subdentur, quamvis dicant ea sibi a Prin„ cipe donata fuisse. “

9. „ Agetur eodem in laicos jure qui ab observan„ tia parochis præstanda deficient, aut parœciarum „ bona usurpabunt. Laici qui aliquam suis in terris „ ecclesiam construere volunt, eam dotare debent, „ ei prædium & mancipia tria designare, eamdemque „ præterea ecclesiæ Matri & Episcopo subdere. “

Textus habet *unam colonicam*. Vocabulum hoc significat villam, seu, rusticum prædium cui certum quoddam terræ cultui aptæ spatium & amplitudo est. Nihilominus, in aliquibus veteribus chartis distingui mutuo videntur hæc duo, *colonica* & *mansus*, seu, *mansum*.

10. „ Fideles omnes accurate omnium quæ possi„ dent, decimam solvent. “

11. „ Abrogabitur abusus in sæcularia tribunalia in„ ductus, ut jusjurandum a duabus quæ inter se liti„ gant, partibus exigatur, cum fieri non possit, ut „ ne contendentium alteruter perjurus sit. “

12. „ Qui in singulari certamine adversarium occi„ derit, aut vulneribus obruerit, homicidii pœniten„ tiæ subdetur, qui vero mortuus jacuerit, precibus, „ ecclesiasticaque sepultura privabitur; rogabitur Im„ perator, ut hoc decretum confirmet, publicisque „ ipse legibus tam grave malum aboleat. “

13. „ Ad charitatem & unitatem inter Episcopos „ sartam tectam servandam, ipsi sibi mutuo contra „ Ecclesiæ perduelles suppetias ferent, hos quidem, „ sub excommunicationis pœna, adigendi causa, ut „ pœnitentiæ se subdant. “

14. „ Episcopi nec clericis, nec monachis de eorum „ vexationibus conquerendi locum præbebunt. “

15. „ Vitam agent Episcopi, quæ exemplo sit. “

16. & 17. „ Tam urbis quam ruris populos Epi„ scopus quisque ipse per se, vel per alios, eosque „ idoneos viros erudiet; suæque diœceseos visitatio„ nem peraget, quin onerosior sit. “

18. „ Restituentur in integrum scholæ in quibus „ scientiæ tam divinæ quam humanæ, cantusque eccle„ siasticus edisceantur. “

19. „ Invigilabunt metropolitani super agendi ratio„ ne quam inierint suffraganei; hi vero, quoad eam„ dem rem, super suæ quisque diœcesis clero. “

20. „ Ecclesiarum ornamenta sedulo custodientur; „ fiet horum usus e donatorum mente, & ita quidem, „ ut usus hic nulla omnino in re canonibus adver„ setur. “

21. „ Nulla fiet bonorum Ecclesiæ permutatio; &, „ si qua fiet, curæ & diligentiæ multum ad hanc rem „ conferetur. “

22. Damnatur abusus e quo visitationis jura quædam exigebant Episcopi, licet eam non peragerent.

23. Intentantur excommunicationis in eos minæ, qui archidiaconum Viennensem, seu in ipsius persona, seu in propinquis, turbare pergerent. Imperator, ut hujus concilii decreta, quod *Valentinum tertium* dicitur, confirmaret, mutuatus est Constantini edictum, ad Ablavium, præfectum prætorio, missum. *Reg. Tom. XXI. Lab. Tom. VIII. Hard. Tom. V.*

Concilium Lingonense, an. 859.

Habitum est concilium hoc, Aprilis die 19. an. 859. in abbatia sanctorum Geminorum, vulgo *S. Jeanne*, Lingones prope, coram rege Carolo Juniore, Imperatoris Lotharii filio. Ei præfuerunt Remigius Lugdunensis, & Agilmarus Viennensis archiepiscopi quibus aderant Ebbes Gratianopolitanus, aliique Episcopi numero plures. In eodem editi canones sexdecim quorum priores seu iidem sunt qui sex Valentienses super prædestinatione; nisi quod de Carisiacensibus articulis quatuor ne verbum quidem Lingonensis concilii canones instaurati fuerunt in Tullensi, seu, apud Saponarias concilio, cujus partem conficiunt in *generali Conciliorum Collectione*.

Concilium Tullense, seu, *apud Saponarias*, *anno* 859.

Habitum fuit concilium hoc, mense Junio an. 859. apud Saponarias, haud Tullo procul; conflatum ex Episcopis provinciarum duodecim regnorum trium Caroli Calvi, Lothariique & Caroli Junioris, ejus nepotum; ei Principes hi tres adsuere. Eo spectavit concilium hoc, ut schisma quod, paulo ante, in Ecclesia coortum fuerat, funditus tolleretur, ecclesiastica disciplina restitueretur, quique obstrictam suis Principibus fidem violaverant, ad obedientiam reducerentur. In hunc finem, eam Episcopi facultatem a Regibus tribus obtinuerunt, ut concilia temporibus per canones præscriptis haberent; quod inter bellorum turbines facere non potuerant. Super Episcoporum trium, Tortoldi Bajocensis, Ascarii Lingonensis, & Attonis Verodunensis ordinationibus querelæ ad concilium delatæ, eos scilicet ad episcopatum illegitimis rationibus pervenisse. Ad Venilonem, archiepiscopum Rothomagensem, remissa Tortoldi causa; Ascarius se destiturum promisit; satisque concilium habuit vetare, ne unquam ad Lingonensem perinde atque ad Genevensem sedem quam ipsam aliquando usurpaverat, eveheretur; demum alteri concilio se sistere jussus Atto.

Rex Carolus Calvus in Venilonem, Senonensem archiepiscopum libellum obtulit, in quo dicebat eum contra fidem quam ipsi per jusjurandum præstiterat, se Ludovico Germaniæ Principi ejusmodi hosti, suis omnibus congestis viribus, addidisse; sibi ab eo Principe abbatiam Sanctæ Columbæ quæ ad eum minime pertinebat, conferendam curasse; &, postquam suum ipse Carolus regnum recuperaverat, eumdem Venilonem in perduellione perstitisse, negatis subsidiis quæ ei tamquam suo Principi Senonensis ecclesia debebat. Venilo cum hoc Principe in gratiam rediit; atque ita evitavit Episcoporum judicium, a quibus per Synodicam Epistolam Episcopis quos ad eum judicandum elegerant, intra triginta ab accepta Epistola dies, se sistere jubebatur.

Ad Britanniæ quoque Episcopos concilium scripsit, quos hortabatur, ut ad archiepiscopi Turonensis, metropolitani sui obedientiam regressi se mutuo conciliarent. Lecti deinde canones qui, ante dies aliquot, in Lingonensi concilio conditi fuerant; quorum priores sex, quod jam diximus, iidem ac Valentini concilii tertii canones sunt.

Can. 7. Statutum in septimo, ut per rogatos Principes sibi liceret provincialia concilia quotannis, & generalem in eorumdem palatio cœtum, singulis annis duobus, habere.

8. „ In cujusvis Episcopi promotione, metropolitanorum proximorumque Episcoporum judicium pervincet; nullaque erit populo ad electionem pars.

9. „ Canonicorum, monachorum & monialium com„ munitates accurate diœcesani Episcopi visitabunt, „ ut, ibidem serventur, nec ne, regula & statuta, „ perspiciant. “

10. „ Cohortationibus excitabuntur Principes & „ Episcopi, ut publicas tam Sacrarum Scripturarum, „ quam humanarum Litterarum scholas instituant, ubi„ cunque iis docendis pares viri comperti fuerint, „ quia vera Scripturarum intellectio tunc ita excide„ rat, ut vix aliquod ejus vestigium superesset. “

11. „ Ab iis reparabuntur aut reficientur ecclesiæ, „ qui earumdem proventus percipiunt. “

12. „ Postulabitur a Principibus venia, ut religio„ sa, seu, ecclesiastica quæque communitas sibi ejus„ dem professionis caput eligat. “

13. „ Ita fiet bonorum quæ Deo consecrata sunt, „ distributio, ut eorum nona aut decima pars eccle„ siis tribuatur. “

14. „ Restituentur hospitalia a piis Imperatoribus „ fundata, eorumque redditus ad pauperum & adve„ narum sustentationem impendentur. “

15. & 16. „ Rogati Principes tres qui concilio ade„ rant, ut pauperum causas per integros ministros ex„ penderent, & pro potestate sibi a Deo tradita, adul„ teros & raptores punirent, quoad ipsi se publice „ sisterent, ut a sacerdotibus judicarentur, & eccle„ siasticæ disciplinæ subderentur. “

Absoluta horum canonum apud Saponarias lectione, nonnulli qui ab Hincmaro stabant, Episcopi in articulis gratiam & prædestinationem spectantibus nonnulla notare volentes cohibiti fuere, conventque, ut iidem articuli in concilio, quod primum, redintegrata pace, haberetur, ad trutinam revocarentur. Hæc præcipua sunt quæ in concilio apud Saponarias gesta. Ad nos pervenere triginta duorum Episcoporum nomina, qui eidem interfuerunt; & in Actis quidem alii plures adfuisse dicuntur. *Reg. Tom. XXI. Lab. Tom. VIII. Hard. Tom. V.*

Concilium Confluentinum, an. 860.

Concilium hoc, Junii die 5. an. 860. convocatum eo spectavit, ut solida pax inter Reges, Ludovicum Germaniæ, Carolum Calvum, ejus fratrem, & utriusque nepotes tres statueretur. Episcopis tredecim & Proceribus triginta tribus ea demandata provincia fuit, ut jusjurandum conficerent quo memorati Principes sibi mutuo fidem obstringerent. Huic inseruere articulos

eulos duos animadversione dignos, & ad ecclesiasticam disciplinam, atque publicæ tranquillitatem servandam accommodatos. Statuit primus, ut, si contigerit quempiam, excommunicatum, aut criminis reum quod excommunicatione dignum est, regnum mutare ad pœnitentiam evitandam, eamve secum educere quam rapuerit, quave abusus fuerit, eum Princeps in cujus ditionem se reus receperit, suum ad Episcopum redire cogat, ut pœnitentiam suscipiat, impositamve perficiat. Prohibetur in altera constitutione quæ jam Epernai an. 845. indicta fuerat, ne quis Episcopus ab Ecclesiæ communione peccatorem amoveat quem non antea monitis in Evangelio præscriptis hortatus fuerit, ut se corrigeret & pœnitentiam ageret; ita quidem, ut eum, si pertinax fuerit, ad Regem ejusque ministros deferat ad pœnitentiam adigendum; quod si hæc ipsa ratio inutilis fuerit, tum demum ab ecclesiastica communione peccatorem segreget. *Ibid.*

Concilium Tulliacense, an. 860.

Octobris die 22. an. 860. Carolus Calvus & Lotharius Tussiacum, in Tullensi diœcesi, frequens concilium ad morum puritatem restituendam convocarunt. Constabat illud e duodecim, vel, ut aliis placet, quatuordecim provinciarum Episcopis; erant autem provinciæ, Vesontionensis, Lugdunensis, Trevirensis, Remensis, Viennensis, Senonensis, Coloniensis, Bituricensis, Turonensis, Narbonensis, Burdegalensis, Rothomagensis, Arelatensis & Moguntina; quamvis enim postremæ duæ haud nominentur in impressis concilii Actis; in aliquibus tamen manuscriptis codicibus extant. Erant omnino quinquaginta septem Episcopi qui edidere canones quinque.

Primus, Anathemati subduntur, arcenturque a Communione Corporis & Sanguinis Christi Domini, vel ad mortem, quicunque Ecclesiæ bona seu sibi vindicant, seu donant, seu accipiunt sine Episcopi venia; mandaturque, ut rei, cum pœnitentiam petierint, sortem, atque adeo triplum, aut quadruplum reddant, pro personæ qualitate, damnique ratione, quod Ecclesiæ attulerint.

2. Mandatur, ut carceribus includantur, pœnitentiam ibidem acturæ, quoad vixerint, religiosæ quæ clam defecerint, aut publice nupserint, itemque viduæ quæ depravatis moribus ipsæ sunt, suasve filias prostituunt; homines vero qui vim iisdem intulerint, ad agendam pœnitentiam, per ecclesiasticas censuras, Principum judicumque auctoritate, rogantibus Episcopis fultas adigantur.

3. Juramenta, perjuria & falsa testimonia damnantur. Horum criminum rei subibunt omnem pœnarum vim, quas veteres canones statuunt; expellentur ex ecclesia, nec eorum nomina inter fideles recitabuntur.

4. Missæ officio adsistere prohibentur, & ab omni christiana societate removentur qui rapinis dediti sunt, homicidæ & incendiarii, quique Ecclesiæ bona diripiunt, aut se impuritatis enormibus criminibus fœdant; jubenturque Episcopi se mutuo per litteras de excommunicatis commonefacere, ne quis cum iisdem communicet.

5. Qui Normanni ecclesiarum & monasteriorum plura vastaverant aut incenderant, & hinc clerici & monachi bene multi habitum deferendi, nullaque servatæ regulæ vivendi ansam arripuerant, præcipitur, ut errones hi sub suorum Episcoporum suorumque abbatum regimen & disciplinam remittant.

His canonibus Tussiacense concilium synodicam Epistolam addidit quam Hincmarus Remensis elucubravit. Ea mittitur ad eos omnes qui Ecclesiæ bonis potiti erant, ut eos tempus & rationem doceat, qua Deo bona quædam consecrata fuerant, periculumque cui eorumdem usurpatio obnoxia erat. Agnoscunt Episcopi, in eadem Epistola, electorum prædestinationem, existentiam libertatis in homine, post Adæ peccatum, sanationis in eadem per gratiam, ad bonum faciendum, necessitatem; Dei voluntatem ob omnium hominum æternam salutem, & Christi Domini mortem pro iis omnibus qui morti subsunt. Is fuit super prædestinatione disputationum finis, quæ Episcopos, Carisiacensium & Valentinorum articulorum causa, secuerant. *Ibidem.*

Concilium Romanum, ann. 862.

Summus Pontifex Nicolaus I. convocavit concilium hoc; in quo quidem eos damnavit qui ab inferis excitabant hæresin Valentini, Manetis, Apollinaris & Eutychetis, ajentium Divinitatem in Christo Domino passam esse, contra expressam doctrinam Principis apostolorum, qui nos docet Jesum Christum in sua tantum carne passum fuisse. Ad hanc doctrinam firmandam, edidit concilium canones duos quorum primus enuntiat Christum, Deum & Dei Filium, nonnisi in sua ipsius carne mortem subiisse, Divinitate passionis omnis experte, seu impassibili remanente; alteri anathema in eos omnes pronuntiat qui contrariam doctrinam tradunt.

Concilia Pistense & Suessionense, an. 862.

Rex Carolus Calvus, cum quatuor provinciarum Episcopis, Pistis in Normannia, prope Fornicis Pontem, super Ecclesiæ & Imperii malis, concilium habuit, in quo Capitulare contra prædatores edidit, jussis Episcopis congruam pœnitentiam iis qui rei comperti essent, imponere; jussis item Regis commissariis eosdem e summo legum jure punire. Hoc in concilio Rothadus Suessionensis de sententia conquestus est quam, superiore anno, Hincmarus Remensis, ejus metropolitanus, in ipsum protulerat. Contra, ejusdem confirmationem archiepiscopus petiit; ob ea Rothadus ad sanctam Sedem appellavit, universumque concilium appellationi detulit. Concilium in quo Rothadum Hincmarus Episcopali communione privavit, in ecclesia S. Crispini Suessionensis, an. 861. habitum fuit. Sequenti anno 862. in S. Medardi ecclesia celebratum concilium alterum in quo Rothadus, ejus appellatione nihil obstante, judicatus, episcopatu depositus, ac deinde intra monasterium carceri addictus fuit, Suessionensis urbis episcopo statim in ejus locum electo. Habitum eodem anno hac in urbe concilium aliud occasione matrimonii Comitem Balduinum inter & Juditham regis Caroli filiam, & Edilulfi, Anglorum regis viduam initi. Balduinus Juditham rapuerat; itaque cum ejus matrimonium legibus repugnaret, eum Episcopi qui Suessionem convenerant, æque ac Juditham quæ in raptum consenserat, communione privarunt. Rex Papæ Nicolao I. quod hoc in concilio gestum fuerat, significatum voluit; & Papa respondit se nihil in sententia contra Balduinum & Juditham edita mutaturum, quorum scilicet facinus detestabatur. *Ibidem*, & Bessinius, in *Concil. Norman.*

Concilium Aquisgranense, an. 862.

Lotharius rex id assequi volens, ut ejus cum Thietberga, Bosonis Comitis filia quam an. 856. duxerat, annoque sequenti deseruerat, matrimonium nullum declararetur, concilium hoc die 28. Aprilis an. 862. cogi jussit. Ei adfuere Episcopi octo, Guntherius Coloniensis, Theutgaudus Trevirensis, Adventius Metensis, Atto Verodunensis, Arnulus Tullensis, Franconius Tungrensis, Hungarius Ultrajectensis, & Ratoldus Strasburgensis. Suam iis Lotharius postulationem exhibuit, rogans, ut, qua ei potissimum ineunda ratio, deciderent. Mandatum Episcopis duobus, ut ipsam quæstionis vim ponderarent, an scilicet, qui conjugem deseruerat, alteram, vivente prima, ducere posset. Hi porro opinati fuere virum, ex Evangelio, non posse uxorem deserere nisi ob adulterium; eaque, in hac facti specie, dimissa, non posse aliam sibi conjugem sumere, quin ipse in adulterium incidat; nullam, in præsenti re, Lothario causam suppetere, cur Thietbergam repudiaret, quia crimen quod eidem imputabatur, antequam ea Regi nuberet, patratum fuerat; neque vero matrimonium hoc abrogari posse incestus causa, quando quidem Lotharius & Thietberga consanguinei non erant; itaque concluserunt matrimonium subsistere debere. Hæc opinio quæ cum Ecclesiæ regulis congruebat, concilium non detinuit, quod potius nullum declaravit Lotharii cum Thietberga matrimonium, novique ineundi facultatem huic Principi concessit. Hi quidem Episcopi nitebantur Ilerdensis concilii canone quarto qui idem est atque Agathensis concilii sexagesimus primus, in quo pronuntiatur eos qui incestum perpetrant, excommunicatos fore, quoad in hoc illicito matrimonio perstiterint; at secum ipsi non reputabant Thietbergam nunquam Huberto fratri nupsisse, quicum ponebatur ei pravum, ineunte ætate, commercium fuisse; adeoque canonem hunc ad rem omnino non facere. Nec magis iisdem favebat textus quem S. Ambrosii nomine protulerunt; in eo quippe dicitur continentia post editam, adulterii causa, separationem servandæ necessitatem haud eam quidem reciprocam esse, nec virum, sed feminam tantum spectare. Testimonium hoc, ut constat, perspicue ut certam ponit separationem ob adulterium quod, matrimonii tempore, patratum fuit, quod Thietbergæ accommodari non poterat. In hujus conciliaris judicii consecutionem, Lotharius solemnem

in modum Valdradam sibi conjugem sumpsit, & Reginam coronare jussit.

Romanum Concilium, an. 863.

Coegit Nicolaus I. sub initium an. 863. concilium hoc, ut repararet Legatorum erratum, quos Constantinopolim miserat, quique ad injustam patriarchæ Ignatii depositionem in concilio quod Photius, an. 861. ibidem congregandum curaverat, per ignaviam contulerant. Erant hi Legati Rodoaldus Portuensis, & Zacharias Anagniensis Episcopi. Cum Papa Constantinopolitani concilii Acta, & Michaelis Imperatoris Literas quas Leo qui a secretis erat, attulerat, legi jussisset, accitus in jus legatus Zacharias qui in medium adductus fassusque se in Ignatii depositionem consensisse & cum Photio communicasse, depositus episcopatu & excommunicationi addictus fuit. In Rodoaldum, quia nimirum aberat, procedi non potuit. Ejus causa ad ulterius concilii judicium remissa fuit. Quod vero ad Photium spectat, ejus negotium in examine positum fuit; cumque probatum esset, eum a sæculari militia ad episcopatum transiisse; vivente Ignatio, Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcha, eam sedem usurpasse; eo audaciæ devenisse, ut Ignatium ipsum deponeret & anathematizaret, sanctæ Sedis legatos corrumperet, Episcopos qui cum eo communicare nolebant, relegeret; nec desistere Ecclesiam persequi, omni Sacerdotali honore, omnique clericali functione spoliatus fuit, additis minis, ne amplius ad Ecclesiæ, Corporisque & Sanguinis Christi Domini communionem reciperetur, nisi in mortis articulo, siquidem Ignatium impediisset, quominus ecclesiam suam pacifice administraret. Gregorius pariter Syracusenus, Photii ordinator, & quicunque ab eodem Photio ordinati fuerant, omni sacerdotali officio interdicti. Quoad Ignatium, declaratum est eum nunquam fuisse depositum; mandatumque, ut Episcopi & clerici in exilium acti, aut depositi, postquam hic patriarcha expulsus fuerat, in suas sedes suasque functiones restituerentur, in eos qui obsisterent, anathematis indicta pœna. Addidit concilium, eos, si cujus criminis accusati essent, primo quidem restituendos, deinde vero judicandos, sed solum a sancta Sede. Ad extremum, confirmata est, per peculiare decretum, super imaginum cultu traditio; pronuntiatumque in Joannem, quondam Constantinopolitanum patriarcham, & in ejus sectatores, imaginum cultus hostes anathema. *R. g. Tom. XXII. Lab. Tom. VIII. Ha. A. Tom. V.*

Concilium Romanum, an. 864.

Coactum fuit in Lateranensi palatio concilium hoc a Papa Nicolao I. super ipsius Legatorum prævaricatione, in concilio quod, superiore anno 863. Metis habitum fuerat. Erant hi Legati, Rodoaldus, Portuensis Episcopus, is ipse qui Constantinopolim missus fuerat, & Joannes, Ficoclensis, seu Cerviensis Episcopus in Romandiola. Hi nimirum actui approbationis divortii Thietbergæ cum rege Lothario, & matrimonii ejusdem Principis cum Valdrade ipsius concubina, cum cæteris Episcopis subscripserunt. Gontharius Coloniensis, & Teutgaudus Trevirensis qui Romam a Lothario missi fuerant, ut Actorum Metensis concilii confirmationem a Papa peterent, hæc ei cum Aquisgranensis concilii Actis exhibuerunt; sed ea sane adeo turpes adeoque inauditas propositiones continebant, ut ii Præsules super eorumdem confessione ipsa damnati fuerint. Extat damnationis decretum in Epistola quam Papa ad omnes Galliæ, Italiæ & Germaniæ Episcopos scripsit, & in articulos quinque tributum est; in quorum primo, Romanum concilium abrogat Metense mensis Junii an. 863. quod cum Ephesino latrocinio comparat; in secundo, Teutgaudum Trevirensem & Gontherium Coloniensem omni episcopali potestate spoliatos declarat, prohibitosque nullam suæ dignitatis functionem edere, ea secus indicta pœna, fore, ut nunquam restituantur; in tertio, deponit eorumdem consortes Episcopos, exhibita nihilominus restitutionis spe, siquidem erratum suum fateantur; anathematizat, in quarto, Ingeltrudem, Comitis Mattefridi filiam, & Bosonis conjugem, quem ipsa ex annis septem circiter deseruerat; in quinto, pronuntiat in eos omnes anathema, qui apostolicæ Sedis, super Catholica Fide, ecclesiastica disciplina & morum correctione, decreta contemnunt. Altum est de Legatis duobus silentium, quia Rodoaldus, conscientiæ exprobratione turbatus, ante concilii celebrationem effugerat, eumque synodus ineauditum damnare noluit. Romam is quidem una cum Imperatore Ludovico redut, iterumque, Papa licet vetante, abiit, in alias provincias fugit, depositusque & anathemate perculsus fuit a frequente concilio quod Papa, eodem anno, in Lateranensi Ecclesia celebravit. *Ibidem.*

Concilium Romanum, an. 865.

Indixit Nicolaus I. concilium hoc, ad Novembris mensis initium, super Rothadi Suessionensis Episcopi, Regis Lotharii, patriarchæ Ignatii, Theutgaudi Trevirensis & Gontharii Coloniensis negotiis. Rotbadus, nemine qui eum accusaret, accedente, in suum pristinum statum restitutus fuit, itemque Suffredus Placentiæ Episcopus qui sua sede pulsus fuerat. Rothadum Papa Suessionam misit cum Arsenio, Hortæ in Tuscia Episcopo cui in mandatis datum, ut Rotbadi restitutionem executioni mandandam curaret, & Lotharium adduceret, ut Valdradam desereret. Theutgaudus & Gontherius quos obtinendæ restitutionis spes Romam traxerat, nihil assecuti rediere. *Ibid.* & Mansi, *Concil. Supplem. Tom. I.*

Concilium Suessionense, an. 866.

Wulfadii aliorumque clericorum quos Ebbo, Remensis Archiepiscopus, ordinaverat, depositio huic Suessionis concilio occasionem præbuit. Nicolaus Papa ad quem super hac re querelæ allatæ fuerant, cum concilii in eadem urbe an. 853. habiti Acta legisset, eos clericos haud a regulis depositos comperit. Itaque, Aprili mense ineunte, ad Hincmarum aliosque plures Galliarum Episcopos scripsit, ut Wulfadium cæterosque clericos ab Ebbone ordinatos accirent, an ne, jure, necne, depositi essent, simul expenderent, concilii in hanc rem habendi Acta ad eum mitterent, nec male haberent eos clericos qui ad sanctam sedem confugissent. Suessione concilium habitum an. 866. 18. Augusti die. Ei adfuere Episcopi triginta quinque a quorum numero erat Rothadus, superiore anno restitutus; eidem adstitit Carolus Rex. Archiepiscopus Hincmarus obtulit concilio Monumenta quatuor quorum primum ea continebat quæ in Wulfadii aliorumque clericorum quos Ebbo ordinaverat, depositione gesta erant; spectabat alterum Ebbonis depositionem quam canonice factam Hincmarus contendebat; ostendebat, in tertio, Hincmarus Wulfadium & clericos cæteros, ex indulgentia, & auctoritate Papæ restitui posse, quin id posset ad consecutionem in posterum trahi. Haud absoluta fuit quarti Monumenti lectio, quia Remensis archiepiscopus ibidem vehementius in Wulfadium invehebatur. Concilium secutum est temperamentum in tertio Monumento propositum, usumque est indulgentia cum Wulfadio & clericis reliquis, ad ejus imitationem quod actum fuerat in Niceno concilio quod eos recepit quos Meletius ordinaverat; nihil non subdens Papæ judicio; cui quidem concilii Patres, per Synodicam Epistolam, Augusti die 25. datam, eorum quæ gesserant, rationem reddiderunt. *Ibidem.*

Concilium Romanum, an. 868.

Cum patriarcha Ignatius Romam misisset Acta conciliabuli, Constantinopoli an. 866. habiti, in quo Photius eo audaciæ progressus erat, ut Nicolaum I. Papam deponeret; Adrianus II. suum esse ratus decessoris sui, Romanæque Ecclesiæ honorem ulcisci, an. 868. Concilium coegit in quo, ex Episcoporum sententia qui illud conficiebant, Photium, semel, iterum, atque adeo tertio, anathemate perculit, eaque Acta, utpote erroribus & mendaciis scatentia ad flammas damnavit; idem mandavit quoad scripta omnia quæ Photius in sanctam Sedem vulgaverat, itemque quoad ea quæ, Michaelis imperatoris jussu, confecta fuerant; proscripsitque conventicula duo quæ nequam homines in patriarcham Ignatium coegerant. *Ibidem.*

Concilium Wormatiense, an. 868.

Concilium hoc quod inter nationalia ponitur, quia Ludovicus, Germaniæ Rex, omnes sui regni Episcopos ad illud acciverit, mensis Maji die 16. an. 868. habitum fuit. Illud Præsules per longam Fidei professionem inchoarunt, in qua super omnibus Symboli articulis, & peculiariter, super Trinitate, superque processione Spiritus Sancti suam admodum perspicue mentem aperiunt. Ediderunt deinde sequentes canones quadraginta quatuor.

Primus „ Interdictio, ne Baptismus, absque necessitate, extra Paschatis, & Pentecostes tempora „ conferatur. "

2. „ Episcopi est sanctum Chrisma consecrare. "

3. „ Epi-

3. „ Episcopus, ad consecrandam ecclesiam accitus, „ ab eo cujus jussu erecta est, vel a fundatore munus exigere non debet, quod ei tamen oblatum fuerit, accipere potest. Nullam porro ecclesiam consecrare debet, quam non fundator per authenticum „ actum dotaverit, ut ei luminaria fundique suppetant quibus ad ministrorum subsistentiam opus „ est. "

4. „ Non offeretur, in altaris Sacrificio, nisi panis „ & vinum aqua mixtum. "

5. Approbatur Papæ S. Gregorii decisio in Epistola quam ad S. Leandrum Episcopum scripsit, Baptisma scilicet, seu per unam, seu per triplicem immersionem collatum fuerit, æque validum esse.

6. Declaratur episcopalium reddituum dispositionem non ad fundatores, sed ad Episcopos pertinere.

7. Mandatur, ut fiant ecclesiasticorum reddituum, oblationumque Fidelium portiones quatuor, quarum prima ad Episcopum, altera ad clericos, ad pauperes & peregrinos tertia, quarta denique ad ecclesiæ fabricam spectet.

8. „ Excerptum est canonis septimi ab Hispalensi „ secundo concilio editi qui munia statuit quæ ad „ Episcopum solum pertinent, cujusmodi sunt, virgines consecrare, altaria & Chrisma benedicere, Neophytos confirmare, pœnitentes inter Missarum solemnia publice reconciliare. "

9. „ Episcopi, presbyteri, diaconi, atque adeo „ subdiaconi continentiæ legi suberunt, secus, ea pœna plectendi, ut clericaturæ honore priventur. "

10. „ Episcopus aut presbyter, si cujus criminis „ accusati fuerint, se purgabunt, tot Missas celebrantes, quot iis imputata crimina; quod ni fecerint, „ ecclesiæ aditu, per annos quinque, secundum veteres canones, interdicentur. "

11. „ Presbyteri, fornicationis convicti, deponentur. "

12. „ Presbyteri, fornicationis accusati quidem, at „ non convicti, se jurejurando purgabunt, ex nono „ Neocæsariensis concilii canone. "

13. „ Episcopi & presbyteri levibus de causis excommunicationi neminem subdent. "

14. „ Si quis Episcopus innocentes homines, aut „ levium tantum culparum reos excommunicationi subdiderit, ejusmodi excommunicatis suam finitimi Episcopi communionem non negabunt, ad proximum „ concilium usque. "

15. „ Si in monasterio furtum contigit, nec de auctore constat, abbas, aliusve sacerdos Missam dicet, ad quam omnes communicabunt, ut, quinam „ innocentes sint, per hanc actionem, palam fiat. "

Nonnulla alia concilia præscripsere rationem hanc purgandi crimina quorum auctor ignorabatur, aut de quibus quispiam sine satis firmis probationibus accusabatur; at usum hunc, jampridem, in Ecclesia abrogavit timor, ne Christi Domini Corpus, peracta sacrilega Communione, profanaretur.

16. Excommunicantur Episcopi qui renuunt adesse concilio, vel ab eo nondum absoluto recedunt.

17. „ Si Episcopus venaticos canes aut aves alit, „ suspensus erit a suis functionibus ad menses tres; „ si presbyter, ad menses duos, si diaconus, ad mensem tantum. "

18. „ Interdictio, ne presbytero facultas detur, ut „ fungatur officio suo, nisi ei rite ac recte suppetat „ proprii Episcopi Epistola. "

19. „ Presbyteri & diaconi qui Episcopo suo parere, suorumve ordinum functiones in ecclesia sibi „ ab eo designata obire noluerint, suo gradu & communione, quoad se correxerint, privati erunt. "

20. „ Feminæ, per velum Deo consecratæ, si in „ carnis peccatum inciderint, pœnitentiæ subdentur. "

21. „ Prohibebuntur ecclesiæ aditu viduæ quæ velum deserunt, ut ad sæculum redeant. "

22. „ Iis quos, a pueritia, parentes monasteriis obtulerunt, quique ibidem e regulari disciplina educati fuere, non licet egredi, eumque statum deserere, cum ad pubertatis ætatem pervenerunt. "

23. Instauratur illud Hispanicorum conciliorum effatum, hominem, seu parentum pietate, seu sua ipsius professione, monachum fieri; eosque qui alterutra ratione ejusmodi sunt, non amplius ad civilem societatem redire posse.

24. „ Qui ecclesiasticis aut ecclesiis injuriam attulerint, excommunicationi suberunt. "

25. „ Peccatorum criminibus presbyteri congruas „ pœnitentias imponent, temporum, locorum, ætatis, „ doloris & qualitatis pœnitentium ratione habita. "

26. „ Quicumque presbyterum occiderit, ad eam „ pœnam damnabitur, ut a carne, a vino, ab armorum gestatione, a vectationibus denique abstineat. „ Jejunabit quotidie, festis & dominicis diebus exceptis. Interdictus eidem erit ecclesiæ aditus ad annos quinque. Consistet flexis genibus, ad ecclesiæ januam, divinorum Officiorum & Missæ tempore. „ Elapsis his annis quinque, in ecclesiam ingredietur, sibique locum inter auditores sumet; at ei non „ licebit ad Communionem accedere; hæc ei gratia „ non nisi post pœnitentiæ annum decimum concedetur; & jejunare perget ter in hebdomada, quoad „ omnino reconciliatus fuerit. "

27. „ Homicidarum publicæ pœnitentiæ subditur „ qui, odii aut avaritiæ causa, paganum occidit. "

28. „ Qui, insanus effectus, quempiam occidit, „ pœnitentiæ addicetur, quia fieri potuit, ut morbus „ hic ei contingeret ob aliquod occultum peccatum „ quod patraverit; at ejus pœnitentia levior erit quam „ quæ imponeretur homini qui, sanæ mentis cum esset, alium occiderit. "

29. „ Si quis, arborem amputans, hominem interimit, vel data opera, vel ex negligentia, tamquam „ homicida punietur; non item, si casu.

30. „ Parricidæ & fratricidæ transigent annum in „ prece ad ecclesiæ fores, itemque annum inter auditores; tum vero communicare poterunt; at carne „ non vescentur, jejunabuntque ad Nonam usque, „ quoad vixerint, festis & dominicis diebus exceptis; „ tribus per hebdomadam diebus a vino abstinebunt; „ non arma deferent nisi in ethnicos, suaque omnia „ itinera pedibus agent. Hanc pœnitentiam Episcopus „ augere vel imminuere poterit. "

31. „ Leprosi admittentur ad Communionem Corporis & Sanguinis Christi Domini; non tamen iis licebit cum iis comedere qui bene valent. "

32. „ Non id sumetur, ut statuatur filiorum numerus qui ex matrimonio suscipi potest; at deciditur matrimonium inter consanguineos iniri non „ posse. "

33. „ Qui incesta patrarunt, conjugium, peracta „ pœnitentia, si minus continentiam servare possint, „ inire poterunt. "

34. „ Qui carnis peccatum cum commatre aut filiola patraverit, excommunicatione plectetur. "

35. „ Damnantur ad homicidarum pœnas feminæ „ quæ ipsæ sibi sunt abortus causa; ad leviores autem „ pœnas, quæ dormientes, nihilque tale cogitantes, „ infantibus spiritum intercludunt. "

36. „ Qui cum sororibus duabus, aut cum puella „ concubuit quam ejus uxor e priore toro suscepit, „ communione, trium annorum spatio, privabitur. „ Jejunabit diebus singulis, dominicis festisque diebus „ exceptis; prorsusque nec carnem comedet, nec vinum bibet. Eadem pœnitentia statuitur ob incestum „ filiæ cum patre, aut matris cum filio. "

37. „ Non separabuntur conjugati, tametsi pœnitentiæ subsint. "

38. „ Herus qui sua privata auctoritate captivum „ suum interfecerit, pœnitentiæ suberit ad annos „ duos. "

39. „ Septem annorum pœnitentia imponetur feminæ quæ famulam ita percusserit, ut proinde intra „ triduum occumberet, si id dedito consilio fecit; & „ annorum quinque tantum, si ancilla mortua quidem „ est tertio post die quam ictus eidem inflicti fuere, „ sed casu, & quin dominæ id consilii esset. "

40. „ Episcopus qui, cum cognitione, servum ordinaverit, inscio domino, huic solvet duplum pretii „ quod servus valere potest; at si servi conditionem „ Episcopus ignoravit, summa hæc solvetur ab iis qui „ testimonium pro eo reddiderunt. "

41. „ Excommunicationi subdentur qui in simultate cum aliquo sunt, & in gratiam redire nolunt, aut ita veteres lites protrahunt, ut easdem finire nolint. "

42. „ Interdictio, ne quis damnetur, quin e juris „ formis convictus fuerit. "

43. „ Qui in publicorum hostium jus ditionemque „ concesserint, excommunicatione plectentur, bonisque „ spoliabuntur ad mortem usque. "

44. „ Adulteri pœnitentiam agent per annos septem. "

Exemplaria non desunt, in quibus canones præterea triginta sex, ad horum calcem, tamquam ad idem concilium pertinentes occurrunt; at potiora exemplaria non habent nisi hos quadraginta quatuor quos hactenus exscripsimus. Et sane, qui quadragesimum quartum sequuntur, id, plerumque, solum repetunt quod in præcedentibus dictum est, ac sæpe quidem iisdem verbis.

Concilium Constantinopolitanum, VIII. generale, anno 869.

Cum Basilius imperator, an. 868. ad Papam Adrianum II. deputatos misisset, ut Romane Ecclesie gratias agerat, que Constantinopolitanæ Ecclesiæ schisma extinxisset; Adrianus misit, & ipse, Constantinopolim legatos tres quos jussit ibidem concilium cogare, ut gravia plora negotia in ordinem redigerentur, imprimis vero ut extrama redintegrationi manus imponeretur. Erant hi legati Donatus Ostiensis Episcopus, Staphenus Episcopus Napetanus, & Marinus, e septem Romanæ Ecclesiæ diacoois unus. Iis Papa tradidit Epistolas duas, in rasponsionem ed aas quas acceperat, eb Imperatore Basilio unam, & a patriarcha Ignatio altaram. Legati, cum 24. Septembris die, Constantinopolim pervenissent, concilium, ad 5. Octobris diem, In Sanctæ Sophiæ Ecclesia, indixerunt. Exposita ibidem fuerat vera Crux, nec oon Evangeliorum Liber. Legati primas tanuera; tum sedit Ignatius, Constantinopolitanus patriarcha; sedere deinceps aliorum Orieotis patriarcharum daputati; Alexandrinus patriarcha neminem misit. Episcopi duodecim qui male habiti propterea fueraut, quia Ignstii defensionam susceperant, sibi locum pro cujusque gradu sumpserunt; undecimqoe e præcipuis Aulæ officiariis ibidem, Imperatoris jussu, adiuerunt. Habitæ sunt sessiones decem.

SESSIO PRIMA.

In hac sessione quæ 5. Octobris die habita fuit, patricius Bahanes Imperatoris ad concilinm sermonem a secretario lectum voluit. Lectæ dcinde Pepæ Epistolæ duæ, ad Imperatoram una, ad patriarcham Ignatium altara, Theodosii, Hierosolymitani patriarchæ Epistola ad Ignatium missa, redintegrationis, seu, conciliationis formula, a Legatis allata, aa ipsa scilicet quæ a Papa Hormisda ad instaurandam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consensionem an. 519. missa fuerat, nisi quod hæreseon & personarum &c. nomioa mutata erant.

SESSIO SECUNDA.

Habita fuit 7. Octobris die. In hac primo loco recapti Episcopi decem qui sub Photio prævaricati fuerant. Ingrassi sunt, manu tenentes libellum confessicnis arrati quod in patriarcham Ignatium patraverant, cujusque lectio luculenter ostendit eos non nisi suppliciorum metu quibus Photius suos omnes adversarios afficiebat, ejus partes amplexos esse. Eos concilium recepit, postquam satisfactionis formulæ quam Legati Roma attulerant, subscripserunt; tum vero pro suo singuli gradu sibi locum sumpserunt. Recepit, eadem conditiona, concilium presbyteros undacim, diaconos novem, & subdiaconos saptem qui a Methodio, vel ab Ignatio ordinati luerant, at deinda ad Photium abieraot. Sui cuique Ordinis redditus honos; tum patriarcha Ignatius pœnitantias quas iis imponebat, elata voce, legi jussit.

SESSIO TERTIA.

In hac sessione quæ in undecimam Octobris diem incidit, cum Episcoporum nonnolli formulæ Roma allatæ subscribera ooluissent, legi jusse imperatoris Basilii & patriarche Ignatii ad Nicolaum Papam Litteræ, & Adriani Papæ ad hunc patriarcham rasponsio.

SESSIO QUARTA.

In hujus sessionis, dia 13. Octobris habitæ exordio extitit contentionis aliquid super Episcopis duobus a Mathodio ordinatis, sed adhuc cum Photio communicantibus. Hi Episcopi quorum uni *Theophilo*, alteri *Zacharia* nomen, cum formulæ subscribere ooluissent, cujos professiona adigabantur, cujus catbolicam Fidem defenderent, & Romanæ Ecclesiæ judicium in rebus omnibus saquerentur, a concilio ejecti iu quod admissi fuerant.

SESSIO QUINTA.

Perductus fuit, suis ingratiis, Photius ad sessionem hauc quam 19. Octobris dies attulit. Ex eo Legati quæsiera plura ad quæ nihil is responsi dedit, nec magis ad deputarorum Orientis quæsita respondit; quod io cause tuit, ut, alata voce, Litteræ quas in hauc rem Romaoa Ecclesia tam ad Michaelem Imperatorem, quam ad Photium ipsum miserant, lagerentur. Harum Litterarom absoluta lectione, Elias, Theodosii, Hierosolymitani patriarchæ deputatus, dixit, cæterorum Orientis deputatorum nomine, se qoidem, cum ex annis septem in Hiarosolymitana ecclesia Syncelli functiones agerat, testari posse eam ecclesiam nullas Photii Litteras accepisse, itemque nullas ad eum misisse, & quoad Antiochenam ecclesiam, perinde se rem babere; Photium propteraa damnatum esse, quod eum nulla patriarchalis ecclesia receperat, ob eamque pariter causam, quod, vi, Constantinopolitanæ sedis potitus tuerat. Ea fuit sermonis Eliæ conclusio, oportere Photium agnoscera peccatum suum, ejusqua ex animo pœnitere, aa spe, fore, ut tamquam purus putusque fidelis in Ecclasiam reciperatur. Sensit cum Lagatis concilium, quin novum judicium in Photium pronontiaretur, illud teneri posse, Summi Pontifices, Nicolaus ediderat, & Adrianus confirmaverat. Photius a patricio Bahana, ut se purgaret, extimulatus respondit; „ Meæ purgationes in hoc mun„ do non sunt; si in hoc mundo essent, eas videre„ tis: “ Io causa fuit responsio hæc, ut crederatur ei mantem turbatam esse; ac proinde rmissio datum tempus, ot de sua ipsius saluta cogitaret.

SESSIO SEXTA.

Adfuit Basilius Imperator sessioni huic, Octobris die 25. celebratæ, mandavitque lectionem Monumenti Legatorum Papæ, in quo totius negotii quod occasionem concilio præbuerat, narrationem paucis edebant, concludebantque, cum tota Ecclesia in ea esset sententia, ut Photius rejiceretur, inutile fore ejus fautores audiri; qoi tamen ingredi jussi sunt; iisque præsentibus, lectæ Nicolai I. ad Imperatorem Michaelem & ad Photium Litteræ; dainde Elias, Hierosolymorum Syncellus id retulit quod in Ignatii depositione, & in Photii ordinatione contigerat; oixasque exemplo secundi Constantinopolitani concilii, sub Imperatore Theodosio, in quo Maximus Cinicus cum iis omnibus quos ordinaverat, rejectus fuerat, quin ii a quibus ipse ordinatus fuerat, rejicerantur, a se quidam dixit Episcopos non damnari qui Photii ordinationi interfuerant, quia eos, ot ita se gererent, Imperator adegerat; sed damnari Gregorium unum Syracusanum, ejus ordinatorem, malto jam ante depositum, Ejus sermonem secuta ast Episcoporum submissio, qui a Photiu stataraut, iisque concilium vaniant concessit.

Non periode res babuit quoad Episcopos quos Photius ordinaverat. Hi nimirum auctoritati Papæ rafragati sunt; atque ut ostenderent noo semper ejus rationem haberi, attuleruot exempla, tum Marcalli Ancyrani qui licet a Papa Julio & a Sardicensi concilio receptus, eo tamen ipso tempore, tamquam hæreticus anathemati suberat; tum Apiarii qui a Romæ Episcopis purgatus, ab Africeno coocilio rejectus fuit; contenderuntqua, tametsi Photius e laicorum numero eductus affat, non eum proinde damnari posse; Tarasium pariter, Nicepborum, Nectarium & Ambrosium e laico statu sumptos fuisse, ut ad episcopatum promoverantur; per Gragorii Syracusani depositionem, Photii ordinationem haud nullam reddi; quamvis Petrus Mongus a Prætorio depositus tuisset, id tamen non obsuisse, qui in Alexandrinum patriarcham, post Timotheum eligeretur; eorumque nullum, quos ipse ordinaverat, damnatum fuisse. Addidere: si quis nos canon deponit, acquiescimus, & non aliter.

Metrophanes. Smyrneosis, raspondit eos, cum Nicolaum Papam sibi judicem petierint, non amplius racipi posse, ut de ejus judicio conquerantur, quia facus nullum unquam certum judicium foret, cum nemo judicium approbet quod eum damnat; quoad laicos quos ad episcopalem dignitatem evectos tuisse dicebant, eorum inter & Photii electiooem multum discriminis intaresse; Nectarium scilicet a generali concilio & a patriarchis alectum ordinatumque Constantinopolitanum patriarcham, quin Imperator seu electoribus seu ordinatoribus vim ullam interret, aut ex aa seda quispiam qui eam tenerat, axpelleretur; in Sancti Ambrosii ordinatione eidem libertati locum fuisse; Tarasium, a Pauli, decessoris testimonio, catholicorumque Episcoporum consensu, oulla vi facta, electum fuisse; Nicephorum libera ab Episcopis qui convenerant, ordinatum; contra, a Photio patriarcham Ignatium expulsum asse, ut ejus sedem ipse usurparet; Episcopos qui eum ordinaverant, id imperiali auctoritate adactos fecisse, eumdemque a patriarchalium cathedrarem nulla prorsus agnituoi fuisse; quod si Marcellus Ancyranus, postquam a Romana Ecclesia receptua fuerat, anathema deiode subierat, id propterea factum, quia ad hæresin quam sub Papa Julio anathematizaverat, revarsus erat; Africanum concilium,

Papæ

Papæ Zosimi, quoad Apiarium, decreto detulisse, nedum obstitisse, satis habens ejus presbyteri interdictionem ad Sicquensem ecclesiam redigere, in qua nempe scandalum excitaverat; quod si Episcopi quos Petrus Mongus ordinaverat, depositi non fuere, id ad rem præsentem minime facere; cum hæreticos qui ad Fidem redierunt, canones ab iis secernant, qui ab usurpatoribus ordinati fuerunt. Zachariam, Episcoporum unum quos Photius ordinaverat, quique objecta proposuerat, ad Metrophanis responsa replicare volentem Legati impedierunt; eique ac cæteris Episcopis a Photio ordinatis Imperator dies septem, ad suum postremum consilium sumendum, dedit.

SESSIO SEPTIMA.

Huic quoque sessioni, Octobris die 29. habitæ Imperator interfuit. Ad eam venit & Photius, renuitque suum abjurationis libellum tradere. Idem fecere qui ab eo erant, Episcopi qui nec Photium ipsum ejusque conciliorum Acta rejicere, nec Gregorio Syracusano anathema dicere, nec patriarchæ Ignatio se subdere, nec Romanæ Ecclesiæ decreta exequi voluerunt. Lecta est postrema ad Photium ejusque asseclas monitio, eo spectans, ut, sub anathematis pœna, ad subeundum concilii judicium promoverentur; in eosdemque anathemata, quorum minæ inutiles fuerant, pronuntiata.

SESSIO OCTAVA.

In hac sessione quæ die 5. Novembris habita, promissorum saccus, quæ Photius a clero, & ab omnis conditionis laicis exegerat, Libri quos in Nicolaum Papam cuderat, & conciliorum quæ in patriarcham Ignatium coegerat, Acta flammis addicta. Tum ingredi jussi qui Photii contra Nicolaum Papam concilio interfuerant, qui contra Romanam Ecclesiam libellos ediderant, qui denique, Legatorum titulo, in eodem concilio prodierant; cumque interrogati fuissent, compertum est eorum nullum ei concilio adfuisse, vel Acta cognoscere quæ, per ejusmodi examen, suppositionis convicta fuere. Hujus fallaciæ detectio Papæ Legatos impulit, ut Lateranensis concilii, an. 649. habiti postremum canonem qui contra falsarios est, lectum vellent. Lectum est etiam Nicolai Papæ, super imaginum cultu, decretum, in Romano an. 863. concilio editum. Iconoclastarum aliqui qui in concilium ingredi jussi sunt, errorem suum abjurarunt, suosque antesignanos, & nominatim Theodorum cognomento *Crithinum* anathemate perculerunt. Lectum deinde, concilii nomine, solemne in Iconoclastas, in eorum pseudo-concilium, & in eorumdem duces & magistros anathema; & in Photium anathemata repetita.

SESSIO NONA.

Michaelis, Alexandrini patriarchæ, deputatus interfuit sessioni huic quæ non nisi Februarii die 12. anno 870. habita fuit. Ad examen vocati qui falsum testimonium in patriarcham Ignatium tulerant; iisque imposita pœnitentia. Peculiarem quoque pœnitentiam Marino, Basilio & Georgio, Michaelis imperatoris scutariis concilium imposuit, qui, in ecclesiasticarum cæremoniarum derisionem, sacerdotalibus vestibus indutii, sancta Mysteria repræsentaverant. Photii pseudo-legati iterum prodire jussi, ut ejus mendacia Josepho, Alexandrini patriarchæ deputato innotescerent, qui sessioni octavæ in qua se iidem in conspectum dederunt, non adfuerat. Se legatorum personam agere coactos iterum fassi sunt; iisque ob vim quam passi fuerant, errati concessa venia.

SESSIO DECIMA.

Adfuit huic sessioni, die 28. Februarii habitæ Basilius Imperator, Constantino filio, & patriciis viginti comitantibus. Eidem adfuere oratores quos miserant Ludovicus, Italiæ & Galliæ Imperator, & Michael Bulgariæ rex. Erant Episcopi supra centum. In hac lecti qui sequuntur, canones viginti septem.

1. & 2. Servabuntur tam generalium quam particu„ larium conciliorum canones, & a sanctis Patribus „ transmissa doctrina, itemque conciliorum decreta „ quæ Summi Pontifices Nicolaus & Adrianus, su„ per Ignatii restitutione & Photii expulsione celebra„ runt. „ ad prototypa, ad Christum ejusque Sanctos scilicet, „ referatur. “

Revocandum in mentem est, per *adorationis* vocabulum, apud Græcos usitatum, hoc loco non latriæ quæ uni Deo debetur, sed observantiæ & venerationis cultum solummodo significari.

4. „ Cum Photius nunquam Episcopus fuerit, om„ nes ab eo peractæ ordinationes nullæ & irritæ cen„ sebuntur; rursusque, quas is consecravit, ecclesiæ „ consecrabuntur. “

5. „ Renovantur veteres canones qui vetant, ne ad „ episcopatum evehatur quicunque hoc consilio cleri„ calem aut monasticum habitum sumpserit; tametsi „ per ministerii gradus singulos ductus esset. At, si „ quis inter clericos aut monachos, rectis de causis, „ nulloque ambitionis aut lucri animo nomen dederit, „ per anni spatium lector, post biennium subdiaco„ nus, post triennium diaconus, & post quadriennium „ sacerdos fiet. “

Quamvis hoc probationum tempus decennale esset, concilium tamen reddebat brevius a veteribus canonibus præscriptum spatium, ob ejus pietatem quam promoveri lubebat.

6. „ Anathema Photio, propterea quod falsos Orien„ tis legatos, & falsa acta contra Nicolaum Papam „ supposuit, iisque omnibus qui, in posterum, ejus„ modi fraudibus usi fuerint. “

7. „ Quamvis e re sit sanctas imagines pingi, divi„ nasque & humanas scientias doceri; pax tamen et„ iam est id ab iis tantum qui sapiunt, fieri; quam„ obrem concilium eos omnes quos excommunicationi „ subdidit, vetat, quoad resipuerint, imagines pinge„ re & docere. “

Hujus canonis prima pars Gregorium Syracusanum impetit, qui pictor erat; altera Photium qui litteras docuerat.

8. „ Interdictio, ne quis e patriarchis ab Episco„ pis, ordinationis eorumdem tempore, quicquam „ præter consuetam fidei professionem exigat. “

9. „ Nulla declarantur omnia promissa quæ Photius „ ab iis exegit quos litteras docebat; & ab aliis quos „ sibi devincire volebat. “

10. „ Nemo a suo se Episcopo separabit, quin hic „ juridice damnatus fuerit; eademque erit, quoad me„ tropolitanum aut patriarcham, Episcopi ratio; id„ que sub pœna depositionis in clericos & episcopos, „ atque excommunicationis in monachos & laicos. “

11. „ Quicunque duas in homine animas esse con„ tendit, anathema sit. “

Error hic tribuitur Photio in versiculis qui leguntur ad nonæ sessionis calcem.

12. „ Interdicitur, ne episcopi per auctoritatem jus„ sumque Principis ordinentur, in eos depositionis sta„ tuta pœna, qui tyrannica hac ratione ad episcopa„ tum pervenerint, cum evidens sit eorum ordinatio„ nem non a Dei voluntate, sed a carnis desideriis „ derivari. “

13. „ Ab inferiore ad superiorem gradum extollen„ tur magnæ ecclesiæ clerici, in servitii ab iisdem „ præstiti compensationem, si bene se gesserint; nec in „ clerum admittentur qui procerum domos aut prædia „ administraverint. “

14. „ Qui ad episcopatum evecti sunt, non eum „ depriment, ab ecclesiis suis recedentes, ut Præsidi„ bus obviam procedant; multo minus se ipsi demit„ tent, equo descendentes, iisque se prosternentes; „ sed viris principibus debitum honorem exhibentes, „ necessariam ad eos, cum opus fuerit, arguendos au„ ctoritatem servabunt. “

15. „ Ecclesiarum nec supellectilem nec ornamen„ ta, nisi ob causas in canonibus recensitas, nec ter„ ras vendere, nec earumdem redditus in emphyteu„ ticis locationibus ponere poterunt; sed contra, de„ bebunt ecclesiæ possessiones meliores reddere, qua„ rum proventus ministrorum sustentationi & paupe„ rum solatio inserviunt. “

16. „ In laicos, cujuscunque conditionis fuerint, „ interdictio, ne sibi capillos attollant, ut clericos „ imitentur; ne sacerdotalia indumenta gestent. Ec„ clesiæque cæremonias simulent, secus, ea pœna ple„ ctendi, ut Sacramentis priventur. Ad patriarchas „ eorumque suffraganeos mandatum, ut ejusmodi im„ pietates impediant, depositionis in eosdem statuta „ pœna, si forte tolerantiæ aut negligentiæ rei fue„ rint. “

Eos spectat canon hic, qui Ecclesiæ cæremonias, imperatoris Mich[illegible] simulaverant. Quo iis hoc

17. „ Erit in patriarcharum potestate, concilia, „ prout res tulerit, convocare, & ad ea metropolitanos qui ad ipsorum ditionem spectant, accire, quin „ hi se eximere possint, prætexentes se ab aliquo „ Principe retineri. “ Et sane, terrarum Principes, cum ipsi pro arbitratu cœtus habent, patriarchas, ne suos & ipsi conventus celebrent, & episcopos, ne iisdem intersint, de Ecclesiæ negotiis agendi causa, citra impietatem impedire non possunt.

18. „ Ecclesiæ, quique iis præsunt, fruentur bonis „ & privilegiis quorum possessione post annos triginta gaudent; interdictio, ne quis e laicis eos iisdem spoliet, sub anathematis pœna, ad eorumdem bonorum & privilegiorum restitutionem usque. “

19. „ Prohibentur pariter archiepiscopi se, visitationis specie, ad suffraganeos conferre, ut, absque „ necessitate, apud eos commorentur, ecclesiarumque „ quæ ex eorum jurisdictione sunt, proventus consumere. “

20. Si censitarius emphyteuticus neglexerit, per annos tres, censum de quo convenit, Ecclesiæ solvere, consugiet Episcopus ad urbis seu regionis judices, ut terram, aut possessionem in emphyteusi relictam reddi jubeant.

21. „ Patriarchæ quinque ab omnibus, ab iis ipsis „ qui dominorum potentissimi sunt, honore afficientur; id nemo sibi sumet, ut eos suarum sedium „ possessione spoliet; nihil contra honorem fiet qui „ iisdem debetur; nemo scribet in Papam, jactatæ „ alicujus accusationis obducta causa, quod facere „ Photius, & ante eum Dioscorus ausi sunt. Si qua „ forte, nihilominus, difficultas in generali concilio „ contra Romanam Ecclesiam suborta fuerit, proponetur quæstio cum observantia, in eumdemque modum finietur. “

22. „ In laicos potentes interdictio, ne ad Episcoporum electionem accedant, nisi ad eam ab ecclesia vocati fuerint, aut canonicæ electioni obluctentur, in anathematis pœnam, quoad huic electioni „ assensi fuerint. “

23. „ Non licet Episcopo alterius ecclesiæ terras sibi, locationis titulo, sumere, aut clericos ibidem statuere, sine Episcopi diœcesani consensu. “

24. „ Metropolitani non poterunt suos ad se suffraganeos accire, ut iis episcopales functiones demandent, ipsi vero interim temporalibus negotiis se dedant; sed id agent quod eorum muneris est, aliter, a patriarcha puniendi, aut, si reciderint, deponendi. “

25. Episcopos, presbyteros, diaconos aliosque clericos a Methodio vel ab Ignatio ordinatos qui pertinaciter a Photio perstiterint, sine restitutionis spe, concilium deponit.

26. Clerico qui suo ab Episcopo depositus, aut male habitus fuerit, ea facultas tribuitur, ut, per appellationem, apud metropolitanum, aliosque catholicæ Ecclesiæ superiores judices sibi prospiciat.

27. Jussi ecclesiastici & monachi, in quaque provincia, vestibus singulorum statui respondentibus uti.

Post horum canonum lectionem, metropolitani duo, eodem tempore. Fidei definitionem, Nicænæ similem, at longe distinctius enucleatam legerunt. In ea dicitur anathema Ario, Macedonio, Sabellio, Nestorio, Eutychi, Dioscoro, Origeni Theodoro Mopsuesteno, Dydimo, Evagrio. Sergio, Honorio, Cyro Alexandrino, denique Iconoclastis. Recipiuntur deinde generalia concilia septem, & inter ea refertur hoc ipsum, tamquam octavum conficiens; tum sententia a summis Pontificibus Nicolao & Adriano in Photium edita confirmatur. Romani Legati omnium primi subscripsere; proxime, post eos, subscripsit patriarcha Ignatius, deinde vero Orientis Legati; & post Imperatores, Basilius, archiepiscopus Ephesinus, cæterique deinceps Episcopi, numero centum & duo. Monet Anastasius Bibliothecarius admirationi esse tam exiguum numerum non debere, quia Photius Episcoporum plerosque qui ab ejus decessoribus ordinati fuerant, deposuerat, aliosque in eorum locum induxerat, qui tamquam Episcopi in hoc concilio spectati non fuerunt. Qui ad illud admissi sunt, a præcedentibus patriarchis consecrati fuerant. In patriarchæ Ignatii vita quam Nicolaus contexuit memoriæ proditur Episcopos subscripsisse. non simplici atramento, sed postquam Servatoris Sanguine calamum imbuerant. Idem egit Theodorus Papa, cum Pyrrhi depositionem scripsit.

Nobis suppetunt, concilii nomine, synodicæ Epistolæ duæ; encyclica una quæ eorum quæ ibidem gesta, narrationem continet, jussis omnibus Ecclesiæ filiis judicio se subdere quod in eo cœtu editum fuit; ad Papam Adrianum altera in qua Episcopi texunt ejus Legatorum elogium, quorum se judicium secutos ajunt. Hujus octavi concilii Acta quidem integra non habemus nisi in latina eorumdem versione quam Anastasius Bibliothecarius, Ludovici imperatoris oratorum unus edidit, Adriani Papæ jussu, ex græci autographi exemplo quod ipse, circumspectionis ergo, Romam attulerat, græco autographo ipso Actorum concilii ab Illyricis capto, in quorum manus, Romam redeuntes Legati inciderunt. Græca porro Acta, ad Anastasii versionis calcem impressa non nisi eorum compendium sunt, in quo autographi abscissa plura. Anastasius suæ versionis fronti longam Præfationem apposuit, in qua Photiani schismatis, conciliique hac occasione habiti, susceptæ a Bulgaris fidei, & collationis historiam texit, quæ triduo post concilii finem habita, ut statueretur, utri ecclesiæ, Romanæ, an Constantinopolitanæ Bulgari subderentur; quod ab Orientis deputatis in Constantinopolitanæ ecclesiæ favorem, contra Romanorum Legatorum sententiam, decisum fuit. *Reg. Tom. XXII. Lab. Tom. VIII.*

Concilium Vermeriense, an. 869.

Habitum fuit concilium hoc, Caroli regis jussu, Aprilis die 24. an. 869., ut Hincmarus, Laudunensis Episcopus quem injustitiæ & violentiæ clero & populo invisum reddiderant, judicaretur. Adfuere cœtui Episcopi undetriginta; & Hincmarus Remensis, Laudunensis hujus patruus, tamquam provinciæ metropolitanus præfuit.

Laudunensis Episcopus, oppositis accusationibus implicatus ad Papam appellavit. & Romam eundi veniam petiit; quæ quidem negata; at inchoata in eum acta suspensa. Concilium monasteriorum trium cum Charruxiensi unionem, Carolo rege annuente, jam editam confirmavit. Hic Princeps, audita Lotharii regis morte, se Lotharingiæ regem coronandum curavit in septem Episcoporum concilio, die 5. Septembris, ejusdem an. 869. Metis habito. Hincmarus Remensis super ejus fronte sancti Chrismatis unctiones edidit; at ei Episcopi reliqui coronam imposuerunt, palmamque & sceptrum dederunt. *Ibid.*

Concilium Attiniacense, an. 870.

Carolus Rex cui non probabatur Carolomani filii cui puero clericalem tonsuram collatam voluerat, agendi ratio, eum, tamquam clericum, ab Episcopis judicatum volens, concilium hoc mense Majo coegit, cui adfuere triginta e decem provinciis Episcopi, cum sex Archiepiscopis, Hincmaro Remensi, Remigio Lugdunensi, Harduico Vesontionensi, Wulfado Bituricensi, Frotario Burdegalensi, & Bertulfo Trevirensi. Carolomanus, conjurationis in Regem patrem, aliorumque criminum plurium convictus, Abbatiis quas numero plures possidebat, spoliatus, & Silvanecti in carcerem trusus fuit. Hincmarus Laudunensis, in Regem, & in patruum qui ejus metropolitanus erat, inobedientiæ, in eodem concilio, accusatus imminentem sententiam vitavit, per oblatum libellum declarans se in posterum, pro sui ministerii ratione regi Carolo fidelem & dicto audientem fore, prorsus ut domino subditus, & Regi Episcopus esse debet; Hincmaro quoque, metropolitano suo, secundum canones & sanctæ Sedis decreta per canones approbata, obsecuturum. Hujus libelli ope, cui coram omnibus ipse subscripsit, ei pacis osculum Rex & Remensis archiepiscopus obtulerunt. *Ibid.*

Concilium Duziacense, an. 871.

Concilium hoc quod Augusti die 5. an. 871. habitum fuit, e prælatis uno & viginti, Episcopis tredecim, & Archiepiscopis octo conflatum erat. Ei præfuit Hincmarus Remensis, & Carolus Rex adfuit ipse per se. Princeps hic Monumentum obtulit suas de Hincmaro Laudunensi querelas continens. Alterum Archiepiscopus Remensis exhibuit. Insistebat Rex conquerens Hincmarum Laudunensem ei fidem fregisse, perduelliones excitasse, ejus subditorum bonis, per facti vias, potitum esse, in eum calumnias apud Papam struxisse, ei denique armata manu obstitisse. Archiepiscopi querelæ, maxima ex parte, suarum jussionum suæque auctoritatis contemptu continebantur. Hincmarus Laudunensis concilio se stitit, in eoque, ipsius ad sanctam Sedem appellatione nihil obstante, depositus fuit; & Hincmarus Remensis, tamquam concilii præses, sententiam pronuntiavit in hæc verba: „ Eum „ ego honore ac dignitate episcopali privatum, omnibusque sacerdotalibus functionibus spoliatum judico, salvo omnino & integro remanente patris nostri

„ Adria-

„ Adriani, primæ apoſtolicæ cathedræ Papæ jure, pro „ ut Sardicenſes canones ſtatuerunt. “ Proceſſus in Hincmarum Laudunenſem acta concilium ad Papam Adrianum miſit cum ſynodica Epiſtola in qua geſtorum confirmationem ab eo petit, enuntians ſe ad ejus Epiſcopi depoſitionem non alia de cauſa, quam quod ejus ad officium reducendi adjumenta deerant, confugiſſe. Rogat quoque Papam concilium, ut, ſi ei forte libuerit perficere, ut cauſa hæc iterum judicetur, ejus judicium ad loca remittat; interim vero Sacerdotali communione privatum Hincmarum Laudunenſem remanſurum. Synodicæ Epiſtolæ adſcripta eſt dies 6. Septembris an. 871. Actardo Nannetenſi, electo Archiepiſcopo Turonenſi in mandatis datum, ut eam cum concilii Actis ad Papam perferret. Tribuuntur hæc in partes quinque; continent priores tres accuſationis in Laudunenſem Epiſcopum capita; proceſſum in eumdem quarta; concilii Synodicam Epiſtolam quinta, eamque quam Hincmarus Remenſis, privatim, ad Papam ſcripſit. *Ibid.*

Concilium Cabillonenſe, an. 873.

Maji die 21. habitum eſt concilium hoc, in quo actum de S. Laurentii eccleſia quam Canonici S. Marcelli repetebant, ajentes eam ſibi a Regibus qui ejuſdem fundatores erant, donatam fuiſſe, deinde vero a Cabillonenſibus Epiſcopis uſurpatam. Concilium in hanc ipſam eccleſiam convenit, eamque canonicis S. Marcelli reddendam decrevit. Conſlatus erat cœtus ex Epiſcopis quinque, chorepiſcopo uno, abbatibus, monachis, presbyteris, diaconis & archidiaconis, præſide Remigio, Archiepiſcopo Lugdunenſe. *Reg. Tom. XXXIV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Concilium Colonienſe, an. 873.

Willebertus, ſeu, Guillebertus, archiepiſcopus Colonienſis, Archiepiſcopis Trevirenſi & Moguntino, & Saxoniæ Epiſcopis adſiſtentibus, præfuit concilio huic quod 26. Septembris die habitum fuit. In eo peracta eſt cathedralis eccleſiæ dedicatio, & confirmata Gontherii qui Guillebertum præceſſerat, ſtatuta, ut nempe Canonicis ad ſubſiſtendum eſſet bonorum ſatis; ut ſuorum ipſi præpoſitorum libera electione gauderent, quin ei Archiepiſcopus intereſſet; ipſique pariter, eo inconſulto, quicquid ad eorum monaſteria pertinebat, ſtatuere poſſent. *Ibid.*

Concilium Duziacenſe, an. 874.

Convocavit rex Carolus concilium hoc ad quod plurium provinciarum Epiſcopi convenerunt. In eo data eſt opera, ut impediretur, ne inceſtuoſa matrimonia, & eccleſiaſticorum bonorum uſurpationes ulterius progrederentur. Oſtendit concilium, in ſynodica Epiſtola ad Aquitaniæ Epiſcopos miſſa, eos qui in prohibitis conſanguinitatis gradibus matrimonia contrahebant, indulgentia fruſtra niti, quam Anglis, cum primum Fidem amplexi eſſent, S. Gregorius conceſſit, quandoquidem ſanctus hic Pontifex eam indulgentiam coarctaverat, addens, eos, cum in Fide firmati eſſent, conſanguinitatis rationem ad ſeptimam uſque generationem habituros, cum, initio quidem, iis veniam dediſſet, ut in quarto ac tertio conſanguinitatis gradu matrimonium inirent. Affert concilium in has illicitas conjunctiones decreta plura, inter alia, Romani concilii, ſub Papa Gregorio II. concilii Agathenſis, & Papæ Siricii ad Himerium, Epiſcopum Tarraconenſem; Epiſtolæ. Quoad uſurpatores bonorum Eccleſiæ, id exſcribit quod in eos, an. 860. Tuſiacenſis concilii Epiſcopi dixerant. *Ibid.*

Concilium Remenſe, an. 874.

Habuit Hincmarus, menſe Julio, concilium hoc, in quo edidit pro ſuæ diœceſis presbyteris articulos quinque.

Primus afficit rurales parochos qui, ſuarum parœciarum cura poſthabita, ſe in Montisfalconis monaſterium recipiebant, ibique præbendam, ſeu diſtributionem in ſpecie percipiebant, quam canonici ſinguli ad ſuam ſuſtentationem accipere conſueverant: afficit etiam ejuſdem monaſterii canonicos qui ruralibus parœciis e ſcripto, ſuæ curæ titulum; aliter, ibidem maneat. Erant eo tempore clauſa, ut monachorum, ita canonicorum clauſtra; itaque parochorum aliqui, bellis graſſantibus, in ea, tamquam in ſecuritatis loca, ſe recipiebant.

In altero articulo, Hincmarus presbyteros vetat, depoſitionis indicta pœna; quicquam ſumere pro loco matriculæ, ſcilicet a pauperibus qui in Eccleſiæ matricula inſcribebantur, quibuſque, propterea, decimæ, ſeu oblationum pars tribuebatur. Iiſdem, in tertio, feminarum frequentationem, & importuna cum iiſdem colloquia interdicit. Per quartum, presbyteris, ex eccleſiaſticis proventibus, cum eleemoſynæ & hoſpitalitatis detrimento reſervatis, terras & domos ementibus, eaſque deinde in conſanguineos conferentibus ſummum canonum jus minitatur. Eos quoque vetat, in quinto, beneficia ſeu ſibi, ſeu ſuis clericis obtinendi animo, dona patronis dare, teſtatus haud ſe clericos qui ſibi probati non fuerint, ordinaturum. *Ibidem.*

Concilium Papienſe, ſeu, Ticinenſe, an. 876.

Rex Carolus Calvus, in urbe Roma, Dominici Natalis die an. 875. Imperator a Papa Joanne VIII. coronatus, Longobardiæ quoque coronam, in Imperatoriæ confirmationem, Papiæ, ſeu Ticini, in Epiſcoporum & Comitum indigenarum cœtu, menſe Februario an. 876. celebrato ſuſcepit. Signarunt in id actum Tuſciæ & Longobardiæ Epiſcopi ſeptendecim, abbas unus & comites decem. Iidem Epiſcopi edidere canones quindecim qui ſequuntur, quique in Pontigonenſi concilio confirmati fuere.

1. „ Deferetur honos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cæterarum Eccleſiarum capiti, nihilque quiſpiam molietur in ejus jura. “

2. „ Honorabitur Joannes Papa, excipienturque cum „ obſervantia ejuſdem decreta; eique, in rebus omnibus, debita obedientia præſtabitur. “

4. „ Nemo quicquam in terras quæ ad Romæ Eccleſiam pertinent, aggredietur; quique aliquid eidem ademerint, præter reſtitutionem, quam facere tenebuntur, ex Imperatoris voluntate punientur. “

4. „ Sacerdotali auctoritati & clero obſervantia deferetur. “

5. „ Obſequium, in eumdem modum, imperatoriæ „ auctoritati exhibebitur, audebitque nemo eidem obſiſtere. “

6. „ Sinentur Epiſcopi ſuum, ſecundum canones, „ munus obire. “

7. „ Prædicabunt Epiſcopi ipſi per ſe, vel per alios, „ dabuntque operam, ut presbyteri qui iiſdem ſubſunt, hoc & ipſi officio fungantur. Laici qui in urbibus degunt, publicis eccleſiæ cœtibus per dies feſtos intererunt, itemque qui ruri verſantur; nec „ cuipiam licebit ſine cauſa & ſine Epiſcopi conſenſu, domeſticas capellas habere. “

8. „ Erunt Epiſcopis prope ſingulorum eccleſiam „ clauſtra, ubi ſuis cum clericis canonice vivent. Suos „ presbyteros impedient, ne ſuam eccleſiam deſerant, „ ut ſibi domicilium alibi quærant, eoſve ſibi, ſecundum canones, dicto audientes reddent. “

9. „ In eccleſiaſticos interdictio, ne cum feminis „ habitent & verſentur; ne ad venationem pergant, „ ſeque, ſæcularium in modum, induant. “

10. „ Interdictum, ne ſumantur eccleſiæ bona, mandatumque, ut quamprimum, ſiquidem ſumpta fuerint, reſtituantur. “

11. „ Solvetur fideliter decima, Epiſcopuſque ejuſ„ dem in pauperes diſtributionem committet. “

12. „ Epiſcopi & proceres concorditer vivent. “

13. „ Epiſcopi, Comiteſque, miniſterium ſuum „ obeuntes, in ſuis, non in pauperum domibus, niſi „ forte rogati, conſiſtent. In id etiam incumbent, ut „ direptiones & deprædationes impediant. “

14. „ Prohibitus quiſque invadere Epiſcopi bona, „ cum hunc vita fungi contigerit. Sunt ea ſucceſſori

Germaniæ primatem, tamquam suum in iis provinciis vicarium, cum ea potestate, ut concilia convocaret, & sanctæ Sedis deputatos Episcopis significaret. Episcopi, cum ea quæ in hac Epistola continebantur, audissent, dixere se quidem, sine Metropolitanorum præjudicio, & secundum canones, Papæ jussa facturos; & quantumvis a rege Carolo sollicitati, ut, sine ulla restrictione, Ansegisii primatum agnoscerent, nihil ejusmodi facere voluerunt. Sessionem alteram, Junii die 22. habitam sibi vindicavit Actorum Ticinensis concilii, & Litterarum lectio, quas Papa Joannes ad laicos miserat; in eademque ab omnibus Episcopis proceribusque qui aderant, confirmata fuit Imperatoris electio. Transacta est tertia sessio quam 3. Julii dies attulit, in contentionibus super plurium diœceseon presbyteris qui sanctæ sedis Legatorum auctoritati reclamabant. In quarta quæ postridie ejus diei habita, Imperator oratores excepit audiitque, qui a rege Ludovico, ejus fratre, missi partem regni imperatoris Ludovici, ejus nomine, petierunt. In ea lectæ summi Pontificis Epistolæ tres; una ad Episcopos e regis Ludovici regno, quos arguit propterea, quod eum Principem non impedierint, ne in Caroli imperatoris ditionem, dum aberat, armata manu, pedem inferret; altera ad Episcopos ex imperatoris Caroli regno, qui huic ipsi fideles permanserant; ad eos tertia, qui Ludovici Bavari partes susceperant. Omnibus & singulis mandat Papa, suis ut Legatis pareant.

Novi Legati duo qui Papæ ad Imperatorem & ad Imperatricem Litteras afferebant, ad sessionem quintam, 10. Julii die habitam convenere. Lecta est postridie, in sessione sexta, Papæ Epistola, ad omnes Galliæ & Germaniæ Episcopos missa quæ sententias in Formosum, Episcopum Portuensem, in Gregorium Nomenclatorem, & in eorumdem socios editas continebat. Lecta iterum, Julii die 14. in sessione septima, Imperatoris jussu, Papæ super Ansegisii primatu Epistola; petiitque Legatus ab Archiepiscopis, ut ei se obsecuturos promitterent; qui responderunt se Papæ decretis obedientiam non alia ratione, quam eorum decessores præstiterant, præstituros. In octava eademque postrema sessione, Joannes Arretinus, legatus legit scriptum quoddam; Odo quoque Bellovacensis legit scriptum aliud, articulos quosdam continens, quos Papæ Legati, Ansegisius Senonensis, & Odo ipse, inconsulto concilio, exaraverant. Historicus Aimonius se suppressisse ait eos articulos, quippe qui nullius auctoritatis essent, itemque scriptum a Joanne Arretino lectum, quia ratione & auctoritate destitutum erat. Comperiuntur ad Actorum concilii calcem articuli novem qui esse creduntur ipsi de quibus Aimonius tam magno cum contemptu loquitur. In iis Papa Joannes VIII. dicitur, post imperatoris Ludovici mortem, regem Carolum Romam vocatum in Ecclesiæ S. Petri defensorem elegisse, & Imperatorem coronasse; ante ejus adventum, concilium habuisse, & ad Ludovicum regem, ejusque regni Episcopos, abbates, proceresque scripsisse, prohibens, ne qua ab iis in regis Caroli ditiones irruptio fieret, quoad haberetur collatio, in qua utriusque regnorum jura statuerentur; iidem tamen Papæ Litteras, ab Odone Bellovacensi, semel & iterum, exhibitas rejecisse; Ludovicus rex, sanctæ Sedis monita spernens, in Caroli regnum, armata manu, invasisse; monitusque, suas ut copias educeret, suorumque criminum pœnitentiam ageret, rursusque a Papæ Legatis, ut id faceret, extimulatus haud magis paruisse; adeoque summus Pontifex suis legatos facultatibus instruxisse, ut in ea facti specie quod e re erat, id agerent. Dicitur etiam Papa, consentiente imperatore Carolo, Senonensem archiepiscopum Ansegisium, Galliarum primatem, suumque vicarium instituisse, conciliumque annuisse, ac præterea sententiam in Formosum ejusque socios editam, itemque damnationem in Ludovici regis flagitia pronuntiatam suscepisse. *Ibidem.*

Concilium Ravennatense, an. 877.

Papa Joannes VIII. habuit concilium hoc die 22. Julii, in quo præfuit Episcopis quinquaginta qui omnes e Longobardiæ regno erant; eo consilio, ut ad disciplinæ & immunitatum Ecclesiæ redintegrationem incumberet. Editi sunt, hac mente, canones undeviginti qui in Trecensi concilio tertio an. 878. confirmati fuere.

1. „ Omnes metropolitani, intra tres a consecratione menses, Romam venient, suæ fidei declarationem edituri, & a sancta Sede pallium suscepturi; nullamque functionem peragent, quoad huic fecerint officio satis. “

2. „ Episcopi perficere debebunt, ut intra menses tres consecrentur, secus eam pœnam subituri, ut communione priventur; post menses quinque, non amplius ad eamdem, vel ad aliam ecclesiam consecrari poterunt. “

3. „ In metropolitanos interdictio, ne pallio utantur nisi majoribus festis diebus aliisque temporibus ab apostolica sede notatis, interque Missarum solemnia. “

4. „ Prohibiti Duces, ne Episcopos Papæ præsentent, ne publicos census, aut dona ab iis exigant, neve eosdem arguant coram laicis. “

5. „ Excommunicationi subduntur qui Dei domum violant, qui aliquid exportant, quin is sinat cui ea concredita est, quique ecclesiasticos male habent. “

6. 7. & 8. „ Eadem in eos pœna qui virgines Deo consecratas, & feminas rapiunt, quoad parentibus eas reddiderint; itemque in homicidas, incendiarios & latrones. “

9. „ Declarantur excommunicati qui voluntarie cum personis communicant quas excommunicatas norunt; jubetque nullam iis aurem præberi, qui post excommunicationis annum, operam nullam dant, ut ab ea liberentur; ea lege, ut, si in eo statu e vivis excesserint, cum iis post mortem minime communicetur, hoc est, iidem non admittantur ad preces & suffragia quæ Ecclesia pro iis offert qui in ejus communione mortui sunt. “

10. „ In hunc finem, Episcopi excommunicatos notos facient, eorum nominibus ad proximos Episcopos eorumque diœcesanos missis, ecclesiæque foribus affigi jussis. “

11. „ Excommunicationis indicta pœna, prohibetur, ne rei suscipiantur qui, ad pœnas quas meruere, vitandas, loca deserunt in quibus aliqua delicta patrarunt, & se alio recipiunt. “

12. „ Eadem in reos pœna, qui, tribus consequentibus dominicis diebus, voluntarie a sua parochiali ecclesia recedunt. “

13. „ Defensores, custodes & administratores bonorum Ecclesiæ, pupillorum viduarumque suo facient officio satis, impedientes, ne quid contra jus fasque aut per vim fiat; ac, si, ter moniti, parere renuerint, excommunicatione plectentur. “

14. „ Episcopus statæ ecclesiæ servitio presbyterum quem ordinabit, addicet. “

15. 16. & 17. „ Interdictio, ne petantur, in posterum, Romanæ Ecclesiæ patrimonia in beneficium vel aliter, sub pœna nullitatis, restitutionis fructuum, & in eos anathematis, qui hæc patrimonia eorumve accessiones dabunt aut accipient; excipiuntur familiares Papæ, qui scilicet ex ejus domo sunt. “

18. „ Decimæ solventur presbytero quem ad eas recipiendas Episcopus proposuerit, & non aliis. “

19. „ Missi a Principibus, Comites & Judices non in ecclesiæ domibus sibi domicilium sument, consuetudinem prætexentes, nec ibidem erigent tribunalia, sed in publicis ædibus, ex usu veteri. “ Concilium Adalgario, Augustodunensi Episcopo, ejusque Ecclesiæ sua in Flaviniacense monasterium, & in Tiliniacensem terram quæ eidem adempta fuerat, jura firmavit. Papa Joannes VIII. subscripsit primus, &, secundum eum, Joannes, archiepiscopus Ravennatensis; tum Petrus, patriarcha Gradensis. Subscriptionibus apposita est 26. Novembris, vel, ut alii legunt, Septembris dies. *Ibidem.*

Concilium Trecense, Tricassinum, an. 878.

Papa Joannes VIII. Lamberti, Spoletani Ducis violentiis coactus Italia egredi, se in Galliam recepit, annoque 878. undecima Augusti die, Trecis, seu Tricassis concilium habuit. Quamvis autem Galliarum duodecim, & Germaniæ tres archiepiscopos cum suffraganeis ad illud convocasset, omnino tamen adfuere triginta solum Episcopi, relatis in numerum Valberto Portuensi, Petro Fori Sempronii, & Paschasio Ameriæ Episcopis quos ex Italia secum duxerat.

SESSIO PRIMA.

Aperuit ipse concilium, in S. Petri Trecensis ecclesia, brevi sermone in quo hortatur Episcopos, ut tangantur injuria, Romanæ Ecclesiæ a Lamberto ejusque sociis illata, quos, inquit, nos excommunicavimus, &, ut vos quoque nobiscum excommunicetis, rogamus. Episcopi sibi tempus petisse, ut de re cum confratribus, cum advenissent, deliberarent.

SESSIO SECUNDA.

Violentias in urbe Roma a Lamberto perpetratas Papa rursus, in hac sessione, legi jussit. Concilium unanimi sententia pronuntiavit eum, e mundi lege, morte & perpetuo anathemate dignum esse. Rostagnus Arelatensis querelam edidit in Episcopos & presbyteros

ros qui ab una ad aliam ecclesiam migrabant, & in maritos qui conjuges deserebant, ut, iis viventibus, alias ducerent. Hincmarus, respondens cœtus nomine, tempus petiit, ut id proferret, quod super ejusmodi rebus canones præscribebant.

SESSIO TERTIA.

Episcopi suæ in judicium contra Lambertum ejusque socios editum consensionis actum Papæ obtulerant; & quia eorum ecclesiæ patiebantur easdem violentias ex eorum parte qui eas diripiebant; Papa, eorumdem rogatu, in usurpatores bonorum Ecclesiæ pronuntiavit excommunicationis sententiam, cum sepulturæ privatione, nisi præscripto tempore restituerent.

SESSIO QUARTA.

Lecti sunt, in hac sessione, sequentes canones septem quos Papa ediderat, unanimique consensu approbati fuere.

Primus „ Mundi proceres observantia prosequentur Episcopos, in eorumque conspectu, nisi iisdem jubentibus, non sedebunt; laici non attingent Ecclesiæ bona. "

2. „ Nemo petet a Papa, vel ab Episcopis monasteria, patrimonia, domos, terras quæ ad ecclesias pertinent, nisi quibus canones id concedunt. "

3. „ Idem statutum jam fuerat in Ravennensi concilio; confirmatique sunt canones ibidem editi. "

4. „ Episcopi suis confratribus suppetias ferent, ut se extrahant a vexatione; conjunctisque, pastorali baculo & apostolica auctoritate armati pro Ecclesiæ defensione pugnabunt. "

5. „ Laicus aut clericus a proprio Episcopo excommunicatus non recipietur ab altero, ut necesse habeat pœnitentiam agere. "

6. „ Nec magis recipietur alienus subditus, nisi in facti specie quam civiles leges enuntiant. "

7. „ Si qua in Episcopum querela subest, ea quidem publica & secundum canones fiet, ut impediatur, ne, quod sæpe contingit, innocentes a scelestis damnentur. " Hos omnes canones concilium servari jubet, depositionis in clericos, omnisque christianæ dignitatis privationis in laicos, ni paruerint, indicta pœna. Lecta est deinde sententia quam Papa in Formosum, Portuensem Episcopum, & Gregorium Nomenclatorem, inque omnes eorumdem socios qui ecclesias expilare pergebant, jam ediderat.

SESSIO QUINTA.

Ottulfus, Trecensis Episcopus in Isaac, Lingonensem Episcopum, supplicem libellum obtulit, in quo querebatur eum Vandevrensis parœciæ quæ ex ipsius diœcesi erat, potitum esse. Peracta est canonum lectio, qui vetant Episcopos a minore ad majoris momenti ecclesiam transire. Spectabat id Frotarium qui a Burdegalensi ecclesia ad Pictaviensem, ac subinde ad Bituricensem migraverat. Decretum tulerunt Episcopi, quo laicos prohibuerunt uxores deserere, ut alias ducerent, eosque jusserunt ad primam redire; quoque ipso mandarunt Episcopis, ut ad episcopatum reverterentur quem deseruerant, ut ad alium transirent. Coronavit Papa Ludovicum Balbum, & ejus conjugem Adelaidem coronare recusavit, quia Ansgardes quam primam duxerat, adhuc in vivis erat. Adactus nimirum fuerat a Carolo rege, patre, ut eam, utpote sine ejus consensu ductam, desereret. Mandavit etiam concilium, ut Heredulfus qui Laudunensis Episcopus, in Hincmari locum, post Duziacense concilium, creatus fuerat, ejus sedis pacificus possessor remaneret. Ea tamen Hincmaro data venia, ut siquidem posset, Missam caneret; eique, ad sustentationem, designata est Laudunensis Episcopatus proventuum pars. Concilio finem Papa per sermonem imposuit, quo Episcopos hortatus est, ut ei se ad Romanæ Ecclesiæ defensionem adderent; itemque Regem, ut se ad eamdem ab hostibus liberandam conferret. Va-

Primus „ Post Offertorium, thus adolebitur ad oblationes, in divini Servatoris mortis memoriam. "

2. „ Presbyteri, suis ipsi manibus, Communionem præbebunt utriusque sexus laicis, Eucharistiam in eorum ora ponentes, & verba hæc pronuntiantes: *Corpus Domini & Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, & ad vitam æternam.* "

Spectat canon hic presbyteros quosdam qui divina mysteria quæ consecraverant, sumere ipsi nolentes, ponebant intra laicorum, tum virorum, tum feminarum manus, ut ab iis sumerentur.

3. „ Solvetur accurate tam fructuum, quam animalium decima, sine specierum commutatione, sub anathematis in eos pœna, qui bis, ac ter moniti renuerint eamdem solvere. "

4. „ Superstitiosa omnia, seu ad animalium morbos, seu ad aliquam calamitatem, remedia prohibentur. " Continebantur hæc remedia diabolicis quibusdam versibus quos pastores aut venatores pronuntiabant super pane, vel super herbis, vel super fasciis; quæ ab iis deinde celabantur in arbore, aut supra bicornem viam projiciebantur.

5. „ Non conferetur iis novum baptisma, qui per hæreticos baptizati fuere sanctæ Trinitatis nomine; satisque erit, dum in ecclesiam recipiuntur, eos edoceri, iisdemque manus imponi. "

6. „ Interdictio, ne suscipiantur, qui a proprio Episcopo, ob patrata crimina, communione privati fuerint, secundum concilia Nicænum, Chalcedonense, Antiochenum & Sardicense. "

7. „ Sub pœna expulsionis e clero, in presbyterum interdictio, ne pecuniam aut munera seu clerico, seu laico tribuat, eo animo, ut in alienæ, vel etiam vacantis ecclesiæ possessione ponatur. "

8. „ Interdictio, ne Episcopi, seu presbyteri ignoti ad ecclesiasticas functiones, absque synodi consensu, admittantur. "

9. „ Prohibentur presbyteri, depositionis indicta pœna, viduas velare, quia id, inquit canon, ne Episcopis quidem licet. Quod spectat ad virgines, his velum dare Episcopi solum est. "

10. „ Mandatur Episcopis, ut sæpe in monachorum & monialium monasteria, gravibus piisque viris comitantibus, ingrediantur; quomodo ibi regula servetur, expendant; in castitatem errata carcere puniant; impediantque, ne quis e laicis in claustrum aut in religiosarum cubicula pedem inferat; cum ne presbytero quidem, nisi ad Missæ celebrationem, in claustrum ingressus concessus sit. " In puellarum scilicet monasteriis ecclesiæ intra earum ambitum erant.

11. „ Suam Episcopus cathedralem ecclesiam non deserat, ut se crebrius ad aliam suæ diœcesis ecclesiam conferat, seu, quod eodem recidit, haud episcopalem cathedram transferet. " Refertur apud Gratianum, 7. q. 1. c. 21. *placuit*.

12. „ Si laicus alium ad sanguinis usque effusionem percusserit, pœnitentiam aget ad dies viginti; si clericus, ad triginta; augebiturque pœna, pro graduum ratione, ad quos erit avectus reus; diaconus pœnitentiæ suberit ad menses sex, presbyter ad annum, Episcopus ad annos duos cum dimidio. "

13. „ Qui id agent quod ethnici, Kalendis Januariis, aut lunam, dies, horas superstitiose observabunt, anathemati suberunt. "

14. „ Id erit curæ presbyteris, ut rusticos moneant qui custodiendis gregibus addicti sunt, ut dominicis diebus ad Missam conveniant; quippe qui Christi Domini Sanguine, ut homines cæteri, redempti sunt, ac proinde negligenda non est eorumdem salus. "

15. „ Qui in urbibus pagisque degunt, monebuntur, ut, festis dominicisque diebus, intersint Vesperis, nocturnis Officiis & Missæ; constituanturque decani quibus Dei timor insit, ut ignavos otiososque ad divinum servitium adeundum extimulent. Fe-

Concilium Constantinopolitanum, an. 879.

Cum patriarcha Ignatius Octobris die 23. an. 878. obiisset, Photius Constantinopolitanam sedem iterum usurpavit, statimque Theodorum, Patrensem metropolitanum, Romam cum Epistola ad Papam Joannem VIII. misit, in qua sibi vim factam dicebat, ut in eam sedem rediret. Supposuit etiam, tam patriarchæ Ignatii, quam aliorum Episcoporum nomine, Litteras quibus Papa, ut eum reciperet, rogabatur; longaque fallaciarum fraudumque serie id assecutus est, ut tercentorum octoginta Episcoporum concilium cujus acta exegit ad concilia sua, congregaret.

SESSIO PRIMA.

Præfuit huic sessioni Photius, quæ Novembri mense habita est, quamque sibi totam, Papæ Legatos inter & Photium, urbanitatis officia vindicarunt.

SESSIO SECUNDA.

Habita est hæc sessio, 17. Novembris die, non in magna secreta aula, ut prima, sed in majore Constantinopolitanæ Urbis ecclesia. Huic quoque Photius præfuit, assidentibus Papæ legatis tribus, Petro scilicet cardinali presbytero, Paulo & Eugenio, Episcopis. Aperuit sessionem Petrus latino sermone quem Leo qui Imperatori a secretis erat, græce reddidit; lecta est deinde Papæ ad Imperatorem Epistola, in græcam linguam translata, sed a latino exemplari, pluribus in rebus, alia. In hac versione suppressa erat Papæ querela de Photio qui sua munia, quin sanctam sedem consuleret, resumpsisset, ejusdemque mandatum, ut coram universo concilio veniam exposceret. Lecta deinde ad Photium ipsum Epistola cujus mutata significatio, & peculiaria adjuncta plura suppressa fuerant. Quod sessionis reliquum fuit, in Epistolarum lectione positum quas patriarchæ & episcopi ad Photium miserant, quæque omnes & singulæ in ejus laudibus versabantur.

SESSIO TERTIA.

In hac sessione, 19. Novembris die habita, lecta est, initio statim, Papæ ad Episcopos a Constantinopolitana sede pendentes, ad eosque qui ecclesiarum primas, hoc est, Hierosolymitanam, Antiochenam & Alexandrinam tenebant, Epistola. Lecta deinde synodica Theodosii, Hierosolymitani patriarchæ, Epistola, ad Imperatorem missa in qua ab eo, quicunque Photium non recipiebat, anathemate percellebatur. Concilium repetiit anathema; tum lecta Legatorum documenta; superque articulo decimo ad conciliorum abrogationem spectante, quæ contra Photium habita fuerant, concilium suam mentem referens ad Constantinopolitanum, an. 869. celebratum, quodque octavum generale censetur, dixit: „ Universis & singulis qui „ illud non rejiciunt, anathema dicimus. “

SESSIO QUARTA, 24. Decembris die.

In hanc admissus Martyropolitanus metropolita, patriarcharum Antiocheni & Hierosolymitani Litteras afferens, per quas nullam sibi partem ad ea fuisse quæ in Photium gesta erant, declarabant, quæque unanimi consensione a concilio approbatæ fuerunt. Propositi deinde articuli quidam ecclesiarum conciliationi fundamenti loco esse debebant, quique in Papæ ad Imperatorem Epistola continebantur. Primus ejusmodi erat: Constantinopolitanum patriarcham non amplius, in posterum, ullam ordinationem peracturum, nec eo pallium missurum; ita se concilium cohibuit, ut super hac re sanctionem canonibus consentaneam ab Imperatore petendam diceret. Vetabat articulus secundus, ne quis amplius, ad Constantinopolitanam sedem extollendus, e laicorum numero sumeretur; Episcopi responderunt, quamvis optandum esset, ut Episcopi de clero seligerentur, si tamen in eo nemo unus Episcopatu dignus occurreret, satius fore e laicis Episcopum eligi. Mandabat articulus tertius, ut Constantinopolitanus patriarcha e presbyteris & diœcesibus ejusdem ecclesiæ traheretur; respondit concilium, ita quidem rem fore, si quis ibidem idoneus comperiretur; si minus, eum in tota Ecclesia eligendum. Continebat quartus conciliorum damnationem quæ Romæ & Constantinopoli in Photium habita fuerant; totius concilii plausu exceptus fuit articulus hic perinde ac quintus qui in eos omnes qui Photium agnoscere nollent, excommunicationem ferebat. Tum vero Petrus legatus dixit, pace & concordia Ecclesiæ jam reddita, cum patriarcha Photio celebrari oportere; erat Officii hora, eique omnes interfuerunt.

SESSIO QUINTA, die 26. Januarii an. 880.

In hac omnibus anathema dictum, qui Nicænum concilium secundum, tamquam generale concilium septimum non reciperent. Metrophanes, metropolitanus Smyrnensis, ab ecclesiastica communione segregatus fuit, qui Photio obluctari pergebat. Edita decreta plura quæ ad Photii auctoritatem roborandam referebantur; videlicet, ut quicunque a Papa Joanne VIII. excommunicati erant, eidem censuræ a Photio addicti censerentur, & quicunque excommunicati, aut depositi essent a Photio, tales a Papa Joanne haberentur; quique ex Episcopis, ut inter monachos nomen darent, episcopatum deseruissent, non amplius ad episcopatum redire possent, quia ad monachorum ordinem se redigere, est se in pœnitentium ordine ponere. Is nimirum erat Orientalium ecclesiarum mos, ut monachi quidem interdum ad episcopatum eveherentur, & episcopis, monachis effectis, nunquam liceret ad suas pristinas functiones regredi. Quicquid in concilio statutum fuerat, tercenti octoginta Episcopi, post Papæ legatos, sua quisque subscriptione firmarunt, & se singuli concilium Nicænum secundum, generale septimum, ejusque super sanctis imaginibus decretum amplecti suis in subscriptionibus significarunt.

SESSIO SEXTA.

Imperator Basilius qui præfuit sessioni huic, enuntiandam proposuit fidei professionem, non eam quidem novam, sed Nicænam, jam in conciliis cæteris approbatam. Eo spectabat hæc propositio, ut tacite damnaretur additio *Filioque*, edita fidei professione, in qua hæc additio non aderat. Nihilominus Romæ Legati simul, ut reliqui omnes, assensum præbuere. Lectum est ergo Nicænum Symbolum, cum Photii Præfatione, in qua dicebat concilium suscipere definitionem hanc, & iis omnibus anathema dicere qui eo audaciæ devenirent, ut aliam fidei professionem contexerent, aut peregrinis absonisque verbis, additionibus seu subtractionibus in hanc ipsam aliquid mutationis inducerent; conclamarunt universi & singuli se ita credere. Imperator subscripsit Actis cum filiis tribus. Nicæni Symboli loco, Beveregius legebat in suo exemplari Symbolum Constantinopolitanum an. 381.

SESSIO SEPTIMA.

Lecta est iterum hæc fidei definitio in sessione septima quæ in magna ecclesia, die 13. Martii habita fuit; repetitumque in eos omnes anathema qui aliquid eidem aut detraherent, aut adderent. Papæ Legati renovarunt in eos anathema qui Photium tamquam patriarcham non agnoscerent. Id approbavit concilium, & per consuetas acclamationes finem habuit. Posita est, ad Actorum concilii calcem, Papæ Joannis ad Photium Epistola in qua inter divini verbi transgressores, corruptoresque doctrinæ Christi Domini, Apostolorum & Patrum eos rejicit qui particulam *Filioque* Symbolo addiderant; at Cardinalis Baronius, jure ac merito, respuit Epistolam hanc, tamquam a Græco aliquo, & fortasse a Photio ipso, homine in hac quidem arte apprime industrio, suppositam. Unam sane cudit ipse Nicolai I. nomine, in qua Papam dicentem inducebat, se cum eo, deinceps, immutabilem communionem & amicitiam statuere; Librum contexuit mendaciis infartum in Romanam Ecclesiam & in Papam ipsum; fefellit Imperatorem Basilium per falsam genealogiam in qua eum trahebat ex Tiridate, Armeniæ Rege; nec dubitari potest, quin ei pars fuerit in adulterandis Papæ Joannis Litteris quæ in concilium productæ sunt. Concilium hoc damnatum fuit rejectumque a Joanne VIII. successoribus, Marino II. Adriano III. Stephano V. Formoso; ac spectatum deinde in Catholica Ecclesia, tamquam conciliabulum omni prorsus auctoritate destitutum. Illud Græci solum schismatici pro octavo generali concilio habent, ponuntque in ejus locum, quod an. 869. habitum fuit. *Reg. Tom. XXIV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Concilium Mantalense, prope Viennam in Delphinatu, *an.* 879.

Boso, Longobardiæ Dux, coegit concilium hoc, ut se Provinciæ regem renuntiandum curaret. Ei adfuere Episcopi septendecim & Archiepiscopi sex cum Arelatensis regni primoribus qui Bosonem, Octobris die 11. an. 879. Provinciæ regem unanimi consensu elegerunt. Ottramus Viennensis electionis decreto subscribit primus, tum Aurelianus Lugdunensis. Episcopi & proceres ajunt, in hoc concilio, a se quidem, cum post Ludovici Balbi mortem patrono carerent, Bosonem sibi regem electum fuisse, quippe qui potissimum & auctoritate quam sub præcedentibus Regibus obtinuit, & singulari apud Papam Joannem VIII. gratia, qui eum sibi filium adoptaverat, eos tueri posset. Decretum excipit ad novum Regem Epistola qua ejus in electionem cui obluctatus ponitur, assensus petitur, suæque idem electionis conditiones significantur, videlicet, ut catholicæ Ecclesiæ defensionem suscipiat, subditorum suorum cuique jus tribuat, satisque cæteris regiæ dignitatis officiis faciat. Hujus concilii Acta in lucem emissa fuerant a Guillelmo Paradinio in *Anna-*

nalibus Burgundiæ, impressis Lugduni an. 1566. antequam Patres Sirmundus & Labbæus suis Collectionibus eadem insererent.

Concilium Fismense, apud sanctam Macram, *anno* 881.

Habitum fuit concilium hoc ineunte Aprili mense an. 881. in Ecclesia sanctæ Macræ, martyris, ad Remensem Diœcesin spectante. Haud nota sunt Episcoporum nomina qui eidem e Galliæ provinciis pluribus adfuerunt, quia subscriptiones ad nos usque non pervenerunt; & dubitari non potest, quin Hincmarus ei præfuerit, tum quia illud in ejus diœcesi habebatur, tum quia octo in eo editi articuli seu canones admodum lusi ejus stilum, ejusdemque sermonum longitudinem exhibent.

Primus. In medium affertur Papæ Gelasii super duarum potestatum discrimine præclara sententia: „Auctoritas sacra Pontificum, inquiunt Episcopi, & regia potestas omnino distinctæ sunt, nihilque altera in alteram aggredi debet. Episcoporum dignitas eo major est, quod Episcopi quidem Reges consecrant, Reges autem Episcopos consecrare non possunt. At gravius est etiam Episcoporum onus, quandoquidem eorum rationem reddent quæ Reges gesserint, qui & ipsi seu per legum auctoritatem, seu per armorum vim, Ecclesiæ, itemque Episcoporum defensioni invigilent, necesse est. Legimus in sacra Historia Sacerdotes, Regibus unctionem tribuentes, eorumque capiti coronam imponentes, ipsis, eodem tempore, Domini legem in manus tradere debuisse, e qua scilicet rationem perciperent qua ipsi se suosque subditos moderarentur, & honore sacerdotium afficerent."

2. Episcopi, exposita, in primo canone, episcopatus dignitate, in hoc ejusdem officia persequuntur, suamque ipsi sibi in eorumdem executione negligentiam exprobrant.

3. & 4. Reges deinde monent, ut ecclesiarum privilegia tueantur, commissarios expediant qui tam canonicorum quam monachorum & religiosarum monasteria visitent, iis necessaria comparent, & in iisdem abusus reforment.

5. Declarantur anathemate perculsi direptores & usurpatores bonorum Ecclesiæ; & commendatur episcopis, ut explicent populis anathema esse separationem a Christo Domino, & ab ejus corpore quod est Ecclesia.

6. Rex. ejusque ministri de ratione monentur qua gubernare debent; eoque consilio, Episcopi repetunt articulos plures Capitularium Regum Galliæ, quorum executionem maxime necessariam putant.

7. De pœnitentiæ & correctionis morum, quæ ejus fructus esse debet, necessitate admodum suse agitur.

8. Episcopi in hoc postremo articulo sermonem ad Regem convertunt. Et Caroli Magni exemplum proponunt, qui licet sacrarum Scripturarum ecclesiasticarumque & civilium legum apprime peritus, semper e sapientioribus consiliariis tres a, ud se detinebat, & ad sui lecti cervical tabellas ponebat in quibus, etiam noctu, cogitationes scriberet, quæcumque super Imperii & Religionis bono ejus animum subiissent, ut suo easdem consilio significaret; huic juveni Principi commendant, ut ne quid taciat, quin virtute & experientia præcipuos viros consuluerit, sibique in clero & e laicorum primoribus bonos consiliarios eligat a quibus Deum timere, Ecclesiam & prælatos honore prosequi, subditosque secundum Dei voluntatem regere doceatur.

Rex Ludovicus, post Odonis mortem, qui Bellovacensis Episcopus erat, sui palatii clericum, *Odacrem*, seu *Odoacrem* nomine, electum voluerat. Exhibitum fuit Fismensi, seu, apud sanctam Macram concilio electionis decretum cujus illud nullam rationem habuit, Odoacrem episcopatu indignum judicans. Episcopi ad Regem scripserunt qui Odoacris partes susceperat. Hincmarus, una cum suæ provinciæ Episcopis; excommunicationis sententiam in intrusum edidit, atque Imperatores Carolum & Ludovicum, hujus veritatis convictos, suis in Capitularibus prohibuisse, ne eorum successores ullam bonorum Ecclesiæ divisionem, aut alienationem instituerent, semperque se ad ea potius augenda quam imminuenda comparatos exhibuisse. Juniorem hunc Principem hortatur, ut ne se obligationi subducat quam ejus decessores agnoverant, ad eumque transmiserant, eique testatur hinc ejus regni felicitatem pendere. *Lab. Tom. IX.*

Landaffensia, in Anglia, Concilia, an. 887.

Nota quidem sunt concilia septem Landaffi habita; at eorum anni certo statui haud facile possunt, obscuritatis causa, qua involuta est Episcoporum Regumque Chronologia, qui ea congregarunt. Cæterum nihil quod magni momenti sit, in iisdem occurrit. Acta de excommunicationibus tantum in perjuros, in homicidas, in incestuosos & in bonorum Ecclesiæ usurpatores latis loquuntur. In iisdem perspicitur usus jurandi super altari, per Sanctum sanctorum, cum lubebat veritatem asseri quæ nota non erat, nec nisi per jusjurandum innotescere poterat. Wilkins, *Anglic. Tom. I.*

Concilium Coloniense, an. 887.

Guillelmus, archiepiscopus Coloniensis, Franco Tungrensis, aliique nonnulli Episcopi concilium hoc, prima Aprilis die, consentiente Imperatore Carolo, celebrarunt, ut multiplicis generis negotia moderarentur. Renovarunt etiam veteres canones in eos qui ecclesias expilabant, in incestuosa connubia, in adulteros & in virgines quæ, postquam se Deo consecraverant, in licentia vivebant. *Reg. Tom. XXIV. Lab. Tom. IX. Hard. Tom. VI.*

Concilium Moguntinum, an. 888.

Arnulus, Germaniæ rex, primo sui regni anno, concilium hoc convocavit. Ei adfuere cum suffraganeis Archiepiscopi Moguntinus, Coloniensis & Trevirensis. In eodem editi canones viginti sex quos antecedit præfatio in qua deplorandum in modum oculis objiciuntur Ecclesiæ calamitates; diruta templa, eversæ tritæque pedibus aræ; sacra ornamenta dissipata aut flammis absumpta; Episcopi cæterique altarium ministri ferro aut igne e vivis sublati; monachi & moniales, sine subsidio & sine pastoribus, dispersi; oppressi pauperes, direptiones, rapinæ, cædes, in solitudinem redacta regio; hæc omnia iis miseris temporibus cernebantur. Episcopi, inter ea rerum discrimina, veteres canones in pristinum robur restituere conati sunt.

Primus. Mandatur, ut sine intermissione in omnibus ecclesiis, pro rege Arnulo, pro Regina & pro tota regia familia preces edantur.

2. & 3. Regi ponuntur ob oculos regiæ potestatis officia, ostenditurque oportere, ut ipse justitiam magnis æque ac parvis reddat.

4. Declaratur eos qui ecclesias fundaverint, bonorum quibus easdem dotabunt, dispositionem Episcopo relicturos; prout in Toletani concilii tertii canone 29. statuitur.

5. Mandatur, ut presbyter deponatur qui per simoniam ecclesiam obtinuit, prohibeturque, ne presbyteri, sine Episcopi venia, in ecclesiis ponantur.

6. „Punientur, tamquam pauperum homicidæ, qui ecclesiarum, monasteriorum vel hospitalium bona retinebunt."

7. „Ex ecclesia expellentur qui aliqua clericos injuria affecerint, quoad congruam satisfactionem persolverint."

8. Excommunicati declarantur scelesti quidam homines qui injectis in venerabilem presbyterum manibus, ei nares amputaverant, capillos abraserant, ac tam multos ictus inflixerant, ut semivivus in platea remaneret.

9. „Missa non ubique celebrabitur, sed iis solum in locis quæ ab Episcopo consecrata sunt, & ubicunque ipse permittet. Ad loca quod attinet in quibus ecclesiæ a Normannis incensæ fuere, celebrari poterit in sacellis, quoad eædem ecclesiæ restitutæ fuerint. Per iter vero, si nulla inveniatur

„ ta duorum; diaconus, ex depositione testium viginti sex, & sic porro, quoad inferiores ministros, ratione habita. “

13. „ Non spoliabuntur suis decimis, aliisque proventibus ecclesiæ veteres, ut nova oratoria fundentur. “

14. & 15. „ Episcopi nihil aggredientur super alienæ Diœceseos parœciis, sine ordinarii consensu. “

16. Ejus pœnitentia qui presbyterum occiderit, præscribitur in hunc modum: „ Quod ei reliquum vitæ fuerit, nec carnem comedet, ne vinum bibet. Jejunabit, ad vesperas usque, quotidie, dominicis festisque diebus exceptis; arma non deferet, suaque omnia itinere pedibus aget; prohibetur ecclesiæ aditu per annos quinque; Missæque & cæterorum Officiorum tempore, consistet ad januam, Deum orans, ut eum e tam gravi crimine absolvat; sequentibus annis septem, in ecclesiam ingredietur, quin Communionem percipiat, sibique locum inter auditores sumet. Post annorum duodecim pœnitentiam, ei Communio concedetur; tum vero suam non amplius pœnitentiam, nisi ter per hebdomadam, aget. “

17. Jussa, sub excommunicationis pœna, decimæ solutio.

18. „ Anathemati subditur quidam *Altemannus* nomine, qui spiritalem commatrem a qua contra regulas ducta, per Ecclesiæ auctoritatem sejunctus fuerat, rursus sibi conjugem sumpserat. “

19. Instaurantur in impudicos presbyteros antiqui canones.

20. Damnantur qui per calliditatem perficiunt, ut sibi Ecclesiæ bona precario dentur.

21. „ Interdictio, ne sæculares cœtus in ecclesiis, aut in atriis quæ & ipsa e sacrorum locorum numero sunt, habeantur. “

22. Vituperantur qui decimæ partem per fraudem subtrahunt, suosve famulos impediunt, ne eam solvant.

23. Pronuntiatur omnes ecclesiasticas causas ab Episcopo, vel ex testium depositione, vel ex accusati jurejurando judicari oportere; ea lege, ut ne testes suscipiantur, qui nondum annos quatuordecim nati sint, prout Africana concilia statuunt.

24. Inter Episcopos & Regis commissarios pax commendatur, hortaturque utrasque Synodus, ut sibi mutuum auxilium præbeant.

25. Qui monasteria, cujuscumque tandem generis fuerint, beneficii titulo possident, jubentur ibidem superiores ponere qui eorum officio fungi possint, eosque, ut par est, regere qui eorumdem curæ ac sollicitudini subsunt. Mandat iisdem concilium, ut, cum ab Episcopo acciti fuerint, se ad synodum conferant.

26. Prohibet concilium, ne tam cito viduæ velentur. iisque relictam libertatem vult, ut vel iterum nubant, vel cœlibatum amplectantur. Renovatur periter Eliberitani concilii canon quoad virgines Deo consecratas quæ virginitatem violant. *Ibid.*

Concilium Metense, *an.* 888.

Habitum fuit concilium hoc in S. Arnulfi ecclesia quæ tum quidem in Metarum suburbiis erat. Ei præfuit Ratbodus, archiepiscopus Trevirensis, Roberto, Metensi Episcopo, Episcopisque Tullensi & Verodunensi, ejus suffraganeis, abbate Stephano, & presbyterorum multis stipatus. Comites etiam aliique nobiles viri, pietate commeodati adfuere cœtui; in quo editi sequentes canones tredecim.

Primus. „ Contra Normannorum direptionem implorabitur Dei subsidium; dabitur opera, ut pax ac disciplina redintegrentur; summumque canonum jus in eos adhibebitur qui Ecclesiæ legibus parere noluerint. “

2. „ In laicum dominum interdictio, ne quam ex ecclesiæ sua, nempe cujus patronus est, decimis portionem sumat. Presbyteri est qui ei deservit, has percipere, tam ad propriam sustentationem, quam ad luminaria, ad ecclesiam & ædificia servanda, ad ornamenta & cætera omnia quæ ad sacrum ministerium necessaria sunt, comparanda. “

3. „ Presbyter unus idemque habere non poterit ecclesias duas, nisi forte capellam quæ ex longo jam tempore pendeat ab ejus parœcia, vel aliquam ecclesiam quæ eidem adjaceat & unita sit; multum enim est, siquidem unam cum fructu regere possit; nec se ipse animabus onerare debet, temporalis lucri animo. “

4. „ Nullus census e terris ad fidelium sepulturam donatis, neo pecunia pro sepultura ipsa exigetur. “

5. „ Presbyteri nullam feminam, ne matrem quidem aut sorores apud se detinebit. “

6. „ Suos libros, suasque sacerdotales vestes Episcopo, in proxima synodo, ostendent; sanctum Chrisma, apposita clave, custodient; nec arma, nec laicalia indumenta gestabunt; laici quoque sacerdotales vestes non deferent. Non admittentur in Baptismo patrini duo, sed unus tantum qui abrenuntiationes quæ in eo fiunt, & Catholicæ Fidei professionem calleat. “

7. Ad supplicem in Judæos querelam quam Gontbertus, Metensis Ecclesiæ primicerius exhibuit, vetiti Christiani cum iis vesci, quodque bibi vel edi potest, ab iisdem accipere.

8. Prohibiti quoque presbyteri in locis non consecratis Missam dicere. ecclesiæque consecrari jussæ quas Chorepiscopi consecraverant.

9. Religiosæ duæ, criminum convictæ, e S. Petri monasterio expulsæ fuerant, quin iis velum concederetur; mandat concilium, ut, velo reddito, addicantur carceri in monasterio, ubi iis, ad victum, panis & aquæ parum, documentorum autem multum, quoad satis fecerint, præbeatur. Præcipitur etiam diacono carcer, qui sacrilegii convictus fuerat; atque sanctum ministerium interdicitur.

10. Excommunicatione plectuntur homines qui parochum mutilaverant, qui eorum consanguineam adigere volebat, ut ad virum rediret quem deseruerat.

11. Excommunicationi quoque subduntur direptores qui provinciam vastabant, & singillatim duo qui illegitima matrimonia contraxerant.

12. Instaurantur interdictiones, ne quis cum excommunicatis communicet, propriis tamen exceptis servis, libertis & subditis.

13. Præscribitur tridui jejunium, cum precibus pro rege Arnulo, pro pace & pro peccatorum resipiscentia. *Ibid.*

Concilium Viennense, *an.* 892. (*in Gallia.*)

Legati duo, Paschalis & Joannes quos Papa Formosus in Galliam miserat, habuere, Viennæ Allobrogum, ejus jussu, concilium hoc, eique præfuere. Aderant Episcopi plures, & inter alios, Bernouius archiepiscopus Viennensis, & Aurelianus Lugdunensis, cum Episcopis duobus, Valentiæ uno, Gretianopolis altero. Edidit concilium canones quatuor.

1. „ Communione spoliabuntur, qui Ecclesiæ bona usurpare pergent. “

2. „ Eadem in laicos pœna, qui clericum occiderint, aut mutilaverint, aut ignominia affecerint, aut ei membrum aliquod amputaverint. “

3. „ Par in eos pœna, qui pia legata, ab Episcopo vel e presbytero edicta frustrati fuerint. “

4. Non deerant e sæcularibus qui, absque Episcoporum consensu, ecclesias donabant seu offerebant, exigebantque a presbyteris jura ingressus in beneficium. Hos omnes abusus concilium damnat. *Ibid.*

Concilium Triburiense, seu, *Triburtinum*, *an.* 895.

Coegit Rex Arnulus concilium hoc, mense Majo an. 895. in suo Triburiensi palatio, prope Moguntiam; & ad illud omnes suæ ditionis Episcopos appellavit; adfuerunt ergo viginti duo; e quorum numero erant archiepiscopi, Moguntinus, Coloniensis & Trevirensis qui primi subscripserunt; aderant & abbates quorum tamen subscriptiones non apparent. Trium dierum jejunium, processiones precesque publicæ concilium antecesserunt. Cum Episcopi de Ecclesiæ negotiis agere inciperent, in concilium ingressus Rex, ad deliberationes admissus fuit; Episcoposque ad suum & ipse consilium admisit. Editi sunt a concilii patribus canones quinquaginta octo qui pene omnes eo spectant, ut vim & criminum immunitatem reprimant.

1. Exponitur pacis vis & ratio.

2. Eruerat presbytero laicus oculos, crimen prætexens, cujus innocens erat. Episcopus suam ad synodum hunc laicum acciverat, qui tamen accedere noluerat, & ad concilium appellaverat. Cum presbyter sibi jus ab Episcopis petiisset, hi quidem ad Regem miserunt, ut perciperent, quid de eo laico homine, deque cæteris peccatoribus excommunicatis statueretur, qui renuerent pœnitentiam agere; addita, eodem tempore, canonum ad eum collectione, qui cum excommunicatis communionem prohibent.

3. „ Rex omnibus sui regni Comitibus in mandatis dedit, ut omnes excommunicatos qui se pœnitentiæ non subdebant, caperent, ad aumque perducerent. Addidit eam sibi mentem esse, ut, si forte contingeret eorum aliquos, iis obsistentes qui ad eos capiendos mitterentur, interfici, Episcopi nullam his missis pœnitentiam imponerent; seque, quod in ipso erat, non passurum, ut ab iis legum compositio exigeretur, aut mortuorum consanguinei vindictam persequerentur. “

4. „ Mulcta quæ ob vulneratum presbyterum solvetur, tota eidem erit, si suis ipse vulneribus superstes fuerit; at, si occubuerit, ea tribuetur in partes tres, quarum unam sibi habebit ejus ecclesia,

„ alte-

„ alteram ejus Episcopus, ejusdemque consanguinei „ tertiam. “

5. „ Ei qui presbyterum occiderit, pœnitentia iisdem fere verbis imponitur, ac per decimum sextum Moguntini concilii canonem an. 888. statuta fuerat. “

6. & 7. „ Sacrilegii reus est qui in ecclesiam ingreditur, educto gladio; sacrilegium quoque perpetrat qui ecclesiæ pecuniam aut supellectilem surripit. Quoad bona quæ extra possidet, Comites ad hæc restituenda debent eos adigere qui iisdem potiti sunt. Id si comites non præstiterint, Episcopi per canonicas rationes ad hanc restitutionem procedent. “

8. „ Qui Episcopi bannum, hoc est, ejus in jus vocationem contemnit, renuens ei se sistere, pane tantum & aqua per quadraginta dies jejunabit. “

9. „ Si dies quam Episcopus, in suæ visitationis cursu, ad suam tenendam audientiam præscripsit, in eam incidat quam Comes ad suam indixit, populus universus obediet Episcopo, præ Comite, quem ipsum ad Episcopi audientiam, in loco residentiæ ejusdem Episcopi, adesse oportebit. Habebitur tamen ejus ratio, qui suam primus e duobus audientiam indixerit. “

10. „ Episcopus deponi non poterit nisi ab Episcopis duodecim, presbyter ab Episcopis sex, diaconus ab Episcopis tribus, prout Cathagiensium conciliorum unum definiit. “

11. „ Clericus qui homicidium, vel coactus, patraverit, deponetur, seu presbyter sit, seu diaconus; at, si homicidio solum adfuit, quin ejus ulla ratione particeps esset, in suo gradu permanebit. “

12. Solemni Baptismo addicti dies sunt festa Paschatis & Pentecostes. „ Baptismus adhuc eo tempore per triplicem immersionem conferebatur; & , in necessitatis casu, nullo non tempore, conferri poterat. “

13. „ Instauratur vetus decimas & oblationes quadrifarium partiendi mos; ut una nempe pars ad Episcopum, ad clericos altera, ad pauperes tertia, & ad ecclesiarum reparationes quarta spectaret. “

1 . „ Decimæ cæteræque possessiones antiquis ecclesiis servabuntur. Si quis novas terras in veteris ecclesiæ ditione colit, earum decimam hæc percipiet; at, si contigerit, ut qui nemus eruncavit, desertosve, ad quatuor circiter aut quinque passuum millia, campos excoluit, ecclesiam cum Episcopi consensu ibidem ædificet, tum quidem hujus recens excultæ regionis decima ad presbyterum pertinebit qui ad ejus ecclesiæ servitium designatus fuerit, salva Episcopi potestate. “

15. „ Mortui sepelientur in loci, ubi Episcopus degit, ecclesia, cathedrali scilicet; sin hæc ecclesia longius absit, sepulturæ dabuntur in alia ecclesia, ubi canonicorum, monachorum aut religiosarum communitas sit, ut defuncti ex horum precibus solatium percipiant. Quod si fieri non potest, mortuus sepelietur in loco, in quo decimam, dum viveret, solvebat, scilicet, in sua quisque parœcia. “ Liquet, ex hoc canone, mortuos tunc in parœciis sepultos non fuisse, nisi cum in cathedralis ecclesiæ cœmeterio, vel in monasteriis id fieri non poterat. Admodum sane differt hodierna ab eorum temporum disciplina.

16. „ Interdictio, ne quid exigatur pro sepultura. Accipi tamen poterit quod gratis datum fuerit. “

17. „ Interdicitur, e sanctorum Patrum statutis, ne laici in ecclesiis sepeliantur. “

Ut canon hic cum decimo quinto concilietur, dicendum est enm decimum quintum de sepultura in episcopalis urbis ecclesia canonem non, prout verba sonant, sumendum esse, sed aut de exequiis, aut de sepultura in publico urbis cœmeterio, in qua Episcopus residet, accipiendum.

„ quia hi quidem ob levem aliquam rem jurare non debent. “

22. „ Si gravis, interque populum disseminata accusatio est, accusatique jusjurandum ad eum purgandum non sufficit, candentis ferri probatio adhiberi poterit. “

23. „ Qui virginem Deo per sanctum velum consecratam in conjugem duxerit, communione privabitur, nec ad hanc rursus admitti poterit, nisi postquam sui criminis pœnitentiam publicam egerit. “

24. In Carthaginensium conciliorum uno statutum fuerat, ut ne velum, ante vicesimum quintum ætatis annum, virgini tribueretur. Triburiense concilium nullos ætati terminos ponit, omnemque puellam quæ suapte sponte, nullamque vim passa velum sumpsit, &, per annum diemque, retinuit, illud semper servare vult.

25. „ Prohibentur Episcopi, e Papæ Gelasii decreto, viduis velum dare; adjunguntur que ad cœlibatum, quæ illud semel sumpserunt. “

26. „ Si monachus, suæ, vel aliorum salutis desiderio permotus petit, ut sibi liceat monasterium mutare, id facere poterit, ex Episcopi, abbatis & fratrum consensu. Si illud deserit, ut liberius vivat, regredi jubebitur, ac, si pertinaciter abnuat, in carcerem conjicietur. “

27. „ Clericos apostatas puniet Episcopus e summo canonum jure. “

28. & 29. Instaurantur Nicœni & Chalcedonensis conciliorum decreta, super Episcoporum & presbyterorum ab una ad aliam ecclesiam translatione; veteresque canones qui servum, antequam libertatem obtinuerit, ordinari vetant.

30. „ Erit in Episcopi potestate perficere, ut in carcerem tradatur qui fuerit litterarum lator, quæ Papæ suppositæ fuerint, quoad Romam scriptum sit, ut quomodo falsarius hic puniri debeat, intelligatur. “

31. „ Interdicitur, ne pro furibus & latronibus qui sine pœnitentia mortui fuerint, preces indicantur, aut eleemosynæ erogentur. “

32. „ Cum cohæredes ad quos pertinet ejusdem ecclesiæ patronatus, de presbytero ab ipsis ad eam nominando non consentient, Episcopus ex ea reliquias extrahet, claudet ejusdem fores, suumque his sigillum apponet, ne quid officii, quoad inter patronos convenerit, ibidem fiat. “

33. „ Interdictio, ne ad clericaturam admittantur qui mutilati aut non litterati sunt. “

34. „ In pœnitentiæ impositione, cum iis humaniter agi lubet, qui in bello contra barbaros, Christianos, paganos rati, per errorem, occidunt. “

35. „ Prohibetur, ne Dominicis & festis, itemque jejunii & Quadragesimæ diebus pateant tribunalia; & Christianis præcipitur, ut festos dominicosque dies, divino servitio religiose adsistentes, sanctificent. “

36. „ Si quis arborem secans, & jam jamque casuram videns, socium moneat, ut recedat, hic autem, malo facto, sibi non caveat, & opprimatur, qui arborem secuerit, non arguetur. “

37. Est prope similis facti species.

38. „ Mandatur, ut quicunque liber puellam libertam duxerit, eam sibi conjugem habeat. “

39. „ Nationum legumque discrimen matrimonio impedimento non est; Francus Bavaricam aut Saxonicam sibi conjugem sumere potest, id supplens quod civili contractui deest. “

40. „ Matrimonium viri & viduæ quacum is, vivente ejusdem marito, adulterium patravit, nullum declaratur. “

41. „ Si quis conjugem duxit, quacum matrimonio uti non potest, ejusque frater hac abutatur, separabuntur; eique feminæ quicquam amplius commercii cum neutro erit; poterit tamen Episcopus facultatem iisdem concedere, ut, postquam pœnitentiam egerint, legitimum matrimonium ineant. “

„ in manus iterum tradere, sed eo mittere qun se ipsa recipere voluarii. "

47. „ Ei qui alterius puerum ad Baptismi fontes tenuit, facultas conceditur, ut viduem, nisi ejus commater sit, sibi conjugem sumat. "

48. „ Si quis commatris suæ filiam, casu, duxerit, eam retinere poterit, & eum ipsa, tanquam conjuge vivere. "

49. „ In eos qui simul adulterium patrarunt, interdictio, ne unquam matrimonio junganiur, na una degant, neve ullom inter se commercium habeant; si quid elter donevit eltari, id servebitur iis quos iidem ex hac adulterina conjunctione susceperint. "

50. „ Habebitur homicidæ loco, qui veneno, aut quovis meleficio, mortem alteri attulerit; eiqua duplex pœnitentie imponetur. "

51. Est confirmatin quadragesimi ejusdem concilil canonis, qui adulterum vetat feminem quacum adulterium patrevit, sibi, post ejus viri mortem, conjugem sumere.

52. & 53. Eorum pœnitentiæ, qui involuntarium homicidium patrerunt, ex Ancyreni concilii mente, mcdus statuitur.

Postremi canones quinque ita homicidæ voluntarii pœnitentiam præscribunt: „ Pœnitentiam aget per ennos septam, priorum quadraginta dierum spatio, non ei licebit ecclesiam ingredi; pane tantum & sale vescetur, & aquem solum bibet; incedet nudis pedibus; pannos lineos non deferet, præter quem subligacule; ei nulius erit ermorum, nullus vehiculorum usus: n continentiæ legibus vivet, sine ullo cum Christiania cæteris, etqua adeo cum pœnitentibus eliis commercio. Si in morbum inciderit, eamvn adverserii e vivis tollendum curent, ajus pœnitentie differetur, quoad eum Episcopus cum his concilieverit. Quadraginta quos diximus, elapsis diebus, erit adhuc ad ennum prohibitua ecclesiæ aditu; cerne, casen, vinn, omniqua mellite potione, exceptis diebus festis & dominicis, ebstinebit. Morbi aut itineris tempore, feriam tertiem, itemque quintam & sabbatum, denario, vel trinm pauperum alimento redimere poterit. Hoc enno absoluto, ei, ut reliquis pœnitentibus, ecclesia patebit. Consequentes ennos duos inter easdem exercitationes transiget, nisi quod ei licebit memoratos dies tres redimere, ubicunque fuerit, seu domi, seu ruri. Per reliquos singulos annos quetuor, servabit quadregesimale jejunium ter, scilicet, ente Pascha, ante S. Joannis festum diem, ante Natale Dominicum. Raliquis enni temporibus, secunde, quarte & sexte feriis tantummodo jejunebit; adeoque licebit eidem ferias duas, secundem & quartam redimere. Completia ejus pœnitentiæ ennis septem, reconciliebitur in eliorum pœnitentium modum, & ad sanctam Communionem admittetur. "

Triburiensi concilio Pater Labbæus subdit Nannetensis canones, quin ejus epochem statuat. Haud abest, quin illud Pater Sirmondus ante annum 658. babitum putet; ec, re quidem ipse, Pater Cointius illud ad an. 656. refert. In eo editi cenones viginti ques nos ad an. 658. retulimus.

Concilium Romanum, an. 900.

Concilio quod Papa Joanne IX. Ecclesiam regente habitum est, in vulgaribns Collectionibus, annus 904. ndscribitur. Illud Pagins ad en. 898. refert. Oritur difficultas ex embiguitate chronologiæ summorum Pontificum qui sanctam Sedem, labente nono sæculo & ineuote decimo, tenuerunt. Eorum scilicet pontificatus tam brevis fuit, ut nulla ejusdem notandi temporis cura asset. Quod eccuretius super hac re constat, Flodoardo Remeosi debetur, qui animum ad Romanorum Pontificum seriem exhibendam applicuit. Ad Joannem IX. quod spectat, Diplomata duo, quæ Petrus de Merca profert, unum quidem missum ed Riculfum, Elnensem in Rascinonensi Comitatu Episcopum, elterum vero ed Gerundensem Episcopum qui nomine *Servus-Dei*, fidem faciunt eum ab Octobri mense an. 900. Pepam fuisse. Cum eutem Pepa hic biennium tantum eut triennium Ecclesiam administraverit, ejus Romanum concilium oon nisi ad eumdem ennum, vel ad sequentium duorum elterum referri potest. Lectis iis quæ in Joannis VIII. & Stephaoi VI. conciliis, contra Papam Formosum gesta fuerant, concilinm edidit decretum suum, capitulis seu erticulis duodecim.

1. Damnatur quicquid in Romano concilio, Stephano VI. Pontifice, habito contre Formosi nomen & corpus contigerat. Prohibetur, ne quid simila deinceps fiat, quia mortuus in jus acciri nequit, cum fieri omnino non possit, ut ad accusationes sibi iousitas respondeat.

Pepa Stephanus VI. in urbe Roma, en. 897. concilium seu potius conciliabulum ed Formosi decessoris sui damnationem coegerat. Ejus corpus quod n sepulcro Stephenus erui jusserat, in medium cœtum allatum fuit; pontificalia ornamente eidem imposita; datusque advocatus qui ejus nomine responderet; eumque tamquam sanctæ Sedis usurpator damnetus esset, amputatis digitis tribus, abscissoque capite, in Tiberin projectus fuit. Depositi qui eb eo ordinati fuerent, & iterum ordinati.

2. „ Conceditur Episcopis, presbyteria eliisque clericis vania qui metu adacti judicio huic adsuere, mandaturque, ut ejusmodi violentiia nullus amplius in posterum locus sit. "

3. „ Cum Formosus a Portuensi ad Romanam Ecclesiam ex necessitate translatus fuerit, ejus exemplum ad consecrationem trahi non potest, propterea quod ab una ad aliam sedem Episcopi translationem canones ita prohibent, ut retractatis laicam ipsam communionem, vel ad mortem, negeet. " Post Formosi mortem, ai popularis factio successorem elegerat Bonifacium qui a subdiaconatu ec deinde a sacerdotio depositus fuerat. Hinc concilium prohibendi occasionem sumit, ne quie in Synodo deposatus, & canonice non restitutus ed eltiorem gradum extollatur.

4. „ Restituuntur in pristinum gredum Episcopi, presbytari & cæteri clarici canonice e Formoso Papa ordinati; quique inter eos quorumdem temeritate expulsi fuerent, revocantur. "

5. „ Vetantur, ex Afrioanorum conciliorum statutis, reordinationes, rebaptizationes & eb une sedn ed eliam trensletiones. "

6. Guyio, Spoleti duce, Iteliæ rege, vita functo, Berengerius, Forijulii dux perfeceret, ut a Stephano VI. Imperator coroneretur. At Lambertua, Guyà filius, an. 893. a Formoso coronatus id tandem assecutus est, ut suum sibi locum servaret, & Berengerium expelleret. Declarat ergo conciliom eam sibi sententiam esse, ut sancti Chrismatis unctionem imperatori Lamberto collatam confirmet, camque rejiciat quam Berengerius extorserat.

7. „ Ad flammas damnantur concilii, a Stepheno VI. contra Formosum habiti Acte. "

8. „ Pronuntientur presbyteri, Sergius, Benedictus & Merinus, itemque diaconi, Leo, Paschalis & Joannes rita ac recte damneti, & ab Ecclesiæ communione segregati, tamquem sacrilegi & seditiosi; prohibeturque, indicta anathematis pœne, ne restituantur. "

9. „ Iis qui Papæ Formosi sepulturem violeverent, concilium, nisi resipuerint, excommunicationem minitatur. "

10. „ Ut remedium violentiia afferetur quibus, moriente Papa, suberet Romana Ecclesia, cum ei successor inscio Imperetore, absentibusque ejus commissariis qui recto servando ordini addicti erent, eligebatur; concilium vult, ut in posterum Papa in Episcoporum totiusque cleri cœtu, senatu populoque petentibus, eligatur, ac deinde solemnem in modum, præsentibus Imperatoris commissariis, consecretur, quin cuipiam liceat eb eo jurisjurendi formas recens inventes exigere, sed id tantum quod semper in usu positum fuit. "

11. „ Interdicitur, ne patriarchele paletium, post Papæ mortem, & episcopalia domus, post mortem Episcopi, diripiantur, ea in retractarios statuta pœna, ut Ecclesiæ censuras & Imperatoris indignationem subeant. " Is abusus per ea tempore grassabetur, ut, post Pepæ mortem, non modo patriarchale palatium, sed cætera quoque omnia quæ ad eum tum Romæ, tum alibi pertinebant, expilarentur. Episcopalis pariter domus, post Episcopi mortem, exspoliabatur. Abusum nimirum hos concilium hoc loco damnat.

12. Damnat etiem ebsonem ac præposteram quæ apud sæculares judices eorumque officieros obtinebat, consuetudinem in eo positam, ut commissiones ad criminum inquisitionem venderent; quod in cause eret, ut ea licentina perpetrerentur, scelestia hominibus pecuniam dantibus, ne amplius eb ejusmodi commissionariis inquirerentur. Pronuntiatur Episcopis liberum fore, suis in diœcesibus, inquirere & punire, secundum canones, edulteria & crimina cætera; eos etiam posse, si opus fuerit, pro tribunali sedere & publice eudire, ad eos reprimendos qui iisdem abusi fuerint. *Ibid.*

FINIS TOMI PRIMI.